

A
3
M

E 74

3
8-47

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33

4
3
44

E' 24

3
8-47

(P. 2242) B. 10.215

JO. BAPTISTÆ
DE LUCA
VENUSINI,
S. R. E. Presbyteri Cardinalis;
THEATRUM
VERITATIS & JUSTITIÆ,

SIVE DECISIVI DISCURSUS PER MATERIAS, SEU TITULOS
distincti, & ad veritatem editi in forensibus controversiis Canonicis & Civilibus,
in quibus in Urbe Advocatus pro una partium scripsit, vel consultus respondit.

LIBER UNDECIMUS,
Cujus I. Pars de Legatis; II. de Successionibus ab
intestato; III. de Renuntiationibus.

*CUM NONNULLIS RECENTISSIMIS SACRÆ ROTÆ
Romanæ Decisionibus ad materiam spectantibus; nec non Annotationibus, ac Discursibus, qui antea in Supplementis extabant, suis locis optime adjectis.*



VENETIIS, MDCCXXVI.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

I N D E X A R G U M E N T O R U M I N D I S C U R S I B U S .

Qui habentur in hac Prima Parte Libri XI. de Legatis .

D I S C . I .

Janen. Legati .

Facto legato bonorum differentium, quorum legatarius non sit capax, ex ipsorum bonorum qualitate, puta quia sint feudalia, vel emphyteotica &c. an legatario per hæredem debeatur æstimatio, vel potius dispositio inutilis remaneat.

D I S C . II .

Romana prætenſæ æſtimationis .

An, & quando, cessante re legata, adeo legatum remaneat inutile, adhuc debeatur per hæredem æstimatio, seu æquivalentia.

D I S C . III .

Senogalien. Legati .

An, & quando legatum censatur factum de proprietate, vel de usufructu, ad effectum caducationis per prædecessum ejus, qui post mortem usufructuarii vocatus est; Et quando legatum, ad eundem effectum caducationis, dicatur conditionale; Et præsertim, an mors faciat conditionem; Et quid de certa ætate, quæ legati affectioni præfinita sit, an inducat conditionem, vel importet dilationem.

D I S C . IV .

Lucana Legati .

De legato creditorum, ac jurium, & actionum, quid comprehendat, an scilicet solum nomina debitorum, vel etiam pecunias destinatas investimento, sive existentes penes procuratores, & ministros testatoris: Vel potius referendum solum sit ad credita, ac jura, & actiones quæ haberentur contra ipsum legatarium pro ejus liberatione, non autem, ut ei legata sint jura, & actiones contra alios.

D I S C . V .

Auximana Legati .

An, & quando, sub legato mobiliū domus, veniat pecunia numerata, quæ in domo reperta sit.

D I S C . VI .

Romana, seu Cusentina Legati .

An sub legato mobiliū, veniant pecuniæ domi repertæ, quas erogare oportuit in expensas funerum, & medicinarum testatoris.

Et an sub legato mobiliū veniant argentea, & alia mobilia, quæ in alia Civitate, vel Provincia existant cum destinatione illa introducendi in domum.

Et an, & quando pro legatis competat via executiva, necne.

D I S C . VII .

Bononen. liquidationis pretii .

An, & quando sub legato prædii, vel possessionis, veniant alia prædia separata, quæ à testatore possidebantur tanquam connexa; Et an, & quando in legatis præstanda sit evictio.

D I S C . VIII .

Lauretana Legati .

Sub legato domus, an, & quando veniant, hortus, & stabulum, aliæque officinæ; Et quid ubi legatum non sit in proprietate, sed in usufructu, vel in habitatione.

D I S C . IX .

Firmana Divisionis .

Sub legato bonorum stabiliū, an veniant animalia, & blades, aliæque mobilia existantia in fundis, seu prædiis; vel potius veniant sub legato bonorum mobiliū, quando testator, de uno, ac altero genere diversimodè disposuit.

D I S C . X .

Romana Legati mobiliū .

De Legato mobiliū domus factu uxori, collato in ejus arbitrium, de illis scilicet, quæ sibi necessaria, vel oportuna judicaret, quomodo interpretandum sit, sive quomodo illud arbitrium à legatario interponi debeat.

Card. de Luca Lib. XI.

D I S C . XI .

Romana Legati de Fabii .

Legatis equis, an defectis illis, quos testator habebat, teneatur hæres alios supplere, vel potius casus cedat damno legatarii; Et an, & quando, frumentum, vinum, & oleum, aliæque huiusmodi, quæ in domo reperiuntur, veniant sub legato mobiliū domus.

D I S C . XII .

Viterbien. Legati censuum .

Legato generaliter relicto, cujus sit electio, an hæredis, vel legatarii; Etposito quod sit unius, vel alterius, an possit eligi optimum, vel dari possit respectivè pessimum; Et quando legatum generis sit inutile.

D I S C . XIII .

Montis Falisci Legati .

Facto legato generis, de quo in hæreditate adsint plures species, de melioribus, peioribus, & mediocribus, cuiusnam sit electio; Et quid eligendum, vel præstandum sit; Et quid in hoc operetur favor causæ piæ.

D I S C . XIV .

Nepeſina Legati .

An, & quando certa designatio in legatis pro certo opere faciendo, sit taxativè, vel demonstrativè, adeo deficiente designatione, vel re designata non sufficiente, intret necne obligatio supplendi aliunde.

D I S C . XV .

Romana lucris, & Legati .

An facto per uxorem viro legato de fundis dotaliibus, vel de eorum aliqua parte, possit vir lucrum dotale petere ab hæredibus mulieris in aliis bonis, vel potius illud sub legato comprehensum sit; Et an legatum factum per uxorem viro, compensetur cum lucro dotali.

D I S C . XVI .

Comen. Legati .

Facto legato omnibus filiis alicujus, an id conveniat etiam filiabus, adeo masculinum concipiat foemininum; Et si fiant duæ species legatorum, una pro filiis alicujus in genere, & altera illis filiabus ejusdem, quæ erant moniales profectæ, quale legatum conveniat illi filiæ, quæ de tempore mortis testatoris erat novitia.

D I S C . XVII .

Romana, seu Senen. Legati .

An legatum relicto pro subsidio dotali filiarum alicujus conjuncti debeatur solum illius filiabus, quæ vivente testatore procreatæ erant, vel etiam aliis post mortem susceptis.

D I S C . XVIII .

Mutinen. Legati .

De eadem materia, an legatum factum filiis alicujus, debeat solum natis de tempore testamenti, seu mortis testatoris, vel etiam aliis, qui postea nati sint; Et an factum filiis intuitu patris, ad istum pertinere dicatur, adeo de eo disponere possit, necne.

D I S C . XIX .

Romana annatæ .

An Legatum annuum pro sustentatione Capellanorum, sub ea lege, ut fructus primi anni erogari debeant in reparationem, ac utensilia Capellæ, intelligendum veniat de primo anno fundationis Capellaniarum, vel potius de primo anno vacationis, ac provisionis cujuslibet Capellanatæ cum tractu successivo.

D I S C . XX .

Romana Capellaniarum .

Facto Legato erectionis certi numeri Capellaniarum, cum certo annuo reddito, puta scutorum centum pro qualibet, si tractu temporis bona legata diminutionem patiantur, seu aliàs diminuantur fructus, adeo tantus redditus percipi non valeat, an diminui debeat earum numerus, vel potius de eis provisi, diminutionem redditus pati debeant.

D I S C. XXI.

Romana annue præstationis.

Facto Legato annue præstationis ad vitam, an legatarius ab invito hæredem petere possit assignationem tot bonorum, ex quibus dictam præstationem manu sua percipiat; Et de converso, an hæres dictam assignationem legatario invito facere valeat; Et an legatarius impedire possit hæredi venditionem officiorum vacabilium in ipsius legatarii persona cantantium, ut ex eorum emolumentis legatam præstationem obtineat.

D I S C. XXII.

Romana Legati.

De Legato annue præstationis relicto ei, qui in eodem testamento deputatus sit tutor filiorum testatoris, an, & quando cesset, ob tutelam recusatam, vel alias cessatam, tanquam ipsius correspondivum, necne.

D I S C. XXIII.

Januen. Legati.

An, & quando legatum factum uxori cum onere habitandi cum filiis, ob istorum mortem, vel absentiam, seu aliud impedimentum, tanquam a cessante causa legandi, cesset, necne.

D I S C. XXIV.

Romana seu Viterbiana Legati.

An Legatarius habitationalis, & alimentorum in domo cum hærede, prætereunde valeat alimenta, & habitationem extra domum, & mensam hæredis ex aliqua iusta causa, præsertim ex eo, quod legatum fuerit factum mulieri tunc soluta, quæ postea virum duxerit.

Et an, & quando legatarius, qui testamentum impugnat, ejusque invaliditatem allegat, cadat necne à commodo legati.

D I S C. XXV.

Albanen. Celebrationis Missarum.

Legatum hæredi injunctum, Celebrationis certi numeri Missarum in aliqua Ecclesia, an spectet ad Religiosos dictæ Ecclesiæ, per quos perneceesse Missæ celebrandæ sint, vel potius hæres eligere possit Sacerdotes ad Celebrationem.

D I S C. XXVI.

Hortiana Legati.

Facto Legato de aliquibus bonis, quæ alicui censui, vel oneris affecta sint, cui incumbat census, vel oneris solutio, an scilicet hæredi, vel legatario.

D I S C. XXVII.

Romana prætenst Legati de Gestis.

Legatum incertum pro exoneratione conscientiæ, in Confessarii, seu alterius arbitrium collatum, an perneceesse sit integrè adimplendum, vel sufficiat illud implementum, quod exequutor fecerit; Et an bona, ex quibus testator dixit tale legatum implendum esse, stent demonstrativè; Et aliqua de facultatibus Fabricæ, circa legata pia exequenda.

D I S C. XXVIII.

Pisaurien. Fideicommissi.

De Legati acceptatione, quando consistere dicatur, necne, ad effectum videndi, an bona legata, separata sint ab hæreditate; itaut non cadant sub fideicommissio universalis in ea ordinato, vel e contra.

D I S C. XXIX.

Romana prætenst Fideicommissi.

Legatum, cujus caducitas ob contraventionem prætenstatur, an ita dicatur esse in hæreditate testatoris, ut cadat sub fideicommissio universalis per ipsum ordinato; Et de differentia inter casum caducationis, & casum caducitatis.

D I S C. XXX.

Romana Legati de Aggavariis.

De eadem materia caducationis in legatis particularibus; Et an, & quando in eis intret vulgaris directæ, vel anomala, necne.

D I S C. XXXI.

Romana Legati usufructus.

Legatarius usufructus universalis, an participare debeat de usufructu rei particularis, alteri relicto; Et an dictus legatarius universalis haberi debeat loco hæredis.

D I S C. XXXII.

Viterbiana Legati.

Legatum, in quo alter substitutus sit sub conditione mortis utriusque primi legatarii, an substituto debeat, si conditio mortis naturalis in uno tantum purificata sit, in altero verò contigerit mors civilis, seu ficta, puta transitus ad secunda vota.

Et aliqua in materia ademptionis, an scilicet adempto onere, quod legato adjectum est, ita quoque legatum ademptum censetur, sive illud cesset, tanquam ex cessante causa.

D I S C. XXXIII.

Romana Legati de Columna.

Legatum annuum, vel menstruum relictum familiaribus, vel aliis, an intelligendum sit ad vitam tantum, vel potius perpetuum, ac transmissibile ad hæredes; Et si duobus, vel pluribus fiat menstruum legatum sub unica summa, an illa intelligatur pro omnibus collectivè inter eos dividenda, vel potius distributivè, ut illa singulis relicta dicatur.

D I S C. XXXIV.

Romana Legati de Misurum.

Legatum annue præstationis quod non est directum ad legatarium, sed injunctum hæredi, ut præstaret alicui Ecclesiæ; an intelligatur de primo hærede, itaut eo defuncto cesset, vel potius sit perpetuum, ac præstandum ab aliis hæredibus mediatis.

Et an Legatum injunctum hæredi, debeatur etiam à substituto; Et quid in hoc operetur favor piæ causæ.

D I S C. XXXV.

Catanien. Legati.

De contributo inter legatarios; Et de legatorum diminutione, an, & quando intret necne, ubi hæreditas non sit omnibus legatis idonea.

D I S C. XXXIV.

Romana Legati de Sufimiani.

Legatum annuum, vel menstruum relictum pro subventionem juvenum de familia, qui certam ætatem habentes studii per determinatum tempus vacarent, an sit perpetuum, & reiterabile cum tractu successivo, vel potius intelligendum veniat pro unica vice ad favorem eorum, qui primò admissi sint; Et de concursu plurium juvenum ejusdem familiæ, quibusnam debita sit prælatio, & quomodo regulari debeat ætas à testatore præfixita.

D I S C. XXXVII.

Spolehana prædii.

An pro fructibus legati ad legatarii favorem cumulandis pro certa summa constituenda, effecta sint bona testatoris, in præjudicium aliorum legatariorum, vel fideicommissariorum.

D I S C. XXXVII.

Romana Legati negotii.

An facto Legato negotii expeditionum Dataria, quod testator exercebat, illud factum censetur cum juribus etiam passivis, adeout legatarius teneatur ad debita, quæ defunctus ex causa ejusdem negotii tenebatur; Et quid de creditis ex causa negotiorum jam expletorum à defuncto asequendis, & de quibus creditis legatum intelligatur.

D I S C. XXXIX.

Anconitana Legati.

De Legato relicto uxori, ut sit domina, & usufructuaria, an importet alimenta, vel formalem usumfructum; Et quatenus usumfructum importet, quæ cautio per eam præstanda sit; Et an de illo participare debeat hæres universalis; Sive an capiat legitimam ipsi hæredi debitam.

D I S C. XL.

Bononien. dotis, & Legati.

De interpretatione legati quantitatis monetæ per testatorem expressè in testamento, extra ejus patriam condito, quia nempe dixerit de tot scutis; De quibus intelligendum sit, an scilicet de illis propriæ patriæ, vel de illis loci testamenti; Et quatenus plures scutorum species in eodem loco currerent, de qua specie legatum intelligendum sit.

D I S C. XLI.

Januen. Legati.

De materia interpretationis legati, & quomodo ista facienda sit, quando verba sint ambigua, & apta recipere plures diversos intellectus, & significationes.

D I S C. XLII.

Camerinen. Legatorum.

An legata tractum successivum habentia, relicta ab instituto censetur repetita à substituto; Sive an censentur injuncta primis tantum, non autem ulterioribus hæredibus.

D I S C. XLIII.

Romana Legati, seu oneris.

An condiciones, vel onera legato adjecta, quæ sint adeo præjudicialia, ut non expediat legatario acceptare, videntur legatum, vel potius vitata remancant, ac pro non scriptis habeantur, ideòque legatum adhuc debeantur.

D I S C. XLIV.

Marsicana Legati.

Demandata per testatorem erectione alicujus Monasterii in domo ejus habitationalis, an ipsa domus legata censetur, & quomodo, quatenus non ibi, sed alibi Monasterium fundaretur; Et quid si domus pleno jure non spectaret ad testatorem, an hæres teneatur eam redimere, vel solvere æstimationem legatario.

D I S C. XLV.

Eugubina Legati.

An legatum factum de fructibus aliquorum bonorum, sit perpetuum, ac transmissibile ad hæredes, vel potius personale, unde terminetur cum vita legatarii.

D I S C. XLVI.

Romana redditionis ratiqum.

De legato facto per focerum mutui usus gemmarum & joacalium, an cesset per dissolutionem matrimonii sequentem per mortem viri, adeout congruat, necne eidem legataria in statu viduitatis.

D I S C. XLVII.

Narnien. bonorum.

An liberatio generalis à redditione rationum, & à quacunque alia actione, per uxorem legata viro, qui ejusdem uxoris bona extradotalia administravit, importet etiam liberationem à debito restitutionis dotis.

D I S C. XLVIII.

Romana Legati de Casafis.

An per alienationem voluntariam rei legatæ, resultet legati ademptio, vel diminutio, si pretium unico contextu in alia bona erogetur, vel potius intret istorum bonorum subrogatio.

D I S C. XLIX.

Viterbiana Legati.

De Legato contento in priori testamento, an censetur diminutum per secundam dispositionem, quæ expressam contineat diminutionem, deinde tamen emendatam; Et an talis emendatio per apostillam, seu additionem, facta censetur de ordine, & voluntate testatoris, vel quatenus ea non adesset, an posterior diminutio, ratione subjectæ materiæ, errori potius tribuenda sit.

Legatarius annue præstationis negligens eam exigere ab hærede gravato, an petere possit annualitates decursas à successore, vel actionem habeat ad bona testatoris.

D I S C. L.

Florentina Legati.

De ademptione legati ordinata sub certa conditione, an ad ejus effectum requiratur implementum in toto, atque in forma specifica, vel potius sufficiat in parte, vel per æquipollens.

D I S C. LI.

Fulginaten. Legati.

An, & quando legatum cesset per provisionem à testatore factam post testamentum ad favorem legatarii, sive per implementum in vita, illius operis, pro quo legatum factum sit.

D I S C. LII.

Romana contributionis.

An legatarius quotæ, seu alicujus universitatis bonorum, teneatur concurrere cum hærede in solutione æris alieni, aliorumque onerum hæreditariorum, ac etiam legatorum.

D I S C. LIII.

Spolehana successonis.

An & quando per secundum legatum contentum in codicillis, censetur ademptum, seu diminutum alterum legatum in testamento factum eidem personæ.

D I S C. LIV.

Romana pecuniaria, seu legati de Benedellis.

Revocato primo testamento per secundum, an revocata censentur omnia legata in primo contenta; vel potius aliqua adhuc debeantur.

D I S C. LV.

Aventinien. Legati.

An, & quando per alienationem rei legatæ ab ipso testatore.

post testamentum factam, resultet legari ademptio, necne.

D I S C. LVI.

Lucana ademptionis Legati.

De interpretatione ademptionis factæ in codicillis, de legato facto in testamento, & quomodo talis ademptio intelligenda sit, ubi constat, quod affectio erga legatarium non sit diminuta, sed potius dispositio ademptiva majorem arguat affectionem.

D I S C. LVII.

Perusina Caducitatis.

An, & quando legatarius, ob non implementum conditionum, & onerum adjectorum legato, istius caducitatem, seu privationem incurrat; vel potius ad moræ purgationem admittendus veniat.

D I S C. LVIII.

Senen. Legati.

An legatum, vel alia dispositio facta ad favorem puellæ adhuc non nubilis pro quando erit in certa ætate, ac nubet, debeatur, si ante illam ætatem nubat, vel potius caducitas intret; Et de interpretatione legati, seu dispositionis, ut uxor testatoris tractari debeat eo modo, quo ipso vivente tractabatur.

D I S C. LIX.

Discursus Generalis.

An, & quando legatum dicatur purum, vel conditionale, ubi præsertim agatur de legato dotis; Et de effectibus exinde resultantibus.

D I S C. LX.

Alter discursus generalis.

An legatum alicui puellæ in specie, vel puellis in genere factum pro dote, conveniat jam nuptiis; vel an intelligatur solum de primis nuptiis, vel conveniat ulterioribus favoræ viduarum; Et an secundum legatum deroget primo pinguiori.

E X S U P P L E M E N T O.

D I S C. LXI.

Aretina Legati.

De interpretatione legati super comprehensione bonorum, quæ sub prædico legato veniant, necne.

D I S C. LXII.

Januen. Legati.

An per ademptionem legati facti uni personæ, ademptum quoque censetur legatum consequitivè, & dependenter factum alteri.

D I S C. LXIII.

Ceremonen. Legati.

An, & quando ille, cujus favore dispositum sit, censendus veniat legatarius, vel potius hæres, Et incidenter quando legatum factum creditori, censetur factum animo compensandi.

D I S C. LXIV.

Eugubina Legati.

An debeantur per hæredes ab intestato legata facta in testamento, in quo alter hæres esset scriptus, per cujus prædecesum illud caducatum sit; Et incidenter de puncto, an, & quando pro legato competat via executiva.

D I S C. LXV.

Romana Legati.

An legatum factum Ecclesiæ, in qua electa fuerit sepultura, cesset per manutationem dictæ electionis, quæ fiat in alia Ecclesia.

D I S C. LXVI.

Trojana Legati.

An legatum factum Loco Pio destinato pro Conservatorio puellarum, debeatur, si erigatur in Monasterium cum clausura; Et an censetur factum taxativè, vel demonstrativè in effectibus destinatis.

D I S C. LXVII.

Romana Legati Alimentorum.

De interpretatione legati alimentorum, & an ista debeantur juxta conditionem personæ, quamvis omnes redditus hæreditatis absorbeant, vel potius pro viribus, & numero personarum.

D I S C. LXVIII.

Favolunien. Legati.

De legato facto pro subsidio Scholarium, quam conditionem implicitam habere dicatur; Et an contraventionem implicam habere dicatur;

explicitæ; vel implicitæ conditionis habeat oculos re-
tro, & obliget ad restitutionem accepti.
Et de qualitate monetæ, in qua hujusmodi legatum præ-
stari debeat, si Testator de aureis simpliciter loquutus
fuerit.

DISC. LXIX.
Sarzanen. Legati.

De interpretatione legati facti uxori alicujus non co-

habitantis cum viro, an cesset, necne, si cum eo
cohabitet.

DISC. LXX.

Pistorien. Legati.

De eadem materia, de qua *disc. 23.* an scilicet cesset lega-
tum factum intuitu cohabitationis, & educationis ali-
cujus, quæ postea cesset.

INDEX CAUSARUM

Hoc titulo de Legatis, ordine alphabetico
per Diœceses dispositus.

A	Eadem legati, <i>disc. 41.</i> Legati, <i>disc. 62.</i>	Eadem legati Mifsarum, <i>disc. 34.</i> Eadem legati mobilium, <i>disc. 10.</i> Eadem legati negotii, <i>disc. 38.</i> Eadem legati, seu oneris, <i>disc. 43.</i> Eadem legati usufructus, <i>disc. 31.</i> Eadem lucri, & legati, <i>disc. 15.</i> Eadem pecuniaria, seu legati de Be- nedictis, <i>disc. 54.</i> Eadem præsentis æstimationis, <i>disc. 2.</i> Eadem præsentis fideicommissi, <i>disc. 29.</i> Eadem præsentis legati de Gessis, <i>disc. 27.</i> Eadem redditionis rationum, <i>disc. 46.</i> Eadem, seu Cusentina legati, <i>disc. 6.</i> Eadem, seu Senen. legati, <i>disc. 17.</i> Eadem, seu Viterbien. legati, <i>disc. 24.</i>
L	Lauretana, <i>disc. 8.</i> Lucana ademptionis legati, <i>disc. 56.</i> Eadem legati, <i>disc. 4.</i>	
M	Marsicana legati, <i>disc. 44.</i> Montis Fiscali legati, <i>disc. 13.</i> Mutinen. legati, <i>disc. 18.</i>	
N	Narnien. bonorum, <i>disc. 47.</i> Nepefina legati, <i>disc. 14.</i>	
P	Perusina caducitatis, <i>disc. 57.</i> Pisaren. fideicommissi, <i>disc. 38.</i> Pistorien. legati, <i>disc. 70.</i>	S Sarzanen. legati, <i>disc. 69.</i> Senen. legati, <i>disc. 58.</i> Senogallien. legati, <i>disc. 3.</i> Spoletana Prædii, <i>disc. 37.</i> Eadem successionis, <i>disc. 53.</i>
R	Romana annuæ, <i>disc. 19.</i> Eadem annuæ præstationis, <i>disc. 21.</i> Eadem Capellianarum, <i>disc. 20.</i> Eadem contributionis, <i>disc. 52.</i> Eadem legati alimentorum, <i>disc. 67.</i> Eadem legati, <i>disc. 65.</i> Eadem legati, <i>disc. 22.</i> Eadem legati de Agazzariis, <i>disc. 30.</i> Eadem legati de Caraffis, <i>disc. 48.</i> Eadem legati de Columna, <i>disc. 33.</i> Eadem legati de Fabiis, <i>disc. 11.</i> Eadem legati de Justinianis, <i>disc. 36.</i>	T Trojana legati, <i>disc. 66.</i>
V	Veliterna legati, <i>disc. 32.</i> Viterbien. legati, <i>disc. 49.</i> Eadem legati censuum, <i>disc. 12.</i>	
A	Albanen. celebrationis Mifsarum, <i>disc. 25.</i> Aretina legati, <i>disc. 61.</i> Aventinon. legati, <i>disc. 55.</i> Auximana legati, <i>disc. 5.</i>	
B	Bononien. dotis, & legati, <i>disc. 40.</i> Eadem liquidationis pretii, <i>disc. 7.</i>	
C	Camertinen. legatorum, <i>disc. 42.</i> Cataniën. legati, <i>disc. 35.</i> Comen. Legati, <i>disc. 16.</i> Cremenen. legati, <i>disc. 63.</i>	
E	Eugubina legati, <i>disc. 45.</i> Legati, <i>disc. 44.</i>	
F	Firmana divisionis, <i>disc. 9.</i> Florentina legati, <i>disc. 50.</i> Forolivien. legati, <i>disc. 68.</i> Fulginatën. legati, <i>disc. 51.</i>	
H	Hortana legati, <i>disc. 26.</i>	
I	Januen. legati, <i>disc. 1.</i> Eadem legati, <i>disc. 23.</i>	

INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS.

Qui habentur in Parte II. Libri XI. de Successionibus ab
intestato, & de Statutis.

DISC. I.
Perusina successio.

DE Statuto Perusino super successionibus ab intestato,
decernente successionem patris, eorumque descen-
dentibus, una cum sorore, & matre; An locum ha-
beat, quando patris existentibus, adsint solum patrue-
les; Et an hujusmodi Statuta excludentia fœminas, &
cognatos propter masculos, & agnatos respectivè; cen-
senda sint odiosa, & exorbitantia, vel potius favora-
bilia, adeo benigne interpretanda sint.

DISC. II.
Perusina successio.

DE Statuto Perusino excludente fœminas propter mas-
culos, dummodo eas dotent, in casu negligentia: eas ad
successionem vocante, seu reintegrante; Quomodo in-
telligatur; Et quæ mora in masculo ad hunc effectum
requiratur.

DISC. III.
Nepefina, vel Sutrina successio.

DE Statuto Scrophani excludente fœminas propter mas-
culos, an intelligendum veniat data gradus æqualitate,
vel potius masculi remotiores succedant; Et demanda-
ta exclusione propter dotem, an unica sufficiat pro om-
nibus casibus, vel discretivè requiratur dotatio ex qua-
libet successione.

ET de hujusmodi Statutorum cessatione, ob existentiam
matris in medio, tanquam in casu mixto; Et quid ubi
mater non succedat; Vel ea succedente in sua portione;
Quid inter fratres, & sorores; Et an sorores uterinæ
côcurrant cum matre.

DISC. IV.
Januen. successio.

DE famigerata questione, occasione Statuti Urbis in suc-
cessionem exteri in ea morientis; An Statuta capiant bo-
na extra territorium; Sive an in bonis in territorio ex-
istentibus suffragentur masculo forensi, in cujus pa-
tria idem vigeat Statutum; Et an intret necne combi-
natio utriusque Statuti, personarum, & bonorum.

DISC. V.
Bononien. successio de Zanis.

DE Statuto Bononiæ exclusivè fœminarum propter mas-
culos, an afficiat moniales tanquam personas eccle-
siasticas, & Statuto non subjectas; et generaliter de
omni alio simili Statuto.

DISC. VI.
Tudertina successio.

DE Statuto Tudertino excludente fœminas propter mas-
culos, an procedat in successione clerici, si quisvis con-
tentio sit inter solos laicos; Et de bonis extra territo-
rium, an & quando veniant sub Statuto, ubi præfer-
tim accedat morientis voluntas.

DISC. VII.
Tudertina successio.

DE eodem Statuto Tudertino, excludente matrem, ab
intestata successione filii, ob remotiores agnatos, an
valeat; Et an statuta disponentia de successione ab in-
testato, procedant in successione intestabilis; Et quid
in hoc operetur voluntas patris pupilli, de cujus succe-
ssione agitur.

DISC. VIII.
Florentina successio.

DE Statuto Florentino excludente sorores, vel alias fœ-
minas proximiores propter agnatos remotiores, etiam
usque ad sextum, vel respectivè octavum gradum; An
intelligendum veniat de agnatis lineæ inferioris, vel
etiam de illis lineæ superioris; Et de aliis ad eisdem
Statuti materiam; Et præsertim an sit favorabile, vel
odiosum.

ET de aliquibus differentiis inter collaterales lineæ supe-
rioris, & illos lineæ inferioris, five inter patrum, &
nepotem ex fratre.

DISC. IX.
Florentina successio de Francejebis.

DE Statuto Florentino exclusivè fœminarum propter mas-
culos, an contentetur sola subjectione personarum,
non curata illa bonorum, five an utriusque Statuti com-
binationem admittat.

ET ubi successio complectatur bona in diversis Principati-
bus existentia, qualis dicatur hujusmodi successionis for-
tus comperens, etiam respectu bonorum alibi existen-
tium; Et incidenter de legibus, scriptis, vel non scri-
ptis, quæ in Civitate, ac Regno Neapolitano ha-
beantur super fœminarum exclusionem ab intestata suc-
cessionem.

DISC. X.
Anconitana successio.

DE Statuto Anconitano excludente cognatos propter a-
gnatos intrâ quartum gradum, an suffragetur fœmini
agnati.
ET de activa, & passiva successione naturalium tantùm,
seu eorumdem legitimorum per rescriptum an in istis
intrent jura agnationis actionis activæ, & passivæ.

DISC. XI.
Massanen. successio.

DE Statuto Plumbini excludente fœminas propter mas-
culos, an procedat in bonis in defunctum obventis à ma-
tre, in exclusionem fororis utrinque conjunctæ, si ma-
sculus sit consanguineus tantùm.
ET de successione morientis in captivitate, an in ea atten-
di debeat tempus mortis naturalis, vel potius illud cap-
tivitatis, juxta functionem *l. Corneliae*.

DISC. XII.
Reatina successio.

DE Statuto Reatino vocante proximiores consanguineos,
an intelligendum sit solum de agnatis, qui sub hoc vo-
cabulo veniant; & quatenus sit, quid de bonis obve-
nientibus à matre, vel à latere materno.

DISC. XIII.
Bononien. successio de Mazzochinis.

DE Statuto Bononiæ præferente agnatos cognatis, an in-
telligatur indefinitè de omnibus agnatis, vel potius de
solis existentibus intra quartum gradum, ad quos in
præcedenti capitulo restricta est exclusio fœminarum.

DISC. XIV.
Interannen. successio.

DE Statuto Interannen. excludente fœminas propter mas-
culos ex femina prædefuncta; Et de differentia inter
exclusionem resultantem à renunciatione, & istam re-
sultantem a Statuto; Et an attentio isto Statuto; unica
dotatio sufficiat pro omnimoda exclusionem ab omnibus
successionibus.

DISC. XV.*Fanen. successiois.*

De Statuto Fani excludente matrem ob agnatos transfere-
tales, an procedat favore patris, vel avi paterni.
De materia text. in l. si infans Cod. de iure deliber. favore
patris, ut bona filii occupet iure peculii, an hodie lo-
cum habeat.
Et de materia transmissionis successiois non agnitæ, de-
lata ex jure communi, vel statuario.

DISC. XVI.*Viterbien. hereditatis.*

De Statuto Viterbii excludente feminas propter mascu-
los, & cognatos propter agnatos, an procedat solum
data gradus æqualitate, & an ista admittatur fictè ra-
tione representationis, vel fubingressiois; Et de ca-
su mixto faciente cessare Statutum, ob existentiam per-
sonæ non exclusæ.
Et incidenter de alio Statuto Viterbensi prohibente mu-
lieri disponere extrâ filios.

DISC. XVII.*Firmana successiois.*

De Statuto Amandulæ excludente cognatos propter agna-
tos usque ad secundum gradum, an requirat, ut cogna-
torum mater sit dotata per eum, de cujus successione
agitur; Et de gradum computatione, an facienda sit
de jure civili, vel canonico.

DISC. XVIII.*Nucerina successiois.*

De Statuto Guajdi vocante fratres, & fratrum filios ad
successionem fratris, exclusis feminis; An attenden-
da veniat inter ipsos fratres distinctio unitatis, vel du-
plicis vinculi, & an sub generica exclusione femina-
rum, veniat etiam mater.

DISC. XIX.*Anconitana, seu Bergomen. successiois.*

De Statuto Bergomi excludente sorores ob agnatos; Et
an civilitas, vel subiectio Statuti retineatur per eos,
qui decedunt extra patriam, seu territorium, à qua
diu absentes fuerant; Et an mobilia, & nomina debi-
torum existentia extrâ territorium, sequantur perso-
nam defuncti; necne ad hunc effectum comprehensio-
nis sub Statuto.

DISC. XX.*Romana, seu Spoletana successiois.*

De civilitate, quæ requiritur in persona excludente: ad
effectum ut Statutum exclusivum ei suffragari valeat,
quando adesse dicatur, necne; Et in specie Statuti Ur-
bis excludentis matrem, & sororem propter fratres.

DISC. XXI.*Parmen. hereditatis.*

De Statuto Parmensi excludente feminas propter mascu-
los, sub conditione dotis, qua non data, vel non ob-
lata, feminæ ad successionem reintegrentur; An do-
tatio, seu obligatio fieri possit per masculorum credito-
res, vel hæredes extraneos.

DISC. XXII.*Bononien. successiois de Marefcottis.*

De Statuto Bononiæ excludente matrem etiam à legitima
propter fratres, an locum habeat ubi defunctus, con-
dito testamento, instituat fratrem, cui substituat ex-
traenum, qui succedat adhuc viva matre.

DISC. XXIII.*Senogallien. successiois.*

De Statuto Oppidi Corinaldi excludente feminas, & con-
iunctos per eas, propter masculos, quomodo intelli-
gatur, & quos casus comprehendat; & an sufficiat sub-
iectio personæ excludentis, quamvis non adfit sub-
iectio personæ excludendæ.

DISC. XXIV.*Forolivien. successiois.*

De Statuto Forolivien. deferente successorem filiorum
patri in exclusionem sororum, an suffragetur patri
binubo; Vel potius intelligi debeat juxta dispositionem

illis, ut moriens, proprietatem filii primi matrimo-
nii, quamvis feminis, reservare teneatur; Et inci-
denter de altero Statuto continuativo possessionis in hæ-
redem.

Et an filii censcantur veri proprietarii ab initio.

DISC. XXV.*Firmana successiois.*

De Statuto Firmano prohibente matrimonio cum foren-
sibus, an attendendum sit in successione matris binubæ,
quæ unum virum habuit civem, & alterum forenses;
Et an filii ex viro forensi procreati, ei succedant in bo-
nis existentibus in territorio.

DISC. XXVI.*Beneventana reintegratiois.*

De Consuetudine Neapolitana, Capuana, & Nidi, seu
more nobilium; super successione in dote mulieris; Et
de aliis Consuetudinibus, vel Statutis in eadem succe-
sione dotis, remissivè, præsertim de Barenfi, Urbe-
vetano, & Bononienfi.

DISC. XXVII.*Romana, vel Senen. successiois.*

An moriens ab intestato averfo ex justa causa, & tali,
quæ ad exheredationem sufficeret, apta sit excludere
an intestata successione personam aliâ ad eadem voca-
tam, ut locus aperiatur remotiori, vel æquali; Et an
voluntas ejusdem morientis desumpta ex ejus testamen-
to, quod caducatum sit, vel aliâ inutile remaneat, pro
eadem exclusionem sufficiat.

DISC. XXVIII.*Novarien. successiois.*

An legitimi per scriptum ad infantiam, vel de con-
sensu patris, cum clausula, sine præjudicio venientium
ab intestato, habeant primam causam intestatæ succe-
siois, in exclusionem fratrum, & aliorum.

DISC. XXIX.*Romana hereditatis de Armannis.*

De exclusionem matris à successione filii pupilli, eo quia
non curavit infra annum illi provideri de tutore; Et an
detur in hac materia purgatio moræ; Et de ejusdem
matris exclusionem ob transitum ad secunda vota, non
redditis prius rationibus tutelæ per eam administratæ,
quando, & quomodo id procedat.

DISC. XXX.*Romana successiois de Comitibus.*

An dispositio textus in l. femina Cod. de secundis nuptiis, su-
per necessaria successione reservanda per matrem binu-
bam filii defuncti, locum habeat solum in successione
immediata, vel etiam mediata.
Et an dicta necessaria successio procedat favore illorum fi-
liorum, qui sunt Religiosi professi.

DISC. XXXI.*Anconitana dotis.*

An bona primi conjugis obtenta in alterum binubum, non
ex successione, sed ex renunciatione filiorum primi ma-
trimonii, subiaceant necessariæ successioni resultanti
ex dispositione textus in l. femina.

DISC. XXXII.*Romana hereditatis.*

Ad materiam textus in l. hac adit. Cod. de secund. nupt.
An scilicet secundus vir obtinere possit plus, quam qui-
libet ex filiis primi matrimonii; Et an in hujusmodi
æquali successione regulanda, detrahi prius debeat tan-
quam præcipua legitima filiorum.
Et an in amasio, seu concubino procedat, idem, quod in
secundo viro.

DISC. XXXIII.*Romana successiois de Pelegris.*

An dispositio textus in l. femina procedat etiam contra
virum contrahentem secundas nuptias; Et an excuset
consensus filiorum, seu alia justa causa; Et incidenter;
An renunciatio capiat hanc successiois necessariam
debitam ex dicto textu in l. femina.

DISC. XXXIV.*Romana successiois de Ambrosiis.*

An illa proprietates, quæ per parentem binubum reservan-
da est filiis primi matrimonii, transmittatur per dictos
filios, qui parenti binubo præcedant in eos, quorum
favore per testamentum, seu aliâ dispositum sit; Et
de cessatione dispositionis textus in l. femina in iis, quæ
parentis binubus, non ex intestata successione, sed ex
voluntate filii morientis obtinet.

DISC. XXXV.*Volaterrana successiois.*

An parens binubus possit in bonis, quæ filiis à Statuto
reservantur, gravamina apponere, & quæ; Et an pos-
sit nosse acquirere, ut ita faceret deteriorem conditio-
nem filiorum primi matrimonii, ac meliorem illam se-
cundi viri, seu filiorum secundi matrimonii. Et inci-
denter de uxore relicta per virum usufructuaria.

DISC. XXXVI.*Ausimana successiois.*

An in augmento dotis facto pro secundo matrimonio, cum
pacto, ut filii primi in eo illi præcedere possent, præ-
cipua sit successio filiorum secundi matrimonii; Vel
potius etiam alii ex primo succedere debeant.

DISC. XXXVII.*Romana administratiois.*

De honorum possessione concedenda proximiori in gradu
ejus, cujus incerta sit vita, vel mors, quia tempore ab-
sentis, ac peregrinantis nullus habeatur certus nuncius;
Et quatenus ista decernatur matri, an huic in aliquo
obstet transitus ad secunda vota.

DISC. XXXVIII.*Meleventana successiois, seu communionis.*

De consuetudine Insulæ Meleventanæ super necessaria suc-
cessione filiorum in quota bonorum per utrumque pa-
rentem, constante matrimonio qualitorum; Et de alia
consuetudine adiacendi in pactis dotalibus pactum com-
munionis inter conjuges bonorum constante matrimo-
nio querendorum, seu reciproce successiois in eis;
Et si de dicto pacto expressa mentio non fiat, an adhuc
stante consuetudine, subintelligatur.

DISC. XXXIX.

Discursus relativus, sive instructivus super extraordina-
riis successiois debitis, aliâ quam ratione sangui-
nis; Et præsertim de successione uxoris pauperis ad
materiam Auth. præterea Cod. unde vir. & uxor.

DISC. XL.

Discursus generalis super puncto; An Statuta exclusiva
feminarum à successiois propter masculos excludentibus,
qui sint Religiosi; Et in specie de Statuto Civitatis
Arætiæ, vel potius effectiva traditio requiratur.

DISC. XLI.*Discursus generalis remissivus.*

In materia Statutorum, & Consuetudinum, circa suc-
cessionem ab intestato; Et istius occasione de aliis Sta-
tutis, quæ habentur in aliis materiis, cum distinctione
inter Statuta particularia certorum locorum, cum al-
phabeticis ordine locorum vel Diocesium; Ac etiam
de Statutis generalibus, seu de iis quæ generaliter in
materia Statutorum habentur.

DISC. XLII.*Romana successiois.*

De concursu Patris, & Matris in successione filii, & de
consuetudine locali, ut filii in constantia matrimonii
decedentibus, Pater solum succedat.

DISC. XLIII.*Viterbien. successiois.*

De successiois intestatæ concursu inter matrem, & ne-
potes ex sorore; Et de successione necessaria filiorum
matri ex Statuto Viterbii; Ac etiam de materia tran-
smissionis hæreditatis non agnitæ, & de præscriptione
successiois delatæ, & non agnitæ.

DISC. XLIV.*Burgi S. Sepulchri Legitima.*

De eadem materia, de qua supra disc. 30. cum proximis,
successiois parentis binubi, juxta dispositionem text.
in l. femina, C. de secundis nuptiis; Et incidenter, An
legitima matris sit tertia totius, vel tertia tertie.

DISC. XLV.*Januen. successiois.*

De Statuto Januæ excludente matrem ob patruos, & al-
ios agnatos, an locum habeat ubi inter agnatos, adfit
Clericus, qui tamen non succedat; Et an posita exclu-
sione matris, ea procedat etiam quoad legitimam.

DISC. XLVI.*Romana, seu nullius successiois.*

De foetu animato, foeto ventre, prodo, & atque ad
breve tempus defuncto, an, & quando succedat ma-
tri, sive aliâ rumpat testamentum, aut conditionem
deficere faciat.
Et incidenter, vel remissivè de nato in quinto, aut sex-
to, vel octavo, sive decimo mense.

DISC. XLVII.*Bononien. Bonorum de Sicigbellis.*

De eadem materia, de qua supra disc. 6. An scilicet in suc-
cessione Clerici defuncti inter laicos de illa contendentes,
attendi debeat ordo Statuti laicalis, vel ille Juris
communis; Et quando induci dicatur repudiatio hære-
ditatis, vel successiois, quæ propterea remotiori de-
feratur, eo quia iste ab altero, cui delata sit, agnosca-
tur tanquam hæres, illum conveniendo pro debito hæ-
reditario, sive pro eo exigendo.

DISC. XLVIII.*Ragusina successiois.*

De mortuis eodem tempore ex terramoto, ruina, vel
naufragio, & simili, quifnam mortuus censetur prius,
& quis posterius.

DISC. XLIX.*Bononien. successiois.*

De Statuto Bononiæ excludente Sorores, earumque filios
propter fratres, an locum habeat favore fratrum Cle-
ricorum, vel Religiosorum.

DISC. L.*Arætiæ successiois.*

An Statutum, quod excludit feminas propter masculos
à successione, excludat masculos ex eisdem feminis,
qui sint Religiosi; Et in specie de Statuto Civitatis
Arætiæ.
Et incidenter de aliquibus concernentibus ordinem Judi-
cii super immisione, quæ competat venientibus ab in-
testato.

DISC. LI.*Fulginate. successiois.*

De Statuto Fulginæ excludente matrem propter patruos,
an excludat etiam materteras.

DISC. LII.*Callien. successiois.*

An nepotes ex sorore prædefunctæ, qui ex persona pro-
pria sunt exempti à Statuto exclusivo, præcedere va-
leant successiois cum fratre defuncti, si eorum mater
sit exclusæ, & subiecta Statuto; Et incidenter de aliis
ad materiam successiois statutaræ, & præsertim cir-
câ exemptionem Ecclesiasticorum ab hujusmodi Sta-
tutis.

DISC. LIII.*Romana hereditatis.*

An adoptatus, vel arrogatus habeat jus intestatæ succe-
siois conjunctorum arrogatoris in exclusionem conjun-
ctorum per sanguinem, & naturam.

C A U S A R U M I N D E X

Hoc titulo de Successoribus ab intestato,
ordine alphabetico per Diœceses
dispositus.

A	Florentina successiois, disc. 8. Eadem successiois de Franceschis, disc. 9. Forolivien. bonorum, disc. 24. Fulginatens. successiois, disc. 31.	Reatina successiois, disc. 12. Romana administrationis, disc. 37. Eadem hæreditatis, disc. 32. Eadem hæreditatis de Armannis, disc. 29. Romana hæreditatis, disc. 53. Eadem successiois de Ambrosiis, disc. 34. Eadem successiois de Comitibus, disc. 30. Eadem, seu Senen. successiois, disc. 27. Successiois, disc. 42. Seu Nullius successiois, disc. 46. Eadem seu Spoletana successiois, disc. 20. Eadem successiois de Pellegris, disc. 33.
Anconitana dotis, disc. 31. Eadem seu Bergomen. successiois, disc. 19. Eadem successiois, disc. 10. Aretina successiois, disc. 50. Auximana successiois, disc. 36.	I Januen. successiois, disc. 4. Interamnens. successiois, disc. 41. Januen. successiois, disc. 45.	
B	M Massanen. successiois, disc. 11. Melevitana successiois, seu commu- nionis, disc. 38.	
Beneventana reintegratiois, disc. 26. Bononien. bonorum de Sicighellis, disc. 47. Bononien. Successiois, disc. 49. Bononien. Successiois de Marefcot- tis, disc. 22. Eadem successiois de Mazzochi- nis, disc. 13. Eadem successiois de Zanis, di- sc. 5. Burgi Sancti Sepulchri Legitimæ, di- sc. 44.	N Nepefina, vel Sutrina successiois, disc. 13. Novarien. successiois, disc. 28. Nucerina successiois, disc. 18.	S Senogalten. successiois, disc. 23. Sutrina, <i>Fide</i> Nepefina.
C	P Parmen. hæreditatis, disc. 21. Eadem successiois, disc. 1. Eadem successiois, disc. 2.	T Tudertina successiois, disc. 6. Eadem successiois, disc. 7.
Callien. successiois, disc. 52.	R Ragufina successiois, disc. 48.	V Viterbien. hæreditatis, disc. 16. Viterbien. successiois, disc. 43. Volaterrana successiois, disc. 35.
F		
Fanen. successiois, disc. 15. Firman. successiois, disc. 17. Eadem successiois, disc. 25.		

I N D E X A R G U M E N T O R U M I N D I S C U R S I B U S.

Qui habentur in Parte III. Libri Undecimi
de Renunciationibus,

DISC. I. <i>Bonien. successiois de Fabrettis.</i> AN renuntiatio facta per filiam paternæ successiois oc- casione ingressus in Monasterium, eam ab intestata patris renunciarii successiois excludat, ob existen- tiam aliarum filiarum æquæ monialium, quæ non re- nunciaverunt. Et an hujusmodi renunciatioes factæ per ingressas, vel ingressuras Monasterium, subjaceant solemnitatibus statutariis. Et de aliquibus generalibus prænotationibus ad hanc re- nunciatiois materiam.	DISC. VIII. <i>Auximana dotium.</i> De eadem materia renunciatiois factæ per sorores uni, vel pluribus fratribus, an sit realis, vel personalis, si- ve translativa, vel extinctiva, ad eundem effectum, an scilicet professe debeat solum personis contempla- tis, quibus facta est, vel potius omnibus cœquale jus habentibus; Et incidenter, an, & quando renun- tariarius, seu refutariarius fideicommissi, vel alterius juris sibi de futuro debiti, renuntiantem in ejus aucto- rem agnoscere dicatur, ut ad sibi incumbentia onera teneri debeat.
DISC. II. <i>Romana hæreditatis de Lanvois.</i> De eadem materia renunciatiois factæ per fœminas pro- fites in Monasterio, parentum, ac fratrum, alio- rumque successioibus; An eas ita extraneas faciat, ut eorundem renunciatariorum intestata successio, aliis remotioribus collateralibus potius aperiatur.	DISC. IX. <i>Viterbien. hæreditatis.</i> Renuntiatio facta bonis paternis, & maternis, an ca- piat successioem fraternam, in bonis, quæ ad fra- trem defunctum obvenerunt à patre, & matre; Et de quibus bonis talis renuntiatio intelligenda sit.
DISC. III. <i>Marsicana successiois.</i> De renunciatioe facta per fœminam nubentem in sæculo ad favorem fratris, cum expressione, ut ea realis esse debeat, an excludat renuntiantem ab ipsius renuncia- tarii intestata successioe; Qua occasione agitur de ex- plicatione hujusmodi realis, vel personalis, sive trans- lativæ, vel extinctivæ.	DISC. X. <i>Arianen. successiois.</i> De renunciatioe facta per virum ingredientem Religio- nem, an illum excludat à successioe parentum, vel aliorum, quorum favore renuntiatio facta est.
DISC. IV. <i>Romana fideicommissi de Streccatis.</i> De eadem materia renunciatiois factæ per monialem, an sit realis, vel personalis, ad effectum, ut cessata per- sona contemplata, cessare debeat, necne; Et de alia distinctione renunciatiois translativæ, vel extincti- væ; Et an renunciatio capiat fideicommissa.	DISC. XI. <i>Sabinen. bonorum.</i> An renuntiatio facta per ingredientem Monasterium, ob- stet intestatæ successiois ejus, qui sit hæres renuntia- tarii, adeo ut quæstio non sit de immediata successioe renuntiaris, sed de mediata. Et an renuntiatio facta per novitium, subjacet formæ præscriptæ per Concilium Tridentinum, ubi ea sit cor- respectiva, & ex causa onerosa.
DISC. V. <i>Romana, seu Urbervetana successiois.</i> De eadem materia renunciatiois factæ per fœminam car- naliter nubentem, an capiat fideicommissum, quod contineat strictam, ac pœnalem alienationis prohibi- tionem.	DISC. XII. <i>Bononien. de Lucatellis.</i> An renunciatio facta patri binubo, capiat necessariam successioem renuntianti debitam in bonis ejus matris, in exclusionem filiorum secundi matrimonii, Vel po- tius ista species successiois, remaneat extrâ renun- tationem.
DISC. VI. <i>Romana fideicommissi.</i> De eadem materia renunciatiois factæ per sororem fra- tribus occasione dotationis, an capiat fideicommissa per renunciatariorum obitum purificanda favore renun- tiantis, adeo ut jura renunciata, ad extraneos etiam transmissibilia sint; Vel potius renuntiatio dicatur personalis, adeo ut per renunciataris mortem resolvatur; Et incidenter de solemnitatibus, præsertim illa insinuationis, quæ requiritur in donationibus, an in hujusmodi renunciatioibus requiratur.	DISC. XIII. <i>Romana donationis, vel hæreditatis.</i> De renunciatioe, quæ per puellam in sæculo nubentem, occasione donationis facta sit parentum, ac aliorum successioibus, quarum mentio habita sit, an dici pos- sit invalida, utpotè facta sine consensu eorum, de quo- rum successioe agitur; Et an, & quando hujusmodi renunciatioes exigant solemnitates statutarias, qua- rum defectus illis obstet, necne.
DISC. VII. <i>Bononien. successiois, seu fideicommissi.</i> De renunciatioe facta per virum ingredientem Religio- nem, an dicatur personalis, adeo ut suffragetur ei soli, cujus intuitu facta est, ad cujus favorem faciat nume- rum, & partem; Vel potius sit realis, itaut eo habito pro non extante, suffragetur omnibus. Et an renuntiatio facta per ingredientem Religionem, ca- piat successioes obventas post professionem.	DISC. XIV. <i>Faventina, seu Ravennaten. renunciatiois.</i> De materia lesionis, quæ cadat in renunciatioibus, quæ per puellas occasione nuptiarum, ac dotis fiat, an, & quando intret, ipsamque renunciatioem inficiat, necne. Et incidenter, an renuntiatio, quæ invalida prætendi- tur, impediatur, necne actiones, vel remedia, quæ re- nuntianti aliis competere, si renuntiatio facta non esset.

DISC. XV.
S. Severina supplementi legitimæ.
 An, & quando renunciatio facta per matrem prædefunctam, obstat filiis ex propria persona venientibus.

DISC. XVI.
Romana, seu Januen. renunciationis.
 An, & quando valeat, & obligatoria sit renunciatio futuris successionebus viventium, seu pactum de non succedendo ad materiam text. *in l. fin. Cod. de pact. & in l. pactum quod dotali, Cod. de pact. convent.*

DISC. XVII.
Romana renunciationis, seu honorum.
 An, & quando renunciatio facta occasione ingressus in

Religionem, vel Monasterium, resolvatur, seu aliàs cesset per mutationem status renunciantis, quia nempe ad sæculum redeat, sive ad Episcopatum, vel ad aliam dignitatem assumatur aut ad aliam Religionem; vel Monasterium transeat.

DISC. XVIII.
Interammen. renunciationis.
 An renunciatio facta patri dotanti per filias occasione nuptiarum carnalium, istas excludat ab ipsius patris renunciatarii intestata successione, ob ejus fratres, vel agnatos, qui ex Statuto patriæ feminas excluderent, si agatur de bonis existentibus extrâ territorium statuentis, in diverso loco, in quo mors defuncti contingat, ac successio aperiatur.

C A U S A R U M I N D E X

Hoc titulo de Renunciationibus ordine
 alphabetico per Diœceses
 dispositus.

A	I	Eadem renunciationis, seu bonorum, disc. 17.
Arianen. successione, disc. 10.	Interammen. renunciationis, disc. 18.	Seu Januen. renunciationis, disc. 16.
Auximana dotium, disc. 8.	M	Seu Urbeveta successione, disc. 5.
B	Maricana successione, disc. 3.	S
Bonien. de Lucatellis, disc. 12.	R	Sabinen. bonorum, disc. 21.
Eadem successione de Fabrettis, disc. 1.	Romana donationis, vel hæreditatis, disc. 13.	S. Severinæ supplementi legitimæ, disc. 15.
Eadem successione, seu fideicommissi, disc. 7.	Eadem fideicommissi, disc. 6.	V
F	Eadem fideicommissi de Steccatis, disc. 4.	Viterbien. hæreditatis, disc. 9.
Faventina, seu Ravennaten. renunciationis, disc. 14.	Eadem hæreditatis de Lanuviis, disc. 2.	



J O: B A P T I S T Æ C A R D. D E L U C A

Libri Undecimi Pars Prima.

D E L E G A T I S.

J A N U E N. L E G A T I
 P R O C O N V E N T U B E A T Æ M A R I Æ
 D E M O N T E
 C U M H Æ R E D I B U S B L A N C H I N E T T Æ.

Responsum ad causam, etiam cum sensu veritatis.

Facto legato bonorum differentium, quorum legatarius non sit capax ex ipsorum bonorum qualitate, puta quia sint feudalia, vel emphyteutica &c. an legatario per hæredem debeatur æstimatio, vel potius dispositio inutilis remaneat.

S U M M A R I U M.

- 1 **F** Adi series.
- 2 De capacitate, vel incapacitate Minorum Sancti Francisci remissivè.
- 3 De eodem.
- 4 Manus mortua potest prohiberi ne retineat rem emphyteuticam, sed vendat.
- 5 Et quando hæc prohibitio cesset.
- 6 Ubi accedit etiam prohibitio investituræ, tunc manus mortua est incapax etiam ad effectum vendendi.
- 7 Undè resultent æquivoca Juristarum.
- 8 Declaratur conclusio, de qua num. 6. quando procedat.
- 9 Non potest dari feudum, vel emphyteusis tam in re, quam in pretio.
- 10 De alia declaratione conclusionis, de qua num. 6.
- 11 Pretium feudi, vel emphyteusis non est feudale, vel emphyteuticum.
- 12 Successor qui sit hæres ultimi possessoris tenetur ad factum auctoris saltem in æstimatione.
- 13 De conclusione an legato feudo, debeatur ejus æstimatio, distinguuntur casus.

D I S C. I.

Obtinuit Catetta in emphyteusim, seu perpetuam locationem à Mensa Archiepiscopali, sibi concedi villam, pro se, ejusque hæredibus, & successoribus ex legitimo matrimonio procreatis, vel procreandis; Ipsa verò, facta de eadem villa dispositione ad favorem Bernardi ex filio prædefuncto nepotis, & Blanchinettæ filie, & istorum ultimo defecto sine prole substituit Conventum Minorum obsarvantium Beatæ Mariæ de Monte, in quo alter nepos ex filia professionem emiserat; Sequuta verò morte testatrix, concorditer Blanchinetta, & Bernardus de consensu domini directi, villam venderant, erogato pretio in loca montium Reipublicæ, sub ea lego, ut post ipsorum mortem spectare deberent ad quem de jure; Undè propterea ambobus defunctis absque prole, inter

Card. de Luca Lib. XI.

Hieronymam Blanchinettæ ex fratre neptem, & hæredem, & conventum prædictum, orta controversia coram Magistratu Cameræ; De duplici incapacitate; Hieronyma rea conventa opponebat adversus Conventum, jure substitutionis petentem dictorum locorum vindicationem; Primò nempe de illa quæ resultat à Religionis instituto juxta dispositionem textus *in cap. exiit de verb. signif. in 6. & in Clementin. exiit de paradiiso eodem tit.* Et secundò ex lege adjecta in investitura, juxta consuetam formulam, ut sine consensu domini, in Ecclesiam, seu manum mortuam alienari non posset; Cumque per Consultorem ab eo Magistratu (juxta stylium) electum, datum esset votum favore Conventus super non obstantia primæ incapacitatis, ideoque restricta esset difficultas ad alteram; Pro istius obstantia aliud votum prodit ad favorem hæredis, unde propterea super hoc voto, ut illi responderetur, ex parte dicti Conventus requisitus fuit, dum pro eodem aliàs consultus, pro veritate responsum dederam, concludendo quod ista incapacitas non obstaret.

Super prima specie incapacitatis, non scripsi, solumque in primo responso, obiter insinuavi, quod facilis esset objecti solutio, quoniam, ut de hoc puncto habetur pluries in sua materia *sub tit. de Regular. Istorum Minorum* incapacitas, in legatis, aliisque dispositionibus, percutit retentionem bonorum stabilium, vel æquipollentium fructiferum in redditu, ex cujus provisione cessaret mendicitas, non autem ad effectum vendendi, ut erogaretur pretium in Religiosorum victum; & vestitum, aliaque necessitates; Multo verò magis pro fabrica Ecclesiæ, vel Conventus, sive pro Sacristia, Infirmaria, vel Libraria, hujusmodi legata fierent, cum istis usibus, vel indigentis occurrere non valeat cum ostiaria mendicatione, sed necessaria sit pecunia etiam in summa notabili, ut latius distinguendo in dicta sua materia, firmatur cæteris relatis plenè per Rot. apud Merlin. *decis. 456. repetit. decis. 365. par. 5. rec. & decis. 16. par. 11. ac in aliis.*

Quatenus verò (præsupposita dicta capacitate personali) pertinet ad alteram realem ex investituræ prohibitionem resultantem; Scribentes pro Hieronyma hærede (quibus Consultor in voto adhæsit) fundamentum constituiebant in conclusione pluries firmata per Rotam præsertim apud Gregor. *decis. 529. Merlin. decis. 585. repetit. decis. 211. par. 6. recentior. decis. 692. Dunozet. decis. 427. part. 9. & 209. part. 10. & per Andreol. contr. 378.* quod scilicet, quamvis attenda juris dispositione, manus mortua prohiberi possit à domino, nè bona emphyteutica obtineat; Attamen id procedit ad effectum retinendi, non autem impeditur manus mortua hujusmodi bona obtinere ad effectum vendendi infra annum manus non mortuæ, atque ita pretium habendi ex deductis apud Merlin. *decis. 649. Add. ad Buratt. decis.*

decis. 477. & habetur pluries in sua materia sub tit. de emphyt. discurs. 28. Ubi tamen advertitur, ut hodie ex introductione usus quinquenniorum, quo mediante consultum est domini directi præjudicio circa laudemiorum emolumentum, ideoque tanquam ex cessante ratione, dicta prohibitio cessare debeat; saltem ex iudicis officio, quando aliqua particularis ratio, vel circumstantia aliud non suadeat, ex deductis in dicta sua materia.

Secus verò dicendum est, ubi prohibitioni legis, accedat etiam expressa prohibitio hominis, cum tunc, juxta magis communem opinionem præsertim in Rota, & Curia receptam, resultet manus mortuæ omnimoda incapacitas, etiam ad dictum effectum obtinendi pretium, ideoque inutilis remaneat dispositio ex firmatis in supra allegatis decisionibus, ac etiam apud eandem Merlin. decis. 872. & habetur pluries in dicta sua materia sub tit. de emphyt. præsertim disc. 28. ubi agitur de eodem casu individuo, de quo per Andreol. disc. contr. 378. ubi eam confutando, non negatur conclusio; sed negatur applicatio.

His tamen non obstantibus, retento eodem sensu veritatis, cum quo primum Responsum deçsi; Dicebam probabiliores videri partes Conventus actoris, dictumque votum, quamvis nimis elaboratum, pluribusque conclusionibus, ac doctrinis bene ornatum, laborare consueto modernorum pragmaticorum morbo, circa defectum applicationis, cum plures conclusiones, ac auctoritates essent de jure in suis casibus veræ, non bene tamen ad rem applicarentur; Ita resultantibus consuetis æquivocis produci solitis à nimium damnabili abusu attendendi simpliciter, ac in genere conclusiones, & doctrinas, illas indefinite cuiusque casui applicando, ac non reflectendo ad singulorum casuum particulares circumstantias, ob quas in uno eodemque juris articulo, modò juxta unam, & modò juxta alteram opinionem judicare oportet.

Distinguenđo igitur casus, ut pro meo sensu frequenter inculcato in causis decidendis præcisè necessarium videtur; Tres in hoc proposito casus constituēbam; Quorum primus est, ubi contentio sit inter dominum directum de rei emphyteuticæ devolutione contententem, & manum mortuam, quæ ex legato, vel alia dispositione, ipsam rem præterdat, adeout incapacitas percutiat solum jus, & interesse domini directi pro observantia pacti, seu prohibitionis, quam ipse rei suæ adjecit, ut abque obligatione refundendi pretium ipsam rem obtineat; Et istum casum percutiunt omnes dictæ Rotæ decisiones, ac aliæ auctoritates collectæ per Andr. dicta contr. 378. Et consequenter eas, similes à controversiæ casu omnino extraneas esse dicebam, cum in hac facti specie, dominus directus non esset in causa, nilquè sua interesset, an hujusmodi loca Montium provenientia ex pretio, magis ad unum, quam ad alterum spectarent, dum ipsa res emphyteutica erat pendens alterum, qui ab ipso novam investituram acceperat, ideoque habebat suum vassallum, per annihilationem primi, neque ut infra dari potest eodem tempore duplex jus emphyteoticum in re, & pretio, ut advertitur etiam in Albanen. seu Ec. sub tit. de feud. disc. 48.

Alter casus est, ubi domino directo non existente in causa, bona, quæ manui mortuæ relicta sint, ex lege investituræ vendicentur ab agnato etiam contra defuncti iudicium; Et isto casu intrat quæstio, de qua infra inter feudistas adeo disputata, an scilicet legato feudo, debeatur æstimatio, & quo etiam casu in hac facti specie ex ejus circumstantiis pro legatario super pretii asscuracione responderi debuisset, sed non oportuit de hoc agere, utpotè extra controversiam.

Tertius demum casus est, ubi quæstio non sit, neque cum domino; neque cum agnato, minusque agatur de legato ipsius rei differentis, cujus manus mortua esset incapax, sed omnino extincto jure feudali, vel emphyteutico, ex quo inhabilitas resultat, quæstio sit in pretio existente penes disponentis hæredem, cui prohibitum est proprii auctoris factum impugnare juxta vulgares terminos text. in l. cum a matre Cod. de rei vendicat. cum concordantibus; Et tunc dicebam, nullam subesse probabilem, quinimò nec apparentem dubitandi rationem; Non quidem ratione bonorum, cum agatur de pretio, quod retractum ex re feudali, vel emphyteutica, non est tale, sed indifferens, juxta ea; quæ super ista propositione, ut pretium feudi non sit feudale, habentur præsertim sub tit. de emphyt. discurs. 58. Et magis in individuo de pretio rei emphyteuticæ erogato juxta hanc facti speciem in loca montium, habetur cõ-

dem tit. de emphyt. disc. 36. & in decisione Rotæ ibidem allegata.

Quamvis enim in utroque loco de præfatis conclusionibus ego dubitem, attamen id provenit ex facti qualitate, quod scilicet in disc. 36. ageretur de interesse domini directi petentis devolutionem in locis Montium tanquam subrogatis loco rei emphyteuticæ, quæ amplius non extabat, vel de mandato Principis ab eo vinculo soluta erat; Et disc. 58. agebatur de præjudicio creditorum, qui cum assensu domini jus quæsierat in ipsa re emphyteutica, cujus loco pretium subrogatum erat; Attamen illi sunt termini longè diversi, diversam habentes rationem ob dictas particulares circumstantias, quibus cessantibus, dicta conclusio, ut pretium feudi non sit feudale, seu rei emphyteuticæ, non sit emphyteoticum, procedit de plano, nullamque habet probabilem dubitandi rationem.

Minusquè testatoris iudicium impugnari posse dicebam à perso na successoris, cum iste nullum jus haberet ex persona propria ratione investituræ, quoniam ubi etiam dici posset emphyteuti, ad quam vocati essent hæredes sanguinis, adhuc tamen ob admixtam qualitatem hæreditariam, auctoris factum impugnabile non erat juxta decis. 1. Franch. cum aliis ibi collectis per Adden. & pluries in sua materia sub tit. de feud. & consequenter nulla dubitandi probabilis ratio pro meo iudicio in hoc proposito cadere videbatur.

Et quoniam in primo Responsò à me dato, insinuaveram superscriptam quæstionem, an pretium feudi sit feudale, super quo, ac auctoritatibus in ea deductis, dictum votum nimium se involvere videbatur; Hinc proinde in secunda scriptura responsiva ad dictum votum, ut tollerentur æquivoca, cum quibus procedi videbatur, advertēbam, ut ad casuum distinctionem quoque reflecti deberet; Ut enim patet ex iis, quæ pro utraque sententia in ista quæstione habentur cæteris relatis apud Mantic. de coniectur. lib. 9. tit. 11. Fulgin. de emphyt. tit. de success. q. 13. Aponte conf. 88. lib. 1. & conf. 75. Et 77. lib. 2. Merlin. lib. 2. contr. 81. circa finem, cum aliis relatis per Modern. elaboratum de Luca in addit. ad Franchum d. decis. 1. num. 16.

Prima quæstio est, an intrat distinctio inter institutionem universalem, & legatum particulare, plerique opinantibus, ut primo casu dispositio inutilis remaneat, atque pretium non debeatur, secus autem in altero, sed quidquid sit de hujus distinctionis veritate, illam examinare non oportuit, utpotè extra casum quæstionis.

Alia verò quæstio est in ipso legato, seu dispositione particulari, an scilicet legata re feudali, vel emphyteutica personæ extraneæ, vel incapaci, debeatur æstimatio; & tunc distinguendum est; Aut enim controversia est cum ipso domino directo, ad quem res feudalis, vel emphyteutica sit devoluta, & à quo legatarius pretium petat; Et tunc, ubi incapacitas manus mortuæ proveniat ex duplici prohibitione legis, & hominis, admitebam verius esse, ut hæc obligatio non intraret, sed res liberè ad dominum rediret, juxta firmata in supra allegatis decisionibus præsertim dicta decis. 583. Merlin. repetit. decis. 211. par. 6. rec. & in aliis.

Aut verò agitur de casu, in quo rem feudalem, vel emphyteuticam extraneo incapaci legato, jure suo vindicet agnatus ab investitura vocatus, independentè à defuncto, qui legatum fecit, unde propterea, si daretur obligatio solvendi æstimationem, ita disponentis hæreditas duplicem jacturam pati congeretur, unam scilicet amissionis ipsius rei feudalis, vel emphyteuticæ, quam agnatus, vel etiam dominus jure devolutionis vendicaret, & alteram in refusione pretii de aliis ejus bonis; Et tunc probabilius regula est negativa, ut æstimatio non debeatur, quoniam præsumptio est, ut testator relinquere solum voluerit jus, quod habebat, ac tale quale habebat, non autem ejus hæreditatem gravare, nisi facti circumstantiæ suadeant diversam voluntatem, cujus revera ista est quæstio, quidquid aliqui ex aliquibus generalibus propositionibus discurrant, quoniam in effectu est quæstio ambigua voluntatis; ex conjecturis, & facti circumstantiis decidenda.

Aut demum cessat dictum inconveniēns duplicis oneris, vel jacturæ, quam hæreditas pateretur, ideoque sola quæstio sit cum ipso hærede contentente de lucro, quia nempe ipsa res, cujus legatarius incapax præterditur, vel ejus pretium, nisi à legatario obtineatur, penes ipsum hæredem remaneat ex causa lucrativa; Et tunc omnino verius est, ut vel res, vel pretium legatario restituari debeat juxta doctrinam

Strinam Speculator. in tit. de locat. §. nunc aliqua num. 143. quam isto casu esse veram ex Bursatt. bene distinguente consil. 199. nu. 44. & 45. firmatur in eadem dec. 583. Merlin. repetita decis. 211. par. 6. recent. num. penult. & fin. Ex ea congrua, & convincenti ratione, quod ita hæres ex quadam legali subtilitate, manifestam ingratitude[m] erga proprium auctorem committeret, atque esse species furti, obtinendo rem alienam invito domino, qui voluit, ut hujusmodi res, vel ejus æquivalentia, esset legatarii, non autem hæredis; ideoque ubi hæc voluntas impleri potest, nulla subest ratio, cur licitum esse debeat hæredi ad solum lucrum, & locupletationem, illam spernere, sed implere tenetur, si non in ipsa re, attamen in pretio, quod penes ipsum remanet.

Potissimè vero ubi non perseveret eadem res prohibita penes ipsum hæredem, qui eam obtineat jure proprio ex investitura, quamvis ob annexam qualitatem hæreditariam gravari possit in pretio juxta dictam celeberrimam decis. primam Franch. cum concordantibus, quia nempe in hæreditate remaneant solum pretium consistens in bonis allodialibus, ac indifferentibus, & res emphyteutica sit penes alterum, ideoque casus videbatur pro meo iudicio planus, & tamen diversum fuit dicti Consultoris iudicium; Talis est ingeniorum diversitas.

ANNOT. AD DISC. I. & II.

F Acto Legato honorum differentium, an, & quando debeatur æstimatio, habetur quoque alibi actum, & præsertim sub tit. de feud. disc. 19. & 21.

ROMANA PRETENSÆ ÆSTIMATIONIS PRO ANGELO ANDOSILLA JUNIORE CUM JO: BAPTISTA GUTIO.

Casus disputatus coram A. C. & concordatus.

An, & quando, cessante relegata, adeout legatum remaneat inutile, debeatur per hæredem æstimatio, seu æquivalentia.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti servus.
2 Quando debeatur æstimatio de legato rei alienæ.
3 De eodem.
4 Quando testator mandat, ut quis præsentetur, sufficit quod id sequitur sit.
5 Quid competat Patrono in beneficio.
6 De iis, quæ non sunt in commercio, non debetur æstimatio.
7 De quæstione an legato, debeatur æstimatio.
8 De eodem.
9 De differentia inter feuda, & beneficia ecclesiastica.
10 An ratio remuneracionis meritum attendatur.
11 Qua ubi legatum factum est famulo, qui diu inservit.
12 An pro servitio competat actio ultra salarium.
13 De observantia Curie circa translationes pensarum, quæ non sortiuntur effectum.

D I S C. II.

I N codicillis, quos morti proximus fecit Angelus Andosilla insignis Jurisconsultus, prius Advocatus primarius, deinde utriusque Signaturæ Decanus, approbato testamento prius ordinato, in quo Angelum juniorem ex fratre pro-nepotem hæredem instituerat; huic, & Portiæ sorori, tutorem, & pro tempore curatorem, in vim indulti Apostolici deputavit, aliasque fecit dispositiones; Cumque in actu codicillandi; Ego, qui adeo charo amico, & magistro assistebam, ad preces Jo: Baptiste Gutti sacerdotis, qui longævum servitium ei præstiterat in munere amanuensis, seu ad juris studii testatoris insinuassem, ut dicti antiqui famuli recordaretur, ipseque responderet, quod credebatur eum jam providisse cum quodam beneficio, ad quod eum tanquam patronus præsentaverat, adhuc tamen mihi injunxit curam, ut per tutorem hæredis præsentaretur ad quoddam consimile beneficium per ipsiusmet testatoris mortem vacaturum; Hinc ex motivo charitatis erga dictum Jo: Baptistam, sollicitus fui, ut id explicaretur in codicillis, ne tutor (qui erat Princeps Nicolaus Ludovisius), aliàs gratificari vellet aliquem ejus aulicum, ut frequenter contingit, atque ita sequutum fuit; Cum autem præsentatio effectum non haberet ob litem motam per Saravezzam hæredem fideicommissarium Manosii, ex cujus dispositione, ac bo-

Card. de Luca Lib. XI.

nis dictorum beneficiorum, seu capellaniorum erectio sequuta fuerat, dum Rota declaravit, ut Juspatronatus non fecisset transitum ad hæredem dicti Andosillæ primi hæredis gravati, sed transisset in fideicommissarium, & de qua causa habetur actum in sua materia sub tit. de Juspatronatus disc. 14. Hinc præterdere cepit Gutius, quod per hæredem sibi deberetur recompenfa, innixus juribus disponentibus, ut præstari debebat æstimatio rei alienæ legatæ, dum legatum dici non poterat merè gratuitum, sed potius longèvi servitii remunerativum; Et introducta causa coram A. C. Judex petitis annuendo, decrevit sibi præstandam esse recompenfam in annua præstatione vitalicia scutorum 60. Sed interposita appellatione, cum in disputatione habita in Signatura super modo committendis, actor difficultates agnovisset, hinc proinde quodam honesto concordiæ temperamento contentus fuit, quam ego dicto tutori consului, potius ex prudentialibus, & congruentiæ motivis, quam quod de jure hujusmodi præsentatio alicujus subsistentiæ judicaretur.

Ex triplici enim fundamento prorsus injustam, maleque fundatam dicebam talem prætensionem; Primò quia, ut rei alienæ legatæ æstimatio debeatur, constare debet de scientia in testatore, quod ea res esset aliena juxta rest. clar. in §. non solum insit. de legatis, ubi glof. & DD. plura deducunt concordantia Mantic. de coniectur. lib. 9. tit. 9. nu. 1. & sequ. Vivius dec. 417. pariter num. 1. cum seqq. & cæteri passim; Hæc autem scientia in proposito non justificabatur, quinimò erat improbabilis, dum ex pluribus fundamentis, quæ tamen Rotæ non placuerunt, de quibus d. disc. 14. de jurepatr. testator doctus J. C. firmiter credebatur, ut absque difficultate, dictum juspatronatus esset transitorium ad ejus hæredes.

Secundò, quia tunc intrare potest inspectio æstimationis præstandæ, quando res legata prorsus aliena esset, adeout testator sciret, quod nullum jus in ea sibi competere; Secus autem, ubi aliquod jus sibi competeat, vel competere credebatur, cum tunc legasse censetur sui sum, tale, quale sit, ut in specie Mantic. dicto lib. 9. tit. 1. nu. 8. & 15. cum seqq. Cavaler. decis. 503. in fine; Et generaliter habemus etiam in dispositionibus, vel contractibus inter vivos, in quibus præstanda est evictio, quod nisi ex prætiti quantitate, vel aliis facti circumstantiis constet, quod tota res in contractum, vel dispositionem deducta sit, quoties disponens certam partem, sed jus in ea habet, de illa solum disposuisse censetur, ad text. in cap. Pastoralis de donat. & l. qui tabernas ff. de contraben. emp. Gregor. decis. 225. n. 2. & 3. & habetur non semel, sub tit. de emphyt. & vendit. & sub altero de donat.

Tertiò clarius, quia testator non reliquit jure legati beneficium, quod tanquam res spiritualis non cadit sub nostrorum bonorum dispositione, sed solum monuit hæredis tutorem, ut ad beneficium, ad quod per ejus mortem vacaturum aliquem extraneum clericum præsentare debebat, potius istum domesticum antiquum famulum, juxta convenientiæ, ac bene ordinatæ charitatis leges gratificaret, idque jam impletum fuit, unde propterea dicebam, quod quantum erat faciendum ex parte hæredis; atque totum id, quod testator ordinaverat, jam factum erat, ideoque neque videbamur esse in casu quæstionis super æstimatione rei alienæ legatæ, vel alterius quæstionis, super evictione pro legato præstanda.

Et nihilominus, ubi etiam dici posset, quod ipsum beneficium legatum esset, adhuc tamen indebita fuisset prætensio, quoniam cum hujusmodi jura spiritualia non cadant sub morientium dispositionibus & legatis, dum eorum collatio pertinet ad superiorem ecclesiasticum, solumque patronis conceditur, ex gratiosa canonum indulgentia, facultas præsentandi, quæ eatenus arctativa est superiorem ad conferendum, quatenus de persona idonea gratuito intra statuta tempora, servatiquè aliis de jure servandis, fiat; Sequitur exinde, intrare certum juris principium, quod legatum earum rerum, quæ non sunt in nostro commercio, sit nullum, etiam quoad æstimationem, juxta textus expressos in l. idem Julianus §. constat de legatis 1. §. non solum in fine insit. eodem, & utrobique communiter glof. & DD. Duran. dec. 17. n. 2. cum seqq.

Neque huic principio obstare videntur ea, quæ per Feudistas habentur in quæstione, an legato feudo personæ incapaci, seu aliàs à lege investituræ non vocatæ, debeatur æstimatio, de qua Franch. disc. 1. ubi latè modernus De Luca in addition. Merlin. lib. 2. contr. 81. de Marin. in addit. ad Restor. ob 359. num. 1. & resol. 45. nu. 50. lib. 2. apud

apud quos ceteri, & habetur in *insinuatione disc. preced.* in sua materia *sub tit. de feudis*, & in qua questione, quæ est facti; Et voluntatis, retenta etiam opinione negativa, illa limitari solet, ubi legatum esset ex causa remunerationis, quod videbatur in presenti applicari posse, quamvis disputatum non esset, cum Scribentes pro legatario motiivum non excitasset.

Adhuc tamen non videbatur terminus pares; Tum quia feudum in effectum est res temporalis, quæ naturaliter & de facto est in nostro commercio, licet accidentaliter, ob feudorum peculiarem leges non dicatur talis, absque assensu domini, quod dici non potest in beneficiis ecclesiasticis, quæ de eorum intrinseca natura non sunt in commercio; Tum etiam quia, licet præsertim in Regno Neap. ubi stricti feuda non dicantur in commercio ob Constitutionem incipientem *Constitutionem Divæ memoriæ*, quæ latius patet, quam prohibitio iuris communis feudorum in *Cap. Imperialem de probib. feud. alien. per Feder.* Nihilominus pretium feudi dicitur esse in commercio, & in hereditate feudatarii morientis, qui licet non possit in præiudicium successoris sanguinis vocari per legem investituræ disponere de ipso corpore feudi, quod successor licet habeat qualitatem hereditariam, impugnando iudicium proprii auctoris, obtinere potest; At tamen disponere potest de integro valore, seu pretio, atque in eo legitimum sanguinis successorem ob admixtam hereditariam qualitatem gravare Franch. *disc. dec. 1.* & habetur sæpius in dicta sua materia *sub tit. de feud.* Et sic absque gravamine hereditatis in alijs bonis, rectè legatum sortiri potest effectum, atque testatoris voluntas impleri in ipsamet relegata, si non in specie, saltem in æquipollenti, ejusque pretio, pro quo legatarius cogere potest legitimum sanguinis successorem in actione personali; illum etiam cogendo ad vendendum feudum, ut ex pretio exinde redigendo, solvat, eodem modo, quo jus competit creditoribus, quamvis nullum assensum habentibus, ut per Franch. *disc. 704.* alioque Regnicolos passim, & sæpius in dicta sua materia *sub tit. de feudis*; Id autem adaptabile non est beneficiis ecclesiasticis, ideoque termini non sunt æquales.

Ac ulterius, ideo ratio remunerationis est in proposito considerabilis, quoniam ex ea resultat præsumptio, seu conjectura, quod si testator cogitasset, ut legatum in specie legata effectum sortiri non posset, verisimiliter aliam rem, vel æquivalentiam reliquisset; Hæc autem præsumpta voluntas, in hac facti specie (ut mihi præsertim ex certa scientia innotesceret) omnino ac radicitus cessabat, quoniam testator ad id non cogitabat, atque per me admonitus, replicavit, quod eum congruè providerat, cum consimili cappellania, ad quam vivens illum presentaverat, communicando solum mihi dictam voluntatem tutori insinuandam; adeout expressio in codicillis potius ex insinuatione charitativo motivo (testatore solum approbant) à me demandata fuerit; Ducto etiam talis voluntatis argumento ex eo, quod ne hæredem gravaret, nullum fecerat legatum, etiam iis, erga quos ex majori convenientiæ & honestatis, ac forsitan justitiæ ratione obligabatur; Tum etiam quia in testamento, quod in itacu sanitate, ac seridè & maturè considerat, nil ad favorem ejusdem ordinaverat.

Faciebat apud Signaturam impressionem, circumstantia longævi punctualis servitii ex lege justitiæ tali remuneratione digni; Verum hoc erat de jure nimium debile fundamentum, dum de lege justitiæ pro famulatu menstruum conventum salarium habuerat; Unde quemadmodum per ipsum dominum viventem ad nutum dimittendus, nullam contra eum actionem habuisset, ita dici non poterat, ut actionem habere contra hereditatem; Licet enim præsertim in Curia Romana etiam gratuitum longævum servitium, vel obsequium præstari soleat sub remunerationis specie, quæ est Aulicorum totum pabulum, quod aliquos in modico numero nutrit, alios autem ad summam inediam reducit, non inq̄ tamen resultat, ut actio aliqua ex lege justitiæ competat, si ejus malum factum tribuat, ut sua spe elusus remaneat, ut apud Mantic. *dec. 266.*

Considerationes autem, quæ circa debitam remunerationem famuli, bene ac ultra consuetum servientis, habentur in *Romana donationis sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc. 94.* procedunt ad effectum sustinendi donationes, vel alias dispositiones tanquam causativas, aliàs prohibitas, ubi sunt merè voluntariæ, non autem ad effectum cogendi dominum invitum, seu ad producendam actionem ex lege justitiæ, nam aliàs id redundaret in eorundem

beneficentiarum maximum præiudicium, si huiusmodi prætensiones reducerentur ad praxim; Cum enim Cardinalium, & Magnatum consuetudo sit, in mortis articulo providere magis benemeritis famulos, cum pensionibus, quas in vim indulgentiarum, & facultatum transferre possunt, ita omnes abstinerent ab huiusmodi remunerationibus, ubi crederent, quod contra eorum hereditatem ad æquivalentiam translatario actio competeret, quoties translatio effectum non haberet, vel ob ejus formam non bene servatam, vel ob incapacitatem beneficii, vel quia indultum aliquo defectu laboraret, sed ex alio accidenti, cujus contrarium servat inconstans observantia, quoniam nunquam praxis docuit, ut illi, in quibus ex huiusmodi accidentibus translatio effectum sortita non est, regressum habuerint contra transferentium hereditatem pro evictione, sed præstatione æquivalentiæ; Et merito, quoniam transferens censetur dedisse solum id, quod sibi competeat, & prout competeat, & non aliàs.

SENOGALLIEN. LEGATI PRO GHERARDIS CUM MERCURIIS.

Casus disputatus coram A. C. & coram alijs Iudicibus resolutus pro Mercuriis.

An, & quando legatum censetur factum de proprietate, vel de usufructu, ad effectum caducationis per prædecessum ejus, qui post mortem usufructuarii vocatus, Et quando legatum ad eundem effectum caducationis dicatur conditionale, & præsertim an mors faciat conditionem; Et quid de certa ætate, legati assequutioni præfinita, an inducat conditionem, vel importet dilationem.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 De questione, an vocatus post mortem usufructuarii, dicatur pure vocatus ab initio, vel potius sit substitutus.
- 3 Quando propriè ista questio intret, & qualis sit casus hujus controversiæ.
- 4 De differentia inter dictam questionem, & alteram, an mors, vel tempus faciat conditionem.
- 5 De dicta questione, an mors, vel tempus faciat conditionem.
- 6 Ut in ea procedi debeat cum distinctione casuum.
- 7 De casu conditionis merè casualis.
- 8 De altero temporis determinati.
- 9 Quid de certo tempore ætatis legatarii.
- 10 Et de casu legati collati in tempus mortis, & de distinctione an substantiæ, vel executionis.
- 11 Quando in una, vel altera distinctionis parte esse dicatur.
- 12 & 13. De eodem.
- 14 Quando legatum censetur in solo usufructu, non autem in proprietate.
- 15 Fidei legato bonorum ad usufructuandum, dicitur legata proprietas.
- 16 Declaratur, quando id procedat.
- 17 Quomodo decidenda sit ista questio, an sit legata proprietas, vel usufructus.
- 18 Ex voluntate disponentis sit transmissibile id, quod non est tale.
- 19 De differentia inter legatum speciei, & quantitatis, vel generis.
- 20 De eodem, de quo num. 17. & quomodo questio decidi debeat.
- 21 De eodem, & ad quid juris distinctiones, & theoricæ deserviant.
- 22 De distinctione an commodum caducationis secundi legatarii sit primi, vel hæredis.
- 23 Quod in Iudicè desideratur iudicium potius, quam ingenium.

D I S C. III.

Orquatus de Gherardis, instituto hærede Theodosio patruo, Clericæ amicitæ reliquit prædium dotale ejus matris, ad usufructuandum donec viveret, post ejus verò mortem, illud reliquit Tullio avunculo, sed aliàs ex materno latere conjuncto adjecta ratione, ut illud rediret ad eam domum, à qua exierat; Cum autem casus de-

derit Tullii prædecessum Clericæ; Hinc proinde inter Mercurios Tullii hæredes, & Gherardos filios, & hæredes dicti Theodosii orta est lis super dicti prædii pertinentia; Introductaque causa coram A. C. pro Mercuriis prodit resolutio, cui Gherardi non acquiescentes, causam (mutatis etiam defensoribus), prosequuti sunt per duas alias instantias, in quibus etiam succubuerunt, atque prima sententia confirmata fuit.

In disputationibus autem desuper habitis, antequam ego ad causam evocatus essem, assumpta fuit questio, inter Imolam, & Baldum, de qua habetur, præsertim particulariter actum in *Imolen. prædii sub tit. de legit. & detraht. disc. 33.* ac pluries insinuat *sub tit. de fideicommiss.* An scilicet iustitio aliquo hærede in usufructu, atque post istius mortem, dato alio hærede in proprietate, primus dicendus esset hæres pleno jure fideicommissio gravatus restituere secundo; Vel potius iste dicendus esset hæres directus ab initio, ille autem simplex legatarius usufructus, istaque posterior opinio, cessantibus conjecturis diversæ voluntatis testatoris, est magis communis & recepta, ex ibi deductis.

Mihi vero videbatur, quod ista questio extranea esset à casu controversiæ, cum verè & propriè illa procedat, ubi agatur de dispositione universali, in qua intrare valeat ratio caducationis, vel absurdi, ut decedat, quis pro parte testatus, & pro parte intestatus; Secus autem, ubi de legato, sed dispositione particulari, in qua non dignoscitur illa implicancia, quæ viger in hereditate, ut ad tempus, vel sub conditione relinquatur; Ideoque potius intrare videbatur altera questio, an tempus mortis legato adjectum, illud reddat conditionale, necnè, adeout legatario præcedente priusquam conditio verificetur, intraret necnè caducatio.

Magna etenim differentia est inter primam questionem, & istam; In illa etenim, controversia est inter primò, & secundo vocatos, an scilicet secundo præmoriante, bona jure caducationis remaneant penes primum, vel potius transmittantur ad hæredes dicti præmorientis; In ista vero non est controversia cum primo honorato, sed cum hærede universali, penes quem residet proprietate, donec purificetur conditio ad favorem secundi ad eam vocati post mortem primi, quamvis huic solus usufructus relictus esset; Atque hic erat casus præcisus.

Ista verò questio an scilicet, & quando mors, vel aliud tempus faciat conditionem, vel potius inducat simplicem dilationem, reputatur una de magis nodosis ac intricatis questionibus, quæ in jure habeantur, ob nimiam opinionum diversitatem, adeout DD. in hoc se involuisse videantur, distalque diversas opiniones referunt, post alios ab eos deductos, Monach. *lib. 4. præsumpt. 201.* Castill. *lib. 4. controv. cap. 56.* Capyc. *Latr. dec. 107.* cum aliis de quibus infra discurrendo, ac etiam insinuat *sub tit. de feud. disc. 108.* ubi de puncto, an & quando tempus certæ ætatis scilicet dicatur pro conditione, vel pro dilatione; Undè propterea in plerisque causis à me disputatis, sub ista questione cadentibus expertus fui magnum æquivocorum incursum, magnamque rerum iudicatarum diversitatem; ex consuetâ æquivoca resultantia à pragmatico abusu consarcinandi doctrinas, & auctoritates confuso, totam vim constituendo in earum majori arithmetico numero, non benè illas distinguendo.

Hinc proinde, ad æquivoca huiusmodi tollenda, atque pro materiæ dilucidatione, advertebam, ut procedendum esset cum distinctione casuum, cum qua conciliari videntur quamplures opiniones, quæ reputari solent invicem pugnantibus Præsertim vero ad rem, constituendi videbantur quatuor casus, neglectis aliis considerari solitis, utpotè ad rem non facientibus.

Primus est, ubi agitur de conditione omnino incerta cum omnimoda incertitudine, tam in tempore, quam in substantia, non habente casum, vel tempus mortis, magis unius, quam alterius; Ut puta si navis ex Asia venerit, vel si Titius Consul erit, cum similibus, & tunc cum omnino incertum sit, an id exiturum sit, & quatenus exiturum, adhuc incertum, quando, hinc proinde apud omnes receptum est, ut legatum sit conditionale, ideoque per legatarium morientem ante conditionis purificationem, non transmittatur, sed caducetur.

Alter casus est, ubi tempus est certum, quia nempe dicatur, ut legatum præstandum sit tali die, vel tali anno, & tunc concordant, ut illud non dicatur conditionale, sed

purum proindeque non caducetur, sed per legatarium inter morientem transmittatur ad ejus hæredem, quoniam tempus dicitur importare potius dilationem, quam conditionem.

Tertius casus est, ubi tempus est certum, quando, sed est incertum quoad substantiam, an scilicet sit exiturum necnè; Puta quia legatur Titio, cum 30. annorum erit, quoniam certum est, quando id tempus cessurum sit, sed est incertum, an Titius ad eam ætatem sit deventurus, & tunc intrat, ac recipienda venit distinctio, ex qua decisio questionis pendet, an tempus adjectum sit substantiæ legati, vel potius præstationis, sed executioni tanquam simplex dilatio, ut primo casu caducetur, secus autem in secundo.

Hinc proinde ista non est questio juris, sed potius facti, seu applicationis, quando scilicet in una, vel altera distinctionis parte veritari dicamur; Atque in hoc, certa, & determinata regula dari non potest, sed totum pendet ex singulorum casuum individujs circumstantiis, præsertim vero ex causa legandi, puta pro legitima non recipiente conditionem, vel dilationem, ut frequenter contingit in legatis, quæ pro dote filiabus relinquuntur, cum ad certam ætatem deventerint ex plenè deductis per Merlin. *lib. 2. contr. 1.* Menoch. *Castill. & Capyc. Latr. ubi supra* cum aliis de quibus *disc. de feud. disc. 108.* ubi agit de isto casu præciso, & in proposito legati pro dote habetur actum in sua materia *sub tit. de Dote disc. 14.*

Quartus demum est casus conveniens præsentis controversiæ, ubi scilicet respectu legatarii dies est omnino incertum, tam circa substantiam, quia nempe incertum sit, an ille sit deventurus, quam circa tempus, quia nempe incertum sit quando id contingere debeat, quia nempe legatum relictum sit in tempus nuptiarum ipsius legatarii, sed post mortem hæredis, vel alterius; Tunc enim non solum est incertum, quando id exiturum sit, sed etiam an id in substantia sit eventurum, cum legatarius possit non nubere, vel alteri non supervivere; Et tunc aliqui conati sunt casum decidere cum eadem distinctione, de qua in precedenti, an scilicet hoc tempus adjectum esset substantiæ, vel executioni.

Verum eorum opinio, utpotè claris iuribus contraria, frequentiori calculo rejecta videtur, magisque communiter receptum, ut tale tempus indistinctè faciat conditionem ut per Castill. *disc. cap. 56. num. 17. vers. quartus & ultimus*, & bene Capyc. *Latr. dec. 107. num. 30. cum sequen.* ubi nu. 42. ita testatur decisum, atque idem Menoch. *disc. præsumpt. 201. nu. 50. vers. ceterum*, qui inclinatur in dictam distinctionem, fatetur, quod difficile esset in foro recedere à communi, quam monet in iudicando retinendam esse; Ut in terminis temporis incerti nuptiarum, quos privilegium causæ legandi, non resecat ex juri ministerio conditionem, vel dilationem tenuit sæpius Rota præsertim *decis. 346. nu. 6.* apud Gregor. in *Bonon. legati 28. Junii 1652. coram Verospio impress. decis. 291. part. 11. recen.* & habetur deductum *sub dicto tit. de Dote disc. 14.* Et hic videbatur casus, quoniam cum legatum relictum esset post mortem Clericæ, incertum erat, an legatarius de tempore talis mortis exiturus esset in rerum natura, & consequenter locus erat caducationi, ut in specie firmatur in *disc. dec. 291. par. 11. rec.*

Clarius verò ita dicendum videbatur in hac facti specie, quoniam admittitur etiam dicta distinctio, de qua in casu precedenti, an scilicet tempus mortis adjectum esset substantiæ, vel executioni quando DD. disputant super applicatione, an scilicet in una vel altera distinctionis parte versaremur; Quamvis revera pro meo iudicio erroneum sit certam regulam determinatam statuere, cum potius ut supra totum pendeat ex particularibus facti circumstantiis; Nihilominus ad statuendam quandam regulam præsumptivam, ad effectum videndi, cui in dubio assistat juris præsumptio, quæ transferat onus probationis in alterum; Considerari solet, an legatum conceptum esset per præcedentem orationem puram, ac perfectam; adeo ut ad sui perfectionem aliud non exigeret, aliaque subsequentia verba tempus mortis respicientia, si omittæ essent, non redderent dispositionem mancam, & imperfectam; Vel è converso si est unica oratio, ita ut decepta conditione, seu tempore mortis, dispositio esset imperfecta, juxta ea, quæ pluries hoc eodem ita firmata sunt in proposito dignoscendi, an certa definitio itaret taxativè, vel demonstrativè, ut præsertim habetur in *allegata Bononien. coram Verospio*, ubi allegatur Noal. *de transmiss. cas. 17. nu. 55.*

nu. 53. & alii; Hoc enim posito, versabamur in hac secunda parte, dum dicebatur, quod titulo institutionis post mortem Clericæ relinquebatur prædium Tullio, & sic mors alterius præcedit, & eaque separari non potest ab ratione perficiende legatum.

Hinc dicebam non obflare auctoritates, quæ in contrarium deducebantur præsertim decis. in Maceraten. coram Coccino inter suas decis. 172. & registratam apud Gratian. discept. 136. ac repetitam dec. 163. par. 2. rec. quoniam ibi legatum erat purum, & cum oratione jam perfecta conceptum, deinde vero cum separata oratione præcipitur legatario, ne pro certo tempore hæredem molestarer, ut in specie huic decisioni responderetur apud Capyc. Latr. dista dec. 107. nu. 38.

Et quamvis in contrarium pro majori fundamento deducebantur firmata (licet incidenter, & ad alium effectum), apud Sess. decis. 127. num. 28. circa finem; Replebam tamen hunc Auctorem rectè loqui in casu suo, quando scilicet uni usufructus, & alteri proprietatis relicta est, quoniam cum hæc legata sint inter se distincta, tunc mors legatarii, cui relicta est proprietatis, ante mortem usufructuarii non causat caducationem, & in hoc bene dicitur; Sed punctus controversiæ erat in applicatione, an scilicet dictæ mulieri relicta esset bonorum controversorum solus usufructus formalis contradistinctus à proprietate, quæ proinde Tullio ab initio relicta diceretur habita mentione mortis tanquam demonstratio temporis, in quo proprietatis utilitatem allatura esset, vel potius & converso censeretur dictæ mulieri relicta proprietatis, quæ esset gravata post mortem dicto Tullio restituere; Primum enim casu caducatio non intrabat; In altero autem ea remanebat certa.

In hoc autem puncto, à quo decisio causæ pendere videbatur; Scribentes pro altera parte, magnam vim constituiebant in decis. 257. Buratti 195. & dec. 238. par. 7. rec. & 119. par. 8. in quibus, in eadem causa editis, præsertim verò magis ex professo in ultima, firmatur, ut ob restrictionem legati ad vitam, illud censeretur potius in usufructu, quam in proprietate.

E' converso autem ego scribens pro hac parte, more Advocati ad causæ oportunitatem, dicebam quod cum legatum inciperet ab ipsis bonis, ita relicta censeretur proprietatis, non obflare quod diceretur ad usufructuandum, quoniam, Aliud est relinquere usufructum bonorum, adeo ut legatum principaliter dirigatur ad ipsum usufructum; Aliud vero relinquere bona ad usufructuandum, cum id non adverteretur legato proprietatis l. ult. ff. de usufructu eorum verum &c. l. species ff. de aur. & argent. legat. l. libertis ff. de alim. & cibis. legat. ubi Bartol. & alii, ac firmant Menoch. Man. Surd. & alii de more cumulat per Castill. de usufruct. capit. 30. numer. 4.

Respectendo autem ad veritatem (quatenus ad hanc facti speciem perinet); Mihi videbantur probabiliores esse partes didorum de Mercuriis hæredum Tullii, in exclusionem præsentis caducationis, (ut ab initio pro stylo insinuavi huic parti, pro qua scribebam), ideoque resolutio probabilis visa fuit, quoniam dicta conclusio, quam deducebam, ut legatum directum ad bona, importaret proprietatem, non obstantem quod dicitur ad usufructuandum, cum id legato proprietatis non adverteretur: Rectè procedit, quando legatum, simpliciter, ac indeterminatè conceptum est; Secus autem ubi cum restrictione vitæ legatarii juxta magistralem distinctionem Baldi in leg. 1. Cod. de fructib. & lit. expens; quam sequuntur DD. magis communiter relati per Honded. consil. 69. libro 1. Menoch. lib. 4. præsumpt. 132. num. 12. ubi dicit hanc opinionem esse magis communem, & veram Castill. de usufruct. disto cap. 30. num. 13. Rot. dista decis. 119. num. 3. part. 8. rec. & conferunt ea quæ habentur dist. 460. nu. 30 par. 9. rec.

Præterea ponderabam quod (quidquid DD. variando, vel se involvendo dicant), revera ista est quæstio ambiguae voluntatis, ideoque decidenda cum adeo frequenter insinuata propositione, ut principaliter indaganda sit substantia verisimilis voluntatis, ex facti circumstantiis desumenda, non autem immorandum sit in formalitate verborum, quæ potius Notarii, quam testatoris esse solent ex deductis per Castill. dist. cap. 30. n. 12. & seq. ubi allegatur Mantica Honded. & alii.

Substantia vero voluntatis erat, juxta rationem ab eodem testatore assignatam, ut ita prædium rediret ad domum, à qua exierat; Et consequenter quod, Vel istud le-

gatatum respectu Tullii interpretandum esset purum ab initio in proprietate (quo casu absque dubio intrabat transmissio); Vel quod ita resuleret sufficiens conjectura pro transmissione; Quamvis enim regula sit, ut legatum, vel fideicommissum conditionale per morientem ante purificatam conditionem non transmittatur; At tamen receptissima est limitatio ex contraria voluntate disponentis, ex qua etiam tacita, seu præsumpta, & conjecturali, sine dubio sit transmissibile id, quod regulariter de jure non est tale, ut pluries in sua materia sub tit. de fideic. præsertim dist. 112. & seqq.

Clarius vero ex duplici circumstantia; Primum nempe quod agebatur de legato rei corporalis stabili, unde propterea non intrat illa major præsumptio legati proprietatis, quæ intrat in legato pecuniæ, seu alterius rei, quæ usu consumitur; ut ita respondendo ad textum in l. ult. ff. de usufructu eorum verum, quæ usu consumitur observat in specie Bertazzol. consil. civil. 4. nu. 36. Et secundò quia nullum adjectum fuerat gravamen primo legatario, restituendi post ejus mortem bona secundo, & quod gravamen supponere videtur, ut relicta sit proprietatis, ut ceteris relatis Castill. disto cap. 30. nu. 23.

Istæ verò, vel similes ponderationes, sunt quidem bona argumenta deservientia in dubio, & quando alia majora non urgeant, deducta præsertim potius ex circumstantiis facti, quam ex verbis, quibus facta semper prævalent, quoniam ut plurimum illa sunt Notarii, vel scriptoris testamenti, ita verò sunt ipsius disponentis; Potissimè verò ubi, (ut in præfenti) agitur de personis idiotis, hujusmodi subtilitates non callentibus, quas in eo testandi actu, præsertim per infirmos, vix ex centum juris professoribus, callent decem; Ideoque manifesta insipia videtur, in hac formalitate verborum, seu qualitate phrasæ, ac modo loquendi, tantam vim constituere, dum verè id à casu provenit, pro stylo, seu formulario Notarii, vel alterius scriptoris, in ejus animo, multo verò minus in illo testatoris neque per somnium hujusmodi subtilitates, vel distinctiones ceciderunt.

Hinc proinde, laudabilis quidem est, imò necessaria, hujusmodi theoreticæ, ac distinctionum notitia pro bene regulandis conjecturis, & circumstantiis facti, & ne Judex rusticano more, vel in solo naturali sensu procedat; Damnable autem omnino est, ita cum sola auctoritate DD. hanc theoreticam tradentium, in omni casu procedere, non reflectendo ad facti qualitatem, ex qua substantia voluntatis disponentis resumenda sit, & an verè unam, vel aliud tempus stet pro conditione, vel dilatione, & an respiciat substantiam, vel executionem, juxta ponderationes, cum quibus ego, (gerendo partes Judicis), processu in casu, de quo dicto dist. 108. sub. tit. de feud. quoniam ibi deducta nimium ad hujusmodi materiam, seu quæstionem conferre videntur.

Pro majori autem vel minori efficacia præsumptionum, sive pro magis benigna, vel stricta interpretatione, ad favorem, vel respectivè odium secundi legatarii, nimum considerabilis quoque videtur distinctio, supra initio considerata, an scilicet caducationis commodum, ita sit primi legatarii, cui, attendita naturali veritate, testator nonnisi usufructum, seu fructum ad vitam relinquere voluit, adeo ut ex legis subtilitate, præter intentionem disponentis proprietatem obtineat; Et an, nulla data alteratione hujus voluntatis naturalis, atque primo legatario remanente in terminis usufructuarii, dictum commodum caducationis cedat commodo hæredis, juxta casum de quo in fortioribus terminis hæreditatis post mortem usufructuarii conditionaliter alteri relicta, habetur per Rotam dec. 24. nu. 18. cum seqq. post Paitell. quoniam præsertim in particularibus dispositionibus, in quibus non urget illa impleantia, quæ de stricta juris censura urget in universalibus, stant bene simul, ut primo relicta sit solus usufructus, secundo autem relicta sit proprietatis sub conditione mortis primi, & quatenus huic supervivat cum interim proprietatis bene solidere possit penes hæredem; Ideoque magna differentia est inter unam, & alteram speciem dispositionis; Et consequenter totum reducitur ad voluntatem, cujus substantia ex facti qualitate potius, quam ex prædictis leguleicis subtilitatibus desumenda est; Atque in idem conferunt, quæ circa vulgarem anomaliam, an procedendum sit cum theoria Bartoli, vel cum illa Angeli in l. quandiu ff. de acquir. hæred. habentur dicto titulo de fideicommiss. dist. 106. & seqq. ac etiam hoc eodem titulo dist. 30. cum similibus.

Atque ex hac ratione, in Judice magis congruit iudicium,

cium, quàm ingenium; Ideoque aliquando eximii, ac ingeniosi Advocati, vel Cathedratici (magis vero isti, quàm illi), non bene Judicis, vel Consulenti ad veritatem partes explent, quoniam ex ingenii acumine, hujusmodi subtilitatibus ac distinctionibus legalibus principaliter vacando, atque impatientes effecti, negligunt maturè reflectere ad factum, ejusque omnes etiam minus circumstantias considerare, ex quibus unitim ponderandis cum consueta regula, ut singula que non prosunt &c. verè congrua decisio omnium ferè quæstionum forensium pendere videtur; Ideoque ista non dicitur juris scientia, sed juris prudentia.

ADNOT. AD DISC. III.

AN vocatus post mortem usufructuarii dicitur purè vocatus ab initio vel potius sit substitutus. Vide notat. ad dist. 1. & seqq. de Hæred. & infra dist. 31.

LUCANA LEGATI PRO CLARA FRANCIOTTA CUM MICHAELE ANGELO STIAVA.

Causa disputata coram A. C. postea concordata.

De legato creditorum, ac jurium, & actionum, quid comprehendat, an scilicet solum nomina debitorum, vel etiam pecunias destinatas investimento, sive existentes penes procuratores, & ministros testatoris; Vel potius referendum solum sit ad credita, ac jura, & actiones quæ haberentur contra ipsum legatarium pro ejus liberatione, non autem, ut ei legata sint jura, & actiones contra alios.

SUMMARIUM.

- 1. F. Ad h. series.
2. Est attendenda substantia voluntatis, non autem formula verborum.
3. Et voluntas desumenda est ex facti circumstantiis simul junctis.
4. De conjecturis, & argumentis probantibus, ut solum relicta esset liberatio.
5. Que propriè dicantur nomina debitorum.
6. Subistorum nomine non veniunt occupatores bonorum debitoris, vel depositarii, & ministri.
7. Loca montium, & similia jura habentur pro stabilibus.
8. De verbo investire quid significet.
9. Actus est in dubio referendus ad titulum licitum.
10. Ad regulandam voluntatem testatoris attendi debet ejus destinatio, vel opinio &c.

DISC. IV.

IN testamento Augustini Franciotti Nuncii Colonien- sis, de quo habetur actum sub tit. de legitim. & de v. dist. 10. inter alia ibi disposita, continetur in particulari, & separato capitulo, legatum scutorum trium mille ad favorem Michaelis Angeli secretarii, ac intimi familiaris testatoris, cum assertionem pro remuneratione ejus servitii; Deindeque pro aliud capitulum separatum, assignata ratione, ut dictum Michaelem Angelum ab omnibus molestiis liberaret, ei legavit omnia credita, & actiones directas, & indirectas, ac tam civiles, quàm criminales, quæ ex qualibet causa ipsi testatori competere possent; Cum autem in hæreditate adessent quamplura nomina debitorum ex causa mutui, vel alia, tam in Urbe, quàm in Civitate Lucana; Ac etiam penes ejsdem testatoris Agentem, sed negotiorum gestorem in Urbe, reperirentur de tempore mortis, scuta bis mille ex diversis effectibus obventa; Ipsaque testator per annos antequam ab Urbe discederet, dedisset cuidam probato negotiatori scuta quatuor mille circiter, quos dictus negotiator promisit sub ejus nomine, investire se obligabat, sin minus solvere fructus ad rationem locorum montium; Hinc proinde dictus Michael Angelus prætereunda cepit, ut hæc omnia sub dicto legato venirent, atque ad ipsum spectarent; Cumque acquiescere nollet meo Responso pro veritate desuper edito ad instantiam hæredis, fretus aliquibus Responis aliorum Advocatorum diversimodè sentientium, juxta eam ingeniorum varietatem, quam quotidie experimur; Hinc proinde introducta fuit lis coram A. C. postea concordata.

In responso autem ut supra dato, ac etiam deinde scribendo in causa, pro hærede, more Advocati; Duas ef-

formabam inspectiones; Unam scilicet generalem, ut hæc dispositio nihil ex dictis effectibus complecteretur, sed importaret solum liberationem à creditis, ac juribus, & actionibus, quæ contra ipsum legatarium, testatori, ejusque hæredi, vel aliis ex causa ejus servitii, & administrationis competere possent; Et alteram particularem, an posito, ut compræhenderet credita, ac jura, & actiones activas contra alios, de quibusnam id intelligendum esset, & præsertim, an compræhenderet dictas duas partitas existentes, penes agentem, & penes camplorem.

Quatenus pertinet ad primam; dicebam (etiam in sensu veritatis) ut attendita regula, quæ perpetuè in omnibus actibus, præsertim verò in illis ultimarum voluntatum, attendenda est, hoc eodem tit. ac sub aliis de testam. & de fideicommiss. omnique alia materia frequenter insinuata, ut non formalitas, vel grammaticalis significatio, sive litteralis sensus verborum, sed substantia veritatis attendi debeat; Ex toto dispositionis contextu, magisque ex aliis facti circumstantiis, & qualitate desumenda, patebat quod revera istud legatum contineret solum liberationem à quibuscumque creditis, ac juribus, & actionibus, quæ testatori, vel alteri ex ejus causa, contra ipsum legatarium competere, non autem in eo sensu litterali, in quo legatarius, ejusque Consultores illud accipiebant.

Ad ita sentiendum movebar ex pluribus fundamentis, & considerationibus ponderandis cum altera pariter recepta regula, in ultimarum voluntatum præsertim interpretatione, attendenda, de qua satis frequenter d. tit. de fideic. & alibi, ut singula, quæ non prosunt, unita juvent; Ità juxta pluries insinuatum exemplum more pictoris in opere musivo, ex pluribus parvis lapidibus, nihil de per se operantibus, efformando figuram.

Primum nempe accipiendo rei primordium, quod dictus legatarius, quamvis ejus principale munus esset secretarii, at tamen utpotè primus, ac totalis testatoris fiduciarius, omnimodam administrationem tam negotiorum privatorum, quàm pertinentium ad Nunciaturam habuerat; Et consequenter quod, tam per testatoris fiduciarius, quam per ministros camerales ipsius Nunciaturæ, ac Urbis ad redditionem rationum, earumque justificationem cogi poterat, atque molestias desuper pati.

Secundò in idem, attento proemio dispositionis, dum non assignatur causa benevolentis, vel gratitudinis, seu remunerationis, sed altera liberandi ipsius Michaelis Angelum à quibuscumque molestiis; Istaque ratio seu causa proemialis, quæ de sui regulati natura denotat causam finalem, congruebat huic intellectui, non autem alteri.

Tertiò in idem ratione discretivæ, quoniam quando testator legatum eidem famulo facere voluit, in præmium, ac remunerationem servitii, id expressit cum legato particulari summæ scutor. 3000. quæ attendita qualitate legatarii, ac servitii, erat potius magna, & exorbitans, præsertim comparativè ad alios familiares.

Quartò, incongruentia quæ aliàs adesse videretur in illis verbis jurium, & actionum, tam civilium, quàm criminalium, dum incongruum est actiones criminales activè alteri legari.

Quintò, ob præceptum datum hæredi liberandi eundem à quibuscumque molestiis, quæ ab aliis eidem familiari inferri possent, eundem hæredem obligando ad suppeditandum quidquid pro dicta liberatione necessarium esset, quamvis universam hæreditatem desuper erogare oporteret; Argumentum clarum, quod per hanc dispositionem, aliud in animo testator non habuerit, nisi dictum finem in proemio enarratum, liberandi hunc fiduciarum familiarem à quibuscumque molestiis, quæ pati posset ex causa fiduciariæ administrationis, ob quam non solent confici libri, neque adhiberi illæ diligentis super justificatione rationum, quæ sunt per illos, qui habent ex munere principali, domus præfecturam, sed aliam administrationem, istaque videbatur verus, ac germanus hujus dispositionis intellectus.

Et sextò demum, ac omnium fortius, ex maxima inverisimilitudine, dum supponebatur, quod nomina debitorum (compræhensis dictis duabus partitis) importarent ingentem summam scutorum 12. mil. circiter; Omnino etenim id improbabile videbatur; Tum ex eo quod summa esset incongrua, atque importaret notabilem partem hæreditatis, quam testator reliquerat germanæ sorori, cum fideicommissò ad favorem ejus filiorum, & deinde ad favorem Ecclesiæ juxta seriem de qua dicto dist. 10. de legit.

legit. & detrahit. Tum etiam quia verisimiliter in hoc legato expressisset eandem causam, quam cum verbis nimum significativis expressit in longè magis exiguo legato scutorum 3. m. Ponderando etiam quod in dicto legato scutorum 3000. dixit ea relinquere jure legati, quod non dixit in hac altera dispositione.

Præterea advertebam, quod cum de recenti sequuta esset mors patris testatoris per quam duplex actio sibi aperta erat ad bona per eundem patrem possessa; Una scilicet testatæ, vel intestatæ successio; Et altera antiqui fideicommissi, quorum neutram agnovit, unde propterea dominium bonorum non acquisiverat, sed solum ad ea jus, & actionem habebat; Hinc proinde, ubi dicta verba, in litterali, seu grammaticali sensu accipienda essent, istas hereditates, & successiones quoque capere deberent, dum ita non nisi jus, & actio competeat, contra omnem prorsus verisimilitudinem, quæ in ambiguae voluntatis quæstionibus principatum obtinet inter præsumptiones, & conjecturas, ex vulgari, & quotidiano axiomate, quod verisimilitudo imaginem habet veritatis, inverisimilitudo autem illam falsitatis.

Hinc proinde opus non erat assumere aliam inspectionem, quæ scilicet partitæ venirent sub dicto legato, necne, utpotè inanem, quoniam vel nullæ, vel omnes venire debebant; Siquidem ubi legatum ad nomina debitorum solum restrictum esset, tunc rectè hæc inspectio intraret, quidnam scilicet sub hoc vocabulo veniat, sed quoniam dispositio latius patebat de quibuscumque juribus, & actionibus ex quacumque causa competentibus, concepta per verba estranata, idcirco omnia hæc capiebat, & consequenter, vel totum, vel nihil capiebat; Cumque omnino incongruum esset, ut totum caperet, idcirco omnino probabilius erat, ut nihil nisi dictum effectum liberationis operaretur.

Veram ubi, juxta sensum scribentium pro legatario, de nominibus debitorum tantum ageretur, adeo illa veniret; Adhuc tamen (eodem veritatis sensu retento) dicebam, ut venire non deberent prædictæ duæ partitæ; Non quidem illa scutorum bis mille, quæ in pecunia reperiebantur penes Agentem, seu negotiorum gestorem, quoniam nomina debitorum, seu credita, verè, & propriè, dicuntur illa, quæ pendente ex causa mutui, vel alia causa debendi, unde dominium pecuniæ, vel alterius quantitatis, non sit penes creditorem, sed penes debitorem obligatum ad solutionem; Id autem in hac facti specie dici non poterat, dum dictus negotiorum gestor retinebat hanc pecuniam, potius tanquam depositarius, vel minister.

Ideoque conclusionem habemus, quod sub nomine debitorum, & eorum nominum, veniunt solum illi, qui sunt tales non autem illi, qui detinent bona testatoris juxta doctrinam Baldi in l. cum necessitate num. 2. Cod. de fideicom. Mancic. de conjest. lib. 9. tit. 4. num. 3. vers. ceterum; Atque in hoc dabam practicam exemplum omnium Magnatum, & nobilium, ac etiam mercatorum, qui retinent eorum pecunias penes thesaurarios vel caperios, aliosque ministros, ideoque dici non possunt nomina debitorum; Idemque pro illis pecuniis, quæ retinentur penes ædem sacram, vel in alio banco in forma depositi irregularis, quod in effectu nomen debitoris de stricto jure importat, attamen prorsus incongruum esset dicere, ut id veniret sub nomine debitorum.

Quoerend ad alteram partitam scut. 4000. quæ per quatuor annos ante discessum testatoris ab Urbe, data fuit campiori ut supra planum videbatur, ut ea non veniret sub legato nominum debitorum, cum constaret eam fuisse destinatam investimento locorum montium, quæ pro stabilitibus potius habentur, ac loco ei reuscribuntur, ut de locis montium Urbis Gabr. conf. 141. lib. 2. num. 23. Buratt. decis. 474. num. 1. & dec. 913. num. 10. Royas decis. 66. num. 10. Et de juribus super redditibus Regiis, vel Reipublicæ Tel. Jun. lib. 2. quæst. forens. 5. Rovitt. pragmat. 1. de jur. & ex. d. tom. Fiscal. num. 66. & 80. cum seqq. Et de pecuniis depositis in Montibus Venetarum, seu Florentiæ Rota in Veneta preti. bonorum. 13. Novembris 1602. coram Cardinali Hieronymo Pamphilio, quæ passim recepta est, tanquam in materia magistratralis, ut sub tit. de alien. & contradi. disc. 1.

Destinatio autem probabatur; Tum ex verbo investire, quod ex communi loquendi usu convenit hujusmodi investimenti, non autem tenuis, ut decis. 275. numer. 1. post Zacch. de oblig. ram. decis. 85. parte. 4. recantor. tom. 2. & 668. eadem part. 4. tom. 3. decis. 56. num. 6. par. 12.

recent & in aliis; Tum etiam ex qualitate datoris pecuniæ, qui erat Archiepiscopus, & Ecclesiasticus, ideoque ei non congruebat mercatura, & Ecclesiasticæ conventio referenda est ad titulum licitum, ut ad rem bene habetur per Rotam dec. 259. n. 4. & 5. par. 11. rec. Nil obstant quod campior, qui pecuniam receperat, eam non investierit, unde propterea remaneret in terminis crediti, quoniam in hac materia attendenda est destinatio domini pecuniæ, vel bonorum, ad effectum regulandi ejus voluntatem, non autem quod ex facto tertii id sequutum non sit, ut in aliis pluries advertitur; Ità enim testator supponendo, ut dictus campior datam fidem implevisset iuste opinari potuit, quod istud investimentum factum jam esset in loca montium; Prout etiam ista ratio deficientis animi cadere poterat in dicta alia partita penes Agentem, seu negotiorum gestorem, dum eam ignorabat, concordia tamen subtilit occasionem ulterioris disputationis; Verum ista mihi videbatur veritas.

ANNOT. AD DISC. IV.

Agitur in his discursibus, prout etiam infra disc. 38. de interpretatione legati, quid scilicet sub eo compræbentum fuerit, super quo videri poterunt deducta in eod. tit. disc. 61. & sub tit. de Conf. disc. 17.

Decisiones præditæ in casu, de quod disc. 7. sunt impressæ decis. 228. 295. & 389. par. 14. rec.

AUXIMANA LEGATI, PRO UGONE, ET ALIIS DE CIMIS, CUM UBALDO ETIAM DE CIMIS.

Casus disputatus coram A.C. & resolutus pro Ubaldo.

An, & quando sub legato mobilium domus; veniat pecunia numerata, quæ in domo reperia sit.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti species.
2 De decisionibus firmantibus compræhensionem pecuniæ sub legato mobilium.
3 De abusu deferendi doct. inis, non curando distinctiones, & ratiocinia.
4 Est quæstio facti, an pecunia veniat sub hoc legato, & quomodo cum distinctionibus decidenda.
5 De legato generali absque præfinitione loci.
6 Usus loquendi in hoc attendi debet.
7 De distinctione inter pecuniam præfidi causa, & ram.
8 Quando dicatur de una, vel altera specie.
9 De eodem cum distinctione.
10 Declarantur decisiones, de quibus num. 2.
11 Quod facti, circumstantiæ potius attendi debeant, & quomodo in hac materia procedendum sit.
12 De circumstantiis in hac facti specie, ut pecunia non veniat.
13 De vocabulo massariarum postquam illo mobilium tanquam synonymo.

D I S C. V.

CUM Silvester, Ubaldo ex sorore nepoti reliquisset usufructum domus, ac omnium, & quorumcumque mobilium in ea existentium, cum verbis amplis eorum univexitatem denotantibus; Casus autem dedisset, quod de tempore mortis testatoris, domi reperta esset quædam summam scutor. 300 circiter in pecunia numerata; Hinc proinde orta est controversia inter legatarium, & hæredes, an dicta pecunia sub dicto legato compræhensa esset, introductaque causa coram A. C. ab isto prodiit determinatio, favore legatarii, commissaque appellitionis causa in Rota, incertum est, an ea ulteriorem progressum haberit, vel per concordiam terminata sit, cum amplius de illa actum non audierim.

Resolutionis fundamentum fuit auctoritas specialis Rotæ in Cathacen. legati 7. Junii 1552. coram Cervo, edita in casu illius testamenti, de quo habetur actum sub tit. de testam. disc. 22. ubi pro legatario mobilium, responsum fuit pro compræhensione pecuniæ in summa valde notabili scutorum circiter bis mille; Ac etiam ob firmata in eisdem terminis compræhensionis pecuniæ sub legato mobilium apud Altograd. conf. 70. lib. 1. ubi latè de istius opinionis fundamentis, Et quamvis ego scribens pro hæredibus, deduce-

ducerem distinctiones casuum, de quibus infra, ex quibus hujus quæstionis decisio verè regulanda est, attamen juxta currentem abusum, immorandi in auctoritatibus punctualibus, cum eis processum fuit, non curando distinctiones, quæ in omnibus Advocatis, præsertim vero in me, ita meo fato exigente, ratiocinia, ac ingenii acumen reputari solent.

Dicebam igitur, etiam cum sensu veritatis, quod, quidquid nostri certent super antinomya legum, non in hac materia invicem pugnare videntur; Omnino verius est, ut ista non sit quæstio juris, sed voluntatis, ideoque metienda ex facti circumstantiis, quæ illam uno, vel altero modo expressè, vel conjecturaliter probent; Istaque probatione accedente, cessant omnes iuris regulæ, vel dispositiones, ad quas solum recurrere oportet, ubi dicta probatione non accedente, versetur in ambiguo, in quo pro congrua juris applicatione, adhibenda venit plurium casuum distinctio, quam inter antiquiores, omnium melius adhibet Menoch. lib. 4. præsumpt. 138. ad quem in hac materia omnino recurendum esse admonet Castill. de usu-fruct. cap. 38. num. 23. atque inter moderniores, bene etiam occasione compræhensionis mercium venalium sub legato mobilium, distinguit Merlin. lib. 2. contror. 65. neque distinctionem negat Altograd. dicto conf. 70.

Primus igitur casus est, ubi agitur de indefinito, ac generali legato mobilium absque aliqua domo, vel alterius loci præfinitione; Et tunc licet non desint contradicentes, verior tamen, magisq; communis videtur opinio, pro compræhensione pecuniæ indefinitæ, ex sola tamen (ut dictum est) præsumptione juris, cujus virtus, ac operatio est transfundendi opus contrariæ probationis in hæredem.

Alter casus est, ubi accedat loci præfinitio; præsertim verò, juxta frequentiore contingentiam, sit præfinitio domus, quia nempe factum sit legatum mobilium domus, vel in domo existentium, & tunc altera intrat subdistinctio, an in loco adsit usus loquendi, per quem sub hoc vocabulo mobilium domus, sola suppellectilia compræhendantur, ideoque pecunia non veniat, cujus jure etiam merces, ac gemmæ, vasa aurea, & argentea regulari solent, illis exceptis, quæ quotidiano communi usui deserviant, tunc enim usui deferendum est, siue sit universalis loci, siue (& melius) sit particularis testatoris.

Aut verò ille non probatur, ut probari debere (quateenus non sit notorius,) credit magis communi DD. schola, ac præsertim subdistingendum est inter eam pecuniam, quæ domi retineatur, peculii, seu præfidi causa, & sic cum destinatione, ut ibi perpetuo maneat, & tunc veniat sub legato; Aut ibi reposita est, ut fœnori detur, vel tanquam investimento destinata, siue ut impendatur pro quotidianis usibus, & tunc non veniat, nisi legatarius, in quem, ob contrariam juris præsumptionem transfunditur onus probationis, istam expressam, vel conjecturalem faciat, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Gabriel. conf. 98. lib. 1. (quod est ad veritatem) Menoch. dicta præsumpt. 138. num. 8. Theaur. decis. 160. per tot. præsertim nu. 9. cum seq. & admittunt Peregrin. conf. 37. lib. 2. & Altograd. dicto conf. 70. qui partes legatarii tenent, & cum hac distinctione deducta ex text. in l. fœnorus §. 1. ff. de legat. 3. perpetuo processit Rota ut decis. 432. & 434. par. 1. divers. Romana legati mobilium 23. Maji 1603. coram Pamphilio, alia Romana nobilium domus 28. Januarii 1632. coram Motmano, & admittitur in dicta Cathacen. legati coram Cervo, in qua pro legatariis fundamentum constituitur in circumstantiis facti, ut infra.

Hinc proinde, major quæstio consistere videtur in applicatione hujus distinctionis ad factum, quando scilicet pecunia, quæ domi reperta est, de una, vel altera specie censenda veniat; Atque in hoc DD. nimum se involvere videntur circa summam; Aliis illam dicentibus majorem, & aliis minorem, ut patet ex relatis per Theaur. dicta dec. 160. & per Altograd. dicto conf. 70.

Alii verò certant, quinam qualitatè magis assistat præsumptio, ut scilicet potius stare censeatur peculii, seu præfidi causa, & consequenter ut fundata sit legatarii intentio, donec hæres probet, quod investimento, vel fœnori, siue quotidianis usibus destinata sit, & hanc tenet Decius conf. 472. cum quo pertranscunt Peregrin. conf. 37. lib. 2. & Altograd. dicto conf. 70. utpotè, Consulentiū more, ad causæ opportunitatem subfinescentes partes legatarii.

Verum alii tenent contrarium, ex eo quod iste usus re-nendi pecuniam, peculii, seu præfidi causa, qui apud antiquos erat frequens, hodie non vigeat, vel sit rarus, &

non frequens, ut bene probat cæteris relatis Gabr. dicto conf. 98. num. 27. & 32. cum seqq. (cui nimum deferendum est tanquam decisivo, & ad veritatem,) & sequuntur Menoch. dicta præsumpt. 139. num. 12. & Rota in supra allegatis decisionibus, ex quibus patet, quod in communi, ac magis recepto sensu dictum conf. Decii, cui immititur Peregr. est reprobatum, ut etiam agnoscit Theaur. d. decis. 160. istaque opinio omnino tenenda videtur, quoniam reverà nostris temporibus habemus potius regulam in contrarium, quod scilicet nemo præsumitur tenere pecuniam otiosam ex iis, quæ habentur sub tit. de usur. in proposito interesse lucri cessantis.

Et quamvis (cum nulla detur in humano genere regula absque limitatione) etiam hodie admittatur avari, ac pecuniæ idolatræ, qui otiosis horis, in illius aspectu, vel numeratione, summam delectationem capiunt, atque aliud non habentes studium, in hoc turpi exercitio, tempus adeo damnabiliter conterunt; Attamen rarus est hic usus, frequentior autem est ille investendi, siue negotiandi, vel retinendi pecunias in aliqua sacra æde, seu publico banco.

Neque deferendum esse dicebam dictæ decisioni Cathacen. coram Cervo, quoniam quidquid ex aliqua inadvertentia dicatur circa genericam propositionem; Illa resolutio in suo casu probabilis prodiit ex facti circumstantiis, eam voluntatem invidentibus; Tum propter nimum amplitudinem verborum legati, quod simpliciter conceptum non erat de mobilibus domus, sed de auro, argento, aliisque mobilibus omnibus, ideoque rectè adaptabatur ea, quæ ob amplitudinem verborum super compræhensione mercium habentur apud Merlin. dicta contr. 65. lib. 2. cum ibi deductis.

Tum claris ob alias particulares facti circumstantias; Primo scilicet, quod legatum cum dicta amplitudine verborum conceptum non erat per Notarium juxta ejus formularium, sed per ipsum testatorem J. C. ac eruditum, qui cum affectata elegantia pedagogica, ordinavit testamentum adeo ambiguum, ut patet ex deductis dicto disc. 22. de testam. Secundò ob ejusdem testatoris statum, & consuetudinem, quod scilicet esset clericus, qui prohibita erat negotiatio, quam etiam abhorrebat, ut etiam abhorrebat probatum fuerat investimenta in census, vel alia in ea regione vitata, ex quibus pecunia numerata ad omne placitum, vel opportunitatem haberi non potest prompta, eo modo quo habetur, ubi investimentum fiat in locis montium, vel similibus juribus publicis, quorum occasio habetur solum in magnis, ac metropolitanis Civitatibus; Tertio ob qualitatem monetæ, quæ ad formam peculii, seu delectationis hujusmodi pecuniæ cultorum, studiosè redacta erat ad speciosam, & conservationi destinatam, monetam auri in dupponis hispanicis, & similibus; Quarto ob verisimilem majorem affectionem erga legatarios fratres uterinos; Et quintò fortius ob quasdam alias facti circumstantias, tam ex testamento resultantibus, quam extrinsecus justificatis, quibus potius, quam præmissis omnibus, aliis merito delatum fuit.

In his etenim quæstionibus facti, & voluntatis, rectè intrat, ac verificatur disterium, quod ego sæpius in consuetudine habeo, ut scilicet majoris ponderis, vel efficacitæ sit una unica facti, quam centum librarum juris; Atque in eodem facto plus valet una uncia eorum, quæ pendente à gestis ipsius disponentis, quam quæ pendente à verbis testamenti, vel alterius dispositionis; Potissimè, ubi non constat, quod sint verba ipsius disponentis, qui rectè eorum vim, ac operationem calleat, sed sint Notarii, vel alterius, ad cujus dictamen, juxta frequentiore contingentiam, dispositio concepta sit; Hinc proinde perpetuo irrisione dignos censui eos, qui in verborum, & clausularum cortice, vel grammaticalibus significationibus, aut in regulis generalibus, siue in Consulentiū, aliorumque scribentium auctoritate generica, vel etiam specifica in casu diversa vim constituunt, quoniam commendabilis quidem est, imò necessaria notitia tam regularum, & conclusionum, ac distinctionum generalium, quam etiam decisionum, & doctrinarum specialium in casibus similibus, ut cum hoc lumine judicium bene, ac legaliter, non autem in solo sensu naturali interponi valeat, sed combinandæ sunt diligenter facti circumstantiæ pro congrua conclusionum, ac doctrinarum applicatione, in qua totus est punctus, & ad cujus effectum in hac facultate magis necessarium est iudicium, quam ingenium, quamvis istud quoque necessarium sit.

Applicando autem ad rem; Plures circumstantiæ, pro meo iudicio, clarè excludebant compræhensionem dictæ pe-

pecuniæ sub legato mobilium ; Primò nempe attenda qualitate testatoris, quem per hæredem justificatum fuit, esse virum nimium industrem, non solum, nequidem per dies, retinere pecuniam otiosam, nisi quatenus prompta occasio non suppeteret ; Secundò magis in specie super destinatione hujusmet pecuniæ investimento, quando officio haberetur ; Tertio ob diligentissimam etiam superfluam descriptionem domus, omniumque ejus membrorum, unde probabile est, quod hujus summæ pecuniariæ, quæ attenda ejus conditione erat notabilis, mentionem fecisset ; Quarto, quia agebatur de legato usufructus tantum, quod attento more regionis potius importabat habitationem, cum non de facili inveniantur inquilini, adeoq. mobilia explicata essent accessorii ad domum ejusque habitationem ; Et quintò omnium fortius, ob communem usum loquendi præsertim in viris popularibus, & idiotis, in parvis locis, in quibus illi videtur communis, & notorius, ut advertit Thesaur. *dicta decis. 160. n. 7. cum seqq.* cum quo petranfit Menoch. *dicta præsumpt. 138. n. 14.* Clarius verò, dum pro synonymis habuerat vocabulum *mobiliam*, & *massariarum*, quibus omnibus simul junctis, casus videbatur planus, idcirco probabiliter prosequendo appellationem sperari del. nisset retractatio ; Credo autem, quod cum non ageretur de legato in sorte principali, sed in solo usufructu, non ex edicto vari sumptus prosecutionis, ut frequenter contingit.

ROMANA SEU CUSENTINA LEGATI, PRO PP. S. THERESIÆ, CUM HYACINTHO ALTOMARE.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura, postea Concordatus.

An sub legato mobilium veniant pecuniæ domi repectæ, quas erogare oportuit in expensas funerum, & medicinarum.

Et an sub legato mobilium veniant argenta, & alia mobilia, quæ in alia Civitate, vel provincia existant, ex destinatione illa introducendi in domum.

Et an, & quando pro legatis competat via executionis, & non aliæ.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Quando pecunia veniat sub legato mobilium.
- 3 Etiam in executionis intrat appellatio ratione injustitiæ.
- 4 An merces, vel ea mobilia, quæ sunt extrà domum, veniant sub legato mobilium.
- 5 De stylo pragmatico procedendi cum traditionibus.
- 6 Quod opinio Angeli sit magis recepta, ut pro legato competat via executionis.
- 7 Rota verò sequitur contrariam Alexandri.
- 8 Quando recipienda sit opinio Angeli.
- 9 Et quando contraria opinio Alexandri.
- 10 De eodem, ac pluribus casibus, in quibus non procedat lex executiva.
- 11 Non dicitur impugnare, qui negat comprehensionem.
- 12 De legato dividuo speciei admittente executionem in parte, dantur exempla.
- 13 De eodem in materia legati quantitatis.
- 14 Quod ubi sententia concepta est unica structura, an pars indubita impediat executionem etiam pro parte debita.

D I S C. VI.

Lælius Donatus Romanam Curiam sequens, institutus hæredibus PP. Ordinis S. Theresiæ Civitatis Cusentinae ejus patriæ, factisq. nonnullis legatis aliquibus amicis, de aliquibus tabulis pictis, mobilia domus reliquit Hyacintus ejus medico, italico sermone explicata, in numero singulari, cum illis verbis *il mobile di casa* ; Cumque in domo reperta esset summa scutorum centum circiter pecuniæ numerata, quam incontinenti sequuta morte, erogare oportuit in expensas funerum, ac medicinarum, atque testator paulò ante infirmitatem, mandasset ejus procuratori in patria, ut quædam argenta, quæ ibi habebat, nisi emptor inveniretur, ad Urbem transmitteret, illaque proinde essent in via ; Hinc Hyacintus, præntensionem excitavit, ut in dicto legato, tam pecunia, quam dicta argenta, inclusa essent ; Introductaque causa coram A. C. ad ejus favorem

super pecunia prodit resolutio ; Verùm per Signaturam commissa fuit causa appellacionis, cum clausula suspensiva *Si quid exequendum*, quod rescriptum ansam dedit honestæ concordia litem terminanti ; Super argenti autem judicatum fuit favore hæredis, pro non comprehensione.

In disputationibus respectu hæreditatis coram A. C. & in Signatura, tres erant puncti ; Primò nempe circa pecuniam numeratam ; Secundò circa vasa argentea, quæ erant in patria, sive in vita ; Et tertio ordinis circa viam executionis, an competeret, necne pro isto legato.

Quoad primum, clarissimum pro meo sensu erat gravamen ; Tum ex eo, quod stante summa, dici non poterat, quod pecunia retineretur domi, peculi, seu præsidii causa, sed potius, ut impenderetur in quotidianos usus juxta distinctionem, de qua in *Auximana disc. præced.* Tum etiam, quia omnino improbabile erat, ut ista manualis pecunia spectare deberet ad legatarium, dum hæres erat absens, neque alter pro eo promptè subministrare poterat illas expensas, sine quibus ipse testator remansisset infestus, ac etiam vivus non provisis in ultima infirmitate de necessariis, adeoq. dicta determinatio non levem præbuerit admirationem, cum verè nullam haberet, nec juris, nec facti fundamentum ; Et tamen adeo acriter cum bina propositione disputare oportuit in Signatura, an adversus hoc decretum rescribendum esset de clausula translativa executionis, dum etiam in iis, quæ sunt indubitata de executiva, cum obligatione cameræ rescribi, quamvis solet de translatione executionis ratione injustitiæ, quoniam sententia, vel alia determinatio injusta nunquam executionem meretur.

Quovèro ad secundum punctum argendorum, quæ domi non erant (reflectendo etiam ad veritatem,) iusta visa est determinatio ex duplici fundamento ; Primò nempe ex communi usu loquendi, insinuato in eadem *Auximana discurs. præced.* Et secundò clarior, quoniam licet destinationis patrisfamilias totum faciat, neque operetur, ut ea, quæ extrà domum sunt, etiam in partibus remotis, pro extantibus in domo habeantur ; Attamen id procedit, quando constat de dicta destinatione, ut ea bona in domo permanantia sint ; Id autem in hac facti specie potius excludatur, dum ita constabat, quod testator hæc argenta destinaverat venditioni, quia non sequuta in patria, ad Urbem ad eundem effectum transmitti voluit, ideoque rectè intrabant ea, quæ de mercibus, vel aliis rebus venditioni destinatis, habentur apud Castill. *de usufruct. c. 38.* & plenius, magisque ex professo discussa materia, apud Merlin. *lib. 2. contr. 65.*

Major igitur disputatio fuit in Signatura super tertio puncto ordinis, an scilicet pro legato competat, necne via executionis ; Cum enim ut plurimum Curia sit merè pragmatica, procedere solita cum receptis propositionibus, ac traditionibus, uno indagando rationem, vel fundamentum ; Atque receptum sit, ut (excepto tribunali Rotæ, quod) nescitur ex quo spiritu (persistit insequendo opinionem Alexandri, ut pro legato non detur via executiva) omnia alia Tribunalia, ipsaque Signatura sequantur opinionem Angeli super dictæ viæ executionis competentia, hinc proinde sensus erat, ut juxta naturam processus executivi rescribendum esset in devolutivo tantum, non autem in suspensivo.

In hoc autem Scribens pro appellante, admittebam quidem, ut opinio Angeli esset verior, magisque recepta, non solum in Tribunalibus A. C. & in Signatura, omnibusque aliis Tribunalibus Urbis, verùm etiam in illis aliorum locorum, ut patet ex deductis per Becc. *conf. 17.* Hodiern. *controv. 19. in fin.* Capyc. *Latr. decis. 12. nu. 17.* Merlin. *lib. 2. contr. 2.* & *Prat. observ. 24.* Adeoq. opinio Rotæ, quæ retinere vult illam Alexandri, sit fortè singularis, quamvis eam plures sequantur præsertim Menoch. *de adpisc. remed. 4. n. 694.* & *seqq.* Thesaur. *decis. 26. num. 10.* & alii plene relati per Rotam *decis. 359. par. 9. var.* apud Dunozett. in *Romana damnationum 10. Februarii 1647. inter suas decis. 792.* Add. ad Buratt. *decis. 208. num. 12.*

Dicebam tamen, ut hæc opinio Angeli recipienda esset in eo casu, in quo ejus ratio vigeat, atque cesset altera, cui innixa est opinio Alexandri, quia namque contentio sit inter hæredem, & legatarium, quorum uterque veniat ex eodem testamento, legatum autem sit certum, nullaque exceptione elidibile ; Tunc etenim intrare non potest ratio opinionis Alexandri, ut hæres, ac cujus manu legatum præstandum est, dicatur legitimus contradicitor, dum ipse impugnare non potest illud iudicium, ex quo ejus jus

meritur, testamentum verò quoad ipsum est probatio probata, ac species rei judicata, unde propterea appellatio calumniosa censenda est.

Secus autem ubi contentio sit cum hærede ab intestato impugnante testamentum, in quo legatum continetur, quia nempe, ob præteritionem, vel ex alio defectu, testamentum jure directo non substituitur, possint autem substitui legata in vim clausulæ codicillaris, sive ex dispositione textus in *Autem. ex causa Cod. de liber. præterit.* cum similibus, cum tunc, competente hæredi ex diverso titulo facultate impugnandi testamentum, illudque habendi pro non existente in rerum natura, atque legatario veniente potius ex dispositione, vel interpretatione juris, utique intrat ratio legitimi contradicitoris juxta doctrinam Bart. & Saliceti in *authentica ex causa nu. 21. & seqq. Cod. de liberis præteritis* Becc. *dict. conf. 17. n. 7.* Turretano *de claus. codicillar. quest. 30.*

Aut contentio sit cum ipiomet testamento, qui tamen iustam oppositionis causam habeat, ideoque dici quoque possit legitimus contradicitor, quia nempe non sit quæstio super substantia legati, sed ejus directæ impugnatione, sed sit super ejus comprehensione, vel interpretatione, ut erat in casu præsentis quæstionis, ac aliorum, de quibus in discursibus proximis, an scilicet sub nomine mobilium veniant pecuniæ, ac merces, & alia, in quibus cadat probabilis quæstio comprehensionis ; Sive an sub nomine prædii veniant ea, quæ præteruntur membra annexa &c. Vel quod non sufficiente legato in ipsa re, in qua factum sit, puta quia in re aliena, aut precepta, sive differenti, cujus legatarius sit incapax, intret quæstio, an debeatur æstimatio ; Aut intret altera quæstio, an certa destinatio sit taxativè, vel demonstrativè, cum similibus quæstionibus, quæ habentur *hoc cod. tit.* Tum etenim non dicitur formalis oppositio, seu impugnatio iudicii defuncti, sed potius istius existentia negatur, ex recepta propositione in foro frequenter volitante, quod impugnare, vel contravenire non dicitur, qui non comprehensionem allegat ; Ideoque intrant ea, quæ passim in jure habemus circa exceptiones modificativas, rectè deducibiles etiam in iis casibus, in quibus prohibitum sit exceptiones deducere, unde implementum, omni exceptione postposita, præstandum sit ; Quæstio etenim hæc exigit formalem declarationem, seu determinationem Judicis causa cognita ; Hoc autem positò intrat de plano appellatio, seu materia legitimi contradicitoris, quoniam non est appellare ad iudicio defuncti, sed ab illo iudicis, qui mandat præstari id, quod præteritur defunctum noluisse, Adinstar eorum, quæ habemus in materia beneficiæ super impedimento executionis litterarum Apostolicarum, quoniam non dicitur appellari ab eo, quod disponit Papa, sed ab eo quod mandat Judex, præter, vel contra Papæ intentionem.

Ac etiam dari potest casus, ut hæres legatario sit legitimus contradicitor, quamvis nulla cadat quæstio voluntatis ut supra, adeoq. legatum sit omnino clarum, ob insufficientiam scilicet virium hæreditariarum, unde intret quæstio contributi ; Sive quia eadem insufficientia pendeat, non à facto, sed à jure, an scilicet hæredi debita esset, necne falcidia, quæ ob legatariorum privilegium, sive ob tacitam, & conjecturalem prohibitionem negetur, cum tunc intret eadem ratio appellacionis, non à iudicio defuncti, sed ab illo iudicis.

Benè verùm, quod in his, vel similibus casibus, in quibus nulla cadat quæstio super substantia legati, sed super aliqua ejus diminutione, difficultas cadit in iis, quæ consistant in specie individua ; Secus autem in iis, quæ sive in specie, sive in quantitate, compatibiliter impleri possunt, quoniam tunc illiquiditas, & incertitudo in parte, impedire non debet executionem in altera parte, certa, & liquida ; Ut puta factò legato prædii juxta casum, de quo in *Bonon. disc. sequen.* intret quæstio, an sub eo veniant alia prædia, & bona, quæ præteruntur annexa, quoniam cessabit quidem via executiva in hujusmodi membris, vel annexis, quæ sunt sub quæstione, non autem in ipso prædio principali, in quo nulla cadat quæstio ; Sive si disputetur, an sub legato mobilium domus veniant solum suppellectilia, non autem vasa aurea, & argentea, vel gemma, & merces, ac pecunia numerata, appellatio rectè intrabit quoad ea, quorum non comprehensionis præteritur, non tamen exinde retardari poterit processus executivus in ipsis suppellectilibus, in quibus nulla quæstio cadat, cum similibus.

Atque in legato quantitatis, utpotè dividuo, in quo tantam afferre utilitatem totum respectu totius, quam pars respectu partis, quæstio in parte, non debet retardare totum ; Ut puta legatis mille, hæres præterat quod ob insufficientiam vitium hæreditatis, vel ob detraktionem falcidiæ, non debeatur integra mille, sed solum quingentum ; Tunc enim pro istis deneganda non erit executio ex recepta propositione, de qua apud Gregor. *decis. 220. in fine* Orthobon. *decis. 32. num. 13.* quod executio partis liquidæ in rebus dividuis, retardari non debet per partem illiquidam.

Et quamvis de stricto jure, ubi sententia, vel alia condemnatio per unicum periodum, seu verborum structuram fiat in totum, tunc appellatio in totum admittenda sit ob individuum voluntatis Judicis ; Secus autem ubi per capitula separata ex iis, quæ habentur apud Adde. *decis. 360. Rot. decis. 285. num. 19. par. 10. recentior.* Royas *decis. 332. num. 6. & decis. 355. n. 10.* & in sua materia *sub tit. de iudicis* ; At tamen laudabilis Signaturæ stylus inolevit rescandi hos leguleicos rigores, atque attenda veritate demãdandi executionem partis liquidæ, & non controversæ, ut in dicta materia *sub tit. de iudicis.*

BONONIEN. LIQUIDATIONIS ARETHI, PRO COMITISSA CAMILLA ZAMBECCARIA CUM HÆREDIBUS FRANCISCI DE PEPULIS.

Casus variè decisus per Rotam.

An, & quando sub legato prædii, vel possessionis veniant alia prædia separata, quæ a testatore possidebantur tanquam connexa ; Et an, & quando in legatis præstantia sit evictio.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Resolutiones causa.
- 3 In legatis non præstatur evictio.
- 4 Fallit, ubi sit ex causa onerosa.
- 5 Quando legatum dicatur ex causa onerosa.
- 6 De conclusionibus, ut confessio debiti importet legatum, & ad quem effectum.
- 7 De contributo legatariorum, ubi hæreditas non sit omnibus legatis idonea.
- 8 An, & quando confessio viri favore uxoris attendatur.
- 9 De eodem, & de administrandis.
- 10 An confessio mortuorum attendatur in donatione.
- 11 De materia annexionis unius rei cum altera.
- 12 Quomodo in ea procedi debeat.
- 13 Diversitas vocabulorum, vel materialis separatio non attenditur.
- 14 Quando legatum largè, vel strictè interpretari debeat.
- 15 De connexionibus bonorum allodialium feudo, & de ratione differentie inter feuda, & bona indifferentia.
- 16 In dubio pro exclusione donationis.
- 17 De circumstantiis suadentibus annexionem.
- 18 Ex qualitate pretii regulatur voluntas.
- 19 Bona fides, vel media excusat à fructibus consumptis.

D I S C. VII.

Cum Comitissa Camilla de Zambeccariis hæres instituta per primum virum, secundò nupsisset Francisco de Pepulis, iste in recompensam illorum bonorum mobilium, quæ ex hæreditate primi viri obventa, in ejus domum (in dote non comprehensa) intulerat, in testamento ei reliquit prædium, seu possessionem in loco nuncupato *Dozza*, cum omnibus ejus juribus, & adherentiis ; In hujus autem legati executionem, eidem Camillæ tradita fuerunt duo prædia materialiter sejuncta, quorum utrumque sub uno colono, unaque domo, ac una area testator habere consueverat ; Evicta verò tractu temporis dictorum prædiorum medietate, egit Camilla ad eorum pretium loco evictionis, ac desuper in partibus, & coram A. C. tres obtinuit sententias ; Commissaque per appellationem causa in Rota coram Emerix super liquidatione pretii, datoque dubio an mandatum relaxatum in vim trium conformium esset exequendum, *sub die quarta Julii 1664.* negatua prodit resolutio, quæ tamen revocata, vel reformata fuit *sub diebus 4. Maji 1665. & 23. Januarii 1666.* deindeque puto, quod

puto, quod causa per concordiam finem habuerit, dum de illa, quod sciam, amplius actum non fuit.

In his autem disputationibus habitis in Rota, tres fuerunt puncti; Primò nempe, an pro legato deberetur evictio; Secundò, evictionis obligatione præsupposita, an sub legato prædii, seu possessionis explicata sub vocabulo *Doctæ*, quod altera Pars non negabat comprehendere alterum inferius prædium ab eo separatam, quod supponebatur habere diversam nuncupationem *della volta*; Et tertio, posito quod istud non comprehenderetur, an dicta legata tenebantur restituere, vel imputare fructus ex illo, plurimum annorum spatio perceptos, ex quibus illiquidum remaneret creditum evictionis prædii legati, ac evicti juxta sensum primæ decisionis.

Quatenus pertinet ad primum; Scribens ego pro legataria non negabam regulam, quam latè exornare conabantur Scribentes pro hærede, ut in legatis non præsterit evictio, cum sit principium certum, ac fundatum in claris iuris præsertim in l. si à substituto in fine ff. de legatis l. cum concordant. in Bonon. legati usufructus s. Decembris 1650. coram Bichio inter suas decis. 445. E conversò autem iidem scribentes pro hærede, non negabant limitationem, de qua cæteris relatis Mangil. de evict. quæst. 63. num. 37. Rota decis. 148. num. 24. & 26. par. 9. recent. & sæpius, ut secus dicendum sit quando legatum non sit gratuitum, sed respectivum, & in recompensam ejus, quod legatarius à testatore, ejusque hæreditate, vel à tertio, consequi debebat, vel præterdere poterat, cum tunc habeat speciem donationis in solutum, ut per Rot. ubi supra, & Novar. de dat. in solut. quæst. 11. num. 8.

Hinc proinde quæstio erat facti, sive applicationis, an scilicet constaret, necne de causa onerosa, vel respectiva, utpotè aliàs non justificare, quam per ejusdem viri confessionem, super cuius irrelevantia iidem Scribentes plene cumulabant ea, quæ habentur sub tit. de dote disc. generatis 159. & in plerisque aliis particularibus, ut confessio viri de dote recepta non probet veritatem sine administris etiam in præjudicium contentis, vel ejus hæredum.

Verum (cum sensu etiam veritatis) dicebam id nullum penitus habere fundamentum ex duplici motivo; Primò quia, ubi etiam esset confessio pura, nullis administris suffulta, adeo ut resolveretur in legatum, quod utique non negat sub prohibitione donationis inter conjuges, adhuc tamen dum testator noluit procedere per viam legati, sed per viam confessionis debiti, exinde resultare videbatur ejus voluntas, ut præstanda esset evictio, quoniam conclusio, ut hujusmodi confessiones aliunde non justificatæ resolvantur in legatum, seu donationem, percutit interesse tertii, puta, filiorum pro legitima, seu etiam ipsius hæredis pro falcidia non prohibita, cum similibus; In reliquis autem, præsertim ad hunc effectum, iste modus disponendi, dictam voluntatem clarè præseferre videtur, quod scilicet testator voluerit, ut istud legatum non regularetur tanquam legatum, sed tanquam debitum, ideoque; Aliud est quod lex fingit; Aliud est quod testator de facto vult, vel dicit.

Hinc propterea quamvis in hæreditate omnibus legatis non idonea, intret inter legatarios contributum ex plenè deductis per Rovitum decis. 87. cum aliis infra disc. 35. Attamen cum id cesset ex diversis, quamvis conjecturata testatoris voluntate, ita ista probari videtur, dum non per viam liberalitatis, sed per viam agnitionis debiti, dispositio facta est ob possibilem confessionis veritatem testatori cognitam quamvis nobis ignotam pro exoneratione ejus conscientia, ideoque cessante ratione fraudis, quæ tertio fieri posset, nulla suppetit ratio cur tali agnitioni deferendum non sit.

Et secundò quia ut habetur in eadem sua materia disc. 159. de dote, & in aliis, ea, quæ de stricta juris censura habentur in hac materia confessionis viri ad favorem uxoris, frequentius, ac penè semper locum habent, ubi verisetur fraus, vel præjudicium tertii, puta creditorum, vel successorum in fideicommissio, ad quem effectum urgentia administracula desiderantur; Secus autem ubi cessante suspitione fraudis, vel præjudicii tertii, agatur de solo præjudicio hæredis contentis, quoniam huic non de facili concedendum est proprii auctoris factum impugnare, illumque de mendacio redarguere, & consequenter etiam modica, & levia administracula sufficiunt.

In hac autem facti specie, confessionem nimium administratam esse dicebam, adeo ut etiam cum tertio ad veritatem probandam sufficiens reputari deberet; Primò nempe,

& potissimum ob certum veritatis primordium in genere vel substantia, dum ista mulier à primo viro hæres instituta, ejusdem viri suppellectilia, ob ejus nobilitatem, & qualitatem verisimiliter considerabilis valoris, atque in tabulis dotalibus secundi matrimoni non descripta, ad secundi viri domum traduxit; Secundò ob ejusdem testatoris prohibitionem, junctam cum tempore, in quo confessio facta est, in mortis scilicet articulo, quando nemo præsumendus est mendax, atque salutis æternæ immemor; Tertio ex cessante prohibitione legis, dum substantia dispositionis, ita conferebatur in tempus habile post dissolutum matrimonium juxta distinctionem de qua sub tit. de donationibus disc. 30. Et quartò clarius, ob cessantem causam simulandi, seu mendacem assertionem faciendi, dum testator prole carens ex libera facultate collaterales attinentes instituit, quibus neglectis, liberè poterat eandem uxorem in universo asse instituire, ideoque nulla liberat probabilis ratio, quæ huic agnitioni fidem adimeret, & consequenter hic punctus erat planus.

Atque ad comprobationem, deducebam ea, quæ in proposito evictionis præstanda pro donatione remuneratoria, quoties merita deducta sunt ad speciem, quamvis ex sola confessione donatoris absque alia extrinseca probatione, quoties agatur de non prohibitis, habentur in sua materia sub tit. de donat. ac etiam sub tit. de feud. ad materiam bullæ Baroanum disc. 94.

Quo verò ad secundum punctum, in quo major, ac penè tota fuit disputatio, an scilicet sub legato dicti prædii majoris, veniret alterum inferius, per aliquod spatium separatam, sub eodem tamen colono, ac hortico, & area, tanquam annexum per testatorem possideri solitum; Quamvis Scribentes pro hærede, cum consueta inepta transcriptione eorum, quæ traduntur in hac materia annexionis unius rei cum altera, chartas impleverunt cum iis, quæ deducta habentur apud Fab. de Ann. conf. 10. Apont. conf. 63. lib. 1. Galeot. lib. 1. controv. cap. 22. Attamen iste pro meo iudicio remanebat solutus inanis, ac improbus labor legistarum, quoniam ut ad litteram probat plura jura expensa per Galeot. dicta contr. 22. præsertim in l. quod in rerum. §. si quis post ff. de legat. l. cum fundus ff. de leg. 2. l. Sejo §. Tyranno ff. de fund. instrud. & in aliis, de quibus etiam in Romana prælationis sub tit. de servit. disc. 74. Indubitatum est de jure, ut sola destinatio patrisfamilias hujusmodi unionem, seu connexionem inducat, non curata materiali separatione, etiam cum notabili distantia plurium miliarium; Ut in specie de distantia per tria miliaria unius prædii ab altero, quod tamen habendum esset pro unico, advertit Rota in Melevisana fideicommissi 13. Maii 1652. coram Bichio inter suas decis. 506.

Adinstar eorum, quæ habemus in materia unionis Ecclesiæ, vel beneficiorum in sua sede sub tit. de benefico. ac etiam sub tit. de præemin. disc. 7. quoniam in hoc sola voluntas attenditur ejus, qui uniendi potestatem habet; Ideoque nulla desuper cadit quæstio juris, sed tota est facti, & voluntatis, & consequenter intrat frequenter inculcatus error procedendi cum doctrinis, ac regulis generalibus, earumque cumulam faciendi merè inutiliter, cum totum pendeat à circumstantiis facti, hanc voluntatem suadentibus.

Distinctiones autem desuper tradi solitæ, an utriusque rei contemporanea, vel separata fuerit acquisitio; Sive an pro unico, vel separato pretio; Vel an eadem, seu diversa sit nuncupatio, cum similibus frigiditatibus, in aliqua consideratione haberi debent, ad effectum regulandi dictam voluntatem, qua concurrente, etiam diversitas vocabulorum, vel nuncupationum in nulla consideratione habetur, ex iis, quæ in specie legati facti uxori, habentur apud Odd. conf. 21. & generaliter apud Mantio. de conj. lib. 9. tit. 2. n. 13. Galeot. dicta contr. 22. n. 18. & seqq. Bellon. jun. conf. 10. n. 27. & seqq. Rovit. conf. 101. lib. 2. Surd. decis. 241. n. 12. & 13. Rota apud Merlin. decis. 316. n. 9. cum seqq. & sepius.

An autem pro hujusmodi voluntatis probatione, largè vel strictè procedendum sit, pariter certa, & determinata regula tradi non potest, erroneumque est cum generalitati procedere, cum pendeat ex facti qualitate, ac verisimilitudine merienda ex effectibus, ad quos unio, sed connexio deducatur; ideoque advertebam, duod in hoc legato, utpotè ad favorem dilectæ uxoris in concursu hæredum benè extraneorum; Et quod magis, potius pro exoneratione conscientia, ac agnitione veritatis, quam ex liberalitate, benigne procedendum esset, ideoque intrare non debet

deberent illi rigores, qui ad hunc effectum ponderantur apud Apont. & Fab. de Ann. ac alios ubi supra, qui loquuntur ad effectum inducendi incorporationem bonorum allodialium, cum feudo, quod redoler exorbitantiam; Tum quia bona libera, ita efficiuntur serva, ideoque ex libertate facit; Tum clarius, quoniam actus redoler inverisimilitudinem, ob devolutionem, cui feuda subjacent; Ac etiam investitura durante, ob nimium restrictam libertatem alienandi, seu aliàs disponendi, ideoque merito cum restrictione proceditur, ob resistantem verisimilitudinem, ut bona liberè alienabilia, vel transmissibilia, vel quis faceret serva ad favorem domini directi, vel agnatorum, cum esset species donationis, quæ in dubio non est præsumenda, & consequenter omnis possibilis intellectus pro ejus exclusionem capiendus est ex deductis apud Cavaler. decis. 663. Rot. decis. 41. in princ. par. 9. recent. & frequenter in sua materia sub tit. de donat.

Applicando autem ad rem, plures circumstantiæ desuper apud allegatos ponderari solitæ, hanc annexionem suadebant; Atque pro larga, benignaque legati interpretatione, ponderabam dictam causam legendi, ac etiam distinctionem pluries in aliis hoc eodem tit. insinuatam inter majorem dilationem, quæ vigeat cum hærede, vel respectivè cum legatario, ut unius, vel alterius favore, restricta, seu larga interpretatio fieri debeat; Potissimè quia in ultimis disputationibus justificatum fuit, concurrere quoque identitate contrate, seu denominationis, quodque illa diversa nominatio, quæ in prima decisione præsupposita fuit, proveniebat potius ex sensu periti estimatoris licè pendente.

Advertebam etiam, ut (quando possibile esset) ex hac parte saltem administrative justificaretur valor, seu quantitas bonorum, pro quorum recompensa istud legatum factum erat, & an unius, vel respectivè utriusque prædii valori responderet, ex recepta, & frequenti propositione pluries in omni ferè materia insinuata, ut pretium sit magnum argumentum rei in contractum, vel dispositionem deductæ.

Demum quoad tertium punctum restitutionis, vel imputationis fructuum; Ubi etiam aliud prædium comprehensum non esset, adhuc modica cadebat disputandi ratio, quoniam ex præmissis negari non poterat quin possessrix fuerit in bona fide, vel saltem media, quæ ad hunc effectum restitutionis fructuum consumptorum sufficiens reputatur, cum sufficiat abesse malam fidem positivam, juxta nimirum vulgarem, & quotidianam receptam propositionem, de qua disc. 3. par. 7. recent. aliàs apud Merlin. decis. 663. Gregor. & Add. decis. 74. Buratt. & Add. decis. 184. & sæpius cum sit in foro nimirum frequens, ut alibi pluries advertebatur.

LAURETANA LEGATI PRO ANTONIO FELICE THOMASSINO, CUM MAGDALENA TOFFINA. Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Magdalena.

Sub legato domus, an & quando veniant, hortus, & stabulum, aliæque officinæ; & quid ubi legatum non sit in proprietate, sed in usufructu, vel in habitatione.

S U M M A R I U M.

- 1 Ad i series.
2 An factio legato domus veniant hortus, & alia membra.
3 Materialis separatio non tollit annexionem.
4 Quomodo ista materia regulanda, & decidenda sit, & num. 8.
5 Distinguntur tres casus, & de eorum singulis.
6 De differentia inter legatum habitationis, & facultatis habendi remissivè.
7 De applicatione ad casum, ejusque circumstantiis.
8 De eodem, de quo num. 4.
9 Quare congrua sit repetitio plurium casuum cadentium sub eisdem articulis.

Lucas de Cæsaris, instituto hærede Antonio Felice ex sorore pronepotè, Magdalena uxori reliquit usufructum domus solitæ habitationis, ac suppellectilium in ea existentium; Cumque testator, ab aliquibus annis ante obitum, emisset aliquas domunculas eidem domui vicinas, non tamen confinantes, ob viam, seu plateam intermediam, in quibus, stabulum, & horreum, ac hortum construxit. Hinc proinde orta est controversia, an hujusmodi membra, sub dicto legato venirent; Et introducta causa coram A. C. ad favorem legataria resolutum fuit; Quamvis enim resolutio in parte placeret, in parte autem non, Attamen quia non agebatur de perpetuo præjudicio, sed probabiliter ad modicum tempus ob dictæ Magdalena gravem ætatem, atque ad horreum, & stabulum restringebatur gravamen (cum respectu horti ex scribens pro hærede dare manus ad favorem legataria) hinc proinde hæres acquievit, cum non expediret causam ulterius prosequi.

In disputationibus autem desuper habitis: Scribentes pro legataria, principale fundamentum constituebant in ea circumstantia, quod testator expressè fecerat domum suæ habitationis, etiam cum suppellectilibus, unde argumentum desumi dicebant voluntatis testatoris, ut uxor continuare deberet, in domus, ejusque membrorum, & officinarum habitatione; ac fructione, eo modo, quo ipso vivente, habitaverat, ac posita erat, deducendo ea, quæ in hoc proposito habentur apud Eugen. conf. 66. n. 45. cum seq. lib. 1. Castill. lib. 5. contr. 62. Cancr. par. 3. var. cap. 20. de legatis n. 143 & seq. & Vegg. conf. 54. n. 19. cum seqq. ubi plenè examinantur notata per DD. ad tertiam textum in l. prædii §. balneo ff. de legat. 3. cum concordant.

Neque ob stare dicebant materialem separationem dictorum membrorum, publica via, vel platea mediantè, cum in hac materia totum faciat patrisfamilias destinatio, ob quam dicuntur annexa, & de pertinentiis fundi etiam ea bona, quæ cum notabili distantia sint materialiter separata ex iuribus, & auctoritatibus, de quibus in Bonon. liquidationis præti disc. præced.

Scribens ego pro hærede dicebam, quod pro meo sensu, erroneum erat hujusmodi quæstionem tractare cum dictis generalitatibus, cum ista non sit quæstio juris, sed voluntatis, ac facti, ex istius particulari qualitate decidenda, prudenti arbitrio, pro quo benè regulandum, necessaria quidem est noticia theoricæ juris, inspicendo cui assitit regula, cujus virtus, ac operatio est fundare intentionem illius, cui ipsa assitit, ac transfundere in aliam partem onus probandi limitationem, cujus tamen probatione accedente, sine dubio regula cessat, cum ista simplicem juris præsumptionem inducat, contraria probatione etiam conjecturali, seu præsumptiva elidibilem; Congnitæque juris theoretica descendendum est ad examen facti, ejusque circumstantiarum, ex quibus pendet iudicium, an in casu regulæ, vel potius in altero limitationis versetur.

Quatenus igitur ad juris theoreticam pertinet, dicebam quod malè per scribentes in contrarium, ac etiam per aliquos ex eis allegatos, generica regula desuper constituebatur quoniam in vero conciliativo sensu iurium, quæ desuper habemus, tres casus in proposito distinguendi sunt; Primò nempe, ubi hortus, aliæque membra de quibus est quæstio, ita connexionem habeant cum domo, ut non nisi per ipsam aditus, ac usus haberi valeat; Secundò, ubi pariter concurrat annexio, seu contiguatio, idemque habeatur aditus per domum, non tamen iste sit necessarius, sed aliunde haberi possit, quia nempe hortus, vel aliud membrum januam habeat in via, ideoque sit practicabilis dividualitas, atque commoda utriusque separatus usus haberi possit; Et tertio demum, ubi non adsit connexio materialis juxta casum præsentis controversiæ, adeo ut per se habeatur aliunde aditus, ac usus, solumque intret connexio facta, seu intellectualis, quæ ex legis fictione ob destinationem patrisfamilias resultat.

In primo casu intrat distinctio, an legatum sit de domo, vel ejus usufructu, seu formali habitatione redolente servitute, quæ locandi facultatem tribuat, vel potius de legato facultatis habitandi in domo, juxta distinctionem inter habitationem, & facultatem habitandi, de qua sub tit. de servit. disc. 66. ut in prima specie veniant etiam membra, secus autem in altera, ut combinando textum in l. Olimpico ff. de servit. urban. præd. cum alio textu in l. prædii §. fin. ff. de legat. 3. plerique firmant, de quo sensu plenè Vegg.

Vegg. *dicto conf. 54.* Verum de isto primo casu utpote extrâ illum controversiâ, juxta commendabilem Curie stylum prohibentem superfluas evagationes, actum non fuit, ideoque desuper maturum iudicium efformatum non fuit.

In secundo nimum certant DD. in varias scissi opiniones, atque cum consuetis formalitatibus distinguunt, an hortus, aliaque membra eodem tempore cum domo acquisita sint pro unico, eodemque pretio, tanquam unum corpus, sive an acquisitio facta sit animo omnimodæ incorporationis, ac faciendi unum, & idem corpus ex relatâ per *Cancer. dicta par. 3. tit. 20. de legat. n. 144. & seqq.* cum aliis in *dicta Bonon. liquidationis pretij discurs. preced. & dicto tit. de servit. discurs. 74.* sed pariter istius casus veritatem examinare non oportuit, cum esset quoque extraneus à quæstione.

In tertio autem proprio, ac præciso; Regula assistit potius hæredi, quam legatario, ut sub legato domus non veniant hortus, & alia membra huiusmodi, nisi concurrant adminicula, quæ diversam voluntatem suadeant, ideoque limitationem inducant, ut antiquioribus relatâ habetur per *Cæphal. conf. 169. n. 16. benè Mantic. de consuet. lib. 9. tit. 2. n. 36. & de tacit. lib. 13. tit. 23. n. 33.* & cum hoc sensu videtur perpetuò Rota processisse, ut apud *Caputaq. decis. 342. part. 3.* apud *Buratt. decis. 354. n. 2. decis. 432. n. 4. par. 5. recent. decis. 125. par. 9. decis. 77. par. 10. Bonon. mamulionis 2. Februarii 1648. coram Peusingerio,* & in aliis.

Hinc proinde (applicando ad rem) dicebam, quod regula assistebat hæredi ita habenti intentionem fundatam, donec per legatariam probaretur limitatio, & consequenter non incumbere huic Parti, sed alteri probare diversam voluntatem; Et nihilominus facti circumstantiæ erant tales, ut ubi etiam regula hæredi resisteret, illius limitationem suadebant, dum constabat, quod testator longo tempore cum uxore legataria domum habitaverat sine orto, & stabulo, ac horreo, curasset autem postmodum construere propè domum pro majori commoditate principaliter stabulum, & horreum occasione acquisitionis aliquorum prædiorum, pro quorum cultura, & assistentia, stabulo indigebat, ut equum pro ejus usu, aliaque animalia retineret, ac etiam ut in horreo triticum, aliasque fruges conservaret; Quibus scilicet stantibus, cum testator huiusmodi prædia reliquisset hæredi, ita eandem habenti indigentiam dictorum membrorum, quæ mulieri legatarie inutilia remanebant, nisi extraneis locaret, nimum improbabile videbatur, ut de illis testator sensisset, quodque verus sensus esset, ut pro eo usu, qui mulieri congruus est, mulier continuaret habitationem in domo cum usu suppellectilium eo modo, quo viventem viro habitaverat: Solumque inspecta verisimilitudine, probabile videbatur, ut usum horri bene separabilis haberet pro quadam muliebri consolatione compensativa afflictionis ob amissionem viri, ut *Judex* motivabat, atque ego, ut dictum est, ex quadam specie admittebam, non tamen ut exinde ista potius non scripta æquitas, ad prædicta alia membra legatarie incongrua, hæredi autem nedum opportuna, sed etiam necessaria, inferendum esset.

Et consequenter firmum remanet id, quod supra insinuatum est, ut certa, & determinata regula desuper statui non possit, erroneumque sit cum regulis, vel doctrinis generalibus procedere, sive decisiones in uno casu editas, indefinite cuicumque alteri juxta modernum pragmaticum abusum applicare, manifestaque ineptia est in huiusmodi quæstionibus voluntatis, cum improbo labore, auctoritatem legiones congerere, atque in earum arithmetico numero pro verè contemptibili stylo vim constituere, cum necessaria quidem sit theoreticæ generalis notitia pro bene regulando arbitrio, istis autem interpositio verè pendeat à circumstantiis facti; Ideoque ad hunc effectum, eodem modo quo præsertim in fideicommissaria materia advertitur, opportunum, imò necessarium est, citra superfluitatis vitium, recensere plures casus cadentes sub eisdem articulis, ut ita bene iudicium efformari valeat, dum in duobus penè identicis casibus diversimodè frequenter iudicandum esse praxis docet, ad quod non advertunt illi tincti, qui rerum superficiali, atque inutili chartarum repletiones cum allegationibus rejiciunt.

ROMANA DIVISIONIS INTER FILIOS JO. ANTONII DE PASSERIS.

Responsum pro veritate.

Sub legato bonorum stabilium, an veniant animalia, & blades, aliaque mobilia existantia in fundis, seu prædiis, vel potius veniant sub legato bonorum mobilium, quando testator, de uno, ac altero genere diversimodè disposuit.

SUMMARIUM.

- 1 Acti series.
2 An & quando animalia veniant sub legato fundi.
3 Sub legato rerum in domo, vel fundo existentium, quænam veniant.
4 De eodem, de quo num. 2.
5 De ponderatione super eodem.
6 Quomodo ista quæstio decipi debeat.
7 De eodem.

DISC. IX.

Joannes Antonius Passerus, instituit hæredibus duobus ejus filiis, ad tollendam inter eos omnem controversiam occasione super divisione bonorum, illam fecit in ipsomet testamento, assignando cuilibet quædam possessiones, aliaque bona stabilia; Quoverò admobilia, & ornamenta, & massartias, ac alia, necnon quædam officia, & nomina debitorum, ac census, aliosque effectus huiusmodi, mandavit, ut omnia æqualiter dividerentur; Cum autem in possessionibus, ac domibus, ut supra respectivè assignatis, nonnulla animalia, & certa quantitas frumenti, aliaque bona mobilia reperta essent; Hinc orta est dubitatio, an ista venirent in ea æquali divisione, quæ per testatorem de bonis mobilibus demandata fuit, vel potius integre spectarent ad eos, quibus respectivè ipsa bona stabilia assignata fuerunt; Undè desuper pro veritate consultus.

Respondi, decisionem pendere ex circumstantiis facti, an scilicet animalia, aliaque bona essent in dictis prædiis pro eorum cultura, & tanquam eorumdem prædiorum instrumenta, perpetuò destinata, sive frumentum pro semine, ac victu colonorum, vel è converso accidentaliter & ad tempus, animalia scilicet pro pascentis herbis, vel glandinis, ad effectum deinde vendendi tanquam mercem; Undè frumentum ibi depositum esset custodiæ causa, ut venderetur; Primò enim casu veniunt cum ipsis prædiis, & sub nomine bonorum stabilium, tanquam pars, ac instrumenta fundi ad text. in l. de grege, & l. quæsitum est, ff. de fundo instructo, & instrumento legato, l. generaliter, §. uxori, ff. de usufructu legato, l. uxorem, §. legaverat, & l. quis alium, ff. de legat. 3. Secus autem in secundo casu, in quo animalia, & bona ibi accidentaliter sint, ut vendantur, seu alibi transportentur, quoniam sub legato rerum in loco existentium veniunt solum ea, quæ ibi sunt ut perpetuò maneat, nisi aliàs de diversa testatoris voluntate constet ex deductis per Menoch. lib. 4. præsumpt. 137. latè Altograd. conf. 70. ex n. 20. lib. 1. Merlin. lib. 2. contr. 65. n. 30. & per tot. ubi benè materiam examinat, ac expendit jura, quæ invicem pugnantia videntur, atque habetur actum in Romana, seu Cusentina legati, & in Auximana legati, & in aliis hoc eodem tit. disc. 5. & 6.

In contrarium obstat videbatur, quod plura ex juribus superius allegatis procedunt in legato fundi instructi, secus autem, ubi fundi, & bona simpliciter relicta sunt, ut in puncto de animalibus non venientibus sub dispositione fundi per text. in l. cum fundus, ff. de fundo instructo cum concord. probat Odd. conf. 30. n. 41. cum seq. Verùm credebam, ut ponderatio non obstatet ex verisimili intentione testatoris, dum non agebatur de vero, ac proprio legato, quod importaret gravamen hæredis ad favorem extranei, seu alterius, qui non esset hæres, undè propterea intraret propositio superstricta legati intelligentia, sed agebatur de quadam divisione, quam prudens testator de bonis hæreditariis inter ipsomet filios, & hæredes, ad tollendam discordiarum occasionem facere voluit, undè propterea intrare videbatur dispositio, vel ratio textus in l. quæsitum circa finem, vers. sed & ipse Papinianus, ff. de fundo instructo cum iis; quæ in dispositis ad favorem filiorum observant DD. deducti per Merlin. dicta contr. 65. n. 26. & 27.

Ponderando etiam, quod quando testator loquutus est de mobilibus, & juribus, quæ necnon ab ipso non divisa, præcepit

cepit æqualiter dividi debere, enumeravit fati distinctè, & accuratè illorum species, scilicet ornamenta, massartias domus, tabulas pictas, vasa argentea, officia, census, & nomina debitorum, ideoque verisimiliter de animalibus, ac tritico, aliisque frugibus, specificam mentionem habuisset, si non credidisset, ut sub distributione possessionum, aliorumque stabilium, tanquam eorum partes, & instrumenta venirent.

Quinimò etiam respectu animalium, ac fructuum in fundis existentium ad exuberantiam, & quæ venditioni destinata essent, & in quibus ut supra regula est in contrarium, adhuc inspicendum esse dixi valorem bonorum, quæ dictis filiis, & hæredibus per testatorem distributa fuerunt, an scilicet habita etiam ratione dictorum animalium, & frugum, aliorumque mobilium portiones remanerent æquales, quoniam cum ex æquali institutione, ac præcepto de æqualiter dividendo reliqua omnia per ipsum testatorem non divisa, constaret evidenter de enixa voluntate servandi omnimodam æqualitatem inter dictos filios, tunc etiam ea, quæ tanquam exuberantia venditioni destinata erant, sub ipsorum prædiorum, seu bonorum stabilium nomine venirent, vel è contrâ ad text. in d. l. quæsitum, ff. de fundo instructo cum concord. per Merlin. dicta contr. 65. num. 27. & 28. & per Altograd. dicto conf. 70. num. 34. & 35. Ubi potissimum ponderatur id, quod satis ad rem adaptabile erat, quod scilicet dicta animalia, & fruges etiam exuberantia, ibi introducta non erant ab extra mercimonii causa, sed destinata erant venditioni, seu domestico usui, quia superabant ipsorum prædiorum necessitatem; Et in summa cum ista sit quæstio facti potius, & voluntatis quam juris, atque mihi communicatæ non essent distinctè facti circumstantiæ, circa quantitatem, & qualitatem bonorum tam stabilium, quam mobilium, ac etiam circa valorem; Hinc proinde hæc omnia ita generaliter pro utraque parte insinuaui pro directione peritorum, in partibus, ut ita concordiam à testatore desideratam inter fratres conservarent, atque ita credo sequutum esse.

ROMANA LEGATI MOBILIIUM, PRO ANNA ROTTIGNA, CUM MARCO ANTONIO LONGO.

Casus disputatus coram A. C. sopitius per concordiam.

De legato mobilium domus factò uxori, collato in ejus arbitrium, de illis scilicet, quæ sibi necessaria, vel opportuna judicaret, quomodo interpretandum sit, sive quomodo istud arbitrium interponi debeat.

SUMMARIUM.

- 1 Acti series.
2 Quod argentum non veniat sub legato mobilium domus.
3 De legato mobilium ad arbitrium legatarii quomodo intelligendum.
4 In specie de legato mobilium uxori viduæ.
5 Quæ mobilia non congruant viduis.
6 Advocati in Curia, ut plurimum coguntur sequi vestigia Procuratorum.
7 Uxor plebea copulata vero nobili, efficitur nobilis, & quid è contrâ.
8 Uxori pauperi debetur successio in bonis viri in quarta parte.

DISC. X.

Catharinæ inæquali conditionis, ac amasæ, in mortis articulo, (forsan ex medici spiritualis consilio, ut frequenter contingit, sive ex motivo legitimandi filios) desponsata; Reliquit Riccardus facultatem, accipiendi ea mobilia domus, quæ sibi necessaria, & opportuna reputaret, ut commode in statu viduitatis vivere posset; Sequuta verò ejusdem Catharinæ morte, inter Marcum Antonium ipsius, & Annam Riccardi testatoris hæredem, orta est controversia super aliquibus vasis argenteis, aliisque pretiosis mobilibus, quæ in vim dictæ facultatis, Catharina propria auctoritate acceperat, de tempore, quo Anna in pupillari ætate constituta erat, introductaque causa coram A. C. post aliquas disputationes, concordia finem dedit controversiæ.

In disputationibus autem desuper habitis, Judex duos restrinxit punctos; Unum super argenteis in genere, an

scilicet ista venirent sub legato mobilium; Et alterum respectu aliorum mobilium, seu suppellectilium, dum legatum non erat generale de omnibus, sed solum de illis, quæ ipsi legatarie necessaria, vel opportuna viderentur, de quibus scilicet intelligendum veniret, & quomodo prædictum sibi attributum arbitrium interponi debuisset, adeout locus esset restitutioni illorum, quæ ex testatoris voluntate sub legato non venirent.

Quatenus pertinet ad primum; Dicebam scribens pro Anna hærede, quod quicquid sit de quæstione, an factò simpliciter generali legato mobilium domus, veniant pecunia numerata, aurum, argentum, gemmæ, mercæ, & alia huiusmodi, ex deductis hoc eod. tit. discurs. præcedentibus; In hac tamen facti specie, ista quæstio cessabat ex facto, seu contextu testamenti, dum testator de argenteis, ac gemmis, & pecuniis loquutus fuerat discretè à mobilibus domus, sub quorum nomine, de solis suppellectilibus intelligere voluit, ideoque planum erat, ut alia vasa argentea non venirent, aliquibus exceptis, quæ utpote pro quotidiani usu, si non præcisè, saltem moraliter necessaria, sub nomine suppellectilium potius venire dicuntur; Ita enim (ut alibi ad hanc materiam advertitur) dicitur potius quæstio facti, quam juris, pro facti, ac personarum qualitate decidenda; In idem quoque accedente ponderatione, de qua in alio puncto super huiusmodi argenteorum incongruitate, attenda qualitate, ac statu personæ.

Quoverò ad aliud punctum qualitatis, vel quantitatis bonorum, quæ venirent sub hoc legato mobilium collato in arbitrium legatarii; Advertebam indubitatum esse, ut nulla certa, & determinata regula desuper credi posset, cum omnino id pendeat à singulorum casuum circumstantiis, pro qualitate scilicet personarum, bonorum, & locorum; eorumque usus, ex iis, quæ in terminis legati incerti, ac indefiniti habentur generaliter apud *Crot. in l. nemo potest num. 61. ff. de legat. 1. Mantic. de consuet. lib. 3. tit. 1. num. 17. Martin. de Andr. decis. 73. & decis. 239. par. 7. recent.* Et in terminis specialibus legati mobilium domus, ut veniant solum ea, quæ statui viduili mulieri conveniunt benè *Cordub. in l. si quis à liberis §. si quis ex his ff. de liber. agnos. num. 168.* cum quo pertransit *Cancer. par. 3. var. cap. 20. de legat. num. 226.* Et generaliter conferunt ea, quæ habemus in materia legati, vel alterius dispositionis legis, vel hominis super præstatione alimentorum, cum arbitrio Judicis determinandum id veniat pro personarum, locorum, & bonorum quantitate, & qualitate, ac verisimili dispositionis intentione, ut etiam in materia taxæ dotis congruè habetur *sub tit. de dote discurs. 2. & 144.* & juxta ea, quæ habentur plenè apud *Gizz. decis. 57.* ubi Add. in proposito contrahentis, qui alterius contrahentis arbitrio se remittat, vel subditi, qui se remittat arbitrio superioris cum similibus.

Applicando autem ad rem (etiam in sensu veritatis, qualem Judex agnoscebat) extra controversiam esse dicebam, ut sub hoc legato non venirent quædam culcitæ, aliaque lecti ornamenta, ac alia suppellectilia serica rubei coloris, trinis aureis ornata, necnon gemmæ, & alia, viduili statui omnino incongrua, atque à testatoris animo sine dubio aliena, eodem modo quo ut supra in primo puncto de vasis argenteis pretiosis dictum est, cum spectata substantia voluntatis testatoris, constaret eum solum voluisse, ut uxor in domo habitaret provisa aliqua decenti suppellectili, non autem, ut huiusmodi bona omnino incongrua haberet, viduas ad luxum, ac vitam licentiosam, sive ad secundas nuptias potius excitantia.

Quo vero ad alia bona, eorumque quantitatem, & qualitatem; Quamvis causæ Patronus excitasset motivum, ut hoc arbitrium regulandum esset attenda humili qualitate naturali istius mulieris, undè propterea ego tanquam Advocatus causæ opportunitati interveniendo, studerem istud motivum confovere, cum præsertim ex Curie stylo Advocatorum partes videantur illæ artificum ornamentum panum, vel talem alterius cum auro, vel serico, seu gemmis, siquidem causarum Patroni promovent motiva, Advocati verò ornant, potissimè ubi contingat (ut sæpius praxis docet) quod illi sint peritissimi J. C. quandoque ipsi Advocatis peritiosissimi.

Attamen reflectendo ad veritatem, id continebat fallaciam, quoniam cum dicta mulier jam constituta esset in statu uxoris testatoris, illius radiis coruscabat, atque de ignobili, nobilis effecta erat, sicuti è converso mulier nobilis viro ignobili, ac plebeo copulata, potius ignobilis, ac ple-

plebea fieri dicitur in puncto juris, quamvis de facto contrarium sequatur, ut scilicet ex ejus radiis vir coruscare dicitur, & atque si non veram nobilitatem, saltem quandam majorem existimationem, sive introductionem ad statum nobilem, ac magis qualificatum acquirere dicitur, ex iis, quæ habentur sub tit. de Dote disc. 2. & alibi.

Et consequenter dicebam, ut arbitrium interponendum esset eo modo, quo uxorem testatoris, non autem concubinam; seu amasiam deceret; Tum ex verisimili defuncti voluntate; Tum etiam ducto argumento à dispositione textus in authentica præterea Cod. unde vir, & uxor, dum supponitur uxor pauper, ideoque inferioris conditionis viro, & tamen ei lex decernit congruam provisionem cum successione in quarta parte bonorum viri juxta declarationes tamen, de quibus Fontanell. de pact. claus. 5. gloss. 9. par. 9. & seq. Hodiern. ad Surd. decif. 61. Mangil. de impu. quest. 137. plenè Conciol. allegat. 9. & 10. Duran. decif. 29. & 42. Licet adhuc occasionem non habuerim de hac successione agere, ilteque meus sensus liberè dicitur Annæ (pro qua scribebam) insinuat, facilitavit concordiam, dum ita temperavit majorem prætensionem excitatam à sensu causæ Patroni, qui in Curia solet esse privatorum litigantium araculum.

ROMANA LEGATI DE FABIIS, PRO JULIANO BUTIO, CUM PETRO DE FABIIS.

Casus disputatus coram A. C. postea concordatus.

Legatis equis, an defecis illis, quos testator habebat, teneatur hæres alios supplere, vel potius casus cedat damno legatarii; Et an, & quando frumentum, vinum, & oleum, ac alia hujusmodi, quæ in domo reperiuntur, veniant sub legato mobilitium domus.

S U M M A R I U M.

- 1 Adhæseries.
- 2 An pecunia veniat sub legato mobilitium domus.
- 3 Quid de frumento, vino, & oleo, quæ in domo sunt.
- 4 De eodem.
- 5 Legatum generis non cessat, quamvis aliquæ species pereant.
- 6 Declaratur quando id procedat.
- 7 Legatis equis, intelligitur de illis, quos testator habebat.
- 8 Legatum in specie, ista perempta cessat.

D I S C. XI.

IN testamento, de cuius validitate habetur actum sub tit. de testam. discurs. 2. priusquam ea controversia excitata esset, factio legato per testatricem Petro fratri, medicatis mobilitium domus, ac etiam currus cum equis; Cum casus dedisset, ut vivente testatrice, vel paulò post mortem, peremptio unius equorum sequuta esset, hinc orta est inter legatarium, & hæredem quæstio, an alter equus supplendus esset; Ac etiam, an legatarius participare deberet de pecunia numerata, & de frumento, ac vino, & oleo, quæ domi reperia fuerunt, atque post aliquas disputationes, concordia litem terminavit, quamvis postmodum altera super ipsius testamenti substantia exorta sit, de qua dicto disc. 2. de testam.

Tres igitur erant puncti; Primò nempe super pecunia numerata; Secundo super frumento, vino, & oleo; Et tertio super peremptione dicti equi; In primo autem deducta fuerunt eadem, quæ habentur super hoc articulo in Auximana discurs. 5. & in aliis, quæ repetere non oportet; Quatenus autem pertinet ad secundum, super frumento, vino, & oleo; Admittebam ego scribens pro hærede, ut sub dicto legato veniret illa pars, quæ probabiliter destinata esset ejusdem testatricis usui pro eo anno, quatenus ejus mors non contigisset; Dicebam tamen, ut non veniret pars excedens, quæ venditioni potius destinata esset, juxta ea, quæ in proposito mercium venalium ex theoria Bartoli in l. Divus num. 4. de bon. damnat. habentur apud Gabr. conf. 98. lib. 1. & Merlin. lib. 2. contr. 2. per tot. præsertim n. 17. & seqq. ubi latè concordantes.

Verùm reflectendo ad veritatem, quemadmodum prætenso legatarii improbabilis videbatur circa pecuniam numeratam, in quadam moderata summa quotidianis, ac manualibus usibus proportionata, adeout vix sufficeret ad expensas funerum, & ultimæ infirmitatis juxta casum, de quo in Romana, seu Cusentina disc. . . . Ita è converso parum probabilis videbatur ista prætenso hæredis, quoniam non ex eo quod aliqua major fiat provisio, undè congruat quantitatem excedentem vendere, resultat, quod dicantur merces, seu bona mercimonii gratia retenta, præsertim in muliere, cui incongrua est mercatura; & consequenter quod conclusio de non comprehensione mercium venalium, non esset applicabilis ad casum.

Demum quoad tertium punctum legati equorum; Scribentes pro legataria dicebant, quod cum testatrix certos equos non designasset, sed reliquisset equos in genere, ita casus peremptionis, damno hæredis, non autem legatarii cedere deberet, quoniam genus nunquam perit, ut ex claris iuris alibi advertitur; Verùm reflectendo ad veritatem, dicebam quod hæc prætenso nullum penitus fundamentum haberet; Distinctio enim propositio, quod genus nunquam perit, rectè procedit, quando testatrix nullos habuisset equos in ejus hæreditate, adeout hæredi injuncta esset obligatio illos emendi; Sive quod magnus equorum numerus, vel armentum adesset, adeout, aliquibus peremptis, alii remaneret, ex quibus legatum impleri posset; Secus autem dum testatrix habebat solum duos equos ad usum currus, quoniam de illis legatum censetur, quamvis generaliter conceptum esset ad notata per DD. in l. legato generaliter relicto ff. de legat. 1. ex dispositione, vel ratione textus in l. si domus ff. eodem; Idque adeo verum est, ut quamvis testatrix diversum colorem expressisset, quia nempe dixisset legare equos albos, illi autem essent rubei, vel nigri, vulgo bai, seu morelli, adhuc legatum intelligendum veniret de illis, quos testatrix habebat, ut advertit in specie Grafs. de success. in §. legatum quest. 65. n. fin. Idque ad nimiam evidentiam probari videbatur ex facti circumstantiis, ea præsertim, quod non fuerunt simpliciter legati duo equi, sed relictus currus cum equis, ideoque sine dubio id intelligendum veniebat de curru, eo modo, quo ipsa testatrix illo utebatur, & consequenter legatum remanebat speciei, cujus peremptio legatarii damno cedit ad text. in l. mortuo bove ff. de leg. 2. §. si res, & §. si rem, Institutur. de legat. & DD. communiter, quoniam quæstio cadit, an legatum consistat in specie, vel in genere; sed posito, quod consistat in specie, tunc nulla desuper dignoscitur ratio dubitandi, & consequenter hujus legatarii prætenso in secundo puncto solum probabilitatem habebat, non autem in aliis.

VITERBIEN: LEGATI CENSUM PRO COLLEGIO SOCIETATIS JESU CUM FANIS.

Legato generaliter relicto, cujus sit electio, an hæc redis, vel legatarii; Et posito quod sit unius, vel alterius, an possit eligi optimum, vel dari possit respectivè pessimum; Et quando legatum generis sit inutile.

S U M M A R I U M.

- 1 Adhæseries.
- 2 An legatum factum de aliqua re in genere valeat distinguatur.
- 3 Quando valeat etiam, ubi aliàs valere non deberet.
- 4 De suppletione voluntatis testatoris à lege, vel Judice facienda.
- 5 Ubi voluntas adest cessant quæstiones.
- 6 Quando electio sit hæredis.
- 7 Et quando ejusdem, vel legatarii.
- 8 De distinctione inter res animatas, & inanimatas.
- 9 Respondetur ad Harprect. tenentem, ut semper electio sit legatarii.
- 10 Quomodo leges debeant intelligi.
- 11 De aliquibus Rotæ decisionibus super electione legatariorum.
- 12 Quando uni vel alteri competit electio, quid sit eligendum.
- 13 Favore piæ causæ debetur quod magis.
- 14 Quod sit legatum quantitatis, non autem speciei.

15 Quan-

15 Quando bona sint in facultate solvendi.

16 Quomodo dignoscatur, an sit de specie, vel de quantitate.

17 Vincula minuant de valore.

18 Potest census vendi minori pretio, quam sit impostus.

19 De alio argumento, ut legatum sit quantitatis.

20 Ubi legatum est de specie, vinculi diminutio cedit damno legatarii.

21 Census si non habet ab initio fundum idoneum, non est census.

D I S C. XII.

Donatus de Spadensibus creditor patrimonii Monaldensium in pluribus censibus diverso tempore constitutus, quorum aliqui ob anterioritatem erant tuti; Alii verò posteriores periculosi, juxta seriem; de qua sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc. 77. & seq. legatum fecit Collegio Societatis Jesu Viterbii scutorum 1500. pro fabrica Ecclesiæ, adimplendum ex hujusmodi censibus in genere, non exprimendo de quibus; Undè propterea inter Collegium legatarium, & hæredem orta est extrajudicialis controversia (cum quodam concordia benevolente temperamento sopita) cujusnam esset electio, an hæresis, vel legatarii, dum hæres prætendebat dare de posterioribus, legatarius autem prætendebat eligere de melioribus; Ac etiam cum Congregatio Baronum non liberet pecunias nisi vinculatas cum cautione de restituendo prioribus, & posterioribus, atque ubi præstari non potest idonea cautio, loco istius sit investimentum in loca montium cum hoc vinculo, ut pluries advertitur ad dictam materiam Bullæ Baronum sub tit. de feudis, ac etiam eodem titulo in supplemento, & sub tit. de credito præsertim disc. 127. Hinc dubitari etiam contingit, an hujusmodi cautio præstari deberet per hæredem, vel per legatarium; Idèque, pendente tractatu concordia, ex parte Collegii convocatus fuit congressus Advocatorum, ad effectum deliberandi, quid magis expediret.

Quatenus igitur pertinet ad punctum electionis, an illa esset hæredis, vel legatarii; Juxta stylum hujusmodi congressuum, quod quandoque ad ostensionem totius materiæ discursus assumi solet, generaliter actum fuit de materia legati generaliter relicti; Atque super hoc articulo dicebam, quod duæ cadant inspectiones, una scilicet validitatis, & altera electionis; Et quoad validitatem, quidquid aliqui scribentes variant, (qui tam in hoc puncto validitatis, quam in altero electionis se involvere videntur) distinctio est quod; Aut res legata in genere habet fines determinatos à natura, ut sunt fœmœntia, & tunc si est genus generalissimum, quia nempe relictum esset animal, absque specificatione, illud inutile remanet, utpotè verificabile in musca, vel in alio simili animali inutili; Aut genus relictum est ad speciem, seu explicatum est, quia nempe relictus sit equus, vel bos, & tunc valeat, intrinsece solum altera quæstione super electione, & qualitate, ut infra; Aut verò res legata non habet fines determinatos à natura, sed recipit determinationem à facto honoris, quia nempe legatur fundus, vel domus, & tunc, Aut in hæreditate nulli adsunt fundi, vel domus, & pater magis receptum videtur, ut legatum sit inutile, nisi facti circumstantiæ suadeant certam, ac determinatam testatoris voluntatem, quod noluerit nugari, sed verè providere legatarium de una domo, seu de una vinea, vel de altero prædio, quoniam licet suam voluntatem explicare ignoraverit, adhuc tamen ex illa suppletione, quæ per legem, vel Judicem facienda est, quando constat, quod sic minus scriptum, quam volitum, & de qua suppletione habetur præsertim actum sub tit. de fideic. disc. 115. ubi de iuribus, & auctoritatibus ita attendendi potius substantiam voluntatis testatoris, ac naturalem voluntatem, quam sonum verborum, vel subtilitates, ac formalitates juris civilis præsertim antiqui Digestorum, quod nimium immorabatur in verborum formalitatibus, etiam in institutione hæredis, ac in aliis, de quarum moderatione habemus in jure novo, vel novissimo Codicis, & Authentico; Et tunc intret Judicis arbitrium ad cogendum hæredem, ut emat pro legatario domum, vel vineam, quæ ipsius legatarii conditioni proportionata sit pro verisimili testatoris voluntate, habita consideratione virium hæreditarium, aliarumque circumstantiarum ex quibus ipsa substantia voluntatis desumatur; Si verò in hæreditate adsunt domus, vel fundi, & tunc extrà controversiam est legati validitas, remanente solum quæstione super electione, ut infra.

Card. de Luca Lib. XI.

Et consequenter (applicando ad rem), ubi etiam istud dicendum esset legatum speciei, sive generis hujusmodi censuum (cujus contrarium mihi probabilis videbatur, ut potius esset legatum quantitatis, ut infra) dubitari non poterat de validitate, dum in hæreditate aderant census, ac propterea restringebatur inspectio ad alteram quæstionem electionis, an scilicet illa esset hæredis, vel legatarii, ac etiam super modo eligendi, quatenus ad unum, vel alterum respectivè pertineret, an de melioribus, vel de deterioribus.

Super utroque autem, utpotè in quæstione voluntatis potius, quam juris, quoties accedunt probationes expressæ, vel etiam præsumptæ, & conjecturales voluntatis testatoris, omnes quæstiones cessant, cum voluntati tanquam dominantanti, ac Reginæ, in iis, in quibus ob legis prohibitionem, non intret defectus potestatis, perpetuè lex cedat; Atque in hoc certa, & determinata regula tradi non potest, cum totum pendeat ex facti qualitate, singulorumque casuum particulari circumstantiis, hujusmodi voluntatem probantibus, necnè.

Ubi verò hujusmodi voluntas omnino ambigua sit, adeo ad juris dispositionem pro ea regulanda recurrere oporteat, & tunc distinguendum etiam est, an testator, genus restrinxerit ad certam speciem, seu demonstrationem, quia nempe relinquendo servum, illum explicaverit per nomen proprium, cum tamen plures in hæreditate adessent, qui idem nomen haberent, quia nempe dixerit lego Stycum, cum plures essent ejusdem nominis, Sive quod dicat relinquere equum album, vel nigrum, cum plures in hæreditate ejusdem coloris adessent equi; cum similibus; Et tunc verius est, ut indistinctè electio sit hæredis, sive agatur de rebus animatis juxta exempla superius tradita, in quibus major dubitandi ratio cadit, ut infra, sive de rebus inanimatis, in quibus facilis est electio hæredis juxta dispositionem textus in l. si quis à filio §. 1. & l. legato generaliter relicto ff. de leg. 1. Idque duas habet rationes assignari solitas per gloss. ad DD. ibidem; Primò nempe, quod cum testator senserit de re certa, tunc non dicitur amplius electio, sed potius declaratio, quæ fieri debet per hæredem, utpotè verisimiliter informatum de voluntate testatoris; Et secundò quia de stricta juris censura, istud legatum, ratione incertitudinis, deberet esse inutile, idèquè cum substineatur ex quadam juris æquitate, ista non est multiplicanda favore ejusdem legatarii, ex regula prohibente cumulum specialitatum in idem, idèquè cum hæres gravatur circa substantiam, gravari non debet circa modum, seu electionem, & consequenter (ad rem applicando) videbatur quod electio esset hæredis, dum testator, genus ad speciem reducerat, quia non loquutus est de censibus in genere, qui plures quoque aderant cum aliis debitoribus, sed de illis cum certo debitore.

Prosequendo autem materiæ discursum, (quamvis extrà controversiæ necessitatem) quod scilicet testator ad hanc specificationem non devenerit, sed relinquit in genere unam ex rebus, quæ in hæreditate existant, Et tunc, ut dictum est, revera DD. nimium variant ob jura, quæ in vicem pugnantia habemus, dum legatario tribuitur electio per textum in §. si quis generaliter Institutur. de leg. & in l. qui duos ff. de leg. 1. cum concordant. de quibus post antiquiores Harprect. in d. §. si quis generaliter numer. 15. E conversò autem hæredi illam tribuunt textus in l. si quis à filio §. 1. & l. legato generaliter relicto ff. de leg. 1. cum concordantibus relatis per Harprect. ubi supra, qui tamen indistinctè partes legatarii tenent, ac per alios de quibus infra.

Mihi verò, tam istius, quam aliarum controversiarum occasione, ad istam quæstionem reflectendo (quatenus favor piæ causæ, vel alia circumstantia non accedat, quæ limitationem suadeat), probabilior, meliusque fundata visa est distinctio, quam ex antiquorum sensu, præsertim verò ex magistrali glossa in leg. legato materialiter, magis communiter receptam, benè præ cæteris, pro meo judicio, tradunt Grafs. in §. legatum q. 62. & Simon de Pretis de interpret. ultim. vol. lib. 1. dubit. 3. fol. 3. & 4. fol. in meis 19. & 22. cum quibus pertransit Barrius de success. lib. 9. tit. 8. quod scilicet; Aut agitur de rebus animatis; Aut de inanimatis; Primo casu cessante dicta certa destinatione per testatorem facta, in rebus animatis, electio debeat esse legatarii, juxta dispositionem textus in d. l. qui duos; In rebus autem inanimatis electio debeat esse hæredis juxta dispositionem textus in dicta lege si domus ff. eodem tit. de leg. 1.

leg. r. Ex ea ratione differentia, quod in rebus animatis puta in fervis, vel animalibus, quandoque magis expedit non habere, quam habere morbosum, seu aliis inutilem, ob expensam necessariam in alimonia; Secus autem ubi agatur de rebus inanimatis, in quibus dicta ratio non intrat, quoniam tunc quomodocumque hæres eligat, semper magis expedit habere, quam non habere.

Et quamvis huic distinctioni obviare videatur generalitas textus in dicto §. si generaliter Instit. de legat. in qua se fundat (more scholasticorum litteram textus rigorose sententiam) Harprect. ibidem, qui proinde generaliter legatario electionem tribuit, atque cum ejus auctoritate tanquam in re plana procedebant alii desuper consulti; Atramem ut bene præ cæteris observat Simon de Pretis ubi supra n. 4. circa fin. cum textus exempliter in sermo; hinc proinde quando generaliter de aliis loquitur, intelligendus est de similibus, ita capiendum intellectum conciliativum cum textu in d. l. si domus, concor dantium super electione hæredis.

Licet enim idem Harprect. scholastico more, (ut alii qui dicunt) potius tanquam grammaticus legalis, quam tanquam J. C. respondendo ad textum in dicta leg. si domus, nimium elaborare curet super illius emendationi littera in Pandectis Florentinis, & an illud verbo volent stare possit potius in numero singulari, quam plurali; At tamem istæ, ac similes scholasticorum subtilitates, commendabiles quidem censendæ sunt in scholis, & accademis, ad juvenum ingenia exercenda, pro acuminis acquisitione, ut ita resulter bonus effectus practicus super applicatione, & ne aliis procedatur cum ineptissimo, nimiumque damnabili, quamvis frequentiori, ac penè communi, pragmatico usui, attendi auctoritates in sola littera; Non autem, ut in foro super hujusmodi grammaticis rigoribus, seu emendationibus legum, adeo immorandum sit; Tum ex rationibus ponderatis sub tit. de usur. disc. 2. Tum etiam ex alia ratione ponderata in histor. legali recentia sub tit. de servit. disc. 1. quod scilicet, dum legum usum habemus, non ex auctoritate Imperiali, sed ex usus receptione post inventionem, idcirco illas attendere debemus juxta editionem vulgarem, cum qua populi illas receperunt, non autem cum hujusmodi novis ponderationibus, vel subtilitatibus, ut d. disc. 1. de servit. advertitur.

Alii desuper consulti, atque ad congressum vocati, magnum fundamentum constituiebant in auctoritate Rotæ decif. 203. n. 3. p. 1. rec. & dec. 238. n. 7. p. 4. tom. 2. ubi constituiti videatur regula ad favorem legatarii, ut ejus sit electio; Verùm advertebam quod in dictis decisionibus nullum fundamentum constitui deberet, dum incidenter articulo non discusso, atque ad alium effectum ibi de hoc agitur.

Et quoad alterum punctum, an scilicet, præsupposito quod uni, vel respectivè alteri electio competere, an ubi competit legatario, possit eligere optimum, & è conversò ubi competit hæredi, possit eligere pessimum; Quamvis pariter DD. nimium discrepent; Aliquibus in summo juris rigore, seu legaleico more extremum retinentibus, Aliis verò (& probabilibus), mediam viam tenentibus, quodque propterea mediocre pro facti qualitate, ac verisimili disponentis voluntate ex iudicis prudenti arbitrio, præstandum sit, adeò certa, & determinata regula desuper non cadat, ut sentiunt Crass. Simon. de Pret. & Barrius ubi supra; Non tamen fuit opus hujus quæstionis veritatem examinare, cum ageretur de legato ad pias causas, cujus privilegium est, ut censetur relictum quid magis ex deductis per Tiraq. de privil. pia caus. cap. 25. & Surd. dec. 298. apud quos concordantes, ut alibi advertitur.

Ista deducebam discurrendo, retento præsupposito, cum quo ab omnibus procedebatur, ut istud esset legatum in genere de tot censibus, qui considerandi essent tanquam species, eodem modo, quo considerantur legata facta de domo, vel de fundo, seu de alia re in genere; Verùm pro meo sensu advertebam, ut hæc omnia essent extrà casum quæstionis, cum mihi videretur potius quod ageretur de legato quantitatis scutorum 1500. pro quorum solutione destinati essent census, qui proinde ita starent potius pro facultate solvendi, seu tanquam effectus demonstrati, ex quibus solutio faciendæ esset.

Ad id autem sentiendum movebar; Primò ratione subiectæ materiæ, seu operis, cui legatum factum erat, pro fabrica scilicet Ecclesiæ, pro qua, congrua, imò necessaria erat pecunia prompta, & numerata, incongrui autem census, quorum fors est irreptibilis, quodque propterea intrarent ea, quæ ex theorica Bartoli in l. decem in mille ff. de

verbor. oblig. & aliis habentur in Romana dotis, seu canonum sub tit. de dote disc. 55. ubi quod, Aliud est debitum bonorum in specie; Aliud verò illud quantitatis, pro quo bona danda sint, & quæ propterea posita sint in facultate solvendi, idèdque, ut onus esse deberet hæredis vendere tot ex his censibus sibi melius visis, pretium autem usque ad dictam summam erogari in hoc opus.

Secundò idem suaderi credebam ex contextu dispositionis, seu verborum formula, dum legatum directum non erat ad census, super quibus substantia dispositionis residebat, sed directum erat ad quantitatem, & deinde demonstrati essent census, idèdque census potius starent demonstrativè tanquam effectus, ex quibus solutio faciendæ esset.

Et tertio quoniam stante dicto stylo Congregationis Baronum, qui etiam est juridicus, ac juris dispositioni innixus quando agatur de concursu creditorum, non liberandi pecuniam, nisi cum cautione, seu istius loco cum investimento vinculo ut supra; Ità de consequenti resultabat, quod ubi census legati fuissent tanquam species, illi minus valerent ratione vinculi, quod sine dubio minuit de valore, ex his, quæ habentur sub titulo de Regalibus disc. 30. cum duobus seqq. ac etiam sub tit. de credit. disc. 53. & alibi, idèdque summam legatam legatarius non obtineret.

Hinc proinde verius videbatur, ut hæredes cogendi essent vendere tot ex istis censibus etiam in majori summa, ut dicta summa legata in opus demandatum integrè erogari posset, quoniam etiam in censibus, quæ pro iusto pretio constituti sunt, verius est dari majoris, vel minoris pretii alterationem ob vincula sive ob difficultatem evictionis, aliasque circumstantias ex deductis per Cenc. de Cens. quest. 72. Roder. de ann. redd. q. 8. n. 22. Grylac. contr. 170. n. 13. Rovit. prag. 1. de cens. n. 33. late Salgad. in labyrint. p. 1. c. 13. §. 2. n. 36. & seq. & c. 27. n. 80. & seq. ubi referendo utriusque opinionis sequaces, veriorè firmare videatur negativam in præxi de facto receptam.

Dictumque argumentum subiectæ materiæ nimium concludens videbatur ex dicta circumstantiam cautionis, dare non oportebat de restituendo; sive ejus loco investendi in loca montium inalienabilia, cujus ita impossibile esset praticare erogationem hujus pecuniæ in fabricam Ecclesiæ, utpotè in actum irtractabilem, undè aliàs dari posset casus avocationis, ob quam Collegium damnificatum remaneret de proprio; Sunt autem ista argumenta pro regulanda ambigua voluntate, secus autem, ubi istius expressa probatio accedat, vel etiam tacita deducta ex fortioribus præsumptionibus, cum in hujusmodi quæstionibus semper regulæ, vel præsumptiones juris, cedant voluntati testatoris.

Ubi verò legatum esset de speciebus, tunc advertebam, quod caderet quidem inspectio super dicto onere præstandi cautionem, illudque admittebam incumbere legatario volenti census pretium obtinere, cum sit onus, seu vinculum de natura rei, quamvis illud minuat de valore, dum ità censetur relictum illud minus ipseque census talis qualis est, summa verò stat potius demonstrativè ad denotandum, quanta dictorum censuum rata relictæ esset.

Quoverò ad punctum electionis, an uni, vel alteri incumberet; Sive circa modum, an de melioribus, vel de deterioribus; Verè erat inspectio inanis, dum istud patrimonium jam positum erat sub concursu ad effectum extinguendi census ex deductis sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum in Romana reviviscentie censuum disc. 81. cum ita intraret dilemma quod, Aut census assignandi, erant de non subiectis avocationi ab anterioribus, vel posterioribus, & tunc nullus effectus erat, an potius uni, quam alteri assignarentur; Aut verò erant de posterioribus, adeò non remaneret bona, ex quibus satisfieri possent, & tunc illi dicuntur deficere in radice ex defectu fundi, ac reputantur non census ab initio, idèdque hæres non adimplet legatum juxta celebrem decision. 639. Merlin. & advertitur sub tit. de credit. disc. 64.

ANNOT. AD DISC. XI. & XIII.

IN alternativis cujusnam sit electio, habetur etiam sub tit. de Donat. disc. 4. ex n. 8.

MON-

Pars I. De Legatis. Disc. XIII.

MONTIS FALISCI LEGATI, PRO CAPELLANIIS, CUM COLLEGIO CATHECUMENORUM.

Casus disputatus coram Protettore Collegii, & resolutus cum temperamento.

Facto legato generis, de quo in hæreditate adfint plures species, de melioribus, petitoribus, & mediocribus, cujusnam sit electio, Et quid eligendum, vel præstandum sit, Et quid in hoc operetur favore causæ piæ.

S U M M A R I U M.

- 1 Adli series.
- 2 Legatum generis intelligitur de iis rebus, quæ sunt in hæreditate.
- 3 Cui competit electio, an hæredi, vel legatario.
- 4 De eodem etc.
- 5 In legatis non piis, debetur quod minus, secus in piis, ut quod magis.
- 6 Quid ubi etiam hæres sit causa piæ, & de conqussatione privilegiorum.
- 7 & 8 De eodem, & quæ dicatur causa magis piæ.

D I S C. XIII.

J Oannes Venturellus, instituto hærede Collegio Cathecumenorum, inter aliis legata, reliquit loca 20. montium, ad effectum erigendi in Cathedrali Montis Falisci duas cappellanas, quas sequuta morte testatoris Episcopus cum Capitulo illic erectis; Cumque in hæreditate quamplura reperta essent loca montium trium specierum, ex quarum singulis, integrè legatum impleri poterat; Aliqua enim erant baronalia, quæ tunc juxta temporum conditionem reputabantur meliora, habentia pretium extrinsecum scutorum quinque, ultra intrinsecum scutor. 100. pro quolibet, Alia verò cameralia, quæ mediocria dici poterant, habentia solum valorem intrinsecum cum satis modico augmento vix ad unum scutum ascendente valoris extrinseci; Et alia erant, sive cameralia, seu baronalia, fortè ob dotis, ac assignamentorum deterioratam conditionem, quorum valor non ascendebat ad intrinsecum, idèdque erant de deterioribus; Hinc proinde orta est controversia, cujusnam esse deberet electio; Et quatenus unius, vel respectivè alterius esset, an meliora, vel respectivè deteriora eligi possent, vel potius capiendæ essent mediocres, seu de omnibus tribus speciebus pro rata; Quare ex parte cappellanorum requisitis ad scribendum coram Cardinali ejusdem Collegii Protettore in forma potius extrajudiciali, & benevola, quam contentiosa.

Præsupposito certo juris principio, dum in hæreditate aderant loca montium, eorum legatum, quamvis in genere factum, at tamen de hæreditariis intelligendum esset juxta text. expressum in l. si domus 74. ff. de legat. 1. cum concordant. Quatenus pertinet ad punctum electionis, cui scilicet ea competat, an hæredi, vel legatario; Dicebam quod hujus quæstionis occasio præbet varia lectura text. in d. l. si domus, ex deduct. præsertim per Harprect. in §. si generaliter Instit. de legat. ex n. 13. ubi cæteris allegatis probat, quod emendatior lectura videtur assistere legatario, ut scilicet quoties agatur de legato speciei, hæres præstare teneatur eam ex pluribus domibus in hæreditate existentibus, quam legatarius velit, nisi in contrarium urgeant adminicula diversam testatoris voluntatem suadentia; Atque pro legatario stare regulam dixit pluries Rota præsertim dec. 203. n. 3. p. 1. rec. & 238. n. 7. p. 4. to. 2.

Verùm in hac facti specie opus non erat assumere hujusmodi quæstionem, super cujus proinde determinatione matura reflexio habita non fuit, (idèdque præmissa incidenter insinuabantur,) atque de eis actum est disc. præced. Siquidem non agebatur de legato domus, vel prædii, seu aliarum rerum similium diversæ naturæ, seu valoris, ita ut magis expediret unam potius, quam alteram habere, sed agebatur de locis montium, quæ omnia eundem intrinsecum valorem habent, idemque genus constituunt, solumque adest aliqua accidentaliter differentia inter unam, & alteram speciem, circa majorem, vel respectivè minorem valorem extrinsecum, undè propterea nil refert, an electio sit unius, vel alterius, cum in eis non concurrat illa ratio affectionis, seu majoris commoditatis, quæ in speciebus datur ultra interesse burfale; Idèdque deducebatur Card. de Luca Lib. XI.

quæstio ad punctum super modo eligendi an scilicet, (sive ad legatarium, sive ad hæredem id spectaret,) eligenda, vel respectivè præstanda essent meliora, vel deteriora, aut media.

Quandò autem hæres non esset etiam causa piæ, tunc dicebam, quod casus extrà quæstionem, ut meliora, atque habentia majorem valorem præstari deberent, quoniam inter causæ piæ favores, ac privilegia illud computatur, ut legato generaliter relicto, debeatur quod plus; In hoc etenim differunt legata pia à prophanis, quod in istis regulariter debetur quod minus ad text. in l. Titia §. Seja ff. de auro, & argento legatis, ubi Bart. & cæteri congesti per Tiraquell. privileg. pia causæ 25. in princ. ibique Adden. (licet ipse Tiraquell. dubitet) Harprect. in dict. §. si generaliter num. 23. Gratian. discept. 611. n. 16. & discept. 700. num. 12. cum seqq. Surd. de alim. tit. 8. privil. 25. & dec. 298. num. 12. ibique Hodiern.

Quare difficultas relidebat in eo, quod hæres etiam esset causa piæ, an scilicet intraret inter æquè privilegiatos conqussario privilegiorum, ita ut, vel intraret distinctio, quæ habetur in legatis prophanis inter res animatas, quas ubi sunt deteriores, magis expedit non habere quam habere, & res inanimatas, quas semper habere expedit, undè propterea præstando etiam deterioris, legatum remaneat proficuum, & operativum.

Et in hoc, licet Capr. conf. 3. num. 3. & seq. ex dicta ratione conqussationis privilegiorum punctualiter fieret, ut mediocre debeatur; Nihilominus dicebam, ut de stricto jure contrarium probabilis videretur, quoniam regula, ut inter privilegiatos privilegia conqussentur, procedit, ubi ambo sunt privilegiati in genere, & in specie, atque uterque deducere potest privilegium activè, & passivè, & non alias, ut cæteris cumulatis Tiraquell. privil. pia causæ 26. plenè Trantacing. lib. 1. par. tit. de rescripti & privil. resol. 1. n. 3. Idèdque cum causa piæ reperiatu in jure privilegiata, quando est legataria, & sic in specie consequendi ex legato, quod majus; E conversò autem non reperiatu privilegiata in eadem specie, quando est hæres, præstandi quod minus ex privilegio, eo quia aliàs de jure, quod majus præstare deberet, hinc proinde sequitur, ut cesset concursus privilegiorum hinc inde, & consequenter locus non sit regulæ.

Præterea, posito etiam concursu privilegiorum in eadem specie, adhuc tamen inter eandem causæ piæ datur inæqualitas privilegiorum, sed magis, & minus juxta majorem, vel minorem pietatem, seu verisimilem testatoris voluntatem, quæ uni magis quam alteri pio operi assistat, ut non semel hoc eodem titulo inferri habetur in proposito contribuiti inter legatarios, quoties hæreditas omnibus idonea non sit, quoniam in eodem genere piam dispositionum, datur majus, vel minus privilegium ut una pia dispositio non subiaceat contributo, & alia sic, quia nempe agatur de facto pro restitutione male ablatorum, ac exoneratione conscientie, sive pro missis celebrandis, aut aliæ concurrant circumstantiæ majorem affectionem testatoris verisimiliter suadentes; Licet enim omnes essent dispositiones piæ, animæ favorabiles, ac directæ in Deum, qui est unus, & idem qui per plura organa, seu media, nostras piæ elargit ones in peccatorum redemptionem recipit; Nihilominus adhuc datur magis bene ordinatæ charitatis, vel majoris affectionis ipsius disponentis; Idque præsertim a DD. exemplificari solet in legatis pro celebratione missarum utpotè ex opere, quod juxta pianam catholicam credulitate magis proximè operativum est ad animæ sustentationem, ac liberationem, vel aliquid levamen à pœnis purgatorii; Et hunc dicebam esse casum cum ageretur de legato pro erigendis cappellaniis cum onere missarum, ac ulterius concurreret ratio verisimilis majoris affectionis testatoris, dum quo magis cappellaniæ erant bene dotatæ, eo magis id influebat, in honorificam conservationem ejus memoriarum in patria.

Accedente etiam alia ratione melioris, magisque honorifici cultus Ecclesiæ Cathedralis, dum quò magis beneficium sunt pingua, & bene provisa, eo magis habentur personæ qualificatæ melius Eccl. inservientes; Licet enim quoad provisionem hujusmodi cappellaniarum, seu beneficiorum, principaliter spectetur fructus, qui sive in una, sive in altera locorum specie erat unus, & idem, ut judiciosè motivabat idem Cardinalis Protector; Replicabatur tamen quod dicta circumstantia majoris, vel minoris va-

B 2

loris

loris influebat quoque in fructum, licet non circa quantitatem, bene tamen circa faciliorem exactiorem; Ac etiam quia sepius, ob dotis, seu assignationem deteriorationem, oportet pati de facto etiam diminutionem fructuum, vel amissionem in parte, ex qua circumstantia resultat diminutio valoris intrinseci; Non fuit tamen opus super his, ultra primam informationem, elaborare, quoniam causæ Patronus, qui pro cappellanis scribebat, cum quadam simplicitate petiit mediocritas, atque Collegii Administratores visis istis difficultatibus dederunt libenter; Et de hac eadem materia in terminis legati certæ quantitatis in tot censibus, cujus esset electio, an legatarius eligere possit anteriores, & magis exigibiles, vel hæres præstare possit posteriores, & minus tutos habetur in *Urbien. legati hoc eodem tit. disc. præced.*

NEPESINA LEGATI,
PRO HÆREDIBUS CATHARINÆ
ZACCARDINÆ.

Responsum pro veritate.

An, & quando certa designatio in legatis pro certo opere faciendæ, stet taxativè, vel demonstrativè, adeo ut deficiente designatione, vel re designata non sufficiente, intrret, necne obligatio supplendi aliunde.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 De ratione deficientiæ fructuum locorum montium.
- 3 Quod facta assignatione aliquorum bonorum cum præsupposito, ut quemdam redditum importarent, non teneatur hæres, si redditus deficiunt, & non intrret suppletio.
- 4 De privilegio piæ causæ, ut semper destinatio stet demonstrativè.
- 5 Contrarium, ut pia causa in hoc non sit privilegiata.
- 6 Distinguitur, sed conciliatur.
- 7 De eodem, & ut in dubio pro pia causa quod magis.
- 8 Pia causa attendit veritatem naturalem, cujus defectum ea non supplet.
- 9 Declarantur decisiones, de quibus num. 3.
- 10 Quando designatio dicatur stare taxativè, vel demonstrativè.
- 11 De eodem, & quomodo id dignoscendum sit.
- 12 De applicatione ad casum questionis.
- 13 De alio casu controversiæ, ut designatio staret demonstrativè.
- 14 Et de alio casu, in quo dicitur idem.

D I S C. XIV.

Catharina prole carens, instituta pronepotibus ex fratre, factaque narrativa, quod possideret in Urbe 26. loca montium, tunc fructuantium ad rationem quinque pro centenariis, mandavit erogari ex eorum fructibus annua scuta centum pro subsidio dotali quatuor pauperum puellarum, & scuta 20. pro diversis aliis piis operibus, mandando, ut in casu extractionis, pretium (toties quoties id contingeret) non in aliis effectibus, quam in consimilia loca montium investiri deberet, assignata ratione, ut dicta annua summa ex fructibus pro piis operibus implendis percipi posset; Tractu verò temporis, duplicem diminutionem, tam in sorte, quam in fructibus dicta loca montium passa sunt; in fructibus scilicet obductiones primò ad quatuor cum dimidio, & deinde ad quatuor; Et in sorte, quoniam sequuta extractione, in cuius casu, Camera debitorum restituit solum scuta centum pro quolibet loco, in quibus consistit pretium intrinsecum, & naturale, ad effectum emendi alia consimilia loca, juxta frequentiore contingentiâ, oportet erogare aliquam majorem summam, ratione augmenti extrinseci; Et quatenus id expleri non possit (quia nempe alia non adit pecunia, nisi ex hujusmodi extractione retracta,) id causat diminutionem numeri, adeo ut (e.g.) cum pretio locorum 26 vix emanant loca 25. vel 24. & sic successivè, contingente hujusmodi replicata extractione, & nova erogatione, fors primæva, longo temporis tractu, recipit notabilem diminutionem, ex qua de consequenti resultat diminutio fructuum;

Quare exequutores ab eadem testatrice ad id deputati, non integram summam scutorum 220. ab ea demandatam, sed solum eos minores fructus, qui in tempora, percepti fuerunt, erogarunt; Hanc proinde officiales Fabricæ, prævisionem excitarunt contra hæredes testatricis pro suppletionem omnium annuorum decursum, quod summam notabilem importabat; Quare desuper, pro veritate ab eisdem hæredibus constitutus fuit, ad effectum deliberandi, an expediret licet substinere (ut aliquorum desuper consultorum sensus erat,) vel potius, cum honesta concordia pro istius Tribunalis stylo hujusmodi licentem, & molestias redimere, atque juxta hanc secundam partem Ego respondi.

Consultentes autem litis prosecutionem, opinando quod molestiæ essent indebitæ, juxta solum pragmaticum stylo, qui hodie adeo invaluit, procedendi cum decisionibus, & auctoritatibus, quæ videntur speciales, illas non examinando, neque casus distinguendo; Fundamentum constituiebant in firmis per Rotam in *Camertinen. dotis Ecclesiæ 22. Junii 1650. & 9. Maii 1653. coram Meltio*, quarum prima est impressa *decis. 62. par. 11. recent.* in quibus dec. dicitur, quod fundata per testatorem, vel disponentem Ecclesia, seu capella cum annuo reddito per hæredes solvendo scutorum 500. redimibili cum sorte scutorum 6. m. investitorum in effectus fructiferos, si dicta summa per hæredes restituta, & que investita, dictum fructum non produceret, sed longè minorem, non teneantur hæredes, ad suppletionem; Ac etiam in *Romana supplementi dotis 5. Decembris 1653. coram Cerro*, ubi quod facta donatione, vel assignatione pro dote Monasterii tot bonorum, quæ redderent in fructu annua scuta 300. si post assignationem dicti fructus diminutionem pateretur, non teneantur hæredes supplere; Ad quod etiam conferunt deducta apud Mantua *decis. 742. & late per Brixian. in re-pertor. decis. Borgnini. verbi verba patris presumentur posita demonstrativè, &c.* ubi in fortioribus terminis certi numeri missarum celebrandarum, ut diminuto assignamento, vel excreta elemosyna missarum, undè propterea, illud ad præfinitum numerum non sufficiat, iste reduci debeat juxta frequentem, & quotidianam praxim reductionis missarum ex ista causa.

Non acquiescendo autem; pro genio, ac stylo hujusmodi generalitatibus; Ad veritatem meliùs indagandam, opportunum censui examinare priùs theoreticam juris generalem, sive in abstracto, deinde agere de concreto, sive de applicatione, distinguendo primam juris inspectionem in duas questiones, quas desuper habemus, Primò nempe, an favor piæ causæ aliquam specialitatem in hac materia inducat, adeo ut, quamvis regulariter in prophanis, destinatio taxativè potius, quàm demonstrativè staret, undè propterea indubitata resultat juris dispositio pro exclusionem suppletionis, attamen in piis legatis secus dicendum esset; Et secundò, quatenus pia causa hujusmodi privilegium non habeat, dictumque effectum non operetur, adeo ut pariformiter cum generali regula, seu theoretica procedendum sit; An & quando in una, vel respectivè altera taxativè, vel demonstrativè specie versari dicamur.

Quatenus pertinet ad primam; Inter antiquiores non modica fuit questio, an inter causæ piæ favores, & privilegia, istud recensendum veniat, ut taxativam resolvatur in demonstrativam, ad effectum ut pium opus à testatore volitum, integrè impleatur, cum obligatione hæredis ad suppletionem; Vel potius, ut in hoc nullum dignoscatur privilegium; Atque juxta primam partem favore piæ causæ sentiant Roman. *ingul. 435.* quod ab omnibus in hoc allegari solet, & alii relati per *Add. ibidem Tiraquell. priv. piæ caus. 63. Tondut. quest. benef. tom. 1. quest. 90. num. 2. Rovit. dec. 57. n. 2.*

Contrarium verò tenent *Felin. in cap. super litteris nu. 4. de rescrip. & alii relati per Rovit. dicta dec. 57.* ubi istam questionem ex professo hinc inde disputat, ex quibus patet, magis communem esse hanc secundam opinionem; Quod etiam agnoscit *Rota decis. 11. de testam. in antiq. decis. 662. par. 1. divers. apud Merlin. dec. 456. n. 35. & seqq. repetit. dec. 365. par. 5. rec. decis. 63. n. 21. par. 11. rec. Tondut. dicta 9. 90. n. 4. & seqq.*

Quod scilicet, in eis favore piæ causæ, & pro suppletionem respondeatur, eo quia ambiguum esset, an in una, vel altera specie versaremur, quo casu favor piæ causæ hunc effectum operatur, magis benignæ, ac late interpretationis, atque ut in dubio potius pro demonstrativa, quam

quam pro taxativa respondendum sit, præsumendo voluntatem disponentis eo modo, quo melius, ac pinguis illa impleri potest, ex conclusione, de qua pluries *sub tit. de dote, & alibi*, ut quemadmodum in legatis prophanis, seu aliis ob præsumptam majorem hæredis dilectionem legatum ambiguum, seu æquivocum interpretandum est, ut minus gravet, ita è conversò pia legata interpretationem habeant in oppositum; Ubi verò facti circumstantiæ ob claram probationem, vel fortiores præsumptiones dictam præsumptionem cessare faciunt, atque taxativam faveant, tunc favor causæ piæ nullus est operationis, ex vera propositione pluries insinuata *sub tit. de testam. & alibi*, quod piæ causæ privilegium operativum est in iis, quæ pendent à juris positivi subtilitate, & solemnitatibus, non autem in iis, quæ sunt voluntatis, ac juris nature, quoniam dum Ecclesia aliis enixa prohibet obtinere bona alterius citrà istius voluntatem, multò magis ipsa hoc observare debet; Istaque videtur hujus questionis genuina veritas; Et consequenter tanquam in questione facti, & voluntatis potius, quam juris, neglectis diversis opinionibus, decisio regulanda est ex facti circumstantiis, ex quibus verisimilem disponentis voluntatem indagare oportet, illamque servare; Atque in his terminis, & cum hoc præsupposito procedunt dictæ decisiones, in quibus alii desuper consulti simpliciter fundamentum constituiebant, quoniam reverà error est cum generalitatibus in hac materia procedere.

Cum eadem distinctione, seu reflexione procedendum esse dicebam in altera questione, quando scilicet designatio stare dicatur taxativè, vel demonstrativè; Quamvis etenim Scribentes, pro consueta leguleica insipidura, totam vim constituere soleant in verborum ordine, seu contextura, distinguendo, an legatum cum sua perfecta oratione præcedat, adeo ut alia suppletione non indigeat, deindeque adiciatur designatio; Et tunc censetur demonstrativè; Aut verò sine designatione oratio esset imperfecta, ipsaque designatio eam perficiat; Et tunc secus; Magnam etiam retexendo questionem, an oratio debeat esse penitus separata à designatione, vel sufficiat unica, & conjunctiva cum solo relativo, ut ex sensu Bartol. distinguit *Gastren. conf. 338. lib. 1. n. 3.* quem egerit sequuntur relati per *Cyriac. contror. 336. n. 8. & seqq. Grat. discept. 2. 56. n. 1. & seqq. Lara de annuor. lib. 1. c. 15. in fin. Alphonsi. de Legon. de cappellan. quest. 5. sect. 14. Castill. lib. 4. contr. 54. n. 11. & seqq. Galeotti. lib. 2. contr. 44. de Marini. ref. 124. lib. 2. Rovit. dec. 57. n. 3. & 11. Mellin. dec. 456. n. 35. & seqq. Rot. dec. 63. n. 21. p. 11. rec. Fanen. dotis 31. Januarii 1656. coram Verospio, & advertitur etiam *sub tit. de dote disc. 61.**

Attamen mihi id nunquam placuit, quoniam ex propositione præ oculis semper habenda, ut non cortex, & figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat, ertoneum videtur, ita generaliter decisionem regulare cum hac formalitate verborum, quæ potius Notarii, quàm testatoris esse dicuntur; Potissimè verò in hac facti specie, quod agebatur de testamento mulieris, quod juxta hujus regionis nimium damnabilem abusum, conceptum erat in lingua latina, ipsi testatrici omnino ignota; Et consequenter prorsus fabulosum videtur ex formalitate verborum, vel phrasè Notarii, voluntatem regulare, cum potius indagari debeat substantia voluntatis ex facti circumstantiis, potissimum verò à qualitate hæredis, an sit verisimiliter magis dilectus, necne.

Applicando autem ad rem; In hac facti specie ex ejus circumstantiis, pro demonstrativa potius mihi respondendum videbatur, ideoque consului, ut concordia procurari debuisset, ut credo sequutum, quoniam tamen contextus verborum id suadere videbatur, cum etiam sufficeret, quod esset dubium, ut in eo pro causa pia faciendæ esset interpretatio ut supra; Clarius verò, quoniam agebatur de hærede penè extraneo, adeo ut non intraret illa magis benigna interpretatio, quæ favore hæredis contra legatarium ex ratione prædilectionis fieri debet, atque agebatur de assè hereditario validè notabili, undè propterea onus suppletionis non remanebat incongruum, neque inverisimile, totiusque dispositionis contextus ostendere videbatur, ut testatrix erogationem dictæ summe annuorum scut. 120. in animo principaliter habuerit.

Hinc in pluribus nimium frequentibus questionibus pluries disputatis, cum hac distinctione, seu regula procedere consuevi, præter genium, ut inepto usui satisfaceret, juxta opportunitatem causarum pro una, vel altera *Card. de Luca Lib. XI.*

parte, prædictarum auctoritatum cumulum faciendæ; Præsertim verò in una *Perusina legati* pro Collegio Cambii cum Flordespina Sentia; Cum enim testator fuerit magnus negotiator, instituto hærede unico filio infante, in casu ejus obitus absque prole, unde fieret locus substitutioni ad favorem Flordespinae filix, reliquisset aliqua legata præsertim unum scutorum bis mille dicto Collegio pro piis operibus adimplendis, designando pecunias retrahendas ex effectibus Theaurariæ, quam ipse habuerat; Idem vero per aliquid tempus supervivens dictos effectus in notabili parte exigendo, pecunias investierit eo modo, quo per hæredis tutores fieri debere mandaverat, unde propterea factu casu legati non aderant; nisi modici effectus inexigibiles, meritò per Rotam *sub die 4. Maii 1671. coram Borlemont* decisum fuit pro legatario, ut destinatio staret demonstrativè, non autem taxativè, quodque substantia voluntatis esset, ut defecto filio masculo, ideoque transeuntibus bonis ad scemitam aliqua majora fierent opera pro animæ suffragio, ob cessantem rationem prædilectionis ac majoris provisionis filii masculi, & agnationis; Ex ea potissimum circumstantia, quod post testamentum supervixit testator per plures annos, atque morti proximus aliqua legata in testamento contenta, in codicillis revocavit & in reliquis testamentum confirmavit.

Et in una *Mediolanen.* disputata coram Prelato Judge commissario; Cum Emilia Carpana reliquisset aliquibus ejus filiis professis in diversis Religionibus quassdam annuas summas ad eorum vitam percipiendas ex fructibus effectuum, quos ipsa habebat in banco S. Ambrosii, istoque defecto, vel deteriorato, prætenderet hæres, ut legatariorum damno id cedere deberet, quodque dicta destinatio staret taxativè; Dicebam ego scribens pro Religiosis legatariis idem quod supra ut scilicet spectari deberet substantia voluntatis, quæ erat providendi filios religiosos de annua vitalitia subventionem ex tollerata Ecclesiæ consuetudine pro illis extraordinariis indigentibus, & usibus, quibus Religio non providet, quamvis adjici solet, ut Religiosi legatarii debeant erogare in usus pios ab ipsis testatoribus eis communicatos, quoniam ista est cautela adhiberi solita, ut Religio manus desuper non apponat, atque in aliis usibus erogat ex deductis *sub tit. de testam. disc. 56.* ac etiam *sub tit. de Reg. 1.* in effectu autem substantia voluntatis est, providendi personas ex motivo sanguinis, ideoque destinatio facta fuit de effectibus dicti banci, in gratiam legatariorum, tanquam de effectibus magis promptis, & explicitis, non autem, ut eis cessantibus, dicta subventio cessare deberet, & consequenter standum non est verbis, seu eorum formalitati; Eodemque modo quamplures consimiles questiones decidendas esse, pro meo sensu, respondere consuevi.

ANNOT. AD DISC. XIV.

Quando certa designatio dicatur stare taxativè, seu demonstrativè, habetur etiam *sub tit. de Testam. discurs. 45. de Donat. disc. 51. ac infra hoc tit. discurs. 20. & 27. & discurs. 66.*

ROMANA LUCRI ET LEGATI
PRO ANTEA CORFINA DE PACTIS
CUM ALEXANDRO SABELLO.

Casus disputatus coram A.C. resolutus pro Alexandro postea ut credo, concordatus.

An factu per uxorem viro legato de fundis dotabilibus, vel eorum aliqua parte, possit vir lucrum dotale petere ab hæredibus mulieris in aliis bonis, vel potius illud sub legato comprehendendum sit; Et an legatum factum per uxorem viro, compenseur cum lucro dotali.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 An legatum factum per debitorem creditori consecratur animo compensandi, & in specie an legatum factum viro compenseur cum lucro dotali.
- 3 Quando cesset regula super compensatione, vel non compensatione.
- 4 Quid in terminis lucri debiti ex Statu Urbis.
- 5 Probatio voluntatis naturalis in hoc sufficit.

- 6 De distinctione inter casum certum, & dubium, an debitum sit voluntarium.
- 7 Lucrum est pars quotitativa dotis.
- 8 Legatum censetur factum de portione, vel jure spectante ad testatorem.

D I S C. XV.

Maria Flavia de Corsinis nupta Alexandro cum dote scutorum 3000. hoc est ducentum in bonis mobilibus & 2800. in tot locis montium; cum expressione quod ea remaneret pro fundo dotali tanquam species; Decedens, in ejus testamento, pluribus factis legatis, penes absorbentibus dicta bona mobilia, & quaedam alia extradotalia, viro reliquit usumfructum dictorum locorum montium, eorumdem proprietate relicta Antea nepri haeredi instituta, contra quam idem vir iudicium instituit pro consecutione lucris dotalis sibi debiti ex Statuto Urbis, ultra dictum legatum, atque mandatum executivum ab A.C. obtinuit, commissaque causa appellacionis in Rot. cor. Ninot; Ego ad scribendum pro re conventa requisitus fui, neque quod sciam ad ulteriorem disputationem devenitum est, vel ob mortem dicti Alexandri, vel propter concordiam, seu ob defensorum mutationem.

In congressu autem, juxta laudabilem stylum, pro causa directione habito, ac etiam in informationibus scriptis disputationibus Rotalis preparatoriis, recognitis scripturis, tam cor. A. C. quam in Signatura, pro utraque parte editis, duo erant puncti; Primus nempe, an dictum legatum compensandum veniret cum lucro dotali; Et secundus an illud factum censeretur de omnibus locis montium, vel solum de illa parte, quae spectabat ad uxorem, dempta quota spectante ad virum ratione dicti lucris.

Quatenus pertinet ad primum, quamvis alii scribentes pro hac parte, post consuetum inutilem, ac superfluum cumulum eorum, quae collecta habentur apud Menoch. lib. 4. praesumpt. 110. Altograd. conf. 68. lib. 1. Rot. decis. 258. & 312. p. 7. rec. & in aliis frequenter, in ista questione, an & quando legatum factum creditori, censetur factum animo compensandi, stante vulgari, nimumque recepta distinctione, inter causam voluntariam, & necessariam, seu legale, & conventionalem, dicerent quod lucrum dotale, utpote delatum a Statuto, etiam sine conventionem esset potius legale, ac necessarium quam voluntarium; Attamen quando causa restringeretur ad hunc punctum, ego dicebam, quod nimum de illo dubitandum esset, quoniam licet etiam in his specialibus terminis, in puncto juris, verior forte videatur haec opinio, pro qua constituenda sit regula, ut agnoscat eadem Rota apud Cavaler. decis. 168. n. 4. & decis. 318. n. 1. & habetur sub tit. de dote in Romana augmenti dotis disc. 27. In terminis tamen specialibus Statuti Urbis, contrarium Rotae sequi placuit, ut scilicet dicatur potius debitum voluntarium, & consequenter, ut regulariter non intret compensatio, ut apud Cavaler. d. dec. 318. & apud Burat. dec. 191. & habetur in dicta sua materia sub tit. de dot.

Et quamvis regula, quae juxta dictam distinctionem statuitur, inducat simplicem juris praesumptionem, quae non solum per contrariam probationem expressam, sed etiam per praesumptivam, seu administrativam, est elidibilis ex generaliter deductis apud Menoch. & Altograd. ubi supra, & in specialibus terminis dotis, & lucris d. dec. 257. & 13. par. 7. rec. adedunt ista pariter non sit quaestio juris, sed facti, & voluntatis, non recipiens proinde certam regulam generalem cuiusque casui applicabilem, cum decisio pendeat a singulorum casuum individuis circumstantiis, prudenti arbitrio ponderandis; Ideoque irritio-ne dignae mihi semper visae sunt illae juris quaestiones, quae desuper assumi solent, sive illae chartarum inanes repletiones, quae cum allegationum magno cumulo desuper fieri solent, quoniam theoricis juris est indubitata, ideoque tota quaestio reducitur ad factum sive ad applicationem; Attamen in hac facti specie, nullae aderant conjecturae; quae suadere possent limitationem dictae regulae.

Super hoc autem puncto, in eodem casu, de quo agitur d. tit. de dote disc. 27. Advertebam, ut pro compensatione respondendum esset, non solum ex qualitate legati valde nobiliss, & quae circumstantia in hoc proposito pro conjectura ponderari solet, ut apud Altograd. d. conf. 68. num. 38. Rot. d. decis. 257. num. 11. & dec. 312. n. 10. & 11. par. 7. rec. sed etiam ob aliud testamentum posterius, quod inefficax fuit ad derogationem primi ob defectum solemnitatum, adedunt si fuisset inter liberos,

vel ad pias causas, recte valuisse, cum voluntas esse perfecta; Et consequenter dum accedebat concludens probatio naturalis, ista sine dubio attendenda videbatur, dum ad hunc effectum sufficerent solae praesumptiones, & conjecturae.

Ponderando ulterius, circa hujusmodi praesumptionum, & conjecturarum efficaciam, quod magna differentia est, inter casum, in quo agatur de simplici credito-indifferenti, ex causa mere voluntaria, unde propterea intret sine dubio regula compensationis exclusivae, atque istum casum, in quo agatur de lucro statuario, in quo sub quaestione est, an potius dicendum veniat debitum legale, ac necessarium, ad effectum regulandi vim, seu efficaciam conjecturarum; Istae liquidem longe minores in isto casu dubio, quam in altero magis clare desiderandae veniunt, utpote minorem facere debent operationem, juxta ea, quae circa efficaciam conjecturarum, ac praesumptionum frequenter habentur sub tit. de fideicom.

Quovero ad alterum punctum; Mihi videbatur, quod clarum esset bonum jus huius partis, & consequenter quod clara esset injustitia dicti decreti, quoniam ut habetur pluries in sua materia sub tit. de dote praesertim in Romana dotis de Angularia disc. 128. lucrum statuarium dicitur pars quotitativa dotis, quae ipso jure acquiritur viro proportionabiliter, & pro rata in singulis rebus dotibus; eo modo quo de legitima, aliisque detractionibus habemus; Ideoque cum de tempore mortis testatrix, in quo testamentum perfectionem recepit, ipsa esset solum dominatrix ex quatuor partibus istorum locorum montium, hinc legatum censendum est factum de portione spectante ad testatorem, neque legatarius praetendere potest estimationem illius ratae, quae est sua juxta textum expressos in l. servi electione §. fin. & magis punctualiter in l. f. domus §. etiam fin. ff. de legat. 1. Bart. in dicta l. servi electione n. 2. ad quem tanquam magistrum se referunt Alex. & caeteri in d. l. si domus; Et generaliter de quacumque dispositione, etiam correptiva; ut intelligatur de jure, seu portione ad ipsum disponentem competente ad text. in l. qui tabernas ff. de contrab. empt. & pastor. de don. Gregor. dec. 22. §. 2. & 3. Orth. dec. 19. §. 19. cum seqq. & admitt. sub tit. de donat. & sub altero de empt. & vend. ac alibi &c.

ANNOT. AD DISC. XV.

Quando legatum censetur factum animo compensandi, habetur infra disc. 40. & in hoc tit. disc. 63.

COMEN. LEGATI.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

Facto legato omnibus filiis alicujus, an id conveniat etiam filiabus, adedunt masculinum concipiat foemininum; Et sistant duae species legatorum, una pro filiis in genere, & altera illis filiabus ejusdem patris, quae erant moniales professae, quale legatum conveniat illi filiae, quae de tempore mortis testatoris erat novitia.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **N**ovitii dicuntur persone Religiose.
- 3 **M**asculinum concipit foemininum.
- 4 **C**ontrarium, sed declaratur.
- 5 **Q**uomodo istae quaestiones decidentur, & n. 10.
- 6 **S**i testator post factum legatum perficit opus, non debetur.
- 7 **S**ed si expendit minus, debetur id, quod superest.
- 8 **V**italitiae subventiones monialium reputantur pars dotis.
- 9 **R**elictum filii intuitu patris, dicitur a patre obrineri.
- 10 **D**e eodem, de quo n. 5. quomodo scilicet istae quaestiones decidentur sint.
- 11 **D**e legato generali factio Prioribus Civitatis, & particulari factio alicui, an utrumque debeatur, si hic esset Prior, & de factis Monachis, & Priori &c.
- 12 **A**n familiares honorati cum legato particulari participant de legato generali factio familiae, remissivo.
- 13 **L**egatum factum filiis alicujus, an conveniat solum tunc natis, vel etiam natis post mortem testatoris.

DISC.

D I S C. XVI.

CUM testator (qui propria prole carendo, etiam in vita subvenerit nepotem ex fratre, numerosa familia oneratum, in expensis necessariis pro monachio aliquarum filiarum;) In ejus testamento; monialibus explicatis cum propriis, ac appellativis nominibus annuum legatum vitalitium librarum 30. pro qualibet fecisset; Deindeque omnibus ejusdem nepotis filiis, sub nomine generico, & collectivo, reliquisset libras 3000. pro quolibet; Casus autem dedisset, ut de tempore mortis, una ex ejusdem nepotis filiabus, quae de tempore testamenti erat puella innupta, reperiretur novitia in Monasterio; Hinc proinde orta est quaestio, an, & quale legatum huic conveniret, an scilicet illud vitalitium factum monialibus annuarum librarum 30. vel potius alterum generale factum omnibus filiis librarum 3000. Cumque desuper meum votum pro veritate expetendo suppressis nominibus, adedunt incertus essem de requirente, communicata fuissent responsa plurium hinc inde Scribentium; Comperii, quod ad duas dubitandi rationes quaestio restringebatur pro exclusione dictae novitiae a legato majori; Primus nempe, quod illud factum filiis conveniret, solum masculinis, adedunt masculinum non conciperet foemininum; Et secundum, quod cum dictum majus legatum librarum 3000. factum esset cum expressione, quod feret omnibus aliis dicti nepotis filiis in saeculo existentibus ita non congrueret dictae moniali, quamvis adhuc non professae, sed novitiae, multas cumulado auctoritates, de quibus praesertim apud Sperell. dec. 16. num. 13. cum seqq. Vecch. de novitiis disp. 11. q. 10. num. 2. Donat. in praxi rerum regul. tom. 2. tract. 6. privi. novitior. q. 2. ad probandum ut novitii dicantur potius personae religiosae, & ecclesiasticae, quam seculares.

Quatenus igitur ad has duas dubitandi rationes pertinet; Respondi, ut pro meo sensu neutra subsisteret; Non quidem prima, quoniam quidquid aliqui contradicant, verius est, magisque receptum, ut in ultimis voluntatibus, atque in rebus indifferentibus, masculinum concipiat foemininum, atque sub nomine filiorum veniant etiam foeminae, ut frequenter habetur sub tit. de fideic. disc. 34. & seqq. & alibi.

Et quoad alteram dubitandi rationem advertebam, quod licet novitii, dicantur quidem religiosi, seu verius pro religiosis habeantur, ad quosdam effectus favorabiles, relatos per supra allegatos; Attamen ad alios effectus, magis generaliter, praesertim quoad factionem testamenti activam, vel passivam, ac jus succedendi, & similes, habentur potius pro saecularibus, quam religiosis; Ut in specie haereditatis, vel legati relicti existentibus in saeculo, ut debeatur novitiis, caeteris relatis, habetur apud Pasqualig. quaest. moral. centur. 3. q. 286. per tot. Et generaliter Sanchez. ad praecipua decalogi lib. 5. c. 5. num. 12. Sperell. d. dec. 16. §. 2. ad 11. alii supra allegati; Potissimum quia dicta expressio qualitatis saecularis dici non poterat ita praecisa seu taxativa, ut non nisi verum in saeculo, ac saeculari more viventibus dispositio cum tractu successivo competeret, juxta illos casus, de quibus habetur sub tit. de fideicom. disc. 63. cum seqq. vel similibus, quoniam ita dictum fuit discretive a monialibus jam professis, quibus idem testator diversum factorem legatum fecerat, ita ejus voluntatem explicando providendi solum personas, non autem ditandi monasteria, ultra necessitatem personarum.

Neglectis autem hujusmodi generalitatibus, atque inhaerendo consueti stylo, ac genio, regulandi hujusmodi quaestiones voluntatis, quae sunt potius facti, quam juris, cum adeo frequenter insinuatam propositionem, ut non cortex, vel formalitas verborum, sed substantia voluntatis attendi debeat, ex singulorum casuum individuis circumstantiis desumenda; Meus sensus fuit, ut inspicendum esset, an pro dote, quae ante admissionem ad susceptionem habitus novitiarum, deponenda est penes aedem sacram, vel in ipso Monasterio juxta decreta generalia, de quibus sub tit. de dote disc. 167. ubi agitur de dote monialium, ipsemet testator (ut in dictis aliis proneptibus jam professis fecerat) dictam summam, seu aliam in vita post testamentum erogasset, ut tunc dictum legatum, utpote implicitum certam habens causam seu finem, ita impletum esset praeventive, & consequenter, quod duplicata solutio deneganda esset ad textum in l. libertis quos ff. de ultim. & etbar. legat. cum concordant. apud Menoch. lib. 4. praesumpt. Card. de Luca Lib. XI.

128. Rot. dec. 60. n. 1. & dec. 336. n. 9. p. 6. rec. Romana pecuniaria, seu legati 11. Martii 1650. cor. Albergato, & in aliis; Si vero non dedisset in vita, quia nempe ipse pater dotis depositum fecisset ut tunc deberetur legatum, quo mediante, idem pater, quem testator sublevare voluit, in toto, vel in parte se reintegraret.

Dubitandi autem ratio, supererat in casu, quod dicta summa esset excedens, an scilicet illud plus deberetur; Ac etiam, an huic novitiae, postquam effecta esset monialis, deberetur quoque dicta vitalitiae subventio relicta aliis monialibus; Et in hoc, quamvis magis communis opinio videatur, ut testator implente in vita opus ab eo volitum, cum minori summa, quam relicta sit, debeatur residuum legatario, quoties iste talis dicendus veniat, non autem simplex exequutor, ex iis, quae caeteris relatis habentur apud Casanat. conf. 35. Capyc. Latr. consult. 17. de Marin. resol. 93. lib. 1. Gregor. & Add. dec. 236. Attamen, retenta eadem propositione, de qua supra, ut attendi potius debeat substantia voluntatis, quam verborum cortex seu formalitas; Advertebam, quod utrumque peti non posset, residuum scilicet dictae summae, ac etiam praefata annua subventio vitalitiae, quoniam ista relicta fuit solum certis, ac determinatis personis, proprio, ac appellativo nomine explicatis, ideoque aliis convenire non poterat, Bene tamen providus testator, incertus de statu, quem alia dicti nepotis filiae assumpturne essent, dictam summam reliquit, utpote probabiliter congruam pro dote matrimonii carnalis, quae frequentius major esse solet, ac etiam pro altero matrimonio spirituali, & pro dote solita dari monasterio, quae minor est, sed adaequare solet ob alias expensas ad id necessarias, juncta dicta vitalitiae subventionem, quae necessaria etiam reputatur, ideoque pars dotis dicitur, ut in specie apud Merlin. dec. 671. repet. dec. 30. p. 6. rec. n. 27. & pluries in sua materia sub tit. de dote; Et sic, quod summa excedens, seu residualis, erogatur in censum, vel alia jura vitalitiae, pro dicto effectu assequendo, & ne ista proneptis aliis inferior esset, dum substantia voluntatis fuit occurrendi necessitati, qua premebatur ejus nepos istarum foeminarum pater, cujus intuitu principaliter hoc legatum genericum pro omnibus filiis etiam nascituris, & ignotis, personale meritum non habentibus, factum censetur; Adedunt propterea, filii, a patre potius, quam a testatore agnoscere dicantur, atque id reputeatur peculium profectitium, ut advertitur pluries d. tit. de dote disc. 154. & in altero de legit. & detrahit.

Si enim residuum, vel summa excedens deberetur ipsi puellae ad ejus liberam dispositionem, vel quod ea non disponente, per subsequentem professionem acquireretur Monasterio, ita esset erogare legatum in diversam causam, seu finem, quam a testatore volitum, dum puellae pater, quem testator sublevare voluit, adhuc premeretur necessitate, saltem morali, suppeditandi aliquam vitalitiam subventionem; Isteque videtur verus modus interpretandi, ac exequendi legata, aliasque ultimas voluntates, indagando scilicet earum substantiam, seu finem, vel effectum, quem testator in animo habuit, non autem cum legaleica insipidura, vim constituere in verborum formalitate, seu grammaticali significatione, vel in regulis generalibus, aut in decisionibus, vel doctrinis, quae certos, diversos casus percuciant, ut in dies cum manifesto aequivoco fieri videmus.

Et quamvis ad scripturae ornatum, plura deducere, super quaestione an & quando species deroget generi, in id deducendo ea, quae habentur ex traditione Baldi in l. si Consul. n. 2. & in l. 2. ff. de stipulatione servorum, & conf. 349. lib. 4. & conf. 240. lib. 5. cum concordant. apud Pheb. dec. 57. & de Marin. resolut. 237. lib. 1. Quod scilicet factio legato generali prioribus Civitatis, & alio legato speciali persone appellativo nomine explicitae, quod si ista reperitur etiam de Prioribus, utrumque legatum assequi debeat; Ita pariter de legato generali factio omnibus fratribus Monasterii, & aliquo particulari factio Priori, seu Abbati, quod huic utrumque debeatur; Sive quod factio legato generali omnibus mulieribus de familia, vel genere, ac particulari alicui foeminae, quae sit de dicto genere, ista debeat utrumque obtinere cum similibus; Attamen ista potius ad ornatum, (ut dictum est) deducta, quamdam superfluum evagationem continebant, cum legatum particulare librarum 30. ad vitam, factum non esset omnibus dicti nepotis filiabus, quae essent moniales, sed certis, ac determinatis personis, appellativo nomine explicatis, ideoque dicta quaestio non intrabat.

B 4 De

De illa verò agi solet inter Aulicos, quando scilicet Cardinalis, vel alter Magnates faciat legatum generale distribuendum inter omnes de familia, & aliquod particulare aliquibus familiaribus appellativo nomine explicatis, an scilicet isti participare quoque debeant de dicto legato generali, quod particulariter agere occasio non dedit.

Tunc etenim dicta vitalitia subventio omnibus filiabus dicti nepotis, quæ moniales fierent, debita esset, quando de illis in genere loquutus esset, cum tunc non restringeretur ad moniales, quæ de eo tempore existerent, sed etiam ad alias, quæ in futurum fierent.

Hinc propterea in una *Jamuz.* in qua suppressis nominibus consultus fui, an legatum annuarum librarum 500. ad vitam factum à Petro, omnibus filiis alterius Petri ex fratre nepotis, deberetur solum filiis jam natis de tempore mortis testatoris, vel illis etiam, qui postea nati essent; Respondi, ut illud omnibus debitum esset, cum natura generis, seu nominis collectivi sit omnes sub eo genere, vel nomine venientes comprehendere; Ac etiam quia nati de tempore testamenti, non erant in tali statu, quod meritum ex persona propria habere possent apud testatorem, quem non constabat eos unquam vidisse; Quare ex conjunctione sanguinis erga Petrum nepotem, atque ex modo legendi ad vitam annuam præstationem, regulariter alimentis referibilem, censendam est, quod testator principaliter respexisset ad dictum Petrum, ut ita cum in filiorum substantiatione subveniret; Ideoque dispositio generaliter de omnibus intelligenda est juxta theoric. Bart. in *l. si cognatis num. 1. in fine. & n. 4. ff. de reb. dub. quæ ceteri sequuntur*, ut per Alex. *conf. 171. n. 4. lib. 2. Peregr. de fideic. art. 22. n. 14. 16. & 19. Fular. q. 318. n. 18. & 13. Surd. de alim. tit. 8. privil. 31. num. fin. Menoch. lib. 4. præsumpt. 122. n. 9. Castill. 8. tom. contr. c. 53. n. 8. cum seqq. & nu. 15. ubi concordantes.*

ANNOT. AD DISC. XVI. cum seqq.

DE interpretatione legati facti omnibus filiis, quibus licet conveniat; Vid. aliqua super annot. ad disc. 10. de Donat.

ROMANA
SEU SENEN. LEGATI
PRO CAMILLA BERNINA, & JOSEPHO
GATINO VIRO
CUM N.

Casus disputatus cor. Prælati Judice deputato,
credo resolutus pro N. sive concordatus.

An legatum relictum pro subsidio dotali filiarum alicujus conjuncti, debeat solum illis filiabus, quæ vivente testatore procreatae erant, vel etiam aliis post mortem susceptis.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 **Q**uomodo ista questio sit decidenda.
- 3 **E**x quibus constat, quod ad legatum omnes filiae etiam nasciturae sint vocatae, & n. 6.
- 4 **D**os data ab extraneo intuitu patris, dicitur profectitia, ac si à patre.
- 5 **Q**uando ita dos data, seu legata conseatur.
- 6 **D**e eodem de quo n. 3. ut filiae etiam nasciturae vocatae sint.
- 7 **Q**uod in legatis non detur extensio, & quod gravamina non sint multiplicanda.
- 8 **D**eclaratur quando id procedat, & quando intret ista conclusio.

DISC. XVII.

CUM testatrix, vivens in Civitate Senen. haberet fratrem artificem qui in Urbe vivebat uxoratus, atque in dies filios tam masculos, quam feminas procreabat, in testamento quamdam summam reliquit, sub pii loci, seu qualitate personae provida administratione multiplicandam cum fructibus, ut ita suis temporibus, subsidium dotale parari posset filiabus, quas post ipsius mortem dictum fratrem habere, ac providere debere contingeret; Cumque de tempore mortis testatrix, aliqua adessent jam procreatae feminae, postmodum verò procreata esset Camilla, nupta Josepho, hinc exequutor, pecuniam ex isto legato provegentem, & multiplicatam,

tam ei, quam aliis distribuit, quare dictae sorores prius procreatae prætendentes, quod ipsis tantum legatum congrueret, repetitionem summæ solutæ à forore, ejusque viro intentatur coram Prælati Judice particulariter deputato, qui inhærendo soli litteræ testamenti, ac verbis, quæ juxta grammaticalem significationem congruere tantum videbatur filiabus de tempore mortis procreatis, fortè juxta petita judicavit, vel ob ejus difficultates, causa per concordiam finem habuit, dum post unicam disputationem, amplius de illa actum non audivi.

Mihi autem scribenti pro reis conventis (etiam in sensu veritatis) contrarium probabilius videbatur, inculcando sæpius insinuatam veram propositionem, (non tamen de facili apud pragmaticos pro moderno stylo admitti solitam) ut in hujusmodi questionibus decidendis, utpotè nudati facti, & voluntatis, potius quam juris, immorandum non sit in formalitate, seu grammaticali significatione verborum, sed in naturali veritate, ac substantia verisimilis voluntatis; Potissimè verò, & clarius, ubi agatur de dispositionibus mulierum, vel personarum idiotarum, quas certum est, non scripsisse nec præcisè dictasse dispositionem per se ipsas adeout ex verborum sensu earum voluntas desumi valeat, dum potius certum remanet, quod sint verba Notarii, vel alterius scriptoris, qui pro ejus stylo, verba, seu eorum phrasim conceperit, istique frequentius non advertunt ad eorumdem verborum vim, seu effectivam, ut in dies experimur, & cuique ad sensum clarè probatur; Ideoque id nimia admiratione dignum videtur, quod omnes id agnoscamus, ac fateamur, & tamen id dies magis crescit abusus in contrarium, insistenti in sola formalitate verborum, vel significatione clausularum, & dictionum, perinde, ac si essent verba J. C. in Pandectis, quæ nonnisi serio, ac misteriose prolata sint; Error quidem magna irrisione dignus.

Attenta verò substantia voluntatis, ista pro meo iudicio, clara videbatur considerandi provisionem filiarum fratris in genere, principaliter respiciendo ad istum sublevandum ab onere, quod testatrix prævidebat sibi incumbere debere, ut filiarum honestati confunderetur, dum ipsa morabatur Senis, stater autem cum uxore, & familia in Urbe, unde propter testatrix ignorabat, an, & quales filias haberet, nullaque jam procreatarum sibi cognita erat, adeout intrare posset motivum; vel ratio affectionis personalis, & consequenter causa, seu motivum legati respiciebat ipsum patrem, ac patrem respectivè, illi verè, ac directè faciendo legatum, ejus tamen usum, vel distributionem, ita restringendo, ne scilicet in aliorum usus illud erogari posset.

Hinc propterea intrat conclusio, ut hæc dos partis intuitu filiabus relicta, profectitia censenda sit; perinde, ac si verè ex paterna substantia proveniret ad in *l. profectitia ff. de jur. dot. §. 1. insit. per quas person. nobis acquir. Gabr. de jur. dot. conclus. 5. Mangil. de impub. quest. 19. num. 16. & quest. 20. n. 5. Bottiglier. de success. ab intest. theor. 21. nu. 2. Rot. decis. 46. n. 7. par. 6. recent. Romana census 15. Junii 1654. coram Bicio inter suas decis. 610. num. 37. & sæpius, Et de hujusmodi legatis relictis pro dotandis filiabus, ut conseatur contemplatione patris, atque ad eum sublevandum Othob. *decis. 15. num. 5. & seqq. & per tot. & habetur in sua materia sub tit. de dote præsertim discurs. generali 154. ubi agitur de natura, seu qualitate dotis & quando sit profectitia, vel adventitia.**

Hinc proinde, probabilem, beneque fundatam esse dicebam specialem doctrinam Ruini *consl. 30. à num. 1. ad 12. lib. 2. ubi in terminis hoc firmatur, ut scilicet legatum relictum filiabus alicujus, conveniat tam natis, quam nascituris, eo quia inter unas, & alias nulla dignoscatur differentia ratio, quoties non urgeat ratio personalis affectionis erga jam natas; Et conferunt deducta apud Surd. *consl. 72. cum aliis per Castill. de usuf. capit. 2. num. 62. & seqq. an conveniat legatum omnibus filiis etiam ex secunda uxore.**

Cum etenim legati motivum sit affectio testatoris erga patrem, ad eum sublevandum, atque ad consulendum hujusmodi feminarum honestati, hinc nulla subest ratio, cur unam, & non aliam disponens providere voluerit.

Et quamvis Scribentes in contrarium deducerent regulam, in qua Judex nimium se fundare videbatur, quod in legatis utpotè continentibus unum, admittenda non sit extensio de persona ad personam, vel de casu ad casum, quoniam opera non sunt multiplicanda, & de qua regula habetur *sub tit. de fideicom. pluries; At tamen advertendam, quod*

quod id contineret æquivocum clarum, ob dictæ regulæ incongruam applicationem, Procederet enim quando ageretur de multiplicando onus hæredis, puta quia testator certam summam invariabilem distributivè singulis filiabus alicujus fecisset, cum tunc hæredis interesset, ad evitandam oneris multiplicationem, ut nascituræ non comprehenderentur; Atque tunc intraret regula restrictiva, quoties non urgeat ratio majoris dilectionis erga legatarios, quam erga hæredem; Secus autem ubi unicum est legatum, quod ex numero alterationem non recipit, ut in præsentibus, unde propterea nil interest hæredis, an major, vel minor sit filiarum numerus, & an omnes participant, necne, adeout sola questio sit inter personas de eodem genere, super modo participandi inter se, tunc enim non intrat dicta regula restrictiva, sed potius intrant dictæ aliarum rationes uniformis provisionis totius generis, ita testatore affluente partes patris, qui omnes filias pariformiter diligit, ac providere debet, istaque mihi videbatur genuina veritas.

MUTINEN. LEGATI
AD PETITIONEM PROSPERI DE
PRATIS.

Responsum pro veritate.

DE eadem materia, an legatum factum filiis alicujus, debeat solum natis de tempore testamenti, seu mortis testatoris, vel etiam aliis, qui postea nati sint; Et an factum filiis intuitu patris, ad istum pertinere dicatur, adeout de eo disponere possit, necne.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 **D**ispositio facta favore filiarum alicujus intelligitur de tunc natis.
- 3 **F**allit ex conjecturis.
- 4 **A**ffectio davi potest etiam infantibus.
- 5 **L**egatum factum filiis intuitu patris, ipsi patri factum dicitur.
- 6 **D**onatio contemplatione matrimonii, an acquiratur etiam filiis procreatis diverso matrimonio.
- 7 **D**e argumento vocationis filiarum per nomen collectivum.
- 8 **Q**uando filii nascituri etiam ex diversa uxore procreati, veniant.
- 9 **A**d quid referat conclusio, de qua num. 5.
- 10 **O**bservantia est optima interpret. eique deferendum est.
- 11 **D**e differentia inter legatum purum, & conditionale.
- 12 **Q**uare in eisdem articulis diversimodè judicetur.
- 13 **Q**uare legatum pro dote factum filiabus alicujus, conseatur factum ipsi patri.
- 14 **D**e eadem conclusione, de qua num. 5.
- 15 **E**t quando procedat.
- 16 **D**e fundo concesso pro se, & filiis.
- 17 **Q**uando donatio dicatur verè remuneratoria, & quæ merita attendantur.
- 18 **Q**uomodo judicandum, seu procedendum sit in dicta conclusione, de qua n. 5. & in aliis, ut relictum filiis conseatur relictum patri.

DISC. XVIII.

LEONORA, instituit Joanne, & Cesare filii primi matrimonii in semisse, & Gaspare filio secundi in alio semisse; In codicillis ad quadrennium postea conditis, legavit filiis masculis Gasparis quædam bona, assignata ratione gratitudinis erga dictum Gasparem, ac recompensæ servitiorum, quæ in longa infirmitate receperat, accipiebat; Cumque, tam de tempore codicillorum, quam mortis testatrix, Gaspar (ultra filias feminas) duos haberet masculos, Camillum scilicet, & Jo: Baptistam; Ad plures autem annos postea suscepisset Robertum, deindeque moriens, huic ultimo solum legitimam reliquerit, hæredem autem scripserit Jo: Baptistam (stante prædecessu Camilli), dictusque Jo: Baptistam moriens absque prole, hæredem instituerit Faustinum fororem; Hinc proinde orta est controversia super dicti legati pertinentia, & an illud in toto, vel in parte spectaret ad Robertum, ex ejus parte pro veritate desuper consultus fui.

Respondi quod penderet resolutio à duobus punctis, de quibus *disc. præcedenti*; Primò nempe an dictum legatum simpliciter factum filiis masculis Gasparis, conveniret omnibus etiam postea natis, vel solum illis, qui tunc nati erant; Et secundò, (quatenus etiam nascituris conveniret), an tanquam factum filiis intuitu, & contemplatione patris, huic acquisitum esset, adeout ipse de bonis legatis disponere potuerit, sive illa sub ejus hæreditate, ac dispositione venirent.

Quatenus pertinet ad primum; Respondi oppositum ejus, quod dictum est *disc. præced.* quod in legatis, aliique dispositionibus puris factis filiis alicujus, non veniunt illi, qui tam post tempus dispositionis, quam post illud mortis, neque nati, neque concepti sunt, cum quæstio intret respectu eorum, qui erant solum concepti, non autem nati, sive una, vel altera qualitas non aderat de tempore dispositionis, verificatur tamen de tempore mortis disponentis, sed utraque circumstantia cessante, regula est plana, ad *textum in leg. si cognatis ff. de reb. dub. l. qui filiabus ff. de legat. 1. l. cum ita §. in fideicommissis ff. de leg. 2. leg. intervenit ff. de legat. præstand. & firmant communiter Scribentes plene de more relati per Fular. *de subst. quest. 318. nu. 1. cum seqq. præsertim vers. ultimo in specie.**

Et quamvis ista regula (juxta generalem naturam omnium aliarum, quas habemus in hac materia ultimarum voluntatum) limitationem recipiat, ex diversa quamvis præsumpta, seu conjecturata testatoris voluntate, ob quam etiam nascituris congruere valeat ex relatis per eundem Fular. *d. quest. 318. num. 28. & firmatur disc. præced.* Attamen in hac facti specie non videbatur, quod adesset conjecturæ, & circumstantiæ tales, quæ hanc voluntatem suaderent, sed potius in oppositum urgebat, quod cum testatrix viveret in domo dicti Gasparis, ibique senex, & infirma per plures annos steterit, ita concipere potuit affectionem erga eos pueros jam natos, qui etiam infantes, atque in faucibus existentes, affectionem captare solent, adeout non desint DD. dicentes, ut in eis verificabilis sit assertio meritorum, ob quorum causam donatio, vel alia dispositio fieri dicitur, ex iis, quæ habentur *sub tit. de alienat. & contractib. disc. 45.*

Ponderabam duq; in contrarium; Primò nempe, quod si testatrix ex affectione personali mota esset, dictos Camillum & Jo: Baptistam jam natos, propriis, ac appellativis nominibus expressisset, non autem per nomen collectivum, ac generale filiarum masculorum, Et secundò fortius, quod legatum habebat causam expressam meritorum, & beneficiorum Gaspari patris, non autem ipsorum filiorum; Et consequenter intraret conclusio, de qua *ead. disc. præced.*, ut legata, vel dispositiones factæ ad favorem filiorum intuitu, & contemplatione patris, huic potius acquirantur, à quo filii agnoscere dicantur tanquam per speciem peculii profectitii, ideoque omnium filiorum æqualis esse deberet conditio.

Adinstar eorum, quæ habentur *sub tit. de donat. disc. 10.* in quæstione, an bona donata contemplatione matrimonii, acquirantur etiam filiis procreatis, ex aliis matrimoniis, quam ex illo cuius contemplatione facta, est quoniam, ubi non constat, quod filii ex eo matrimonio nascituri principaliter contemplati sint, adeout veniant tanquam filii, regula est, ut omnes pariformiter succedant.

Verùm hujusmodi considerationes non videbantur ad id sufficientes, quoniam prima est nimium vaga, & levis, quoniam stante existentia plurium ejusdem Gasparis filiarum jam procreatarum, testatrix ita filios masculos, quos honorare voluit sub nomine collectivo tanquam per speciem appellativi, expressit, cum solo adjecto sexus, & consequenter non suberat necessitas specificandi singulos per nomen appellationis.

Alicujus majoris ponderis videbatur altera consideratio, quod legatum principaliter factum esset intuitu, & contemplatione patris, potius quam ipsorum filiorum, & consequenter, ut omnibus filiis pariformiter congruere deberet, ex iis, quæ in specie filiorum procreatorum ex altera uxore diversa ab ea, quam pater habebat de tempore dispositionis, habentur apud Surd. *conf. 72. Peregrin. de fideicom. art. 22. nu. 19. Fular. dicta quest. 318. num. 23. cum aliis disc. præced.*

Advertebam tamen, quod id nimium considerabile esset, quando pater ab intestato obiisset, seu omnes filios, tam procreatos de tempore legati, quam postea æqualiter instituisset, adeout quoad ipsum patrem, omnino eadem,

idem, & æqualis effectus conditio, & cum quo præsupposito proceditur *dicto disc. 10. sub tit. de donat.* Secus autem, dum solum eos, qui procreati fuerant, & quibus regula afficitur, ejus successores esse voluit, quoniam tunc quomodocumque dicitur, idem resultat effectus; Intra enim dilemma; Aut legatum factum est ipsismet filiis, quibus directè ex testatoris judicio acquiratur tanquam peculium adventitium, & tunc non intrat consideratio, seu argumentum; Aut ita factum dicitur ipsi patri, ex cujus judicio, ac substantia filii agnoscere dicantur, & tunc in ista facti specie idem effectus resultabat, dum iste filius postea procreatus, non erat patris hæres, & successor universalis, unde propterea solus effectus ei proficuum videbatur ille, quod bona in hujusmodi legato contenta, computanda venirent in asse paterno pro impinguanda legitima, in qua ipse solum infortunatus erat.

Magnum quoque argumentum contra istum postea procreatum desuinebam ex subreptiva observantia, quæ (ut in omni ferè materia advertitur tanquam nimium frequens & recepta propositio), dicitur quaruncumque ambiguum dispositionum, ac voluntatum optima interpret, adeo ut verborum proprietati quoque prævaleat, dum solus Jo: Baptista procreatus de tempore legati, donec vixit, illud obtinuit præcipuum, absque eo quod aliquam habuisset participationem alter postea natus, qui contra fratris postea defuncti mentem hanc prætensionem excitavit.

Neque præmissis obstare videntur ea, quæ favore filiorum postea natorum habentur *dicto disc. præcedenti*, oblongè diversam rationem, diversaque facti circumstantias; In eo etenim casu agitur de dispositione conditionali, pro subsidio scilicet dotali illarum puellarum, quas matrimonium carnale, vel spirituale contracturas esset casus daret quod incertum erat, in quibus verificabile esset, necnè; In præsentem autem agitur de legato puro recipiente perfectionem, suumque effectum fortiente illico post mortem testatoris in illis, qui tunc existunt, atque sunt habiles ad illud assequendum, & consequenter isto effectu in jam natis consummato, intrat regula, de qua pluries *sub tit. de fidei. & alibi*, ut postea nati, quamvis aliquam majorem qualitatem habentes, non avocent jus alteri quæsitum; Ideoque magna differentia est inter istum casum, & illum, de quo *d. disc. præcedenti*.

Hinc propterea resultat, quod in eodem articulo variè judicare oportet, quamvis ignarus vulgus id percipere non valeat, ideoque de facili scandalizetur, ut præsertim contingit in iis, qui aliquam peritiam habentes politiciæ litteraturæ de omnibus judicare volunt, atque de legum professoribus, ex ista præsertim ratione obloquuntur, ex ignorantia tamen, non advertendo, quod lex non est in omnibus casibus uniformis.

Alia item valde notabili circumstantia, seu differentia ratione accedente, quod in casu, de quo *disc. præcedenti*, testator, legando filiabus alicujus, expressit causam, quæ respectu patris, cujus intuitu, & contemplatione legatum factum fuit, necessaria erat, adeo, stante conclusione, de qua *sub tit. de dote disc. 1. & 142.* ut pater filiam quamvis divitem, ac aliunde provisam dotare teneatur, ita rectè intrat verisimilis testatoris voluntas, ut ad patrem sublevandum ab hoc onere, facere voluerit legatum directum ad filias pro restrictione usus, in quem pater illud erogare deberet, ne aliis usibus applicaret, atque ob alias ponderationes, de quibus in hoc legato dotium factio filiabus alicujus, habetur *dicto tit. de dote disc. 2. & 154.* istæ autem considerationes non intrant in legato puro, & simplici factio filiis masculis.

Hinc opus non erat agere de altero puncto, an scilicet ita istud legatum intuitu patris factum esset, ut illi acquisitum fuisset, adeo ut filii ex paterna substantia illud obtinere dicerentur, dum ut supra effectus erat idem, præterquam respectu alicujus impugnationis legitimæ. Verum, ubi ad hoc agendum esset; Adhuc verius mihi videri respondi, ut legatum ipsi filii directè factum censeretur, quamvis eorum pater fuisset dispositionis causa motiva, seu impulsiva, juxta ea, quæ in similibus terminis donationis factæ patri, & filiis, habentur in sua materia *sub tit. de donat. disc. 1. cum pluribus seqq.* Ac etiam, quoniam ubi agitur de legato pure factio ex liberalitate, & benevolentia, atque non intrat ratio superior ponderata, quæ adaptabilis est legato dotis, vel subsidii dotalis, id incongruum videtur, quoniam testator ita potius ipsi patri directè legatum fecisset, neque urgere videtur congrua ratio faciendi hunc circulum aptum producere lites inter patrem, & filios.

Quare conclusio superioris insinuata, & de qua *disc. præcedenti* in suis casibus vera, recipienda videtur in duobus casibus, vel in aliis similibus, quibus ex facti qualitate eadem congruant rationes; Primò scilicet, ubi legatum expressam habeat eam causam, quæ in patre erga filios aliàs necessaria esset, puta, filiabus pro dote, & filiis masculis pro expensis studii, ac doctoratus, aut pro sacris ordinibus suscipiendis, cum similibus.

Et secundò, ubi dispositio intuitu patris principaliter facta sit, non ex liberalitate, vel ex simplici obligatione antidotali ad limites justitiæ distributive, sed ex causa onerosa, & correctiva, ad limites justitiæ commutative, juxta ea, quæ habentur *sub tit. de feud. disc. 57.* in quæstione per Feudistas disputata, an feudum concessum patri, & filiis, vel filiis tantum intuitu, & contemplatione patris, ipsis filiis directè acquiratur, eisque concessum censeatur, vel potius patri, ex ibi deductis.

Applicando autem ad rem, Videbamur esse in prima parte distinctionis potius quam in secunda, quoniam merita Gasparii filii per testatricem expressa, non erant talia, ut producerent actionem ad præmium, ac remunerationem ex obligatione, seu ratione justitiæ commutative, sed solum quamdam obligationem antidotalem, quæ actum justificaret, illumque rationabilem redderet, beneque ordinatum ex regulis justitiæ distributive, ad effectum tollendi aliquas prohibitiones, vel dispositiones juris positivi in actibus merè lucrativis, & gratuitis, juxta distinctionem, de qua in proposito donationis verè remuneratorie pluries in sua materia *sub tit. de donat. ac etiam sub tit. de feud. disc. 94.* Siquidem, si Gaspar testatricis filius, legatariorum pater, matri seni, ac infirmæ diligenter obsequia, & servitia præstiterat, propriæ obligationi filiali satisfecerat, ac etiam condignum, imò exuberans præmium receperat, Tum in hæreditatis quota sibi relicta, quam in bese ex matris benevolentia, & liberalitate obtinuit; Tum fortius ob gratificationem, quod cum unicus esset secundi matrimonii filius, atque ab intestato solam tertiam partem obtinere debuisset, stante existentia duorum aliorum filiorum ex primo, ita obtinuit semissem per quamdam speciem successio nis in stirpes; Bene tamen ista causa meritorum patris narrata fuit à testatrice pro cohonestando istam codicillarem dispositionem factam favore filiorum hujus filii secundi matrimonii, ne alii filii ex primo conqueri possent, ac dicere, quod ita in eorum fraudem, ac supplantationem istud legatum factum esset; ideoque pater fuit quidem causa, ut filiis legatum fieret, sed motiva, seu impulsiva, non autem ut ipsi patri verè, & propriè ita legatum factum censeretur, ut filii ex paterna substantia potius obtinere dicerentur.

Hinc proinde dicta conclusio ut datum, & relictum filiis intuitu, & contemplatione patris, speciem peculii protefectitii potius habeat, non ita simpliciter, ac indefinitè capienda est, ut frequenter cum æquivoco manifesto id fieri practicavi ex consueto pragmaticorum errore attendendi juris conclusiones, vel doctrinas verbaliter, & ad litteram, sed pro facti qualitate, & substantia juxta unum ex duobus supra exemplificatis casibus, vel in aliis similibus, quibus eadem respectivè congruant rationes, quoniam in effectu est quæstio voluntatis, quæ ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, unam, vel alteram voluntatem suadentibus, non autem ex regulis, vel doctrinis generalibus decidenda venit.

Et his stantibus, consuli requirenti, ut eo meliori modo, quo posset se cum sorore concordaret, quoniam ego sentiebam difficultatem contra ipsum, incertum tamen est, quid sequutum sit.

ROMANA ANNATÆ

PRO CAPITULO S. MARIE MAJORIS CUM ALIQUIBUS CAPPELLANIS.

Casus disputatus in Congregatione Visitationis Apostolicæ sub incerto exitu.

An legatum annuum pro sustentatione cappellano- rum, sub ea lege, ut fructus primi anni erogari debeant in reparationem, ac utensilia cappellæ, intelligendum veniat de primo anno foundationis cappellaniarum, vel potius de primo anno vacationis, & provisionis cujuslibet cappellaniæ cum tractu successivo.

SUM-

S U M M A R I U M.

- 1 *F*acti series.
- 2 *D*ispositio intelligitur de prima vice sine tractu successivo.
- 3 *D*e prohibitione Constitutionis Pii, applicandi Capitulum fructus primi anni beneficiario.
- 4 *F*allit ex consuetudine, quæ quando sit valida, & num. 9.
- 5 *M*embra regulantur à natura corporis.
- 6 *R*atione subjectæ materiæ, quæ exigit tractum successivum, limitatur regula, de qua num. 2.
- 7 *F*avore piæ causæ limitatur etiam dicta regula.
- 8 *D*e regula conuassationis privilegiorum inter privilegiatos.
- 9 *D*e eadem consuetudine, de qua num. 4.

D I S C. XIX.

FACTO per Cardinalem Sfortiam, vel Cæsum legato aliorum bonorum pro erectione tot cappellaniarum, in unius, vel alterius familiæ cappella existente in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris, sub ea lege, ut fructus primi anni in reparationem cappellæ, & in sacram suppellectilem erogari deberent; Orta est controversia, inter Capitulum dictæ Ecclesiæ, & cappellanos jam provisos post notabilem temporis decursum, in quo dictæ legis observantia, per cappellanos neglecta fuerat, an illi satisfactum esset, erogando fructus primi anni, in quo sequuta fuit cappellaniarum erectio, vel potius id intelligendum veniret cum tractu successivo, ac discretivè in cujuslibet novi cappellani provisione, ut scilicet prima annata fructuum, ipsius cappellæ servitio applicari deberet; Atque re delata ad Congregationem Visitationis Apostolicæ, incertum est quæ resolutio prodierit, dum post unicam disputationem amplius de causa actum non audivi; Credo tamen, quod ea prodierit juxta votum Capituli, pro quo scribebam, ut potè probabile, cum aliqua tamen moderatione ad limites necessitatis, stante reddituum diminutione, ut generaliter contigit.

In hac autem disputatione, Scribentes pro cappellanis, procedebant cum regula generali insinuata in Romana Legati de Justiniani disc. 36. resultante ex vulgari textu in l. 2. *boves, §. sermone, ff. de verb. signific.* ut quælibet dispositio intelligatur de prima vice, absque tractu successivo; Magis verò insistebant in dispositione sacri Concilii Tridentini; & in Constitutione Pii V. super prohibita applicatione primæ annatæ integræ, vel dimidiæ, seu alterius partis fructuum spectantium ad noviter provisos, ad Capitulum, ex iis, quæ super hujusmodi prohibitionem habentur *sub tit. de Canonic. & Capitulo disc. 8.*

His tamen non obstantibus, Scribens pro Capitulo (etiam cum sensu veritatis) contrarium dicebam probabilius ex pluribus fundamentis clarè suadentibus dictæ regulæ limitationem, tam ex verisimili fundatoris voluntate, quàm etiam ex subjecta materia resultantem.

Primò autem, ac potissimum in id ponderabam ejusdem Basilicæ, quiniò omnium aliarum Urbis consuetudinem super dicta applicatione emolumentorum primi anni ad beneficium sacristiæ pro sacre suppellectilis provisione; Et quam consuetudinem non esse improbatam à Concilio, vel Constitutione Pii V. habetur *dicto disc. 8. de Canonic. & Capitulo*; Dicta enim prohibitio procedit, quando emolumenta cedent ad privatum commodum Capituli, & Canonicorum, tanquam pro speciem præmii admissionis noviter provisi; Secus autem, ubi ex dicto rationabili motivo, ita regulandi pro majori commoditate illam collectam, seu contributionem, quæ aliàs inter ipsos Canonicos, & Beneficiatos ad hunc effectum faciendâ esset: Ideoque cum fundator optaverit, ut hujusmodi cappellani insignia beneficiariorum ejusdem Ecclesiæ obtinerent, atque in choro, aliisque divinis, statutis temporibus, inservirent, ita constituentes aliqua membra ejusdem corporis Capituli; Exinde clarè resultare dicebam ejusdem voluntatem, ut ista membra regulerentur cum consuetudine reliqui corporis, atque cum debita proportione.

Secundò etiam in idem, ac ad evidentiam, ratione subjectæ materiæ, quoniam, cum in dies novam cappellæ restaurationem facere oporteat, atque sacram suppellectilem renovare, neque desuper aliunde provisum esset, ita pernece se hunc intellectum dare oportebat, ex iis, quæ cæteris relatis plenè habentur apud Cyriac. *contro. 340. Castill. tom. 8. contro. c. 42. n. 30. cum seqq.* ubi pro consueto stylo

alii cumulantur, atque in re, quæ ad sensum clarè probantur videtur: frustra desiderandæ veniunt auctoritates, ut potè in quæstione potius facti, quàm juris.

Et nihilominus dicebam sufficere, quod versaremur in ambiguo, ut huic magis latæ, ac benignæ interpretationi locus esset, ratione pietatis causæ, ac favore Divini cultus, ex quibus magis communis, præsertim Canonistarum, opinio est (sequendo sensum Cuman.) ut pro perpetuitate, & reiteratione fiat interpretatio ex deductis per Menoch. *lib. 4. præsumpt. 132. num. 3. Decian. cons. 115. n. 3. cum seq. lib. 3. Genuen. in priv. Eccl. quæst. 225. Castill. d. cap. 42. n. 2. vers. omnium tamen sententia &c.*

Scribentes in contrarium, dicebant id rectè procedere, quando ageretur ad favorem piæ causæ contra causam prophanam, cum tunc intraret privilegium prædictum, secus autem, dum quæstio erat in concursu duorum corporum equè ecclesiasticorum, ac privilegiatorum, ideoque dicebant intrare regulam conuassationis privilegiorum inter equè privilegiatos, & super qua regula pro consueto moderno inepto stylo, manus allegationum cumulus fiebat: Verum dicebam hujusmodi axiomam profus extraneam esse à casu, ac propterea dictum allegationum cumulum, inanem laborem continere (ut frequenter contingit), quoniam ultra plures declarationes, quas illud recipit, & præsertim, an uterque privilegiatus sit talis in eadem specie, vel potius, unus in genere, & alter in specie; Sive an unus agat de lucro, & alter de damno, cum aliis distinctionibus desuper tradi solitis: Cessabat omnis difficultas ex facto, seu ex defectu applicationis, quoniam Capitulum non agebat causam propriam, sed pro decore Ecclesiæ, & cappellæ, ac etiam ne aliàs consumeretur propria sacra suppellectilis, id petebat, cappellani autem id negabant ex proprio, & privato interesse, & consequenter profus impropria, ac extranea remanebat hæc in prædicto conuassationis privilegiorum inter equè privilegiatos.

Atque ut advertitur *d. disc. 8. de Canonic. & Capitulo*, ista provisio potius rationabilis, & commendabilis dicenda est quoniam libenter noviter provisi in eo primo anno lætitiæ, abstinent ab assequutione fructuum acquirendorum, & sic à lucro sine iactura rei quæsitæ, postmodum vero illo primo calore refrigerato, cum magna difficultate inducuntur ad contributiones ad id necessarias, ex axiomate, quo etiam Legistæ utuntur, quod turpius ejicitur, quàm non admittitur hospes.

ROMANA CAPPELLANARUM PRO CAPITULO S. MARIE MAJORIS CUM CAPPELLANIS TOLETANIS

Casus disputatus in Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ, resolutus pro Capitulo.

Facto legato erectionis certi numeri cappellaniarum cum certo annuo reddito, puta scutorum centum pro quolibet, si tractu temporis bona legata diminutionem patiantur, seu aliàs diminuantur fructus, adeo ut tantus redditus percipi non valeat, an diminui debeat earum numerus, vel potius de eis provisi, diminutionem redditus patiri debeant.

S U M M A R I U M.

- 1 *F*acti series.
- 2 *D*e suppletionem, vel respectivè diminutionem, si destinationem non sufficit.
- 3 *D*e quæstione an destinatio fiet taxativè, vel demonstrativè.
- 4 *Q*uod quæstio sit decidenda cum casuum distinctione.
- 5 *D*istinguuntur plures casus cum diversis decisionibus pro eorum diversitate.
- 6 *Q*uando ob diminutionem redditum possint supprimi canonicatus, vel beneficia.

D I S C. XX.

Doctrina, & pietate insignis Cardinalis de Toledo Societatis Jesu, scripta hæredæ Imagine Batissimæ Virginis in Basilica S. Mariæ Majoris, mandavit, ut ex precio ejus bonorum, ab exequutoribus vendendum, emi deberent tota loca montium, quorum fructus deservire deberent pro tot cappellanis ad Capituli nominationem providen-

videndis, ad rationem scutorum centum pro quolibet, eoque tempore attento, ob majorem fructuum locorum montium, duodecim cappellaniam erectam fuerunt, aliaque duae postea ex quodam augmento; Cum autem ex eodem casu insinuato in *Nepesina disc. 14.* loca montium, tam in sorte, seu numero, quam in fructu, notabilem diminutionem passa essent, adeo dictus numerus ad praescriptam rationem scutorum centum pro quolibet, impleti non posset; Hinc proinde cappellani praetensionem excitarunt, ut sequita duarum cappellaniarum vacatione non posset Capitulum novam facere praestantionem, sed deberent suppleri, atque ita reduci numerus, ad effectum, ut adimpleretur fundatoris voluntas, & quilibet cappellanus haberet in redditu scuta centum, cum ita vix sexaginta obtineret; Atque re delata ad Sac. Congregationem Apostolicam Visitationis; contra hujusmodi cappellanorum praetensionem, prodit resolutio.

In disputatione autem desuper habita; Scribentes pro cappellanis se fundabant in dispositione *text. in l. alijne ff. de Titio ff. de annuis legat. quae jura in proposito Expedit Lara de univers. & cappellan. lib. 1. cap. 3. n. 10. cum seqq.*

Atque assumendo quaestionem, de qua in *d. Nepesina disc. 14.* an scilicet certa destinatio favore pia causae demonstrativam indefinitam importare deberet fuso calamo deducebant omnia, quae eod. *disc. 14.* deducta habentur, transcribendo plenam cum lata per Rovitum *dec. 57.* qui examinat quaestionem ad partes.

In hoc autem, scribens ego pro Capitulo, (quod aliud non habebat in causa interesse, nisi illud juris nominandi, ac majoris Ecclesiae cultus, unde propterea majus interesse erat nominatorum ad duas cappellanas vacatas, quarum suppressio petebatur); Quatenus ad istam quaestionem pertinet, advertetbam, ut ad tollenda aequivoca, quorum incurfus in hac materia facilis est, atque pro reconciliacione, seu congrua applicatione doctrinarum, quae punquare videntur, eodem modo, quo penes in omnibus fori quaestionibus, illis praesertim ambiguae voluntatis facere oportet, plures casus distinguendi veniant.

Primus igitur casus est, ubi testator, pluribus bonis in haereditate relicta, aliquid pium legatum, seu opus relinquit ex certo praedio, seu certis bonis praestandum, seu impendendum, & tunc dictis bonis deficientibus, vel ad integrum opus non attendentibus, intrat quaestio, an haeres universalis, ex reliquis bonis in idonea haereditate existentibus, supplere teneatur, eaque decidenda venit cum distinctione, an destinatio stare demonstrativam, vel taxativam; Et quatenus sonus verborum importaret taxativam, intrare solet dubitatio, an favor pia causa sit in aliquo operativus ex deductis plenam per Rovit. *decif. 57. Castil. lib. 4. cap. 54. n. 12. cum seqq.* cum aliis, de quibus plenius in *dicta Nepesina disc. 14.* Verum hic non erat casus controversiae, quoniam penes haereditatem universalem alia non aderant bona, ex quibus hujusmodi suppletio fieri posset, ideoque extraneae remanebant auctoritates istum casum percutientes.

Alter casus est, ubi destinatio testatoris est certa, seu taxativa pro certo opere pio implendo, pro quo res, vel quantitas destinata tunc sufficiebat, deinde vero non sufficiat, non ex diminutione rei destinatae, sed ex augmento impensarum pro opere explendo; Ut puta, relinquit testator praestari per haereditatem annua scuta 100. pro celebrandis mille missis in perpetuum ad rationem unius julii (qui de tempore dispositionis importabat congruum praemium, seu congruam elemosynam etiam in oneribus perpetuis), si deinde dictum salarium, seu elemosyna augetur, quia nempe ob adactum pretium victualium non reputetur sufficiens ad sustentationem sacerdotis, ideoque cum dicto annuo reddito scutorum 100. non minuendo, opus esset diminuere numerum missarum; Et tunc posita sufficientia virium haereditariam, intrat dubitatio, an debeat potius haeres supplere majorem redditum ad id necessarium, vel e converso ipsum pium opus minuendum sit; Et pro diminutione operis late agit Brixianus in *reperitor. decif. Cavalcan.* verbo verba; E converso autem pro augmentum stipendii, seu suppletionem, itaut opus non minuatur Genuen. in *practicabil. Eccles. quae. 169.* Ricc. Diana, & ceteri, de quibus Barbof. *de Episcopo alleg. 29. n. 7. & Tondut. & alii* de quibus *dicto disc. 14.* Sed pariter hic non erat casus; Tum quia penes haereditatem non aderant alia bona, ex quibus suppletio fieri posset; Tum ob cessantem rationem, cui haec posterior opinio innititur, ne

scilicet disponens anima eo majori suffragiorum numero privetur; cum in hac facti specie reddidit quamvis diminuti longè excederet praemium missarum, & onerum per testatorem singulis cappellanis adjunctorum.

Tertius est casus, ubi testator dotat Ecclesiam de certo annuo reddito praestando per haereditatem, quem liberatum esse disponat cum solutione certae summae in sorte principali, ex qua investienda testator opinabatur eundem redditum percipi posse, & tunc si ex summa per haereditatem soluta id non sequatur, intrat dubitatio, an tenetur supplere, & de hoc punctualiter agit in *Camerina. dotis Ecclesiae 22. Junii 1650. & 9. Maii 1653. coram Melio.* quarum prima est *dec. 62. par. 11. rec.* ubi deciditur ad favorem haereditatis, quoniam huic ad liberationem obtinendam sufficit praestasse summam a testatore sibi demandatam ut advertitur eodem *disc. 14.*

Quartus casus est, ubi testator ab initio, ultra ejus vires disponit, faciendo plura legata pia, vel respectivè prophana, ac demandando plura pia opera, quibus omnibus bona haereditaria non sufficient: Et tunc intrat quaestio contributi, an istud aequaliter de omnibus faciendum sit, vel potius legata seu opera pia debeant prius integrè impleri, atque de hoc agunt Rovit. *decif. 87. Franch. dec. 236. Capyc. Latr. dec. 12. Rub. de testamen. ad pias causas cap. 66. num. 14. cum seqq.* ac habetur alibi actum *hoc eod. tit.*, sed pariter non erat iste casus quaestionis, cum d tempore tam primam, quam secundam erectionis, redditus ad integram summam a testatore destinatum essent sufficientes.

Quintus demum est casus controversiae, ubi scilicet testator omnia ejus bona destinavit in certa opera, ad quae juxta summas ab eo praescriptas, tunc illa sufficiebant, deinde vero diminuta sint, neque diminutio suppleri possit ex aliis bonis, sed solum intrat dubitatio, an potius ipsa opera minui debeant: Et isto casu dicebam, ut sine dubio respondendum esset pro diminutionis exclusionem, quoties id, quod pro singulo opere superest, sufficit ad necessitatem, ideoque sola deficientia est in ea majori provisione, quam disponens ad exuberantiam, seu honorificentiam praescripsit, ex regula, quam ex mente S. C. T. *sess. 24. de reform. c. 15.* habemus in materia suppressionis canoniciatum, vel beneficiorum ecclesiasticorum, quoniam si certus numerus canonicorum, seu beneficiorum cum pingui praebenda, seu provisione erectus, non ex eo, quod deinde redditus diminuantur, fit locus suppressioni, nisi in casu magnae tenuitatis, & inopiae, ob quam Ecclesiae cultus deferatur ex deductis per Barbof. *ad idem Conc. ubi supra, & de potestate Episcopi alleg. 67. nu. 1. cum seqq. & de Canonici cap. 3. n. 18. cum seqq.* dum attentio etiam istoreditu sic diminuto in casu cujuslibet vacationis, multo habentur concurrentes, qui ad hujusmodi cappellaniarum assequutionem anhelent, Unde propterea cessabat ratio desertionis cultus, ob quam suppressionibus locus aperitur: Neque urgebat ratio diminutionis suffragiorum, dum currentes redditus superabundabant, ideoque contentio erat de majori ditatione cappellanorum.

ADNOT. AD DISC. XX.

Quando locus fiat diminutioni, seu reductioni ob defectam, seu diminutam assignationem. Vid. in *Miscell. Eccles. disc. 33 & in Ann. ad S.C.T. disc. 21.*

ROMANA ANNUAE PRAESTATIONIS PRO FRATRIBUS DE MARESCOTTIS.

Responsum pro veritate.

Facto legato annuae praestationis ad vitam, an legatarius ab invito haerede petere possit assignationem tot bonorum, ex quibus dictam praestantionem manu sua percipiat; Et e converso, an haeres dictam assignationem legatario invito facere valeat; Et an legatarius impedire possit heredi venditionem officiorum vacabilium in ipsius legatarii persona cantantium, ut ex eorum emolumentis legatam praestantionem obtineat.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **D**e quaestione an legata annua praestantione debentur tot bona, quae tantum reddant.
- 3 **L**egatum relictum titulo institutionis non est capiendum a manu haereditatis.
- 4 **F**acto legato annuo de certa quantitate vini, potest assignari vinea.
- 5 **D**e materia textus in l. si quis argentum C. de donatione.
- 6 **D**e diversitate rationis in hac materia inter haereditatem, & legatarium.
- 7 **A**n relicto assignamento de aliquibus bonis alternativè fieri possit electio partium de unis, & partium de aliis.
- 8 **A**lternativa quandoque resolvitur in copulativam.
- 9 **D**e eodem text. in l. si quis argentum.
- 10 **U**susfructuarius non impedit proprietario venditionem proprietatis.

D I S C. XXI.

Comes Sforzia de Marefcotis, numerosam habens prolem, emit plura officia vacabilia praesertim illud Praesidentis Camerae in persona unius ex filiis, qui in Praelatura ratione dicti officii se constituit, cum libera reservatione decreti ad ejus favorem, Moriens autem, instituit haerede filio primogenito in castro Vignanelli, aliisque bonis, factisque aliis prudentibus dispositionibus ad favorem aliorum filiorum, dicto filio Praelato, reliquit ad vitam pro ejus concedenti sustentationem in eo statu Praelaturae annuam praestantionem scutorum 2500. circiter percipiendam, vel ex fructibus officiorum, vel ex aliis effectibus haereditariis Urbis; Cumque sequuta morte, inter haereditatem, ac Praelatum, retenta magna benevolentia, aliqua discrepantia super modo implendi dictum legatum orta esset; Hinc super tribus ab utroque concorditer tanquam communis amicis, & Advocatus, pro veritate consultus fui; Primò scilicet an legatarius invito haerede praetendere posset assignationem tot bonorum, vel effectuum, ex quibus manu sua dictam praestantionem perciperet; Secundo e converso, an haeres legatario invito dictam assignationem facere posset, ita, & taliter, quod quicumque futurus casus, sive bonus, sive malus, ipsius legatarii damno cederet; Et tertio, an haeres in vim reservationis decreti, cogere posset eundem legatarium ad venditionem officiorum.

Ad primum respondi, quod inter DD. in quaestione est, an legato annuo reddito, legata censentur tot bona, ex quibus ille percipi valeat ad terminos textus in l. si quis argentum Cod. de donat. vel potius singulis annis praestatio solvi debeat; Perisive volentibus, ut idem praetendi non valeat, ex regula, quod legatum capiendum est a manu haereditatis, ut ceteris relatis firmat Surd. *de alim. tit. 9. qu. 41. num. 12.* Aliis vero sententibus contrarium, ut censentur legata tot bona, quae legatario danda sunt, ut manu sua redditum ex eis percipiat ex deductis per Soccin. Jun. *conf. 60. num. 34. & seqq. lib. 4. Surd. conf. 319. numer. 7. & per tot. Rota apud Buratt. dec. 487.* Et conferunt pro eadem opinione, quae in legato alimentorum habentur apud Pen. *decif. 1154. & decif. 194. num. 69. par. 7. rec.* Potissimè vero ubi non agatur de simplici legato, quod extraneo factum sit, sed de illo, quod si factum filio honorabili titulo institutionis, quo casu non intrat regula, ut legatum capi debeat a manu haereditatis ex deductis apud Buratt. *dicta dec. 487.*

Retenta vero hac secunda opinione, quae magis recepta videtur; Hinc proinde, tam in primo, quam in secundo puncto respondendum esset pro eo, qui hanc assignationem peteret, vel respectivè facere volet, cum ex natura correlativorum, utriusque puncti, seu dubii, eadem sit ratio, eademque resolutio; Ad quod conferunt ea, quae ex Baldo in *ead. l. si quis argentum num. 6. & Tiraquell. de retrad. consangu. §. 1. gloss. 6. num. 20.* & aliis habentur apud Capyc. *Latr. dec. 11. num. 4.* quod scilicet facto legato annuo Religiosis sed salmarum vini, possit, vel respectivè debeat eisdem assignari vinea, quae dictam vini quantitatem fructuare solita.

Verùm his non obstantibus, contrarium in hac facti specie dixi verius videri, quoniam praemissa procedunt, ubi legatum esset indefinitum, ac perpetuum, unde propterea, ex dispositione, vel ratione dicti textus in l. si quis argentum, dici possent legata tot bona in proprietate; Et de

cujus textus dispositione habetur praesertim per Rotam in *Romana supplementi dotis 5. Decembris 1653. coram Ceyro,* & insinuatur in *Romana fideicommissi de Gelsio sub tit. de fideicom. disc. 134. & alibi;* Secus autem ubi (ut in praesenti) agatur de annuo legato ad vitam pro sustentatione in eo statu, in quo testator filium legatarium constituerat, cum tunc, neque ratio, neque dispositio dicti textus intret, ut admittunt idem Soccin. *dicto conf. 60.* & Surd. *dicto conf. 319.* ideoque remanet legatum quantitatis, non autem specie.

Dicebam tamen, quod in hoc proposito aliqua dignosci videatur claudicatio inter haereditatem, & legatarium, ut scilicet legatario volente exigere assignamentum ex iisdem officiis, aliisque effectibus Urbis, id ei negari non deberet; Tum ex voluntate testatoris ita dispositis, dum dixit dictam praestantionem percipi debere, vel ex officiis, vel ex bonis Urbis tanquam magis promptis, & explicitis, Tum etiam ex officio, seu arbitrio Judicis, ne singulis annis, ac temporibus cogeret ille, qui in Praelaturae statu constitutus est, ac propterea in dies indiget pecuniis pro ejus sustentatione, habere incommo dum exactionis, atque denegata prompta solutione, litem suscipere, juxta ea, quae in praxi recepta sunt de alimentorum assignatione faciendae clerico debitori juxta dispositionem textus in *cap. Oswardus de solut. cum similibus.*

Secus autem in casu converso, ideoque intrare non videtur ratio correlativorum, ratione subiectae materiae, seu qualitatis legatarii constituti in statu Praelaturae, cujus ratio, juxta cursum Curiae, munera pro servitio Sedis Apostolicae in Praefecturis, ac Nuntiaturis exercere oportet (ut merito; atque commendabiliter in hoc Praelato contigit, qui post aliquas Praefecturas munus Inquisitoris Insulae Melevarum, deindeque Nuntiaturae Poloniae exercuit, & tunc illam Hispaniae exercet); Et consequenter incongruum esset, ut cogendus veniret tot bona accipere, quorum culturae, ac administrationi vacare cogeret, cum incerto etiam fructu, ob casus, qui in fructibus ratione sterilitatis, vel ex alio accidente contingunt; Ideoque diversa est ratio haereditatis, ac legatarii, neque correlativorum aequalitas intrat ob rationis diversitatem.

Et quamvis quaesitum etiam esset, an legatarius hoc assignamentum a testatore demandatum alternativè, vel in officiis, vel in aliis bonis Urbis, eligere posset de utraque specie; Atque in hoc dicerem, quod de stricto rigore juris id non liceret per text. in *lex toto §. si ita legatum, ff. de legat. 1.* ubi deciditur, quod legato certo numero servorum, vel eorum aestimatione ad rationem scutorum decem pro quolibet, non potest legatarius eligere partem de servis, partem de pecunia, atque ita ex eodem textu notant ibidem Ripa, Jal. & alii, de quibus Grat. *disc. 240. num. 31.* Nihilominus credebam, ut etiam in hoc praesens non esset Judicis arbitrium, ex dicta ratione interponendum, ex recepta propositione; de qua in omni ferè materia praesertim *sub tit. de fideicommiss. & sub altero de credito,* ut non semper alternativa capienda sit in ejus propria, ac naturali significatione, sed quandoque resolvatur in copulativam pro facti qualitate, quandoque testator bona urbis cumulaverit cum officiis in gratiam legatarii, praesertim dicta ratione accedente.

Ad textum vero in *dicta l. si quis argentum,* respondebam, illius dispositionem procedere in gratiam donatoris, ut ita ab eo onere se liberaret, ut advertunt communiter Scribentes: Secus autem favore haereditatis contra legatarium qui in hac parte censetur praedilectus ex deductis per Surd. *de alim. dicto tit. 9. quae. 40. num. 32. & quae. 41. numer. 10. & per tot.* Et in summa ista videtur, adinstar aliarum, quaestio potius facti, quam juris, certam, ac determinatam regulam non recipiens, sed in singulis casibus pro facti qualitate ex verisimili testatoris voluntate, sive ex qualitate legatarii, vel operis, prudenti Judicis arbitrio decidenda.

Demum quoad tertium, & ultimum quaesitum, Quamvis Surd. *dicto conf. 319.* plura jura ponderet ad probandum, quod haeres in praesudicium legatarii, eoque invito; alienare non possit bona, ex quibus annua praestatio ab eodem legatario obtinenda est: Attamen contrarium in hac facti specie dixi verius per textum expressum in *l. fandi Trebatiani ff. de usu, & usufructu. legat. cum concordantibus, de quibus sub titulo de servit. discurs. 65.* ubi de conclusione, quod per legatum usufructus, vel habitacionis, non impeditur haeres dominus proprietatis, illam vendere.

Clarius autem in hac facti specie, dum agebatur de officiis vacabilibus periculo vacationis subjectis, cum perpetuo præjudicio hæreditatis, ac successorum, stante perpetuo, ac successivo fideicommissio ordinato per eundem testatorem, cujus verisimili voluntati id adversari videtur, ac etiam ex axiomatico, ut quod uni non nocet, & alteri prodest &c.

Hæc respondebam ut mihi vera viderentur in puncto juris: Laudabam verò magis prudentialia temperamenta inter fratres benevolos congrua, ut sequutum fuit.

ANNOT. AD DISC. XXI.

DE materia text. in l. si quis argentum C. de Donat. nulla postmodum suppetit occasio disputandi.

ROMANA LEGATI PRO ANNA DE GUARDIA CUM PETRO DE LUPIS.

Casus disputatus coram A. C. postea concordatus.

De legato annuæ præstationis relicto, ei, qui in eodem testamento deputatus est tutor filiorum testatoris, an, & quando cesset ob tutelam recusatam, vel alias cessatam tanquam ipsius respectivum, necne.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 An legatum factum tutori cesset ob cessatam tutelam datur distinctio.
- 3 Quod indistinctè cesset, neque dicta distinctio intret.
- 4 Quando hæc secunda opinio procedat.
- 5 Quod ista sit questio voluntatis, & facti, & quomodo decideri debeat.
- 6 Ut in dubio præsumptio stet pro cessatione legati.
- 7 De circumstantiis facti pro ademptione, vel de contra.
- 8 De eodem.
- 9 De alio casu controversiæ super eodem puncto.
- 10 Transmissi ad secunda vota non est causa ademptionis legati, sed bene junctus cum desertione tutelæ.

D I S C. XXII.

De Guardia, Annæ filiæ in pupillari ætate existenti, in testamento tutorem, & pro tempore curatorem deputavit Petrum, cui cum expressione amoris, & benevolentie, ac etiam in remunerationem incommodi, & laboris, ac alias omnino meliori modo, reliquit annua scuta 20. Cumque ante obitum idem testator dictam filiam nupti tradidisset, atque in apoca dotali declarasset, quod eam eximebat à tutore, vel curatore in testamento deputato, transferendo quamcumque administrationem in sponsum, ac respectivè pro tempore virum; Hinc propterea, sequuta morte testatoris, orta est controversia inter dictos Annam, & Petrum, super dicti annui legati præstatione, quam hæres cessatam esse dicebat, ob cessatam causam legandi; Et introducta causa coram A. C. informantibus tantum causæ Patronis hinc inde, prodit decretum relaxationis mandati pro prima annualitate ad favorem Petri, ideoque (juxta frequentiore consuetudinem Curie in hoc Tribunali A. C. alitque Judicibus primæ instantiæ, assumendi Advocatum post causam jam vulneratam), ad Annæ defensionem evocatus fuit; Et quamvis inferius deducenda pro hærede more Advocatorum nimium exagerata fuissent: Nihilominus cum causa non esset integra, atque ageretur de puncto conjecturali, in quo nimium operatur arbitrium Judicis, cuius, ac etiam meam benevolentiam Petrus lepidus curialis habebat, idcirco eum à decreto removere non potuerunt, atque me etiam consulente, honesta concordia controversiam terminavit.

In unica igitur disputatione habita: Dicebam scribens pro herede, quod in hoc puncto, an tutor cui legatum relictum est a testatore, qui eundem in tutorem, vel curatorem ejus filiorum deputavit, illud assequatur cessata tutelæ, vel curæ administratione, duas habemus opiniones, Unam Saliceti, ac aliorum sequentium distinctionem traditam per text. in l. Nescimus ff. de excusat. tuto-

rum, ut scilicet cesset illud legatum, quod conficit intuitu tutelæ, vel curæ relictum esse, non autem illud, quod factum sit principaliter intuitu personæ, quodque alias etiam sine tali onere testator fuisset relicturnus, atque hanc sequuntur plures relati per Guttier. qui eam sequitur, magisque communem dicit in trad. de tutelis p. 1. c. 22. n. 14. & referunt Hodiern. ad Surd. dec. 38. Capyc. Latr. consult. 106. n. 14. Carpius de execut. test. l. 1. c. 18.

Alterà verò est opinio Jacobi de Belvisio, & Romani, ac sequacium volentium, ut hujusmodi distinctio procedat de jure antiquo Digestorum, secus autem attentio jure novissimo Authenticorum in §. bis omnibus aut. de hæred. & falcid. quam sequuntur, ac veriorum probavit Menoch. qui alios numerat lib. 4. præsumpt. 124. Surd. Bacz. & alii cummulati per Carp. d. q. 18. & Capyc. Latr. dict. consult. 106. num. 11. cum seqq. ut scilicet indistinctè, dicto jure attentio, sive legatum relictum sit intuitu tutelæ, sive non illud esset, tutela non acceptata, vel recusata; Undè propterea scribendo more Advocati, atque congestis auctoritatibus relatis per allegatos, ostendere conabar, quod hæc esset magis communis, & recepta, proindeque nil suffragaretur, an legatum prædictum diceretur principaliter relicturnum ob causam amoris, & benevolentiam prius expressam, ut insistebant scribentes in contrarium.

Reflectendo autem ad veritatem, dubitabam de motivo; Quidquid enim sit de veritate hujus secundæ opinionis, quæ licet magnam habeat sequacium cumulum, nihilominus, ut pluries expertus sum, non de facili in foro recipitur; Adhuc tamen cessabat ejus applicatio ad factum, cum ea probabiliter recipienda videatur in casu culpæ recusationis, vel respectivè dimissionis, tanquam in pœnam ingratitude, quæ ita erga testatorem à legatario committi videtur, undè propterea ex præsumpta indignatione, tacita, seu præsumpta ademptio resultet, & in his terminis loquuntur dictæ opinionis sequaces; Secus autem, ubi sine aliqua tutoris culpa id proveniat; Puta ex facto ejusdem testatoris, (ut in præsent.) vel ob superventam adultam ætatem, seu ex alia juxta causam, adeo ut omnino cesset dicta ratio ingratitude, seu præsumptæ indignationis, vel etiam cesset altera, quæ contra legatarium forsitan urgere posset immutata benevolentia, seu fiducia, quia scilicet revocato isto tutore alium deputasset, ex iis, quæ ceteris allegatis habentur plenè apud Surd. decif. 38. Hæc autem omnia in præsentem cessabant, dum immutatio administratoris provenit à rationali motivo id committendi ejusdem pupillæ, vel minoris sponso, ac respectivè viro.

Quare firma remanente distinctione textus in d. l. Nescimus, questio erat potius facti, & applicationis quam juris, ideoque non habens certam, ac determinatam regulam, sed pendens ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus pro prudentis Judicis arbitrio, ambigua disponentis voluntas desumenda est, ad effectum inspiciendi, an in una, vel altera distinctionis parte versetur; Solaque juris disputatione cadere videtur super statuenda præsumptione in dubio, cui scilicet illa assistat, an hæredi, vel legatario; Idque nimium refert; Tum ob onus probationis, quod transfertur in eum, cui præsumptio assistit; Tum etiam ob pondus, seu efficaciam conjecturarum hinc inde colluctantium, ut in pari, vel parum inæquali concursu prior sit conditio ejus, cui præsumptio assistit; De reliquo enim quoad singulorum conjecturarum vim, & efficaciam, juxta generalem conjecturarum naturam, fatuitas est, certam, ac generalem regulam statuere, sive conjecturas in uno casu approbatas, vel rejectas, in quocumque alio recipere, vel reicere, quoniam stant bene simul, ut aliquæ conjecturæ in uno casu, ob illius facti circumstantias essent validæ, atque in altero, ob circumstantias diversas, eadem, ac majores sint inefficaces, vel è contra.

In dubio autem, magis communis recepta opinio videtur, ut præsumptio assistat hæredi contra legatarium quod scilicet præsumatur principaliter legatum relicturnum esse intuitu tutelæ per text. in d. l. Nescimus, & leg. seq. cum concord. ut cæteris cumulatim probant Menoch. d. præsumpt. 124. num. 1. & seq. Surd. dicta decif. 38. num. 3. Capyc. Latr. dicta consult. 106. num. 23. & sequent. Eaque probabilior videtur, ubi præsertim agatur de extraneo, erga quem nulla obligatio naturalis, vel sanguinis ratio urgeat ad eum providendum, gravando proprios filios, erga quos regulariter major affectio præsumitur; Ideoque in hac

facti specie dicebam, quod hæredi sufficiebat dicta juris præsumptio, donec legatarius diversam voluntatem probaret, ut insinuatur etiam sub tit. de servitut. disc. 50.

In hac autem voluntate probanda; Scribentes in contrarium satis insistebant in illis verbis, per seipso dell' affecto, che li porta, primo loco prolatis, quasi quod ista fuisset principalis causa legandi; Verùm videbatur satis levis conjectura, dum immediatè, ac per copulam, in eadem oratione subjuncta erant alia verba, e per l' incommodi, e 7 fatiche; Potissimè, quia in eadem periodo, ac unica oratione continebantur deputatio tutelæ, & curæ, ac legatum, quod potius magnum erat argumentum respectivè vitæ; Altero etiam adminiculo in contrarium urgente per argumentum ad contrarium sensu deductum apud Menoch. conf. 346. num. 12. & dicta præsumpt. 124. num. 11. & per Rot. decif. 636. num. 6. & 7. par. 4. rec. tom. 3. & in Firmana codicillarum 1. Martii, & 15. Novembris 1649. coram Cerro decif. 250. & 349. par. 10. rec. ubi pro legatario consideratur, quod annuum legatum relicturnum erat ad vitam legatarii, ideoque testator consideravit illius durationem etiam post expletam tutelam, vel curam, quod in præsentem cessabat.

Credebam tamen, quod major probabilitas legatario assisteret, ex aliis circumstantiis facti insimul, ac unitim à me ponderatis, quamvis per scribentes in contrarium non deductis, & in quibus magis, quam in verbis, semper insistendum est, pro ambigua defuncti voluntate indaganda; Attenta scilicet in primis amplitudine patrimonii, cujus in unica filia fœmina, alii legatis non multum onerata, satis modicum onus erat; Ac etiam attenda non levi affectione, quam testator vivens habebat erga legatarium, cujus opera in omnibus ejus negotiis utebatur; Item quia postquam dictam filiam collocaverat, ejusque viro administrationem dederat, ideoque sciebat cessasse onus tutelæ legatario mandatum cum aliquo tempore supervixisset, atque dispositorum rectè conscius esset, dum super eis oretenus aliquas fecit declarationes; Attamen nil dixit in contrarium, quibus omnibus insimul ponderatis una cum dictis verbis, quæ unice pro legatario deducebantur, videbatur, quod ei major assisteret probabilitas, undè propterea consului Annæ viro, ut curaret, eo quo posset modo, concordiam obtinere, ut credo sequutum.

Tunc etenim pro legati cessatione probabilior respondendum videtur, quamvis urgent adminicula affectio- nis, quodque cessante etiam causa tutelæ, testator esset relicturnus, quando scilicet tutor, ex ejus facto merè voluntario, tutelam acceptare recuset, sive illam acceptatam dederat, adeo ut hujusmodi actus testatori agnotus, verisimiliter dici valeat causæ diminutionis prioris benevolentia, ac inductivus justæ indignationis, juxta facti circumstantias.

Ideoque in una Firmana ususfructus pro Beatrice Vagnarella cum Anna Catalana, ejus matre, de qua habetur actum sub tit. de servitutibus ad materiam ususfructus disc. 50. disputata in Rota coram Albergato, & in qua principalis disputatio erat super puncto, an legatum ususfructus uxori relicturnum, resolveretur in alimenta juxta consuetudinem Bulgari, vel potius importaret ususfructum formalem, ut Rota credidit, magnam mihi intuiit admirationem illa resolutio; Non quidem super dicto articulo, quoniam cum sit juris, ac merè conjecturalis, varia esse solent ingenia, quamvis ab omnibus ad veritatem reflectatur.

Sed ob non curatam cessationem legati, sive uno, sive altero modo factum esset, dum eodem contextu uxor relicta fuerat tutrix communis filiarum pupillæ hæredis instituta, atque culposè tutelam deseruerat, ob transitum ad secunda vota; Et tamen istud motivum in decisione neglectum fuit; Quinimò cum inculcatum fuisset pro obtinenda nova audientia, id non fuit attentum, ex eo fundamento in decisione deducto, quod transitus ad secunda vota, cessante expressa pœna caducitatis non esset sufficiens causa ademptionis, seu cessationis legati; Verùm hoc videbatur æquivocum clarum, quoniam dicta legati cessatio, non deducebatur ex solo transitu ad secunda vota, tanquam ejus pœna, sed ex præsumptione cessatæ voluntatis defuncti deducta à probabili indignatione, ob voluntariè desertam filiarum tutelam, ex culpa, parumque viro defuncto grata causa transitus ad secunda vota; Ideoque in hac parte intellectus non acquivit, atque omnino parum probabilis visa est resolutio, licet neque illa placeret super

altero puncto interpretationis legati ususfructus ex deductis in dicta propria materia disc. 50. de servitut.

ANNOT. AD DISC. XXII.

AN, & quando ex cessante onere, seu causa legandi cesset quoque legatum, habetur infra hoc tit. disc. 32. ac etiam in eod. tit. disc. 62. 65. 66.

JANUEN. LEGATI PRO BRIGNOLIS.

Discursus pro veritate extra Curiam.

An & quando legatum factum uxori cum onere habitandi cum filiis, ob istorum mortem, vel absentiam, seu aliud impedimentum, tanquam à cessante causa legandi, cesset necne.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Recepta est distinctio Decii.
- 3 Quando constat, quod legatum sit in gratiam filiorum, sine dubio cessat.
- 4 Secus è converso.
- 5 Quid in casu mixto, quod sit in gratiam utriusque.
- 6 Ubi agitur de alimentis, præsumptio, est favore legatarii.
- 7 Idem ubi de habitatione.
- 8 Quod attendi debeat præponderantia.
- 9 Ponderantur conjecturæ favore legatarii, præsertim uxoris.
- 10 Declaratur, in quibus terminis ista questio procedat.
- 11 Legatum habitationis est onus, & non favor.
- 12 De circumstantiis, ob quas sit in gratiam hæredis.
- 13 De eodem favore hæredis.
- 14 Matræ educantibus filios debentur alimenta.
- 15 Respondetur conjecturis assistentibus legatario, de quibus n. 9.
- 16 Quod mors civilis in hoc æquiparetur naturali.

D I S C. XXIII.

De Brignolis, in testamento mandavit, ut ejus filii hæredes instituti, in infantili, vel respectivè pupillari ætate constituti, educari deberent penes ejus uxorem, ac respectivè matrem, viduitatem tamen ferventem, dictoque casu illi danda esset habitatio cum eisdem filiis in domo designata; Cum autem duo tantum supervissent filii, quorum unus de tempore mortis testatoris erat in fens, vel respectivè pupillus, Alter verò major; Atque minor successivè major factus, à patria de Superiorum mandato exulare coactus esset; Hinc prætereunte cœpit alter filius major, qui educationi commendatus non erat, ut resolutum esset dictum legatum habitationis ad favorem uxoris; Atque pro veritate desuper consultus.

Respondi, quod in hoc articulo, an legatum factum uxori cum onere, vel conditione habitandi cum filiis, per istorum mortem, vel recessum tanquam à cessante causa, cesset, ex veterum sententia Dec. confil. 601. qui in hoc distinguendi modo per moderniores communiter est receptus, tres casus distinguit.

Primò nempe, ubi tale onus adjectum legato factum uxori, respiciat principaliter favorem, ac intuitum filiorum, & tunc omnes concordant, ut cessante causa legandi, exipret legatum ad text. in l. illis libertis in fin. ff. de cond. & demonstrat. l. Sejo in principio ff. de annuis legatis, Bart. Salycet. & alii in l. 1. Cod. de legat. Ancharan. conf. 185. & 237. utrobique numer. 1. quem post Dec. dicto conf. 601. in princip. cæteri sequuntur, de quibus Menoch. lib. 4. præsumpt. 123. numer. 21. conf. 146. numer. 1. & 970. num. 27. & sequent. Surd. de alim. tit. 8. privileg. 23. num. 8. Cyriac. contr. 50. num. 19. & 20. Arias de Mela lib. 2. var. resol. cap. 4. num. 23. Peregrin. de fideic. artic. 16. num. 148. Franch. decif. 58. num. 4. ubi adden & tanquam absolutum admittit Rota in Ferrar. legati 4. Febr. 1626. coram Manzanedo decif. 636. p. 4. rec. tom. 3. num. 3. & sequent. & in Firmana codicillarum 1. Martii, & 15. Novembris 1649. coram Cerro impress. dec. 290. & 349. p. 10.

Alter casus est, ubi respiciat solum commodum, & favorem uxoris; Et tunc è converso est pariter absolutum, ut mors, vel aliud impedimentum istorum, cum quibus habitatio est demandata, nullatenus legatariæ præjudicet, ut apud allegatos.

Tertius est casus mixtus, quia nempe causa legandi respici-

spiciat commodum utriusque, & tunc discrepat DD. Aliqui enim volunt, ut ad huc legatum cesset, ut ex Peregr. dicto art. 16. numer. 149. Menoch. dicto conf. 970. post numer. 43. Alii vero magis communiter tenent, ut in casu mixto præponderare debeat favor legatarii per text. in l. 1. Cod. de legat. ubi DD. Dec. dicto conf. 601. quem ita intelligunt idem Peregr. sibi contrarius conf. 38. post num. 8. lib. 2. vers. sexto dato &c. Franch. dicta decis. 58. num. 4. cum aliis per Arias de Mesa dicto lib. 2. var. cap. 5. num. 19. ubi testatur, quod hæc opinio est frequentius recepta, ut recepit Rota in dicta Firmiana codicillarum 1. Martii, & 15. Novembris 1649. coram Cerro decis. 290. & 349. par. 10. recent. reprobatis in specie Menoch. dicto conf. 970. & Cyriac. contr. 50. qui dictam controversiam edidit in allegata Ferrarient. legat. coram Manzanedo impress. dec. 636. par. 4. rec. tom. 3. in qua succubuit.

Et quando hæc opinio favore legatarii pati posset aliquam difficultatem in aliis legatis, magis tamen de plano procedit, ubi agatur favore alimentorum, in quibus, semper legatarii favor præponderat; Ideoque speciale dicitur etiam per contrariæ sententiæ auctores, ut deficientia conditionis non causet illius expirationem per text. in dicta l. 1. Cod. de leg. ubi Bart. & l. Caja, §. Imperator de adm. leg. cum contr. d. per Peregr. dicto conf. 38. numer. 3. Menoch. dicto conf. 146. num. 15. & admittit dicto 970. cum aliis per Arias de Mesa dicto c. 4. n. 21.

Cum igitur in hac facti specie ageretur de legato habitationis, quæ est pars alimentorum, ut advertunt Beron. conf. 24. num. 8. lib. 2. & alii, de quibus in his terminis per Arias de Mesa dicto c. 2. n. 10. & c. 6. n. 4. hinc dictum privilegium intrare videbatur.

Deducendam ista in forma discursiva, ut insinuaretur, quid in materia DD. dicant; Mihi autem videtur, ut in ista potius facti, ac voluntatis, quam juris questione, inspicienda sit favoris, vel affectionis præponderantia, ex vero principio, quod mixtum assumit qualitatem illius simplicis, de quo magis participet, ut in his terminis ingeniosus de more observat Eugen. conf. 49. lib. 2. ex nu. 18. & sequitur Arias de Mesa dicto cap. 5. n. 21.

Ideoque difficultatis cardo totus in facto, consistere videbatur, an scilicet habitatio relicta esset uxori incuitu ipsius, vel filiorum, vel utriusque; Et quod ipsius uxoris, vel saltem utriusque respectus habitus fuerit, suadere videbantur; Primò regula generalis, ut in dubio legatum potius intuitu, & favore legatarii quam tertii factum censetur, maximè ubi agitur de uxore, vel alia persona dilecta, quidquid sit de liberis, aliisque personis servitoris, ut rectè post antiquiores ab eis allegatos firmat Menoch. lib. 4. præsumpt. 123. num. 1. & sequenti & conf. 146. num. 9. Peregr. dicto conf. 38. post num. 10. ubi considerat distinctionem uxoris, vel alterius personæ dilectæ, à liberis, vel aliis personis servitoris Arias de Mesa dicto cap. 2. num. 2. & 3. Merlin. lib. 2. contr. 30. n. 37. Rot. dicta dec. 636. num. 15. par. 4. rec. tom. 3. & in allegatis Firmiana codicillarum coram Cerro dec. 290. & 349. p. 10. rec.

Secundò ob qualitatem rei legatæ, nempe habitationis, cum enim cohabitatio mutua inter matrem, & filios sit connaturalis, duraque sit separatio, idè utriusque cohabitare debentis favor à testatore consideratus censetur, ut per Peregr. dicto conf. 38. numer. 8. vers. cum autem in fine.

Tertiò ob conditionem viduitatis uxori impositam, ut post Dec. conf. 485. nu. 7. & Signoroli. de Homod. conf. 179. ad fin. bene prosequitur Arias de Mesa dicto cap. 2. num. 4. & sequenti. Atque istam conjecturam satis consideravit Rota in alleg. Firmiana codicillarum coram Cerro dec. 290. & 349. par. 10.

Quartò, quia testator reliquit onus habitationis sub libera voluntate uxoris per illa verba, *Che si compiacerà &c.* quo casu receptum est, ut onus non censeatur adjectum principaliter contemplatione filiorum, ut post Soccin. sen. conf. 69. num. 6. lib. 1. Menoch. dicta præsumpt. 123. num. 14. Peregr. dicto conf. 38. n. 13. Arias de Mesa d. c. 5. n. 4.

Quintò pro uxore legataria faciebat, quod ipsa per multum tempus educaverat filios, eosque penes se habuit, ideoque dum jam testatoris præcepto satisfecit, non debebat commodò legatari privati, si per eam non stabat quominus continuetur, ut late per jura, & rationes probant Menoch. conf. 146. num. 19. Arias de Mesa ubi supra cap. 2. num. 8. per text. in l. maria 14. in principio ff. de annuis legatis.

Sextò ubi agitur de legato, quod verisimiliter testator fecisset, etiam deficientibus filiis, tunc censetur, quod ad uxorem habuerit respectum, ut post Dec. & Soccin. & alios Menoch. dicta præsumpt. 123. num. 9. & conf. 146. post n. 11. Tale autem videbatur istud legatum habitationis tribuendè uxori viduæ, quæ durante statu viduitatis dicitur in conjugio perdurare, ideoque præsumitur, ut testator desideraverit continuationem habitationis uxoris viduæ in propria domo, ut puncto per deficientiam conditionis ex banno filii, cum quo uxor habitare debebat, Arias de Mesa ubi supra c. 6. n. 1. 2. & 3.

Pro meliori autem veritatis indagatione, ego desiderasem videre totum testamentum, ad effectum colligendi ex aliis ejus partibus affectionem testatoris, erga uxorem, & quomodo eam tractaverit, ut exinde argumentum voluntatis melius posset deduci; attemta verò sola particula transmissa, credidi cum modica difficultate, ut versaremur in primo casu distinctionis, quod nempe demandatum esset præstari habitationem uxori in solam gratiam filiorum, ac intuitu eorum educationis, adeout cessante causa, cessaret obligatio illam præstandi: Diligentè etenim consideratis casibus positus per DD. supra allegatos, ac alios per eos adductos super illo articulo deficientes, omnes loqui videntur in terminis legati facti uxori de aliqua re sub onere, vel conditione habitationis cum filiis, adeout legatum consistat in alia re, quam in habitatione, quæ non est legatum, sed potius consideratur tanquam onus, ut post Bart. in l. 1. Cod. de legat. egregiè Eugen. dicto conf. 49. nu. 25. & seqq.

Quodque habitatio faciendâ cum alio, dicatur onus, & non favor, vel commodum, firmat generalitè Rot. aliis allegatis apud Buratt. dec. 354. nu. 4. & probat text. in l. qui concubinam 29. §. uxori ff. de leg. 3. Quæstio enim est, an conditio, vel modus, seu onus habitandi qualificet aliud legatum, illudque faciat causativum; Ideoque cum in hac facti specie nullum legeretur legatum factum uxori, quæ in testamento nominata fuit sola occasio præcepti injuncti filiis minoribus, ut penes eam educari debeant: Hinc sequi videbatur, ut habitatio non esset ei relicta per modum legati, sed tantum per viam dispositionis consequitivæ, & accessoriæ ad præcedentem educationem filiorum, ut clarè sonant verba testamenti, ibi, *lascia che li figli siano alimentati appresso la Signora Isabella, & in tal caso lascia, che le sia data l'habitatione insieme con detti figlioli*, adeout habitatio demandetur tanquam necessaria educationi, quæ fieri non potest penes matrem, nisi habitet in eadem domo cum filiis, ut bene ostendit illud verbum; *In tal caso*.

Idque apertius probari videbatur ex limitatione temporis, ibi, *per tutto il tempo, che si compiacerà di vivere con detti figlioli*; Legatum etenim habitationis factum intuitu legatarii, fieri solet ad vitam; E clarior probari videbatur ex finalibus verbis dispositionis, ibi, *non ostante, che viverà, e sarà come sopra in detto caso alla cura, e governo di detti suoi figlioli*, ergo vivere, & habitare, quod factura erat in domo, consideratum fuit à testatore pro cura, & gubernio filiorum: Et consequenter dicebam, quod versaremur extrâ terminos questionis agitata per DD. dum nullum aderat legatum uxori factum, vel in ipsam directum.

Et quamvis ubi adest clara dispositio, vanum sit recurrere ad conjecturas juxta vulgarem text. in l. ille aut ille ff. de leg. 3. Attamen ad tollendam omnem ambiguitatem plures considerabam conjecturas vehementer suadentes, quod habitatio in solam causam educationis filiorum relicta esset Primò nempe qualitas filiorum educandorum in minori ætate existentium, cura, & educatione materna indigentium, maximè quia testator istam qualitatem consideravit, & expressit, ibi; *lascia che gli figliuoli minori &c.* ad text. in l. si hoc in fin. ff. de condit. & demonstr. juxta conf. Signoroli. de Homod. 179. Alex. post Raimer. in l. 1. c. de legat. Dec. conf. 485. num. 7. cum aliis per Menoch. conf. 146. sub num. 3. & dicta præsumpt. 123. numer. 15. Peregr. dicto conf. 38. num. 10. Eugen. dicto conf. 49. num. 38. & sequenti. Purpurat. conf. 2. num. 11. lib. 2. Arias de Mesa ubi supra cap. 5. num. 14. & seqq. Licet enim ista conjectura, ubi sit sola, impugnetur ab aliis: Attamen unita, videtur potentissima, maximè ubi testator ætatem filiorum consideravit.

Secunda desumebatur conjectura ex qualitate ipsius legatarie, quæ erat mater, cui propriè incumbit filiorum impuberum educatio, ut bene Eugen. dicto conf. 49. num. 37. Dixit.

Quando cesset legatum factum intuitu cohabitationis, habetur in hoc tit. disc. 69. & 70.

ROMANA
SEU VITERBIEN. LEGATI
PRO CAMILLO BERNARDÒ
CUM CÆCILIA NEPTE.

Causa decisus per Rotam ut infra.

An legatarius habitationis, & alimentorum in domo cum herede, prætereunde valeat alimenta, & habitationem extra domum, & mensam hæredis ex aliqua justa causa, præsertim ex eo, quod legatum fuerit factum mulieri tunc solutæ, quæ postea virum duxerit.

Et an, & quando legatarius, qui testamentum impugnat, ejusque invaliditatem, allegat, cadat, necnè à commodò legati.

SUMMARIUM.

- 1 Falsi series.
- 2 Resolutiones causæ.
- 3 Legatarius, qui impugnat testamentum cadit à legato cum distinctione.
- 4 An restituatur in integrum.
- 5 Quæ regula desuper cadat.
- 6 De distinctione inter jus quæsitum, & quærendum.
- 7 Usufructuarius an faciat suos fructus, cautione non data.
- 8 Quando substitutio in integrum debeat negari.
- 9 De eodem, & quando concedi.
- 10 Unde resistent equivoce Juristarum.
- 11 Transitus ad secundâ vota non causat amissionem legati.
- 12 An alimenta legata peti possint extra domum hæredis.
- 13 Ubi etiam peti non possunt extra domum, adhuc fallit ex justa causa, & quæ ista dicatur.
- 14 Quando etiam justa causa non obliget.
- 15 Non est augendum onus à testatore non injunctum.
- 16 Quando non sunt præstanda extra domum, & accessit causa, dandum est quanti domi esset impensurus.
- 17 De differentia inter legatum habitationis, & legatum facultatis habitandi.

DISC. XXIV.

Carolus, scripto hærede Camillo patruo, huic onus injunxit, ut Cæciliam ipsius testatoris forem viam secum in domo, & mensa retinere deberet; Cumque sequuta morte testatoris, dicta Cæcilia testamentum impugnavit, litem per aliquod tempus sustinendo cum testamentario, qui opposita invaliditate non obstante, obtinuit testamentum canonizari, hinc eadem Cæcilia, deserta lite, atque facto transitu ad secundas nuptias, petit legatum habitationis, & alimentorum, adversus quam petitionem Camillus hæres reus conventus de duobus opposuit; Primò nempe de caducitate incurta ob testamenti impugnationem; Et secundò non teneretur dictum legatum præstare extra propriam domum, & mensam; Assumptaque desuper disputatione in Rota, (ubi jam occasione validitatis testamenti causa introducta erat) coram Verospio sub die 16. Junii 1644. agendo tantum de primo puncto caducitatis, pro istius exclusionis prodiit resolutio; Devolutaque causa in eadem Rota coram Alberгато sub die 17. Martii 1666. & 25. Maii 1668. prodiit resolutio provisionalis ad favorem legatarie, ut ei præstari deberent, quarta pars domus pro habitatione, & annua scuta quadraginta pro alimentis, pluresque aliæ disputationes postmodum habitæ principaliter fuerunt, consistentes potius in facto, quam in jure, super statu hæreditatis, ac istius incapacitate ad prædictum onus supportandum; Potissimè quia ob sequutam mortem causæ Patroni, ac etiam ipsiusmet Camilli, causa, juxta stylum, muta vit defensores.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum caducitatis à legato, quam legatarius incurrit ob impugnationem testamenti, quoties ista sit ex defectu voluntatis, secus autem, ubi ex altero solemnitate, juxta distinctionem, de qua cæteris relatis, apud Grat. discept. 419. num. 37. cum seqq. & in sua materia sub tit. de testam. disc. 55. Scribentes pro legataria, non negabant conclusionem, minusque eam negat dicta decisio coram Verospio, utpo-

Distaque conjectura efficacia reddebat ex circumstantia viduitatis à testatore desideratæ, quam solam pro conjectura deducunt post Signoroli. dicto conf. 179. & alios antiquiores Menoch. conf. 970. num. 3. & seqq. & de præsumpt. dicto cap. 123. num. 17. Capyc. Latr. consult. 120. num. 66. atque videtur conjectura indubitata, ubi conditio viduitatis ponatur post onus, ut in casu nostro, quoniam tunc est consequitiva oneri, licet secus, ubi sit à parte antea, in quibus terminis procedunt loquentes in oppositum, ut distinguendo firmat Decius dicto conf. 485. num. 8. & Rota in alleg. Ferrarient. legat. coram Manzanedo dec. 636. num. 8. & seqq. p. 4. rec. tom. 3.

Tertiam ponderabam conjecturam, quod commodum legati non solum adzquaret onus, sed esset longè inferius; Ideoque sicuti quando commodum superat, conjectura est pro legatario, ita quando æquat, conjectura est pro herede, ut observat post Beninend. decis. ultima. Menoch. dicto conf. 146. num. 13. & seqq. cum aliis per Arias de Mesa cap. 5. num. 29. Quinimò ex isto modo disponendi, quem testator fecit, aperta desumitur conjectura exclusivæ affectionis, & dilectionis testatoris erga uxorem, quoniam cum ei reliquisset onus educationis, & curæ filiorum, nihilominus, non solum eam nullis verbis benevolis tractavit, in quibus principaliter se fundant ferè omnes tenentes partes legatarie, sed nec ei reliquit alimenta, quæ de juris censura videntur debita matri, cui filiorum educatio demandata fuit juxta theor. Bart. in l. ultima num. 8. Cod. de indit. viduit. tollen. cum concord. per Surd. de aliment. tit. 2. quest. 3. num. 2. Mantie. de conject. l. 9. tit. 4. n. 12. Arias de Mesa dicto cap. 3. num. 5. Si enim omisit relinquere uxori id, quod tenebatur relinquere in præmium laboris injuncti, hinc proinde certa, & aperta desumitur exclusio affectionis, quæ pariter aliena probatur, dum de illa tanquam extranea potius, quam de uxore loquendo, nulla verba benevola adjecit, neque de illa confidit circa filiorum tutelam, vel administrationem, sed tantum eam consideravit tanquam simplicem educatricem, ac minùs, dum etiam educatrici danda sunt alimenta, quæ testator omisit.

Neque istis conjecturis præponderare videbantur aliquæ supra in contrarium ponderatæ; Prima enim est simplex præsumptio legalis nimis debilis, ubi non est vestita verbis expressivis amoris, ac dilectionis, atque tollitur per contrarias vehementiores, eamque in specie parvipendit Eugen. dicto conf. 47. quem sequuntur alii.

Secunda retorquetur, quoniam nuda habitatio est potius onus, quam favor, ac legatum, ut supra.

Tertia est resoluta in secunda conjectura pro filiis, utque potius retorquetur ut supra.

Quarta procederet, ubi legatum esset purum, atque onus voluntarium, itaut nolente illa ferre onus injunctum, adhuc consequi posset legatum, & in his terminis loquuntur, qui pro ista conjectura possunt allegari, & in specie observat Eugen. dicto conf. 49. n. 53. & patet ad sensum.

Quinta non est conjectura, sed particularis opinio aliorum considerantium onus tanquam conditionem, sed est vanum, quoniam nullum adzarat legatum, ac etiam quia constabat illud esse merè causativum, seu consequitivum ut supra.

Et sexta fundata in verisimilitudine procedere posset, ubi constaret de affectione testatoris erga uxorem, atque non urgerent in contrarium conjecturæ illam excludentes, dum videbatur, quod testator eatenus voluisset uxori dari habitationem, quatenus filiorum curæ, & educationi assisteret; In casu autem posito per Arias de Mesa dicto c. 6. constabat de maxima affectione testatoris erga uxorem, cui ingens legatum fecerat, ultra habitationem; Et ulterius ibi agebatur de dando habitationem uxori viduæ in domo viri, ad exclusionem Fisci, non autem ad exclusionem filii, & hæredis, ut in præsentî.

Et licet DD. ferè omnes tractent materiam in casu mortis naturalis filiorum; Attamen idem dicendum videri dicebam in casu mortis civilis, quoniam eadem est ratio cessationis causæ, dum non proveniret ex actu merè voluntario, ac ordinato ad impediendum implementum conditionis, sed erat impediendum quod veniebat in consequentiam, ut in individuo late, & eruditè probat Arias de Mesa (quem in scholis habui præceptorem) dicto lib. 2. cap. 6. ex num. 18. præsertim num. 27. ad quem sufficit relationem haberi, dum alios deducit.

te fundata in iuribus litteralibus, de quibus in dicta sua materia *sub tit. de testamentis*; Dicebant tamen, ac Rota admittit; quod cum ageretur de muliere huiusmodi subtilitatum legum ignara, quodque hæc impugnatione potius de secundo viro, vel Gausidicorum sequuta esset, subveniendum illi veniret ex beneficio restitutionis in integrum ex clausula generali *si qua mihi &c.* In id deducendo ea, quæ generaliter habentur super restitutione in integrum mulieribus, imò etiam quandoque viris ex dicta clausula *si qua mihi concedenda* adversus aditionem hæreditatis inconsulto factam sine beneficio inventarii, sive adversus ius solemnitates omittas ex deductis apud Franch. & Add. *dec. 229. Capyc. Larr. conf. 57. & Rota dec. 82. par. 9. rec. cum similibus.*

In hoc autem, non de facili iudicium pro veritate efformari potest, seu certa regula generalis desuper statui, quæ cuiusque casui sit applicabilis, quoniam, cum sit materia iudicii arbitraria, atque arbitrium regulandum veniat ex singulorum casuum individuis circumstantiis, ex quibus pendet, an excedat, necne iusta causa, ob quam mulieri tanquam excusabili de hoc beneficio succurrendum sit, hinc proinde, totum pendet ex facto potius, quam ex iure; Et consequenter advertendam erroneam videri, ita generaliter, ac indefinitè in hoc puncto procedere, ut in dicta decisione proceditur, quoniam reflectendum est ad distinctionem, de qua in proposito caducitatis ob contraventionem, vel non implementum, habetur in omni serè materia præsertim verò *sub tit. de fideicom. disc. 154. & latius sub tit. de testam. disc. 73.* ac etiam *sub titulo de matrim.* Quod scilicet magna differentia sit inter casum, in quo caducitas operetur privationem, seu amissionem iuris, vel emolumentum jam agniti, & quæsitum, ac alterum, in quo agatur de iure quærendo, seu de impediendo, nè quis acquirat, seu lucrum obtineat; Primum etenim casu importante speciem pœnæ, supponendum est delictum, à quo proinde, de facili excusatio admittenda est, secus autem in altero, ex ibi deductis;

Ad quod conferunt quæ etiam habentur *sub tit. de servit. ad materiam ususfructus disc. 48.* super obligatione, quæ usufructuarii incumbit præstandi cautionem de utendo, & fruendo arbitrio boni viri, & quandoque etiam *Marianam*, quodque aliàs suum non facit usufructum, quoniam si usufructuarius agat de iure quærendo, pro fructibus scilicet ante huiusmodi implementum à proprietario perceptis, nec non de facili exauditur, neque muliebris simplicitas, vel alia iusta causa admittitur, facilis tamen, ubi ad effectum excusandi à restitutione perceptorum, quoniam revera, magna differentia est inter unum, ac alterum effectum.

Et consequenter, cum in præsentem ageretur de hac secunda parte, mihi videbatur, ut in proposito procederet cum aliquo æquivoco; Potissimè cum id magis consisteret, in iure, cuius ignorantia, iuxta satis vulgarem, ac receptam distinctionem non excusat agentem de lucro captando, seu de acquirendo, non obstante rusticitate, vel muliebris simplicitate, cui bene consultum esse potest, consulendo peritiores; Aliàs etenim lex, verbis potius quam rebus imposita diceretur, atque de facili, hinc legis provisionis frans fieri posset, & aditule aperiri testamentorum impugnationibus (per quas injuria testatoribus inferri dicitur) impunè ob istud refugium, pro quo utpotè prævisio, facile est, aliquas iustas causas excusationis studiosè, ac affectatè parare; Potissimè quia huiusmodi impugnationes in forma iudiciali, & cum formali sustentatione litis, fieri non solent nec possunt, absque opera, & consilia Advocatorum, & Procuratorum, hanc legis dispositionem bene callentium, à quibus impugnatores, quamvis legum ignari, rectè instrui possunt; Et clariùs ubi impugnatione tractum habuit successivum cum diuturna litis sustentatione, cum tunc difficilior ista æquitati va excusatio admittenda videatur, ut in hac facti specie eius circumstantiæ suadebant.

Est bene verum, quod in hac materia, omninò certa, & determinata regula statui non potest cuiusque casui applicabilis, quoniam dari posset casus (quem ego quandoque expertus sum), ut hæres, vel alter, ad cuius commodum caducitas cedat, colluendo cum aliqua Regula forensi, cui mulier, vel alter, ex eius malo fato ejus jura commiserit, ad effectum, ut ita per innocentem ista pœna incuratur, curet ut hæc oppositio fiat, istoque casu verum est, ut dictum equitativum arbitrium, iustè, ac rationabiliter interponi debeat, etiam ad hunc effectum; Secus autem ubi ista circumstantia cesserit; Atque hinc, in ista legali facultate, resultat magna æquivocorum frequentia, quoniam ea, quæ in

uno casu, quamvis iustè, ac fundatè decisa, vel dicta sint, uno alterum transcribentes, statuuntur pro regula generali, cuiusque casui applicabilis.

Quo verò ad alterum punctum, an scilicet hæc legataria, quæ post mortem testatoris, immutando statum viduitatis ad alia vota transiit fecerat, habitationem ab hærede separatam, ac alimenta extra ejusdem hæredis mensam petere posset.

Scribentes pro ea, cum consuetæ ineptia, seu improbo pragmaticorum superfluo labore, magnum allegationum cumulum faciebant super conclusione, quæ in specie firmatur in *Romana ususfructus* coram Bevilacqua *decis. 95. n. 4. & 5. par. 12.* & pluries alibi insinuata, quod scilicet transitus ad secundas nuptias non causat amissionem legati, quamvis istud à primo viro factum sit, cuius, ejusque filiorum superstitum tantum favore, vel ratione, in ulu remanent pœnæ secundo nubentium, & non aliàs, ex iis, quæ ad hanc materiam secundarum nuptiarum habentur *sub tit. de successioneibus*; Multò igitur minùs, ubi agitur de legato factò per alium, quam per primum virum, ejusque caducitas non percutit favorem filiorum primi matrimonii, sed alterius.

Hoc autem posito; Quamvis iidem Scribentes admitterent regulam, ut habitatio, ac alimenta isto casu sequi deberent personam hæredis ob expressam testatoris voluntatem, quæ cessare facit questionem iuris, super qua ad fatietatem multa de more cumulantur Addent. *ad decis. 636. p. 4. rec. tom. 3* ubi, ac in aliis ibidem cumulatis habetur, de distinctione inter alimenta debita jure actionis, ac alia officio iudicis.

Dicebant tamen, quod etiam in casu quo ex legis, vel hominis dispositione, alimentandus recipere debet alimenta in domo hæredis, vel alterius alere obligati, qui extra propriam domum ad id non teneatur, adhuc tamen, id cesset ex iuxta causa, ex parte alimentarii verè non culpa, ex iis, quæ pariter ad fatietatem cumulantur per dictos Addent. *ad decisionem 636. num. 113. cum seqq. par. 4. rec. tom. 3.* Ubi quod inter iustas causas reputatur ista distentionum, vel odii ratione litis; Multo verò magis altera iusta causa quoque accedente, licitè, atque jure canonico potius approbatæ, quam improbatæ mutationis status per transitum ad alia vota, unde propterea nedum in congrua, sed ex facti qualitate impossibilis reddebatur dicta conviventia cum hærede, eo modo, quo in statu viduitatis sequuta erat.

Admittebam ego scribens pro hærede veritatem omnium præmissorum in abstracto, sive in suis casibus; At tamen (etiam cum aliquo sensu veritatis) negabam applicationem, in qua advertebam quod consisteret æquivocum; Procedendo etenim cum ea, (quæ mihi semper cordi est,) propositione, quæ pro meo sensu ante omnia præ oculis habenda est, ut in huiusmodi questionibus voluntatis, istius substantia principaliter attendi debeat, non autem procedi cum formalitate verborum, vel cum generalibus juris propositionibus; Ista verò substantia attendita, stantibus personarum qualitate, ac patrimonii quantitate, clarum videbatur, ut testatoris voluntas fuerit injungendi patruo ejus hæredi, ut sororem, quam viduam, atque in eo statu perseverantem præsupponit, apud se in propria mensa, ac domo retinere continuaret, eodem modo, quo ipse defunctus apud se retinebat, dum penè eadem sanguinis arcta conjunctio concurrebat; Idque modicum, ac ferè nullum redolebat onus; Tum quia conjunctæ mulieris existentia in domo, ob ejus opera, & servitia, potius commodum, & utilitatem importet; Tum etiam clariùs, quia modicum onus est mulieri, seu alteri conjunctæ personæ familiariter suppeditare alimenta in propria mensa, pro qua penè eisdem sumptus suppeditare oportet; Et consequenter obligando ad præstandum alimenta extra domum in pecunia, esset augere onus à testatore non volitum, neque injunctum iuxta decisa per Rotam in *Spoleana alimentorum 24. Maii 1593. coram Cyprio* cum aliis cumulatis *per dictos Addent. ad decisionem 636. par. 14. rec. tom. 3. num. 122. cum seq.* Ideòque dicebam quod aliud ab ista legataria præterit non posset, nisi æstimatio ejus, quod importaret præstare habitationem, ac alimenta in propria domo, atque id, quod domi fuisset impenurus iuxta ea, quæ habentur in Romana pecuniaria *per Ornano sub tit. de credito disc. 86.* Et ad quod conferre observabam ea, quæ habentur *sub tit. de servit. disc. 66.* super distinctione inter legatum habitationis, ac legatum facultatis habitandi, ex ibi deductis.

AN-

ANNOT. AD DISC. XXIV.

DE interpretatione legati alimentorum, habetur in hoc tit. disc. 67.

ALBANEN. CELEBRATIONIS MISSARUM

PRO MAGDALENA MANFRONA.

Responsum pro veritate.

Legatum hæredi injunctum, celebrationis certi numeri missarum in aliqua Ecclesia, an spectet ad religiosos dictæ Ecclesiæ, per quos perneceffe missæ celebrandæ sint, vel potius hæres possit sacerdotem ad celebrationem.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Legatum Ecclesiæ pro missis pertinet ad Rectorem.
- 3 Fallit ubi onus est injunctum hæredi.
- 4 Legatum pro missis in Ecclesia monialium, cui Ecclesiæ debeatur, si moniales transferantur.
- 5 Quod Clerici sæculares possint accedere ad Ecclesias Regularium.
- 6 Decretum Gratiani non est authenticum.
- 7 Declaratur conclusio, de qua n. 5.
- 8 Declaratur circa idem consil. Abbat.
- 9 De alio casu controversia.
- 10 De aliquibus declarationibus S. Congregationis.
- 11 Ubi Regulares opponant ne Clerici sæculares missas ibi celebrent, legatum in alia Ecclesia impleri potest.
- 12 De aliis declarationibus Sac. Congregationis, & quando procedant.

D I S C. XXV.

Dominicus hæredem instituit Aloysium Joannem Baptistam filium, cui morienti sine prole, succedere voluit Margaritam uxorem, cum onere, ut teneretur celebrari facere pro anima ipsius, & suorum in Ecclesia Beate Mariæ Gratiarum Oppidi Maræni singulis annis quasdam missas in perpetuum; Cum autem factus esset casus dictæ substitutionis, dictaque Ecclesiæ pertinet ad Clericos Regulares minores, istique prætenderent jus, & actionem habere exigendi effectus ad id assignatos, hæres autem vellet in eadem Ecclesia, quatenus impedimentum non reciperet, celebrari facere ab aliis Sacerdotibus dictas missas, si minus in casu impedimenti in alia Ecclesia; Hinc ex parte Magdalene hæredis dictæ Margaritæ interim defunctæ pro veritate consultus.

Respondi, quod quando legatum directum esset in ipsam Ecclesiam, quia nempe dictum esset relinqui Ecclesiæ annuam summam pro missis celebrandis, tunc probabilis respondendum esset pro dictis Regularibus, qui Rectores eorum Ecclesiæ dicuntur iuxta *decisiones Cavaler. 369. & 405.* in quibus firmatur, ut legatum factum pro missis celebrandis in Ecclesia, debeatur ejusdem Ecclesiæ Rectori, cui incumbat onus, seu cura celebrationis, quod etiam habetur *dec. 294. & 338. p. 9. rec.* ubi concordantes.

Verum, quia onus injunctum erat ipsi hæredi, idcirco pro isto potius in hac facti specie dici respondendum videri, quoniam, ubi onus hæredi injunctum est, aliam iste non habet obligationem, nisi illam adimplendi, atque curandi, ut sequatur opus à testatore volitum, & sic ipsum sacrificium, quod solum à testatore contemplatum fuit, non autem una, vel altera persona, quæ celebrare deberet, ut bene advertit Petrus de Ubaldis in *tract. de portione Can. cap. 7. n. 57.* atque per argumentum à contrario comprobant eadem *dec. 294. & 338. p. 9. rec.* in quibus totus punctus restrictus fuit, an onus injunctum esset hæredi vel Rectori.

Et licet in contrarium facere viderentur deducta apud Scraph. *decis. 1149.* ubi quod non videatur contemplata Ecclesia localis, sed ea, quæ essent moniales, quæ principaliter contemplatæ videntur; Nichilominus ibi deducta non videbantur facere ad rem, ob diversæ facti circumstantias, quoniam legatum directum erat in Moniales, atque ex dispositionis contextu apparebat, quod factum esset in earum gratiam, ut ita scilicet relevarentur ab onere sustentandi proprium cappellanum pro missa quotidiana conventuali, qua indigent, Unde propterea bene decidit, quod si Moniales translatae sint de loco ad locum, *Card. de Luca Lib. XI.*

missæ celebrandæ sunt in nova Ecclesia loci translationis, ubi illæ resident, non autem in antiqua, quamvis testator illam expressè nominasset, cum censetur nominata demonstrativè, & cum præsupposito, quod Monialibus deserviret.

Et quamvis pro ratione dubitandi ponderarem dispositionem textus in *cap. dudum 18. quæ est. 2* ubi deciditur, quod clerici sæculares accedere non debent ad celebrandum in Ecclesiis regularium, nisi ab istis invitentur, per quem textum ita in terminis plenè firmat Abb. *conf. 59. par. 2.* At tamen dicebam, quod huiusmodi prohibitio hodie de facto non militaret; Tum quia decretum Gratiani non est authenticum, minusque Canones in eo contenti habent vim legis, ut habent illi, qui continentur in Decretalibus, & sexto, aliisque annexis, ut advertit Rota apud Peniam *decis. 377.* iuxta Venetam aliàs 484. iuxta *Lugdunon.* & in aliis; Tum etiam, quia cessavit dicti Canonis ratio, quæ consistit in eà solitudine, ac totali separatione à commercio sæcularium, quam præcisè temporibus monaci profitebantur, utpotè anachoreticam vitam nunc potius ducentes, cuius oppositum hodie ab introductione Mendicantium, aliarumque modernarum Religionum citra, de facto servatur, dum in regularium magis quam clericorum sæcularium Ecclesiis populi concurrat habetur, atque in eis frequentius divina ministrantur, ipsique regulares magis quam clerici sæculares laicorum negotia pertractant.

Quæ autem dicuntur per Abb. *disso. conf. 59.* percutiunt materiam juris patronatus in Ecclesia regulari pro clericis sæcularibus non erigendi, nè sæculares jurisdictionaliter, atque in ratione auctoritativa jus haberent divina celebrandi in Ecclesiis regularium, ita ordines confundendo, præsertim verò, ubi ageretur de altera majori, ex deductis in materia per Addent. ad Boratt. *decis. 1.* Secus autem, ubi agitur de implendis oneribus missarum non solemnium, in aliis ejusdem Ecclesiæ altaribus; Ut circa annum 1657. pro absoluto habitu fuit per S. Congregationem de Propaganda Fide occasione erectionis quarundam cappellanarum annuatum, quam Cardinalis Cornelius in testamento demandaverat pro aliquibus missis quotidie celebrandis in capella S. Theresiæ per ipsum fundata in Ecclesia B. Mariæ di Victoria ordinis dictæ S. Theresiæ, non obstantè oppositione doctorum religiosorum, pro quibus ego scribens more Advocati deducebam dictum *conf. Abbat.* ejusque fundamenta, quoniam dictum fuit, quod ille loquitur in dictis terminis; Quamvis in eo casu dictis PP. deinde S. Congregationi humiliter supplicatis, gratiosè sumptum fuerit quoddam temperamentum, ex ratione eorum particularis Institutum.

Stantibus præsertim aliquibus declarationibus Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium in una *Neapolitana die ultima Febr. 1605. & in una Mediolan. 4. Maii 1608.* ac altera declaratione S. Congregationis Concilii in una *Romana 15. Januarii 1639.* ut regulares teneantur præstare patientiam in eorum Ecclesiis, ut missæ relictae possint celebrari per sacerdotes sæculares, cum aliqua tamen congrua, & honesta contributione pro expensis cere, vini, hostiarum, atque etiam usus paramentorum.

Quatenus verò dicti regulares, oblatione dictæ contributionis non contenti se opponerent, atque hæres non curaret suscipere onus illos cogendi; Tunc dixi, quod liberum remaneret dicto hæredi onus prædictum adimplendi in alia sibi bene visa Ecclesia, ex jam dicta ratione, quod ipsum opus, seu sacrificium principaliter à testatore volitum, seu contemplatum dicitur; Atque ita declaravit Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium in una *Burgi S. Sepulchri 7. Octobris 1617. & in una Balneoregion. 18. Martii 1622.* dum facultatem dedit loci Ordinario transferendi onus in aliam Ecclesiam.

Fundabant (quantum relatum fuit) dicti regulares eorum prætenionem in quibusdam declarationibus Sacre Congregationis relatis per Barbof. de Paroch *cap. 11. n. finali, & per Nicol. in suis hostiis*; Verùm istæ percutiebant regularium exemptionem à subministrata paramentorum, cere, vini, & aliorum, quæ necessaria sunt pro missarum celebratione, undè quando sæculares de his se provident, corrumpit hoc fundamentum.

ANNOT. AD DISC. XXV.

DE concernentibus celebrationem Missarum videantur ea, quæ habentur in *Miscell. Eccles. disc. 1. & 23. & in Adnot. ad S. C. T. disc. 17. & 21. & disc. 24. de Donat.*

C 2 HOR.

HORTANA LEGATI. PRO P.P. CARMELITANIS TERRÆ CANEPINÆ.

Responsum pro veritate.

Facto legato de aliquibus bonis, quæ alicui censui, vel oneri affecta sint, cui incumbat, census, vel oneris solutio, an scilicet hæredi, vel legatario.

SUMMARIUM.

- 1 Facti series. 2 Ut onus censuum sit donatarii, non autem legatarii, & de ratione differentie. 3 Distinguitur etiam ad effectum legati, an onus sit proprium, vel occasionele. 4 Census consignativus est onus personale. 5 Illeque non irruit dominium, vel jus reale in fundo. 6 Secus dicendum in occasionele. 7 Iste distinctio attenduntur in dubio, secus autem, ubi constat de voluntate. 8 Quomodo ista voluntas mittenda sit, & ad quid suffragetur favor piæ causæ. 9 Status hæreditatis, & qualitatis operis in legato injuncti attendi debet. 10 Quid operetur, quod legatum relictum sit titulo institutionis. 11 Vel si agatur de legato alicujus universitatis bonorum. 12 De eodem, de quo n.8. & quomodo questio decidenda sit.

DISC. XXVI.

Cum testator, institutionis titulo reliquisset bona existentia in territorio Viterbiensi, ad effectum ex illis construendi Ecclesiam in Conventu Carmelitanorum loci Canepinæ, ac etiam celebrandi quasdam missas, & anniversaria, dictaque bona affecta essent quibusdam censibus consignativis, super eis impositis ad formam Bullæ Pii V. Hinc orta est controversia, an ad Conventum legatarium spectare deberent bona libera, itaut onus esset hæredis universalis dictos census redimere, seu aliàs eorum onus in se assumere; Vel potius de converso legatario illa obtinere deberet, sic onerata, & affecta; Cumque desuper ex parte dicti Conventus pro veritate meum consilium experitum fuerit.

Respondi, quod licet, ubi agitur de legato pro legatario de plano respondendum videatur (quasi quod difficultas esset solum in casu donationis inter vivos) auctoritate Rotæ in Romana census 7 Februarii 1628 coram Pivovano, ut dicit Marin. resol. 12. lib. 1. ubi registrat eandem decisionem, quæ etiam est impress. decis. 517 post Cenc. & decis. 143. p. 5. rec. in qua donatario, secus dicitur contra, ita contrarium supponendo in legatario, cum quo benignius proceditur, atque favorabilior interpretatio capienda est, potissime, ubi agatur favore causæ piæ.

Attamen verius videri dixi, ut inspiciendum sit, an ageretur de censibus impositis per eundem testatorem, sed ejus auctores, quorum ipse esset hæres, ac successor universalis in universum jus activum, & passivum etiam personale; Vel de converso census per ipsum deberentur occasionaliter, tanquam à tertio possessore dictorum bonorum titulo singulari, adeoc nulla concurreret propria, vel ejus auctoris obligatio personalis, sed eatenus teneretur, quatenus esset possessor, & sic jure obligationis occasionalis, seu causativæ juxta casum, de quo agit Amat. ref. 21.

Primo enim casu, quo legatario respondendum esse censui per dispositionem text. in l. si res obligata ff. de legat. 1. ubi communiter scribentes latè collecti per Cenc. de cens. quest. 79. ex num. 16 & per scribentes apud eundem, super impugnatione dictæ decisionis, etiam in casu donationis, ex ea ratione, quod census consignativus in ordine ad ipsum impositorem, vel ejus hæredem universalem, verè dici non potest onus intrinsecum, & reale, ut sunt census reservativi, vel canones, seu livelli, ac similes, sed potius continet onus, seu obligationem personale, interveniente solum fundo, ut satisfaceret formæ præscriptæ per Constitutionem Pii V. seu ob intrinsecam naturam contractus, ut verius fortè videtur, quoniam ex veriori opinione in censuarium non transit rei censuata dominium, minimeque servitus, vel aliud jus reale queritur, sed solum quædam hypotheca magis specialis ex deductis per Cenc. quæst. 1. n. 23. & qu. 23. per tot. ne habetur pluries in sua ma-

teria sub tit. de censibus, ac etiam in Romana seu Tudertina collectæ sub tit. de Regalibus disc. 92. occasione questionis, an creditor census teneatur, necne ad collectas in loco fundi censui, ac alibi.

Si verò dictum onus esset (ut supra) occasionele seu causativum tanquam à tertio possessore titulo singulari bonorum, & tunc dicebam, ut secus respondendum esset, cum tunc non intree ratio text. in d. l. si res obligata, sed potius congruere videatur ratio, ob quam ad legatarium pertinet onus intrinsecum, seu reale, quale respectu tertii possessoris, etiam census consignativi importare videntur, ut admittitur per scribentes apud Cenc. disc. 9. 79. n. 58. & segg. ubi sic distinguendo responderetur ad Gratian. & alios, qui partes hæredis contra legatarium tenent.

Utroque tamen casu dixi, quod questio sit potius facti, & voluntatis quam juris, proindeque ex distinctione prædicta firmari non potest omnino certa, & determinata regula generalis, sed solum juxta conjecturalium questionum naturam, hæc distinctio attendenda est pro inducenda præsumptione in dubio, secus autem, ubi diversæ voluntatis inditia, vel conjecturæ accederent, quoniam tunc istis omnino deferendum esset, ut de plano tanquam absolutum admittitur per omnes hinc inde de materia tractantes, quamvis inter se dissideant.

Super hujusmodi autem voluntate indaganda, pariter certa, & determinata regula tradi non potest, sed totum venit decidendum prudentis Judicis arbitrio, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis regulando, adeocut favor causæ piæ in hoc non importet privilegium positivum, per quod semper ad ejus favorem respondendum sit, ut generaliter ex motivo pietatis frequentius Canonistæ & Morales credere solent, sed sit circumstantia considerabilis ad faciendum præsumendam dispositionis voluntatem relinquendi necne bona libera, ob benigniorem, ac latiore interpretationem favore piæ causæ faciendam, ut debeatur quod magis, non autem quod minus, præsertim verò quoties (ut in hac facti specie) legatum non est gratuitum, sed onerosum, ac factum ad certum effectum, construendi scilicet Ecclesiam, ac successivè celebrandi in perpetuum missas, & anniversaria.

Ideoquæ dixi, ut firmari deberet status hæreditatis detractio ære alieno atque ita insipici valor bonorum legatorum, & qualitas oneris in eis existentis, necnon quantitas aliorum bonorum in hæreditate remanentium; Si enim onus super bonis legatis esset tale, ut eo etiam ad legatarium pertinente, adhuc bona sufficerent ad opus per testatorem demandatum, undè potius Ecclesia legataria contenderet de majori lucro, hæreditas verò, detractis dictis bonis, esset exigua, vel notabiliter præjudicata; si dictum onus illi incumberet, & tunc contra legatarium potius respondendum esset; Spectata præsertim qualitate personæ hæredis, an esset de sanguine conjunctis, ac verisimiliter prædilectis, sive an eidem adjecta essent alia onera, ad quæ hæreditas idonea non esset, vel ab eis absorpta remaneret, si istud quoque onus sibi incumberet; Et de converso, ubi ex dictis circumstantiis potius hæredi, quam legatario onus congruum esset; Et in summa, ut juxta singulorum casuum circumstantias, unam, vel alteram voluntatem suadentes, decisio sequi deberet.

Urgere videbatur contra legatarium notabilis circumstantia, quod testator, non titulo legati, sed ex illo institutionis, reliquisset dicto Conventui per quandam speciem universitatis omnia bona, quæ habebat in Civitate Viterbiensi; Licet enim, dato hærede universali, adhuc dispositio prædicta remaneat particularis, ac jure legati, itaut titulus institutionis importare solum dicatur facultatem capiendi propria auctoritate, quando legato adjicitur, cum de reliquo non concedatur pagano habere plura patrimonium, pluresque diversos hæredes eo modo, quo conceditur militi, seu feudatario, ut frequenter tam sub tit. de feud. quàm sub altero de hæred. & hæredit. & de successib. advertitur; Nihilominus id satis attendendum videbatur pro conjectura voluntatis testatoris, quod scilicet ita quodammodo distinguere voluerit patrimonium juxta distinctionem locorum, in quibus ea sita sunt, atque illud universum, quod existeret in dicta Civitate relinquere huic Conventui.

Ito etenim casu, dicta onera de plano incumbere legatario tanquam jura passiva dictæ universitatis bonorum incumbencia, ex iis, quæ de debitis unius patrimonii, seu negotii spectantibus ad illius successorem, absque contributione succedentis in altero patrimonio, habentur deduc-

ta apud Salgad. in labyrint. par. 1. c. 9. ex num. 48. & part. 2. c. 12. ex num. 68. & per Rot. dec. 51. 63. & 64. post Merlin. de pignor. & apud Royas dec. 268. ex num. 16. repetit. decis. 368. par. 9. rec.

Videbatur tamen, ut ista conjectura tunc attendenda esset, quando status bonorum esset talis, ut onere non obstante, congrua essent operibus à testatore volitis, secus autem econtra, cum ista conjectura videatur efficacior ac præponderans, præsertim si reliqua hæreditas esset idonea, & non ageretur de gravando filios, seu conjunctos verisimiliter prædictos; Ideoque concludendum, ut totum penderet ex factis, cujus potius quàm juris est questio, ex ejus qualitate decidenda; Et consequenter erroneum est, cum doctrinis generalibus, vel cum decisionibus in uno casu proditis, in omni casu procedere, cum exinde tot frequentia æquivoca resultent.

ANNOT. AD DISC. XXVI.

Ad quem spectet onus rei legatæ, vel donatæ, habetur sub tit. de donat. disc. 58. & sub tit. de cens. disc. 18.

ROMANA PRÆTENSILEGATI DE GESSIS.

PRO FRANCISCA & ANNA DE GESSIS CUM FABRICA S. PETRI.

Casus disputatus coram Judicibus Fabricæ, credo, concordatus.

Legatum incertum pro exoneratione conscientie, in confessarii, seu alterius arbitrium collatum, an perneceffe sit integrè adimplendum, Vel sufficiat illud implementum, quod exequutor fecerit; Et an bona, ex quibus testator dixit legatum implendum esse, stent demonstrativè, vel taxativè; Et aliqua de facultatibus Fabricæ circa legatam pia exequenda.

SUMMARIUM.

- 1 Facti series. 2 Legatum non dicitur pium, si opera pietatis ad speciem deducta non sunt. 3 De facultatibus Fabricæ S. Petri. 4 Non attenditur declaratio contraria testamento. 5 Quando legatum non sit in specie, sed in genere exonerationis conscientie. 6 De ditione præsertim. 7 De questione an destinatio stet taxativè, vel demonstrativè. 8 De eodem, ejusque effectu. 9 Rescisi verbum præstat solutionem. 10 Nemo mortuus præsumitur immemor eterne salutis. 11 Declaratur, & quando mortui attestati de fœderum sit. 12 De fiduciario. 13 De administrulis probantibus fiduciarii declarationem. 14 Quando dispositio collata in fiduciam religiosi non importet piam dispositionem &c.

DISC. XXVII.

Dominicus Gessus, institutus hæredibus Francisco, & Anna ex filia nepotibus, administratorem, & curatorem hæreditatis deputavit Petrum Paulum ejus fratrem in Religione Servorum, sibi attributa libera, & absoluta facultate, vendendi, alienandi, & permutandi omnia ejus bona mobilia, & stabilia; Præsertim verò eidem injunxit, ut venderet quasdam duas domos, earumque pretium erogaret, ut pro exoneratione conscientie idem testator sibi communicaverat, ac aliàs totum committendo ejusdem conscientie, illum eximendo à quavis rationum redditione, quodque præmissis nihil Religioni, vel Monasterio acquireretur.

Sequuta morte testatoris, dictus Petrus Paulus, nec dictas domos, neque alia stabilia alienare voluit, sed liberè administrando mobilia, & pecunias ac nomina debitorum, aliaque in hæreditate repta, exegit etiam à dictis hæredibus factis adultis, & nuptis scuta 100. quæ declaravit necessaria esse pro quodam alio implemento non sequuto, ne stabilia distraherentur; Deindeque mortuus declaravit fratris voluntatem in omnibus impletam fuisse; His autem ita sequutis, Procuratores Fabricæ prætereendere

cœperunt, quod dictæ duæ domus præcisè, ac in specie legatæ fuissent in opera pia incerta pro exoneratione conscientie, ideoque ob incertitudinem operum, ac neglectam exequutionem intrarent Fabricæ facultates pro applicatione sibi ipsi in vim Constitutionum Apostolicarum, atque juxta talem prætensionem prodit sententiæ Judicis primæ instantie, à qua interposita appellatione, atque deputato per Congregationem ejusdem Fabricæ alio Judice.

Pro hæredibus scribens dicebam, quod quidquid sit, an hujusmodi legatum dicendum esset pium, stante quod testator non explicaverat, ut in pia opera pretium prædictum erogandum esset, undè propterea non esset pium, neque caderet sub facultatibus Fabricæ, ex iis quæ contrariis respondendo latè probat Marant. junior respons. 32. p. 4. Ubi etiam tale dicendum esset, adhuc tamen dictæ facultates non intrabant, stant illius jam sequuto implemento.

Fabrica enim, utpotè loco Ordinariorum cumulativè subrogata, dicitur exequutrix piam dispositionum, quas hæredes, vel alii, quibus testatores injunxerunt, exequi neglexerunt, ne pia disponentium voluntas elusa remaneat, ut de hoc Tribunali, ejusque facultatibus habetur apud Rovit. in pragm. 1. de legatis pium, Capyc. Latr. dec. 180. lib. 2. ubi plenè de ejus introductione, & facultatibus, & per Rot. apud Ca valer. dec. 212. quæ in Curia circumfertur tanquam magistralis, & cum qua proceditur dec. 122. par. 7. rec. & Ferrar. transactionis coram Celsiorum suas dec. 78. & in aliis, ideoque ingerere se non potest in jam exequutis, cum impletus esset finis, ob quem ejus facultates introductæ sunt.

Scribentes pro Fabrica, non negabant hujus assumpti veritatem, quod scilicet, posita exequutione, seu implemento, non possit Fabrica illud prætereendere; Verùm infestabant super facto non sequuto implementi, non obstantibus quibuscumque exequutoris declarationibus, utpotè convictis ab eodem testamento, in quo præcisè demandatur alienatio duarum domorum, quarum pretium testator in communicata opera pro exoneratione conscientie erogari voluit, inferendo ut ipsæ domus tanquam species in legatum essent deductæ, ideoque dicebant esse impossibile, ut testatoris voluntas impleta esset, dum domus ex-

tabant penes hæredes non distractæ. Verùm (cum sensu etiam veritatis) improbabilem, parumque fundatam dicebam hujusmodi prætensionem, quoniam stante præcedenti generica facultate dicto Rel gioso attributa vendendi, nedum domos prædictas, sed etiam alia bona quæcumque tam mobilia, quàm stabilia, enunciatis dictis duabus domibus cum ditione præsertim, hinc proinde substantia voluntatis non consistebat, an conscientie exoneratio sequeretur cum pecuniis ex una, vel alia retrahendis, sed in ipso opere in universum, quod scilicet restitueretur, seu aliàs erogaretur id, quod exequutor, necessarium, vel congruum reputaret, pro assequendo dicto fine, seu effectu, qui unice, ac principaliter fuit in intentione testatoris, itaut domus prædictæ non starent taxativè, neque tanquam legatum in specie, sed solum demonstrativè, seu indicativè tanquam de bonis, de quibus magis pronptè talis voluntas impleri posset, dum ille insinuatè fuerant cum ditione præsertim, quæ non inducit necessarium, ac præcisam restrictionem, sed solum exprimit casum minus dubitabilem, alios non excludendo Gemin. consil. 16. n. 4. & cæteri apud Barbof. disc. 277.

Si enim casus dedisset, quod prædictæ domus, ex incendio, vel terræmotu, seu alio accidenti periissent, tunc retento intellectu prætenso per dictos scribentes, ulteriori implemento locus non esset, cujus contrarium ipsius dispositionis contextus, ac subjecta materia evidenter probabant, dum principaliter in intentione, ut supra, fuit ipsa conscientie exoneratio cum erogatione pecuniæ, & sic generis, quod nunquam perit, undè propterea dato casu peremptionis bonorum destinatarum, dispositio ex aliis impleri debuisset ad text. in l. quidam testamento ff. de legat. 1. Bart. in l. stipulamem §. sacram. num. 6. ff. de verborum oblig. Mantie. de consil. lib. 9. tit. 3. num. 20. & ceteri apud Rovit. decis. 57. & apud Merlin. decis. 456. num. 36. & alibi hoc eod. tit. advertitur.

Questio enim est inter scribentes super qualitate, seu natura dispositionis, an scilicet certa destinatio staret taxativè, vel demonstrativè, quæ una, vel altera qualitate posita; Quidquid Roman. & pauci sequaces teneant, magis communiter receptum est, ut nulla data distinctione inter pias, & prophanas dispositiones, in casu taxativæ, peremptio rei destinatæ liberet, secus autem in casu demonstrativæ.

strativæ, itant favor piæ causæ in hac materia in eo tantum sit operativus, ut facilis præsumere facit unam, quam alteram qualitate, & sic in dubio, sed isto cessante, itant qualitas sit certa, nihil operatur.

His igitur ita constitutis; Cum in facto iustificaretur, quod in hæreditate remansisset notabilis quantitas argenti, & pecuniarum, aliorumque mobilium prædictorum, quæ domorum valorem excedebant, de quibus per dictum exequutorem, seu administratorem nulla dabatur ratio, ita cum istis bonis voluntas disponentis impleta remanebat, stante ejusdem exequutoris geminata declaratione; Primo scilicet, quando recipit scuta centum, quæ declaravit esse pro residuo, & complemento, quod probat solutionem relinquat ad text. in l. si ex pluribus, ubi glof. verb. reliquam ff. de solut. Caval. dec. 228. n. 2. dec. 94. num. 20. post Merlin. de pignor. Et secundo in articulo mortis, quando præsumptio est pro veritate, cum nemo præsumendus sit immemor æternæ salutis, præsertim religiosus ex deductis per Menoch. lib. 5. præsumpt. 5. n. 3. Surd. dec. 103. n. 4. & 7. apud quos, & alios ibidem habetur propositio quam in foro circa privatas attestations quotidianam habemus quod mors habet vim juramenti, eique æquipollet.

Et licet Scribentes in contrarium super hujusmodi propositione impugnanda, nimium se diffunderent, allegando aliud axioma per ora pragmaticorum volitare solitum, quod non omnis præsumendus est S. Joannes Baptista; Attamen ut sæpius præsertim in *Perusina erectionis Canonice sub tit. de fideicommissis disc. 182.* & alibi deductum habetur, in hoc proposito procedendum est cum distinctione tradita per Alpham. in l. 1. Cod. de edend. num. 19. cum quo transit Genua de scriptura privata tit. de libris rationum num. 65. quod scilicet; Aut agitur de declaratione, seu attestacione facta per viventem in statu valido, atque ab imminentis mortis cogitatione alieno, cui subsequens attestans mors ex intervallo sequuta, absque alia ratificatione, robur tribuat tanquam species juramenti, & tunc dicebam, quod opposites bene dicebant, cum non iniret dicta ratio de non præsumendo morientem immemorem æternæ salutis, dum declaratio, seu attestatio facta est procul à mortis cogitatione; Secus autem, ubi constitutus in mortis articulo, videns per ejus imminentiam, quod non posset amplius sibi notam veritatem pandere, eam declarat, quoniam tunc attempta præsertim bona qualitate declarantis, absque dubio majoris ponderis hujusmodi declaratio videtur, quam jurata attestatio facta per existentem in statu valido, & à mortis cogitatione alieno.

Fortius dum agebatur de declaratione facta per exequutorem, seu confidentiarium, cujus fides per testatorem probata fuerat ad notata in l. Theopompus ff. de dor. præleg. & in l. quis procedente §. 1. Cod. de donat. ubi Cin. Bald. & ceteri, de quibus apud Afflict. decis. 171. num. 6. cum aliis in materia text. in dicta l. Theopompus plenè deductis in dicta *Perusina erectionis Canonice sub tit. de fideicommissis disc. 182.* ubi ex professo actum fuit, an, & quando exequutoris, vel confidentiarii declarationi standum sit; Potissimè verò ob plures circumstantias dictæ declarationis veritatem administrantes; Primo scilicet quod non agebatur de declaratione facta ad propriam exonerationem, & à se eximendo à redditione rationum, ad quam per Ordinarium, vel alium superiorem pullaretur, in quibus terminis intrare solet difficultas super fide hujusmodi declarationibus præstanda, & sic non agebatur de proprio interesse; Secundo quia agebatur de sacerdotè, & viro religioso; Tertiò quia de fratre germano testatoris, in quo præsumendum non erat, quod fratris animam absque proprio commodo gravatam relinquere voluerit; Et quartò demum, quia dum constabat, quod ad ejus manus pervenisset æquivalens, ac major summa, (nam aliàs sine delicto in præjudicium hæredum in diversos usus erogare non potuisset) in dubio capiendâ erat interpretatio, potius pro licito, quam pro illicito ad text. in l. merito ff. præfacto, cum concord. Felin. in cap. cum accessissent num. 11. de Confit.

Eoque magis præmissis veritatem assistere credebam, quoniam minime probabile videbatur, ut dispositio ita concepta contineret potius cautelam à dicto religioso professo excogitatum, ut scilicet ita habere posset liberam administrationem, ac dispositionem hujusmodi bonorum abque eo quod Religionem acquirerentur, vel à superioribus cogi posset ad redditionem rationum juxta casum, de quo in *Neapolitana legati sub tit. de testamentis disc. 56.* adeo non videremur esse in casu, quo testator alicui patri spiri-

tuali, vel extraneoreligioso revera commisisset, ut suam conscientiam exoneraret cum summis, ac bonis ab eo destinatis; Quia verò in hoc Tribunali non de facili transeunt propositiones hæredibus proficue pro excusandis oneribus, idcirco, me etiam consulente, concordia controversiæ finem dedit, ut frequentius contingit.

ANNOT. AD DISC. XXVII.

DE facultatibus fabricæ in legatis, aliisque dispositionibus incertis, habetur actum in *Annot. ad disc. 22. & 23. de Testam.* ubi concordantes.

PISAUREN. FIDEICOMMISSI PRO MARCO ANTONIO BORRO CUM MINERVA, & FELICE DE MONTE.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Minerva, & Felice, postea concordatus.

De legati acceptance, quando constare dicatur, necnè, ad effectum videndi, an bona legata, separata sint ab hæreditate, itaut non cadant sub fideicommissio universalium in eo ordinato, vel è contra.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
2 Ubi legatum non agnoscitur, seu aliàs sit caducum, remanet in hæreditate subiectum vinculis hæreditariis.
3 Acceptatio legati præsumitur in actu lucrativo data scientia.
4 Ex quibus scientia arguitur.
5 Declaratur conclusio, de qua num. 4. ut non procedat in legato oneroso.
6 Quando autem dicatur legatum onerosum, vel lucrativum.
7 Legatum non potest pro parte acceptari, & pro parte non.
8 Effectuat in parte operatur effectuationem in totum.
9 Observantia est bona interpretis.
10 Ex potestate desumitur voluntas, atque actus referendus est ad ritum licitum potius, quam illicitum.
11 In questionibus voluntatis omnia simul juncta ponderanda sunt.

D I S C. XXVIII.

Guidobaldus de Monte, instituit hæredibus, cum quodam fideicommissio, Horatio, Ugocione, Alexandro, & aliis ejus filii masculis, jure legati reliquit Felici uxori, pro restitutione partis acceptæ dotis, duo prædia, unum nuncupatum de Scappezzano; Et alterum de Soria, una cum accessionibus, & melioramentis; Cumque mortuis omnibus dictis masculis, Minerva, & Felix filiaz Joannis unius ex dictis institutis, prætenderent ad eam favorem apertum esse fideicommissum à dicto testatore ordinatum, immisionem proinde intenterunt adversus plures tertios bonorum possessores, præsertim verò contra Borrum possessorem dicti prædii nuncupati Scappezzano, quod emerat ab Honuphrio uno ex dictis hæredibus gravatis; Et assumpta desuper disputatione coram A. C. per istum ad favorem actricis sententiam fuit; Interposita verò appellacione, cum Signatura commississet causam in Rota cum clausula translativa, id (ut frequenter contingit) causam dedit concordiæ, dum amplius de causa actum non audi vi.

In disputationibus autem habitis, tam coram A. C. quam in Signatura; Scribentes pro actricibus, quibus Judex adhæsit, fundamentum constituebat in eo, quod non constaret de acceptance, ob ejus defectum bona legata, utpotè legatario non acquisita, remanere dicuntur in hæreditate per jus non decrescendi, & consequenter, quod veniant sub fideicommissio juxta magis communem, de qua in proximis terminis caduci habetur in *Romana prærens fide. commissi hoc eodem tit. disc. 29.* Quicquid in specialibus criminis legati repudiati, quoties institutio, & substitutio factæ sint in reliquis bonis, sentiant in contrarium Fulgos. conf. 99. Cephal. conf. 231. & alii relati per Fufar. q. 652 in principio.

Quo verò ad acceptance præsumptionem, quam ego scribens pro reo convento dicebam resultare ex sola scientia

3 fia, quoties agatur de actu lucrativo, ac favorabili ex deductis per Surd. decis. 111. num. 12. decis. 189. num. 15. post Zaech. de obligat. camer. decis. 356. part. 9. recent. Regien. bonorum 23. Januarii 1647. coram Corrado, & in aliis in quibus firmatur scientiam stare loco acceptance, & habetur pluries sub tit. de donatione.

4 Scientia verò non poterat controverti; Tum quia agebatur de uxore cum eodem testatore vivente, quia ipsius morientis voluntatis conscientia præsumitur, ut in allegata decis. 356. part. 9. Tum etiam quia iustificabatur ex facti circumstantiis.

5 Verùm respondebant, ut id procederet in actibus merè lucrativis, secus autem in habentibus admixtum onus, ut in presenti, dum testatori uxori reliquerat hæc prædia, utpotè comparata ex pecunia dotali per eum habita, atque in ejusdem pecuniæ satisfacionem, cum tuoc posset expedire non acceptare legatum, atque magis dictam pecuniam, quam bona habere, ut firmatur dec. 27. p. 7. rec. & in *Melvitana hæreditatis 17. Decembris 1649.* coram Royas inter suas dec. 314. & dicto tit. de donatione pluries.

6 Adhuc tamen, contrarium mihi probabilius videbatur, quoniam ex pluribus de dicta acceptance constabat; Primo nempe ex dicta probatione præsumptiva resultante à scientia, & utilitate juxta superius allegatas auctoritates; Non obstante dicta limitatione, quoniam ut bene declaratur in dicta *Reggien. bonorum* coram Corrado, ac non semel habetur in dicta sua materia sub tit. de donationibus; Limitatio prædicta procedit, quando onus est tale, ut incertum sit, an utilitati præponderare valeat, illamque etiam excedere, adeo ut concurrat possibilitas damnificationis donatarii, vel legatarii in bonis propriis; Secus autem, ubi dispositio, sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem, quamvis habeat aliquod onus admixtum, atamen semper, ac certè remanet utilis, quoniam cum illud sit inferius emolumento, hinc proinde in excessu certa remaneat causa lucrativa; Atque in his ultimis terminis versabamur, quoniam legatum non erat solum de prædiis, eo modo quo cum pecunia dotali comparata fuerant, sed etiam cum omnibus accessionibus, & melioramentis, quæ erant satis notabilia, ideoque utilitas erat indubitata.

7 Secundo clarius (in præmissis præsumptivæ probationis comprehensionem) quoniam legatum erat unicum, unica oratione, atque in eadem causam factum de duobus prædiis, uno scilicet controverso, & altero nuncupato de Soria, de cujus acceptance, ac possessione in legataria constabat, undè propterea resultabat acceptatio in totum, ex regula, quod legatum non potest pro parte acceptari, & pro parte non ad text. in l. legatarius ff. de legat. 1. & l. neminem cum sequenti ff. de legat. 2. Et ex altera propositione, quod effectuat in parte, operatur effectuationem in totum ex deductis per Adden. ad Greg. dec. 557. n. 7. cum seqq. Bonon. confus. 15. Junii 1648. coram Corrado, & habetur non semel sub tit. de Beneficiis in materia Regulæ revocationis unionum non effectuatorum.

8 Tertio ex sublequuta observantia, dum legataria donec vixit, dotem in pecunia non petiit, minusque ejus filii, & hæredes petierunt, ex recepta propositione, quam in foro quotidianam habemus, ut observantia sit optima interpretis, seu declaratio ambiguiæ voluntatis.

9 Quarto demùm evidentiùs, quoniam absolutum est de jure, ut legatum purum, quamvis à legatario non agnitum, transmittatur ad hæredes; Licet enim ista transmissio sit tanquam de agnoscendo, itaut in ipso quoque herede agnitio necessaria sit; Nihilominus, cum potestas sit certa, voluntas quoque in proposito certa videbatur, dum Honuphrius ejusdem legatarii filius, & hæres dictum prædium vendiderat tanquam omnino liberum, & cum assertione, quod illud ad se pleno jure spectaret; Iste siquidem actus, illicitus, & criminofus fuisse, si ille, qui alienationem fecit, illum gessisset tanquam representans solam personam hæredis patris fideicommittentis; Et conversò autem fuisse licitus, & validus, si fecisset tanquam representans alteram personam hæredis ejus matris, & legatariaz; Ideoque ex regula metiendi voluntatem à potestate, & ex altera capiendi in dubio præsumptionem delicti exclusivam, dicta alienatio referenda erat ad causam licitam ex titulo hereditario matris communiter notata in l. Marcellus ff. ad Trebell. ut habetur sæpiùs sub tit. de detract. & sub altero de fideicommissis.

10 Quamvis autem contra singulas supradictas probationes in specie, plura perferentes in contrarium deducere nup; Attamen, ultra quod videbantur æquivoca, & non

omnino concludentia; Dicebam quod difficultatem cadere posset, quando de ipsis singulis, ac singulariter consideratis agendum esset, secus autem iis infimal, & unitim attentis juxta vulgatam regulam in ambiguis, & conjecturalibus perpetuò attendendam, ut *singula que non profunt, unita juvant*; Ideoque credebam, ut iustitia huic parti assisteret; Ultra ea, quæ adversus eandem actricem in eisdem disputationibus deducebantur super hujusmodi fideicommissi insubsistentia, vel magna turbitate in toto, vel in parte; Post hanc autem controversiam sopitam per concordiam, actrices effectæ sunt meæ clientes in *Romana fideicommissi de monte sub tit. de fideicommissis disc. 42.* ubi tamen de fideicommissio diverso.

ANNOT. AD DISC. XXVIII.

AD materiam acceptance legati conferunt deducta in sua sede sub tit. de Donat. cum eadem distinctione inter causam onerosam, & lucrativam disc. 14.

ROMANA PRÆTENSIS FIDEICOMMISSI PRO PIORDIS CUM PETRO PAULO DE ROSIS.

Casus disputatus in Rota, incertus est exitus.

Legatum, cujus caducitas ob contra versionem prætendatur, an ita dicatur esse in hæreditate testatoris, ut cadat sub fideicommissio universalium per ipsum ordinato; Et de differentia inter casum caducitatis, & casum caducitatis.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
2 Legata effecta caduca, remanent in hæreditate, ideoque cadunt sub fideicommissio universalium.
3 De differentia inter casum caducitatis, & caducitatis.
4 An in casu contraventionis non dato substituto, intret caducitas, necnè.
5 & 6 De differentia inter casum conditionis, & modi, seu privationis, & non acquisitionis.
7 Pœna non declarata in vita, non declaratur post mortem.
8 De questione an contraventio causet mortem civilem.
9 De alia differentia inter modum, & conditionem.
10 Quando contraventio referri non possit dolo, vel delicto, ex quoresultat pœna.

D I S C. XXIX.

Simon Corona; instituit hæredibus pluribus filii Anastasio reciproco, ac successivo inter ipsos, eorumque descendentes, quamdam domum reliquit primo filio masculino ejusdem Anastasii nascituro, cum onere assumendi nomen ipsius testatoris, & quatenus dictus Anastasius alios filios non procrearet, illam reliquit Francisco uni ex dictis filiis jam existentibus, sub eodem onere, quod ipse nomen testatoris assumere, ac retinere teneretur, sub pœna caducitatis in casu contraventionis ad favorem Melchioris alterius filii Anastasii, cum eodem onere tenendi nomen, ac inhabitandi domum; cum autem aliis filiis non procreatis, tam Melchior, quam Franciscus Religionem ingressi essent, facta priùs donatione Anastasio patri, tam dictæ hæreditatis pro eorum portionibus, quam legati domus respectivè, undè propterea ex hoc titulo Anastasius dictam domum jure domini possedit, atque Piordi ejus creditores ex remedio interdicti salviani obtinissent ad eandem domum immitti; Hinc Petrus Paulus de Rosis, tanquam possessor dicti fideicommissi universalis ex personis Sulpitiæ, & Annæ Mariæ testatoris descendentiæ (ad quam favorem Rota in satis agitata *Romana fideicommissi de Coronis*, in qua plures habentur decisiones coram Cero, & coram aliis, de quibus in hac eadem causa sub tit. de fideicommissis disc. 131. declaraverat dictum fideicommissum apertum esse) præterece cepit, ut stante contraventione prædictorum Francisci, & Melchioris in non retinendo nomen testatoris, neque inhabitando domum, factus esset casus caducitatis ad favorem hæreditatis, proindeque illa caderet sub dicto fideicommissio universalium hæreditatis complexivo; Et assumpta desuper disputatione in Rota coram Faja; Scribentes pro actore, procedendo cum terminis legati effecti caduci, utpotè ab hæreditate nunquam avulsi, exindè inferebant ad rei legatæ comprehensionem

tionem sub eadem hæreditate, ac successivè sub fideicom-

missio in ipsa ordinato juxta dec. Surdi 269. cum aliis apud eum, & per Fular. quest. 652. n. 3. ad finem, ex quibus longas allegationes transcribunt.

Scribens ego pro Prioris reis conventis, dicebam quod etiam in casu caduci, non deunt negantes comprehensionem legati sub fideicommissio universalis ob deficientem testatoris voluntatem illud comprehendit, dum expressè dictum fuit institutionem concipi in aliis bonis, ex quibus verbis receptum est, ut non urgentibus contrariis administris prælegata non veniunt sub fideicommissio universalis, ut pluries in sua materia sub tit. de fideicommissis; Et in specie tenent collecti per eundem Fular. dicta quest. 652. num. 1. & 2. Verum admisso etiam, ut juxta magis communem, & probabilem opinionem, ut tali casu bona legata utpote ab hæreditate non avulsa, sed in ea per jus non decrescendi extantia eodem jure regulanda essent, quo reliqua bona hæreditaria; Adhuc tamen cessabat dictæ conclusionis applicatio ad factum, quoniam admissa etiam contraventione per actorem præsentia, eramus in casu caducitatis, qui emolumentum acquisitionem, ac respectivè privationem supponit, non autem in casu caducationis, qui supponit non acquisitionem, & successivè non abdicationem, seu separationem bonorum à suo corpore universalis hæreditario, ideoque magna differentia est inter unum casum, & alterum.

Casus enim caduci diversus est ab illo caducitatis, quoniam in primo casu caduci, legatum nunquam nascitur, neque res legatæ avelluntur ab hæreditate, in qua proinde jure continuationis perseverare dicuntur bona tanquam per cessationem causæ productivæ separationis, seu dismembrationis; In secundo autem, emolumentum jam quæstum est legatario, atque dominium ab hæreditate abdicatum est, ac translatum in legatarium, qui proinde in casu contraventionis dicitur privari per viam pœnæ, seu conditionis ad favorem substituti particularis in legato, quatenus hic datus sit; Ubi verò iste non adest (nisi testator aliter disposuerit) non videtur jure cautum ut revertatur ipso jure ad heredem (ut opus esset ad effectum, de quo erat quæstio;) Sed vel præceptum resolvitur in consilium, Vel quod legatarius non adimplens astringi potest per Judicem ad implementum præviis monitionibus, quibus spretis ex Judicis officio procedi etiam potest ad privationem ex deductis per Molin. de primogen. lib. 2. c. 12. n. 9. & c. 14. n. 13. & seq. Altograd. conf. 84. n. 4. r. & seq. lib. 1.

Tunc enim non implementum oneris causar non acquisitionem, quando adjectum est per viam conditionis suspensivæ à parte antea, itaut ejus implementum præcedere debeat acquisitionem, cujus principio non implementum se opponat; Secus autem ubi adjectum est per viam modi à parte postea, cum tunc supponat præcedentem acquisitionem, atque non implementum, seu contraventionem dicatur causa privationis juxta traditionem Barr. in l. quibus dicitur §. Tarmilus n. 6 & seq. ff. de condit. & demorsiv. Bald. in l. cum eorum C. de sement. & interlocut. n. 6. quos ceteri sequuntur collecti per Molin. dicto lib. 12. num. 2. cum seqq. & c. 14. n. 13. cum seqq. Altograd. dicto conf. 84. n. 6. lib. 1. Rovit. prag. 1. de viat. n. 11. & 12. bene Rota dec. 39. n. 1. & seq. part. 1. diversorum, & de qua distinctione habetur etiam sub tit. de testam. disc. 73. & sub altero de matrim. quando scilicet matrimonium contra præceptum testatoris contractum, sit causa non acquisitionis, vel privationis, & sub tit. de fideicommissis. disc. 134.

In facti verò specie, pianum videbatur, ut ageretur de modo, tam respectu oneris habitandi domum, quod per necessitè præsupponit præcedentem acquisitionem, si e qua sequi non potest habitatio habens tractum futurum, & successivum, undè impossibile est, ut ea dici possit conditio à parte antea, quam etiam circa assumptionem nominis, quæ ex magis communi, & recepta, non est faciendâ nisi post jam pacificè quæstum, & obtentum emolumentum ex deductis per Molin. dicto cap. 12. Rota dicta decis. 39. part. 1. divers. & 310. num. 5. part. 7. Potissimum quia implementum non consistit in simplici assequutione, sed in retentione, & sic pariter est actus habens tractum futurum, & successivum, cui congruere non possunt termini conditionis à parte antea se opponentis principio acquisitionis.

Ita theoretica ita constituta; Dicebam (etiam cum sensu veritatis) quod cum Anastasius, cujus personam, & jura rei conventi tanquam creditores representabant, esset donatarius, tam primi legatarii, quam etiam substituti, at-

que in utroque doceretur in facti de implemento, donec fuerunt in sæculo, hinc prorsus improbable remanebat actoris præsentio excitata post utriusque mortem, quoniam cum ageretur de pœna privationis præviis monitionibus, & contraventione declaranda per Judicis sententiam, id sequi non poterat post mortem ad notata per DD. in l. finali, Cod. de repud. & alibi ex deductis per Buratt. & adden. dec. 617. num. 2. & 7. dec. 143. num. 18. part. 10. rec. & habetur latius actum sub tit. de fideicommissis in Parmen. fideicommissi de Scoffonis disc. 148.

Quæstio enim, an contraventio causet mortem civilem, atque aperiat locum fideicommissio, seu substitutioni non expectata sententia, vel Judicis declaratione, procedit, ubi datus est substitutus, itaut dici valeat, ut implementum, vel respectivè contraventio consideretur potius tanquam qualitas, seu conditio resolutive, ex iis, quæ dicto tit. de fideicommissis. habentur disc. 7. & 148. & in aliis; Sed ubi cessat substitutus, itaut juxta magis rigorosam sententiam, non resolutio præcepto in consilium (ut alii volunt) fiat locus officio Judicis, ad cuius effectum eo perseverante in contumacia, perneceffe dare oportet processum contumacialem, & sententiam contra viventem.

Alterum item notabilem effectum ponderabam resultare ex dicta differentia inter conditionem, & modum, quoniam primo casu non spectatur, an non implementum conditionis resultat ex dolo, & malitia, necnè, quoniam sufficit, ut ea non sit impleta, seu sit defecta, cum in conditionibus attendatur nudum factum; Ubi autem agitur per viam pœnæ, tunc opus est, ut contraventio sequuta sit ex certa scientia, adeont actus redoleat dolum, vel malitiam, à quibus quælibet causa excusat ex deductis per Orthobon. dec. 110. num. 2. r. & seq. dec. 230. num. 7. & seq. par. 7. rec. cum aliis sub tit. de fideicommissis. disc. 154. ubi ita distinguendo habetur inter implementum consideratum tanquam conditionem, seu qualitatem, & alterum consideratum tanquam delictum productivum privationis.

Dici autem abique dubio non poterat, ut ista contraventio dici possit sequuta ex dolo, vel malitia, redolente delictum potivum pœnæ productivum, quoniam ad hunc effectum requirebatur scientia certa, & specificæ ex deductis per Buratt. dicta decis. 167. num. 1. & passim, & de qua in præsentia contabatur; Atque absonum fuisset dicere, ut ingressus in religionem, ac electio status perfectioris importaret delictum punibile, ideoque, Vel præceptum intelligendum esset, quatenus fuisset in sæculo, ac justam non haberet causam aliàs faciendi; Vel quod tunc præceptum haberetur in isto casu factum tanquam consilium; Vel quod saltem id præberet justam causam, quæ excusaret à delicto, & pœna, dum præsertim non concurreret substitutus, atque res non erat integra ut supra; Inceritum est autem quis fuerit resolutio, sed puto quod, Vel juxta præmissa ad favorem hujus partis, Vel quod dilata resolutione, actor distiterit ab ulteriori prosecutione, dum non audivi amplius actum de causa, nisi ea moverit defensor, ut frequenter contingere solet in Curia observatione causæ Patroni, credebam tamen, ut justitia huic parti assisteret.

ANNOT. AD DISC. XXIX. & XXX.

DE materia caducationis legati, & de vulgari anomala illam præservante, habetur in sua sede sub tit. de fideicommissis. disc. 107. cum seq. ubi in adnot. habentur concordant.

ROMANA LEGATI DE AGGAZARIIS PRO CLERIA DE PAULELLIS CUM FABRICA S. PETRI, SEU EJUS CESSIONARIO,

Consilium pro veritate.

De eadem materia caducationis in legatis particularibus; Et an, & quando in eis intret vulgaris directæ, vel anomala necnè.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
2 De vulgari anomala, seu in fideicommissio.
3 An in ea intret differentia inter dispositiones universales, & particulares.
4 Quod etiam in legatis intret vulgaris directæ, vel anomala.

- 5 Declaratur, quando per unam, vel aliam verborum speciem concepta.
6 De diffæ declarationis, vel distinctionis verborum impugnatione.
7 De materia transmissionis.
8 Quod causæ consistentes in articulis juris, sint semper dubiæ, & incertiæ, ideoque consulti debeant concordare.

D I S C. XXX.

IN casu mortis abique prole Virginie filie, ac hæredis universalis, Camilla testatrix legatum fecit Magdalene, Victorie, Julio Cæsari, & Cosmo filiis Clerie sororis, vel neptis, scutorum 1500. pro singulis, cum reciproca inter eos, Cum autem vivente testatrice, obiisset Cosmus, superstitite Cleria juniore filia; Hinc factæ casu dicti legati, orta est quæstio, an per legatarii prædecessum, sequuta esset caducatio, vel potius locus esset vulgari anomaliæ, à dicta caducatione præservanti ad favorem filiorum præmortuorum, qui dupliciter vocati erant; Primò scilicet per testatricem; Et secundò tanquam positi in conditione ex Statuto 142. Urbis; Cumque dicta Cleria ex Cosmo prædefuncto superstitesset, favorabilem sententiam reportasset pro caducationis exclusione, ac legati assequutione, atque pendente appellatione, assumptus esset quidam concordie tractatus super aliqua dicti legati diminutione, hinc proinde ex parte ejusdem, seu verus ejus, qui ipsam adhuc peuellam uxorem ducere intendebat, pro veritate consultus fui, an expediret concordiam amplecti, proindeque aliquam diminutionem pati, vel potius litis aleam prosequi, ut totum obtineretur.

Quamvis autem alii prius desuper consulti, seu causæ defensores, essent in sensu, ut nihil dimittendum esset tanquam in re clara, freti iis, quæ plenè ex dicta theoretica Bart. in leg. quamvis n. 10. ff. de acquir. hæred. firmantur per Rotam dec. 201. & 227. par. 8. rec. quæ sunt repetitæ apud Bich. dec. 17. & 27. cum aliis, de quibus dicto tit. de fideicommissis. disc. 107. & seq. in materia vulgaris anomaliæ caducationem impediens, & ob quam secundus per corruptionem primi, atque per subingressionem in ejus locum efficitur primus; At tamen diversa fuit mea sententia, cum non ageretur de dispositione universalis, in qua facilius dicta theoretica intrat, atque difficilior admittitur limitatio deducta ex altera theoretica Angelii in eadem l. quamvis, de qua pariter dicto tit. de fideicommissis. disc. 107. Sed agebatur de legato particulari, in quo aliqua major dubitandi ratio cadere videtur ex iis, quæ in iis terminis legati particularis habentur cod. tit. de fideicommissis. disc. 108. ac in decisione in eo casu edita.

Quamvis enim, ex magis communi opinione per Romanam recepta, etiam in legatis particularibus rectè intret substitutio vulgaris directæ, vel etiam anomala ad textum in l. ut hæredibus, ff. de legat. 2. & l. si legata, C. de legat. cum concordantibus, de quibus in Bonon. legati ususfructus 5. Decembris 1650. coram Bichio inter suas decis. 445. At tamen isto casu requiritur, ut verba sint directa civilia, secus autem ubi communia, vel obliqua, ut ex theoretica Bartol. cæteris relatis firmatur in decisione edita in casu, de quo dicto disc. 108. de fideicommissis. ubi concordantes; Et consequenter in legatis particularibus aliqua major dubitandi ratio cadere videtur, ob quam, stante illa, quam quotidie experitur, ingeniorum varietate, ut quod uni videtur album, alteri æqualis doctrinæ, ac integritatis nigrum videatur, mea est consuetudo semper consulendi concordias, neque certum judicium pro veritate dandi, quoties ad purum articulum juris, sive ad conjecturas, quæstio reducatur.

Est bene verum, quod ut eodem disc. 108. advertitur, ista distinctio, inter dispositionem universalem, & particularem, & an hæc posterior, per unam, vel per alteram verborum formulam concepta sit, pro meo sensu continet æquivocum clarum, atque unam de consuetis legaleis frigiditatibus, quoniam revera sensus Bartol. & sequacium percutit primam, seu directam vulgarem, non autem hanc secundam, quam anomalam, seu in fideicommissio dicimus, ad diversum effectum, ut scilicet legatarii rei particularis, ita defecto hærede universalis, efficiatur hæres directus ex ibi deductis; Sed quia communis schola id recepit, hinc difficile est in foro id suadere, cum hujusmodi ponderationes, vel distinctiones, referri soleant acumini Advocatorum, ideoque vocantur ratiocinia.

Credebam quoque in hac facti specie, ut ad favorem hujus filie legatarii defuncti ante factum casum

sua vocationis, seu legati, assisteret alterum motivum insinuatam in Senogallien. discurs. 3. super transmissioe ex conjecturata verisimili voluntate testatricis, etiam ubi de stricto jure, ipsius filie vocatio propria in vim dictæ vulgaris anomaliæ non intraret, adeont, sive uno, sive altero modo, caducatio per hæredem præsentia non intraret, cum facilius admittatur transmissio, quam vocatio ex pluries deductis in dicta sua materia sub tit. de fideicommissis. præsertim disc. 98.

Adhuc tamen concordiam consuli, quoniam, ubi ea honesta sit, adeont remissio non esset valdè notabilis, tunc ex motivo superius insinuat, quod scilicet ubi causæ reducuntur ad conjecturas, puriorque articulus juris, ob dictam ingeniorum varietatem, semper sunt periculosæ, neque certum judicium super earum eventu dari potest, ut quotidie experimur; Siquidem vincuntur causæ, quarum certa succumbentia in congressibus Advocatorum timetur, eandem verò succumbentiam patiendò in iis, quas concluditur esse planas, sive eas vincendo ex motivis, quæ omninò fallacia, & debilia reputantur, rejectis illis, quæ solida creduntur, juxta præsertim casum, de quo in Manruana sub tit. de feud. disc. 10. & 11. & in aliis; Ideoque, ut præsertim advertitur in Bonon. fideicommissi de Populis sub tit. de fideicommissis. disc. 179. irrisione digni videntur illi, qui nullam forei notitiam, ac negotiorum experientiam habentes, antiquiorum dicta cum improbo labore solum transcribendo, obloquuntur & mala conscientia Advocatorum defendentium causas injustas, quoties istæ consistant in articulo, seu quæstione juris, vel in materia conjecturali, cum eorum propositiones vel procedant quoties injustitia pendeat ex facto inalterabili, ut dicto disc. 179. de fideicommissis. advertitur, ac etiam sub tit. de judic. in præxi & relatione Curie; Et consequenter concordia semper sunt laudandæ, & consulendæ.

ROMANA LEGATI USUSFRUCTUS PRO URBANO MILLINO CUM PATRITIIS.

Casus disputatus coram A. C. seu Prælato deputato, sub incerto exitu.

Legatarius ususfructus universalis, an participare debeat de usufructu rei particularis, alteri relicto, Et an dictus legatarius universalis haberi debeat loco hæredis.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
2 De quæstione, an usufructuarius sit hæres, vel legatarius.
3 De eodem, ut sit legatarius.
4 De conjecturis contrariis remissivè.
5 Et quomodo debeant attendi.
6 Usufructuarius universalis participat de usufructum rei particularis legatæ.
7 Quomodo ista conclusio procedat, & quando limitetur.
8 De eodem, & quomodo in conjecturis procedendum sit.

D I S C. XXXI.

Cum Catharina Pinella, institutis hæredibus Astaliis ejus filii, ex primo matrimonio susceptis, usufructuarium universalem reliquisset Urbanum Millinum ejus tertium virum, relicto etiam usufructu quorundam bonorum Patritiis, ex eo intuitu, quod eadem bona in eam obvenissent ab ista domo ex successione unius filii, quem ex Patritio secundo viro susceperat; Hinc orta est controversia, an Urbanus usufructuarius universalis, participare deberet etiam usufructum dictarum rerum particularium; Et introducta causa coram A. C. seu Prælato per eum deputato; Scribentes pro Patritis legatariis particularibus, in eo principaliter insistebant, quod Urbanus, potius hæres quam legatarius censendus esset, ideoque ad legatorum præstationem obligatus, ità assumendo quæstionem, de qua apud Merlin. dec. 505. alias 22. par. 6. rec. Altograd. conf. 104. l. 2. Capyc. Latr. cons. 112. Marcian. jun. disp. 99. cum aliis de quibus non semel sub tit. de legit. & detraçt. ac etiam sub altero de fideicommissis. An scilicet institutus hæres in usufructu, post cujus mortem alter ad hæreditatem vocatus sit, dicatur hæres pleno jure eam onere restituendi post mortem alteri, qui substitutus po-

potius dicendus veniat; Vel è converso, hic censetur heres à principio, ille verò legatarius.

Verùm, ultra quod, quando etiam titulo institutionis, usufructus universalis relinquatur, adhuc magis communis, ac recepta opinio est, ut censetur legatarius potius, non autem heres, ut locis citatis advertitur.

Dicebam difficultatem cessare ex facto, dum dictus usufructus, non titulo institutionis, sed titulo legati in testamento relictus legebatur; Ea etiam notabili circumstantia accedente, quod institutio concepta erat favore filiorum, quos purè ab initio mater instituere tenebatur, unde propterea, Vel favore testamenti, pro eo sustinendo; vel ita desumendo voluntatem à potestate, facilius intrabat dicta communis opinio, ut qui post mortem vocatus est, censetur heres ab initio, ita infinuato tempore mortis pro effectu utilitatis fructuum de facto; Itaque circumstantia præponderare videbatur aliquibus levibus conjecturis, quas ex clausula *omni modo meliori*, sive ex præcepto conficiendi inventarium; ac similibus deducebant Scribentes in contrarium, eas desumentes ex iis, quæ plene in materia pro hujusmodi conjecturis deducuntur per Bellon. jun. de jur. acresc. c. 7. qu. 16. ex n. 292. & seq. ubi omnium latius agitur de hoc articulo; Potissimè verò, quia causæ Patronus in facto plures etiam conjecturas ex hac parte deducebat, circa quas ponderabam, ut opus non esset, quod aliàs præponderarent, easque omnino suffocarent, sed sufficeret, ut eas conquassarent, seu ita debilitarent, ut aptæ non essent ad stabilendam limitationem, qua non probata intentionem fundatam habere dicitur, ille qui habet pro se regulam, cujus hic est precipuus effectus Mantic. des. 251. n. 4. & seq. 5.

Hoc posito, nisi per legatarium particularem doceatur, saltem de præsumpta, & conjecturali diversa disponentis voluntate, tunc licet articulus inter scribentes sit controversus; Attamen, magis communis & recepta præsertim per Rotam & Curiam, & videtur opinio Bart. ut legatarius usufructus universalis, concurrere debeat cum altero rei particularis ex plene deductis per Adden. ad decis. 636. p. 4. rec. tom. 3. num. 24. & sequent. & admittitur dec. 579. num. 10. part. 5. quæ emanavit in specie inter hanc testatricem, ac dictos Patritios legatarios, & de qua conclusione habetur etiam actum in sua materia usufructus sub tit. de servitutibus disc. 55.

Incertus autem est hujus quæstionis exitus, dum post unicam disputationem, non audivi amplius de causa tractatum, forsitan (ut probabile est) concordia eam terminavit; Quoniam verò ista dicitur quæstio facti potius quam juris; Hinc proinde ponderatis toto contextu testamenti, aliisque circumstantiis resultantibus à qualitate personarum, & à causa legandi per testatricem expressa, ac etiam ab iis, quæ inter eandem testatricem, ac legatarios in lite inter eos habita contigerant; Ego non levem difficultatem habebam contra usufructuarium universalem; Licet enim in studia juris censura, conclusiones illi assisterent, atque singulæ conjecturæ pro legatariis consideratæ essent levæ; Nihilominus, atenta tota massa negotii, ac substantia verisimilis voluntatis testatricis major probabilitas assistere videbatur legatariis; Potissimè, quia ista videtur subtilitas juris, in sensu humano non facile perceptibilis, quoniam primo aspectu, quilibet non satis peritus Jurista, contrarium responderet.

Ideoque ponderabam, quod non multum urgentes conjecturæ necessariæ essent pro recessu ab ea communi opinione, quam circa dictam participationem supponere solemus per regulam, dum ista non est regula certa, quæ resultat ex claris principiis juris, sed solum proveniat ex illa opinione DD. quæ majores habeat sequaces, & consequenter, pro regulanda limitatione, magna constituenda videtur differentia, inter istum casum, & alterum, in quo regula sit certa, quia nempe ex claris juribus resultat, ut in proposito vocacionis filiorum in conditione posteriorum, & similibus regularum, quæ ex DD. opinionibus derivant, habetur alii sæpius, præsertim sub tit. de fideicommissis.

ANNOT. AD DISC. XXXI.

DE quæstione, an usufructuarius sit heres, vel legatarius Vid. concordantia allegat. ad disc. 1. & seqq. de hæred. & in hoc tit. disc. 63.

VELITERNA LEGATI PRO ELEUTHERIO SCANNELLONO.

Responsum pro veritate.

Legatum, in quo alter substitutus sit sub conditione mortis utriusque primi legatarii, an substituto debeatur, si conditio mortis naturalis in uno tantum purificata sit, in altero verò contingit mors civilis, seu ficta, puta transitis ad secunda vota.

Et aliqua in materia ademptionis, an scilicet adempto onere, quod legato adjectum est, ita quoque legatum ademptum censetur, sive illud cesserit, tanquam ex cessante causa.

S U M M A R I U M.

- 1 Adi series.
- 2 Secundæ nuptiæ posite in conditione inducunt mortem civilem, & æquipollent mortem naturali.
- 3 Portio hereditaria hæredis contravenientis, vel legatum, cujus caducitas incurrat, debetur cohæredi ex testamento, non autem venientibus ab intestato.
- 4 De alio casu controversie.
- 5 An legatum factum tutori cesserit, si cessat tutela.
- 6 De eodem, & quando causa legato adjecta, dicatur finalis.

D I S C. XXXII.

ANDreas, institutus hæredibus Magdalena matre, & Euphemia uxore, qui conditionem viduitatis adiecit, reliquit quamdam vineam post mortem utriusque Eleutherio; Cumque post mortem testatoris, obiisset etiam Magdalena, quæ in testamento, quæ hæredem scripsit eandem Euphemia postmodum ad secunda vota convolvit; Hinc pro parte Eleutherii pro veritate consultus fui, an factus esset casus legati ad ejus favorem; Et affirmativè respondi, non obstant, quod legatum conceptum esset sub conditione mortis utriusque mulieris, quarum una tantum obierat, Altera verò adhuc supervivebat, quoniam istius respectu conditio purificata etiam erat, per secundas nuptias, quæ stante conditione per testatorem adjecta, inducere dicuntur mortem civilem, naturali æquipollentem, ut in specie firmat Jo: Andr. ad specul. in rubr. de secundis nupt. ex cuius originali traditione (quidquid dubitet Roman. in l. si quis hæres, l. 2. num. 2. ff. de acquir. hæred.) communi calculo firmant Bart. Bald. & Alberic. in autb. quod locum, c. de 2. nupt. Jas. & cæteri in l. 3. ff. de instit. & subst. Ruin. conf. 17. num. 18. vol. 2. Decian. conf. 1. num. 89. lib. 1. Et hanc esse veram, & communem profertur Gomez var. resol. tom. 2. cap. 11. de qualitatibus contrahentium num. 24. Graff. de success. §. legatum quæst. 45. plenè Simon. de Pret. de interpret. ult. vol. lib. 1. fol. 14. ex num. 5. Menoch. lib. 4. præsumpt. 95. num. 10. & præsumpt. 185. num. 31. Bellon. jun. de jur. acresc. capit. 7. quæst. 18. num. 69. & alii communiter, adeo non videatur in iudicando, vel consulendo de hujusmodi opinione amplius dubitandum; Nisi diversa voluntatis inditia concurrerent, potissimè, quia in hac facti specie cessat illa dubitandi ratio, quæ in casu proposito per Jo: Andr. militare posset, ubi scilicet superest hæres innocens, ac dilectus, penes quem donec purificetur conditio per veritatem, posse remanere legatum ademptum legatarie binubæ, seu alias contravenienti, cum eadem contraveniens, seu delinquens hæreditariam qualitatem immediatè haberet ut supra, ideoque eramus in casu plano, quod scilicet legatarius utpotè conjunctus testatori esset magis dilectus quam hæres.

Prætendebat quoque idem Eleutherius, utpotè proximior, atque ab intestato successor, tam testatoris, quam Magdalene, ut ob dictæ Euphemie contravenitionem, hæreditas quoque sibi aperienda esset, stante caducitate in casu dicti transitus per testatorem expressè ordinata; Verum in hac parte contra ipsum respondendum esse censui, quoniam non datur intestata successio in casu testati, ideoque portio, hæredis contravenientis, non defertur successoribus ab intestato, sed accrescit alteri cohæredi testamentario, nè detur inconueniens, ut paganus decedat partim testatus, & partim intestatus, dum dicta defecta portio, utpotè accreta portioni Magdalene cohæredis, ad istius hæreditatem pertinebat, & consequenter ad eandem Euphemia, utpotè representantem personam omnino diversam.

In

S U M M A R I U M.

- 1 Adi series.
- 2 Annum, vel menstruum legatum dicitur ad vitam.
- 3 Quando dicatur declaratio, vel nova dispositio pro numero testium.
- 4 De eodem.
- 5 Verbum in perpetuum est adaptabile vitæ hominis.
- 6 An legatum menstruum factum duobus, intelligatur unitivè, vel distributivè.

D I S C. XXXIII.

POMPENS Columna filius olim Ducis Zagorolæ (Princeps Gallicani nuncupatus) destitutus prole, aliisque agnatis de proprio colonello, qui in ejus persona terminavit; Instituto hærede Stephano Columna Duce Bassanelli filio Principis Carbognani ex colonello, seu domo olim Dominorum Civitatis Prænestinæ, descendente ab illo Sarra satis noto in vita Bonifacii Octavi; Pluribus ejus familiaribus reliquit quasdam mensuras præstationes, majores, vel minores, juxta ipsorum familiarium conditionem, & quæ erant proportionatæ illis provisionibus, quas ipse vivens eis præstare solitus erat; Cumque aliqui ex dictis legatariis, sequuta morte testatoris, prætenderent, ut tale legatum esset perpetuum ad eorum hæredes etiam transmissibile, illi innixi fundamento, quod quidam Religiosus, qui fuerat testamenti scriptor, testaretur, quod testator dixisset, ut hujusmodi præstationes in perpetuum dari deberent.

Hinc introducta causa coram A. C. scribens pro dicto hærede (cum sensu etiam veritatis, qualem etiam Judex agnovit, ita pronunciando) dicebam, ut parum probabilis esset hujusmodi legatariorum præsentio, quoniam, ubi etiam, non de menstruo, sed de annuo legato ageretur, adhuc de jure illud, non perpetuum, sed ad solam vitam legatarii intelligendum est ad text. in l. in singulis, c. l. cum in anno ff. de annuis legatis l. in annalibus c. de legatis cum concord. per Mart. de success. par. 4. quæst. 18. art. 12. nu. 74. Anell. de Amat. conf. 34. de Marin. resol. 239. lib. 1. nu. 8. Buratt. decis. 643. nu. 6. Multo magis, ubi agitur de legato menstruo, quod ad formam mercedis, vel subventionis per Princeps, & Magnates in vita familiaribus præstari solet loco alimentorum, atque in præmium famulatus, vel obsequii; in morte autem relinquatur quodam jure continuationis, ne iidem familiares cogantur alieno servitio se addicere, vel in misero statu vivere, juxta eam legandi speciem, de qua habetur in Romana legati sub titulo de testamentis disc. 8. ubi agitur de materia Senat. Consult. Liboniani; Et quam consuetudinem satis attendendam esse dicebam ad clarior corroborandam dictam juris dispositionem.

Neque alicujus momenti videbatur dicta attestatio; Quoniam cum ex allegatis juribus, aliisque facti circumstantiis clarè, ac indubitanter legatum prædictum ad solam vitam legatariorum intelligendum esset, hinc resultabat, ut dicti testis dispositio induceret potius quandam novam dispositionem diversam ab ea, quæ in testamento legitur, & consequenter requiritur idem solemnis numerus testium, qui in ultimis voluntatibus est necessarius, ut ita distinguendo inter testes inductos super declaratione, seu interpretatione ambiguae voluntatis, ac alios ad novam voluntatem probandam cæteris allegatis habetur apud Mantic. de coniect. lib. 5. tit. 15. n. 9. Guttier. practicar. quæst. 180. Capyc. Latr. consult. 143. nu. 36. & seq. Rota in Romana annue præstationis 4. Julii 1662. coram Bevilacqua, de cuius casu habetur actum sub dicto tit. de testamentis disc. 46.

Hoc autem motivum, quod tanquam Advocatus deducebam (reflectendo ad veritatem) non videbatur tutum, quoniam licet regula ex supra allegatis juribus talis esset; Nihilominus ex ea resultare dicitur solum probatio præsumptiva, quam sicuti prohibitum non est per contrarias fortiores præsumptiones, vel adminicula destrui, ita prohibitum non videtur posse declarari per testes voluntatis testatoris confisos, præsertim verò per scriptorem testamenti, cui satis deferendum esse habetur sæpius sub tit. de testamentis, ac etiam sub altero de fideicommissis.

Adhuc tamen videbatur, ut dictæ attestacionis deferendum non esset, Tum ob aliquas exceptiones, quæ per causæ Patronum in facto deducebantur dicti attestatis fidem satis diminuentes; Tum clarior quia ipse non descendebat ad hanc speciem, an scilicet testator voluisset, ut legatum termina-

In proposito autem ademptionis; Pro veritate pariter interrogatus fui in una Interamnen. pro parte Valentini Salvoli; Cum enim Nicolaus, & Pompilia fratres, unicum commune testamentum ordinassent, in quo facta reciproca institutio ad favorem superstitis, continebatur quoddam piùm legatum celebrationis 5. m. missarum circiter, aliorumque piorum operum implendorum, quorum omnium, cura, & exequutio demandata fuit dicto Valentino, cui fecerunt legatum scutorum 50. atque mortuo Nicolao, Pompilia superstes post aliquid temporis intervallum morti proxima aliud ordinasset testamentum, in quo approbatis dictis piis operibus in præcedenti demandatis, illorum curam, & exequutionem injunxit hæredi scripto, hinc orta est dubitatio, an stante ademptione oneris dicto Valentino injuncti, censeretur etiam ademptum legatum, cujus nulla mentio facta fuit.

Quoad medietatem; Respondi, casum videri planum pro legatario, cum iste assequi diceretur ex iudicio Nicolai primi testatoris jam defuncti, quod per hæredem revocari non poterat, quamvis dici posset, ut legatum prædictum fuisset omnino correlative ad curam, & exequutionem distorum piorum operum, dum oneris ademptio non proveniebat ex iudicio ejusdem testatoris, neque hæres poterat in præjudicium legatarii adimere onus, ut ita resultaret ademptio legati; Quovero ad alteram medietatem; Dixi quod ista sit quæstio potius facti, quam juris, utpotè pendens ab ea facti circumstantia, an scilicet onus fuisset causa finalis, ac præcisa legati, sine qua illud factum non esset juxta materiam text. in l. Nescimus ff. de excusat. tutorum, & text. in l. alumna §. Seiff. de admen. legat. ex deductis aliàs hoc eodem tit. disc. 22. super articulo, an legatum factum tutori, cesserit seu ademptum censetur ob ademptam, seu alias cessatam tutelam.

In hac autem facti specie respondi, ut legatario probabilitas major assisteret; Tum quia difficultas cadit, quoties ut supra, constat quod onus fuerit unica, & finalis causa legandi; Secus autem ubi plures causæ concurrant, ex deductis per Gratian. discept. 284. num. 39. Surd. decis. 38. nu. 25. & 26. ubi plenè Hodier. in addit. cum aliis, quæ in dicta materia cessationis legati facti tutori superius deducta habentur; Tum etiam, quia hæc secunda testatrix in ultimo testamento, expressè professæ est, prius testamentum revocare, seu reformare in expressis tantum, in reliquis autem omnibus illud confirmare, & approbare, unde propterea, ob rationem regulæ generalis resultantis ex limitatione in certis casibus expressa; Eo ipso quod istud legatum in primo testamento contentum, non legabatur expressè ademptum, locus erat confirmationi, ut cæteris allegatis habetur apud eosdem Surd. & Adden. dicta disc. 38.

ANNOT. AD DISC. XXXII.

Quando adempto onere, cesserit legatum, habetur supra notat. ad disc. 22.

ROMANA LEGATI DE COLUMNA PRO STEPHANO COLUMNA DUCE BASSANELLE

CUM ALIQUIBUS FAMILIARIBUS POMPEI COLUMNÆ PRINCIPIS GALLICANI.

Causa disputata coram A. C. & resoluta
pro Duce.

Legatum annuum, vel menstruum relictum familiaribus, vel aliis, an intelligendum sit ad vitam tantum, vel potius perpetuum, ac transmissibile ad hæredes.

Et si duobus, vel pluribus fiat menstruum legatum sub unica summa, an illa intelligatur pro omnibus collectivè inter eos dividenda, vel potius distributive, ut illa singuli relicta dicatur.

minari non deberet cum vita, sed esset ad hæredes transmissibile, cum solum diceret, testatorem dixisse, ut dicta prælatio danda esset in perpetuum, quod perneceffe non conludabat dictam legatariorum prætensionem; Hoc enim verum in perpetuum plures habet in iure significaciones, atque sæpius intelligitur iuxta subjectam materiam pro perpetuitate vitæ hominis Alciat. *conf. 203.* iuxta impress. Lugdunen. alias *conf. 7. l. 4.* iuxta illam Basilicæ *n. 28. cum sequent.* Menoch. *conf. 451. num. 25.* Anell. de Amat. *dicto conf. 34. num. 31. cum sequent.* Marta de success. *dicta par. 4. quæst. 18. art. 12. nu. 73.* Capyc. Latr. *consult. 24. num. 4.* de Marin. *dicta resolut. 239. num. 11.* Quod etiam insinuabam edoceri per tyrones in principiis institutionum super definitione iustitiæ, quæ dicitur constans, & perpetua voluntas summi cuique tribuendi, cum illud verbum *perpetuo* interpreteretur pro perpetuitate vitæ hominis; Unde propterea dicebam, quod iuris interpretatio magis caderet super dicto attestantis, quam super dispositione testatoris.

Cum autem inter dictos legatarios duo adessent fratres de eadem familia Columnensium existente in Insula Siciliæ, qui in eiusdem Principis testatoris obsequio, ac domo vivebant, eisque in testamento relicta essent menstrua scuta 20. non exprimendo, an singulis, vel utrique collectivè; Hinc priusquam ad aliorum legatariorum instantiam dicta lis in iudicio introduceretur, orta est extrajudicialis benevola controversia super dicti legati interpretatione, atque utraque parte proficiente meæ declarationi acquiescere; Quamvis in stricta juris censura, pro hærede respondendum esset, dum unicum videbatur legatum, unica oratione conceptum; Attamen exacti circumstantiis, contrarium dixi probabilius, ponderatis nempe dilectione testatoris, & qualitate legatariorum, quos upotè de familia, atque ob longum, ac assiduum, satisque diligens, & fidele obsequium, ac servitium præstitum præsertim in satis longa infirmitate, omnes credebant longè pinguius provideri debere per testatorem, legitimo successore propriæ domus destitutum, ac de pingui assessorum circiter 700. m. disponentem, ad favorem unius quidem de familia, sed nullo sanguinis gradu conjuncti; Ac etiam habita ratione ejus, quod vivens ipse testator eisdem præstare solitus erat, quodque dicta summa distributa omnino incongrua, & inverisimilis esset; Cum enim istæ videantur quæstiones potius facti, quam juris, ex facti circumstantiis decidendæ; Hinc proinde ex his, vel similibus circumstantiis decidi debent; Declaravi tamen, ut legatarii renunciare deberent prætensionem pro alios jam extrajudicialiter excitatæ, super hujusmodi legatariorum perpetuitate, ac transmissione ad hæredes, sed solum eo contenti essent ad cuiuslibet ipsorum respectivè vitam, atque huic determinationi utraque parte acquiescente, ita exequuntur fuit.

ANNOT. AD DISC. XXXIII.

DE eadem distinctione super numero Testium inter declarationem ambiguae voluntatis, & novam dispositionem, habetur pluries in enunciato *tit. de Testam. disc. 46. & seqq.*

ROMANA LEGATI MISSARUM PRODUCE BASSANELLÆ CUM PP. CONVENTUALIBUS SS. APOSTOLORUM.

Causa disputata coram A. C. & resoluta pro PP. postea concordata.

Legatum annuæ præstationis quod non est directum ad legatarium, sed injunctum hæredi, ut præstaret alicui Ecclesiæ, an intelligatur de primo hærede, itaut eo defuncto cesserit, vel potius sit perpetuum, ac præstandum ab aliis hæredibus mediatis. Et an legatum injunctum hæredi, debeatur etiam à substituto; Et quid in hoc operetur favor piæ causæ.

S U M M A R I U M.

- 1 *F*acti series.
- 2 Legatum injunctum hæredi, non egreditur primum.
- 3 An legatum ab instituto, debeatur à substituto.
- 4 De conjecturis id suadentibus.
- 5 Contrarium fuit resolutum, & de ratione.
- 6 De eodem, de quo nu. 2. & 3.

- 7 Et quod regula cesset ex conjecturis.
- 8 Quales sint conjecturæ.
- 9 De alio casu controversiæ, & an secundum onus deroget primo, vel censeatur utrumque injunctum.
- 10 De eodem, ut onus injunctum uni, non censeatur repetitum alteri &c.

D I S C. XXXIV.

Ux Zagarolæ Petrus Franciscus Columna, domum habens è conspectu Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum, cum ibi quotidie missam audiendi consuetudinem haberet, solvere solebat eidem Ecclesiæ annuos scutos 60. pro celebratione unius missæ quotidianæ; Moriens autem, in testamento injunxit Pompeo ejus filio, & hæredi, ut eandem præstationem continuare deberet, cum facultate ab ea se liberandi, solvendo pro una vice scuta 800. Religiosis ibi existentibus, ad eundem effectum investienda, ut de facto sequutum fuit; Mortuo autem dicto primo hærede, orta est controversia inter dictos Religiosos, & Duces Stephanum Columnam dicti Pompei hæredem super hujusmodi præstationis continuatione; Et introducta causa coram A. C. quamvis hærede liberè insinuare difficultatem, nihilominus ipso volente dispositionis aleam tentare; Scribendo more Advocati ad causæ opportunitatem deducebam ea, quæ ex Berrett. Menoch. Surd. & aliis deducuntur per Scribentes apud Capyc. Latr. *consult. 24. nu. 1. cum sequent. & per eundem consult. 23. num. 52. cum sequent.* ubi in specialibus terminis legati pii relicti quibusdam Religiosis, ut scilicet illud injunctum primum hæredi, istum non egredietur, neque ad secundum transeat; Ad quod comprobandum cumulabam etiam ea, 3 quæ habentur apud Menoch. *lib. 4. præsumpt. 108. plenè deducta in quæstione, an legatum relictum ab instituto, debeatur à substituto, ubi præsertim concurrat dictio, seu verbum *infrascriptus*, quod tamen in præsentem non concurrerebat, cum tunc persona hæredis videatur ad oculum demonstrata ex deductis apud Surd. *dicto conf. 23.* Capyc. Latr. *ubi supra, Buratt. decif. 385. nu. 5. & 387. nu. 9.**

Atque ad probandum, quod talis fuisset testatoris voluntas, ponderabam aliquas conjecturas; Primò scilicet primordiale qualitate hujus præstationis, quam testator in vita dare dictis Religiosis pollicitus fuit, unde ab initio in animo non habuit eam faciendi perpetuam; Secundò quia ejusdem præstationis continuationem demandavit hæredi in numero singulari, in istum, non autem in ipsam Ecclesiam, vel PP. verba dirigendo, idque denotare videbatur personalitatem; Tertio ex discretiva resultantem à quibusdam aliis dispositionibus perpetuitatem expressam habentibus, ideoque ubi eam voluit, dixit, signum quod quando non dixit, noluit, argumento *text. in l. unic. §. fin. autem ad deficientis Cod. de caduc. tollen.* cum ibi notatis, ut in specie observant Scribentes apud Capyc. Latr. *dicta consult. 24. num. 3.* Et quartò ob summam scutorum 800. cum qua testator voluit, ut hæres posset istud onus redimere; Cum enim ex decretis generalibus Sac. Congregationis Concilii editis de anno 1625. quæ de celebratione missarum vulgò dicuntur, statutum esset, ut pecuniæ relicte cum onere perpetuo missarum, (prohibito investimento in census), investiri non possint nisi in bona stabilia fructifera, vel loca montium, quorum utraque species attentò etiam eo tempore, ascendere non poterat ad annua scuta 40. hinc improbable videbatur, quod testator intellexisset de perpetuitate ejusdem præstationis scutorum 60. ad quam constituendam, ad minus attenda illius temporis conditione, assignare oportebat scuta 1300. & ultra, undè ex vulgari axiomate, de quo apud Greg. & Aden. *decif. 126.* & alios in foro quotidiano, ut ex pretii quantitate desumatur contrahentium, ac disponentium voluntas, quæ ita probata remanebat pro sola vita primi hæredis, ad quam dicta summa sufficiebat, eam investiendo in loca montium vacabilia sub ejusdem hæredis vitæ periculo, quorum fructus dictam præstationem adæquabant, etià cum aliquo excessu.

Histamen non obstantibus, contrarium iudicatum fuit, atque mihi pro succumbente scribenti, resolutio placuit, utpotè juxta votum antè dispositionem parti insinuatam, ideoque consului, ut negligendo appellationem, acquiesceret, seu eo meliori quo posset modo se concordaret, ut sequutum fuit mediante assignatione tot locorum montium vincularum, quæ licet ratione vinculi essent minoris, valoris, atque non constituerent dictam summam scutorum 800. nihilominus per dictos PP. ulterius liena timentes, concorditer acceptata fuerunt.

Quid-

Quidquid enim in hac materia variant Scribentes occasione dictæ quæstionis, an legatum injunctum hæredi, debeatur solum à primo, vel etiam ab ulterioribus, & de qua late apud Menoch. *dicta præsumpt. 108. & Castill. dicta cap. 32. lib. 8.* Ubi etiam constituenda esset regula secundo hæredi, vel substituto favorabilis; Illa tamen inter alias limitationes, eam recipit derivantem à privilegio, seu favore causæ piæ, ex deductis per Tiraq. *de privil. piæ causæ c. 36. Mantica. de conject. l. 8. tit. 2. nu. 16. & 17. Surd. de alim. tit. 8. privil. 15.* Menoch. *dicta præsumpt. 108. num. 36.* Castill. *d. cap. 32. per tot. Rot. dec. 140. nu. 3. par. 2. divers.*

Et licet, ubi habeatur contraria voluntas etiam præsumptiva, & conjecturalis, tunc nulla ratio habenda veniat de hoc privilegio, quod operativum est circa defectus respicientes solemnitatem, seu alias à subtilitate juris positivi provenientes, non autem à voluntate, quam non supplet ex frequenter deductis *sub tit. de testamentis*, & in his terminis Riminald. *jun. conf. 236. n. 76.* ubi in puncto præstationis pro annua celebratione anniversarii, *Surd. conf. 123. n. 17. cum sequent.* Capyc. Latr. *dicta consult. 23. n. 54. & consult. 24. n. 2.* Nihilominus, ubi efficaces conjecturæ diversæ voluntatis non habeantur, tunc inhærendum est regulæ pro pia causa facienti, ut hujusmodi dispositiones potiùs succedant, ac perpetuæ censendæ sint.

Conjecturæ autem, ut supra in contrarium ponderatæ, parvi ponderis videbantur; Illa enim deducta ex eo quod in personam hæredis verba directa essent, rectè procederet, atque operativa esset, quando concurrerent verba personalitatem denotantia, quia scilicet primo hæredi sub nomine proprio, ac appellati vo onus injunctum esset, sive quod ejusdem nominis præcederet explicati repetitio in hac dispositione haberetur per verba repetitionem denotantia, in quibus terminis loquuntur allegati, & est præsertim casus, de quo apud Capyc. Latr. *dicta consult. 23. & 24.* Secus autem, ubi hæredi simpliciter, ac indeterminatè onus adjectum sit, quoniam tunc tale vocabulum tantquam genericum, nedum primo, sed cuiuscumque ulteriori hæredi convenire potest.

Altera conjectura deducta ex quantitate pecuniæ pro dictæ præstationis redemptione præstandæ, videbatur pariter nimium levis, quoniam non constabat, quod testator cognita esset dicta decreta de celebratione missarum, atque probabilius erat, quod essent ignota; undè justè credere potuit cum dicta summa investienda in census dictam præstationem constitui posse, cum in hoc sæpè testatores decipi soleant juxta casum, de quo in *Camerinen. dotis Ecclesiæ 22. Junii 1650. & 9. Maii 1653. coram Moltio*, quarum prima est *decif. 63. par. 11. rec.* de quo alia occasione habetur actum *hoc eodem tit. disc. 14.* Quinimò ista circumstantia videbatur potiùs retorquenda, dum testator sollicitus fuit de investimento, quod expressè percepit, non necessarium, si in animo non habuisset perpetuitatem, ideoque remanebat solum argumentum discretivæ, quod non videbatur tantæ efficaciz, ut dictæ regulæ præponderare posset, ac limitationem inducere, præsertim stante dicta alia contraria conjectura deducta ex demandato investimento.

Consimilem habui quæstionem pro eisdem PP. Conventualibus dictæ Ecclesiæ SS. Apostolorum cum Fabrica, in ejusdem Fabricæ Tribunali; Cum enim Orienta Argentea, instituto hærede Carolo Galante viro, huic injunxisset, ut quoad vixisset, celebrari faceret à dictis PP. unam missam quotidianam pro ejus anima, eique morienti substituisset eisdem PP. adjecto onere ex fructibus bonorum hæreditariorum dotandi singulis annis tot pauperes puellas cū subsidio per eandem testatricem prescripto; Hinc factò casu substitutionis, orta est dubitatio, an dicti PP. ad utrumque onus implendum tenerentur, missæ scilicet quotidianæ, & maritagii; Et quamvis ipsi cuperent magis primum, quàm secundum onus implere; Nihilominus ego dicebam in oppositum videri majorem probabilitatem assistere, quod scilicet tenerentur ad secundum onus maritagii utpotè ipsis in casu substitutionis, expressè, ac nominatim injunctum, quod proinde tamquam expressum non admittebat glosas, & interpretationes ad vulgatum *text. in l. ille aut ille ff. de legat. 3.* Secus autem quoad primum, quoniam licet favor piæ causæ operetur, ut legatum ab instituto relictum, à substituto repetitum censeatur; Attamen id procedit in dubio, secus autem disponentis resistente voluntate, cui talis favor semper cedit; Et hic erat casus, quoniam dictum onus celebrationis missæ quotidianæ, non solum injunctum erat primo hæredi per nomen appellativum, &

cum verbis personalitatem denotantibus, sed etiam quia expressè dictum fuerat *quod vixisset*; Et clarius ob immutationem oneris, dum substituis dictum diversum onus maritacionis injunxerat, quod non dederat hæredi, neque vires hæreditariæ erant tales, quod de utroque verisimiliter sentire potuisset; Ideoque in concursu duarum dispositionum, quarum una est expressa, & verbalis, & altera ambigua, quæ probabilius contrarium intellectum cessationis recipiat, tunc probabilius videtur, ut clara prævaleat dubiæ; Neque novum est, ut onerum species ex mutatione personarum immutetur, cum de tempore, quo hæc disputabantur jam præcessisset disputatio in *Romana restitutionis dotis coram Peutingerio*, & Priolo, de qua *sub tit. de fideicommissis disc. 109.* ubi in puncto oneris celebrationis missarum injuncti per uxorem viro hæredi scripto donec vixisset, ut cessaret in substituto, cui diversam onus injunctum fuit, quoniam in hujusmodi quæstionibus, cum non sint juris, sed facti, ac voluntatis, ista principaliter attendenda est, atque totum facit; Putò autem quod stante redditum tenuitate compositio cum Fabrica controversiam terminaverit.

ANNOT. AD DISC. XXXIV.

AN legatum ab instituto debeatur à substituto, habetur etiam infra *disc. 36. & 42.* & conferunt deducta in *hoc tit. disc. 64.*

CATANIEN. LEGATI PRO CLERICIS REGULARIBUS MINORIBUS CATANIÆ CUM MONASTERIO S. CLARÆ NEAPOLIS.

Causa disputata coram Cardinali Protectore Clericorum, credo concordata.

De contributo inter legatarios, & de legatorum diminutione, an, & quando intret necne, ubi hæreditas non sit omnibus legatis idonea.

S U M M A R I U M.

- 1 *F*acti series.
- 2 Animus non trahitur ad ignorata.
- 3 Ademptio non est presumenda.
- 4 Legatum ad vitam magis privilegiatum.
- 5 Legatum subsidii vitalitii monialis dicitur legatum dotis.
- 6 Legatum pro dote, vel alimentis non venit in contributo.
- 7 & 8 De materia contributi, & quod hæres consideretur tanquam legatarius.
- 9 Quomodo in ista contributi materia sit procedendum.

D I S C. XXXV.

CUM N. de Paternò, scripta hærede domo Clericorum Regularium Minorum Civitatis Cataniz, quam habere voluit quandam summam in reddito pro ejus congrua sustentatione, quamplura fecisset legata pia, vires ejus hæreditatis longè excedentia; Ortis proinde inter hæredem, ac legatarios controversiis, atque re delata ad Sac. Congregationem Concilii pro eorumdem legatorum moderatione, ea negotium remisit Cardinali dictæ Religionis Protectori, qui erat etiam unus ex ejusdem Congregationis Cardinalibus; Isteque partibus auditis, ac omnibus maturè ponderatis, declaravit, ut ex redditibus hæreditariis deberentur dictæ domui hæredi annuæ unciz 500. quamvis testator satis majorem summam decrevisset, ex reliquis verò effectibus hæreditariis, integrè, & sine aliqua deductione, adimpleri voluit duo pia legata, unum pro subsidio totali pauperum puellarum, & alterum pro vestitu, ac eleemosyna 30. pauperum, diminuendo proportionabiliter juxta vires hæreditarias cætera legata, eo excepto, quod testator fecerat de annuo reddito ad vitam, cuidam conjunctæ moniali professe in Monasterio S. Claræ Neapolis; Cumque post dictæ monialis mortem jam sequitam, comparuisset Monasterium petendo à dictis Clericis tantquam hæredibus, omnes annualitates decursas, quæ summam notabilem importabant; Hinc coram eodem Cardinali, potiùs in forma extrajudiciali, quam contentiosa, actum fuit de dictæ petitionis substantia, prætentibus aliquibus eorumdem PP. defensoribus, ut istud legatum nullatenus deberetur, utpotè à dicto Cardinali omninò neglectum, quasi quod ita per eum declaratum esset quodammodo.

modò ademptum, dum idem in repartitione facta profitebatur vidisse integrum testamentum, illudque in omnibus eius partibus diligenter considerasse.

Requisitus autem pro parte eorumdem PP. Dixi injustam, parumque probabilem esse hujusmodi prentensionem; quoniam dum in dicta repartitione nulla de dicta legataria mentio habebatur, neque aliàs constabat, quod Cardinalis ad illam cogitasset, non poterat ejus animus, seu voluntas trahi ad ignorata, & incogitata ex deductis decif. 624. num. 9. par. 4. recen. & passim; Ac etiam quia legatorum ademptio dicitur ipi jure odiosa, idè non admittenda nisi in expressis, non autem per levia argumenta extendenda ad non expressa, que tanquam in casu omisso remanere dicuntur sub dispositione juris ad text. l. 3. §. in duobus ff. de admen. legatis, cum concordantibus plenè deductis per Menoch. lib. 4. præsumpt. 167. Rota in Romana legat. scutorum 50. m. 11. Martii 1640. coram Dunoetto inter suas decif. 379.

Clarius verò ex verisimiliter cessante voluntate dicti Cardinalis, neque in parte reducendi, multò minus in totum adimendi hoc legatum, utpotè vitalitium, brevi tempore duraturum, atque non habens tractum perpetuum, ac successivum, ut alia legata habebant, stante etiam verisimili testatoris voluntate, ut istud legatum esset magis privilegiatum, utpotè factum persone conjuncte, & quod in monialibus, juxta communem consuetudinem; pro eam extraordinariis indigentis; quibus Monasterium providere non solet, sapere dicitur speciem alimentorum vel dotis, ut in specie hujusmodi vitalitium præstationum monialium, quod dicantur pars dotis, ejusque speciem habeant, etiam ad affectum, ut intret subsidiarium remedium audent. Res, quæ Cod. commun. de legat. Rota apud Merlin. decif. 671. aliàs decif. 30. part. 7. recen. & non semel habetur in sua materia sub tit. de dote; Hoc autem posito, inter privilegia dotis, & alimentorum illud numerari solet, ut legata in hujusmodi causis facta, regulariter, non consisto de contraria voluntate, non veniant in contributo, potissimè accedente conjunctione legatarii in testatore, adeòt concurrat præsumptio majoris dilectionis, quam erga alios, ex deductis per Surd. de alimentis tit. 8. privi. 30. Castill. 8. tom. contrrov. cap. 52. apud quos concordantes; Magno etiam adminiculo in idem deducto, ex eo, quod duo legata pro dotibus puellarum, ac pro vestitu, & elemosyna triginta pauperum, quamvis essent perpetua, attamen Cardinalis noluit venire in contributo, sed declaravit integre præstari debere, ideoque multò minus dicendum videbatur voluisse, nec quidem diminueret istud legatum vitalitium tantum.

Neque mirum videbatur, quod in dicta repartitione de hoc legato nulla mentio habita erat, quamvis professus esset testamentum integrè vidisse; & considerasse, quoniam nemine comparante, cum ageretur de præstatione ad vitam tantum, opinari potuit, quod legatum esset finitum per ejusdem monialis mortem.

Difficultas autem cadere poterat in eo, an dum eramus in casu omisso, atque per dictum repartitorem non cogitato, legatum prædictum integrè implendum esset per dictos clericos tanquam hæredes universales, vel potius agi deberet contra alios legatarios ad contributum pro rata; Et in hoc, quamvis primo aspectu, ut idem sit hæres & legatarius, ac sui ipsius debitor & creditor, totum jure hæreditario obtinere dicebantur, proindeque, quatenus vires hæreditariæ suppetere, ad legatorum præstationem obligati essent; Contrarium tamen (cum sensu etiam veritatis) probabilius dicebam, quod scilicet, Vel ad nihil teneri deberent ex dictis 500. uncis sibi assignatis tanquam præcipuis; Vel quod ad summum obligati essent ad solum contributum pro rata, dum in dicta repartitione dictum fuerat, ut præstata domui Clericorum assignarentur annuæ uncia 500. sumendæ, ac retinendæ primo loco; De reliquis autem, alia legata juxta vires adimplerentur; Ideoque ista portio tanquam species legitimæ, seu legati particularis, ac privilegiati, ex verisimili voluntate testatoris deducenda erat præcipua, utpotè ab hæreditate separata, cum in hac materia contributi, quidquid Scribentes satis variaverint circa causas pias, vel prophanas, vel etiam inter æquè pias, super majori, vel minori pietate, ac etiam inter legata speciei, & illa quantitatis, ex iis, quæ cæteris allegatis habentur in materia, Rolan. conf. 25. numer. 8. & sequentibus lib. 4. Franch. decif. 236. ubi adden. Rovit. decif. 87. Capyc. Latr. & adden. decif. 12. Ca-

still. 8. tom. contrrov. cap. 9. num. 15. & 16. latè Rub. de restamen. ad pias causas capit. 66. præsertim ex num. 41. Rot. decif. 55. post Merlin. de pignor. num. 10. & in aliis.

In hoc autem proposito contributi inter legatarios, quando hæreditas omnibus legatis idonea non sit; Frequenter de hoc puncto agere occasio dedit, modò pro æquali contributo, & modò pro ejus exclusione respondendo, juxta Advocatorum stylum ferè necessarium, cum in eorum electione positum non sit, unam, vel alteram partem defendendam assumere.

Quamvis autem in hoc puncto, DD. cum consuetis varietatibus, nimium se involvere videantur, distinguendo legata specierum ab illis quantitatis, ac etiam pia à profanis, cum aliis distinctionibus, de quibus apud proxime allegatos; Verius tamen est, (ut etiam supra insinuat) ut, ista tanquam nuda quæstio voluntatis, certam regulam generalem cuicumque casui applicabilem non recipiat, sed pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis decidenda sit, verisimilem testantis voluntatem indagando; Atque piè cause favorem; Sive inter plura pia legata, majorem pietatem; Aut quoad prophana, sanguinis conjunctionem, vel majorem affectionem; Sive desiderium conservandi bona indivisa per fideicommissum; Aut ipsorum bonorum individuum qualitatem, simileque circumstantiæ rectè ponderando in casu mere dubio, & quando voluntas omnino incerta sit, adeòt ad regulas generales, vel præsumptiones à DD. ponderari solitas recurrere oporteat, cum tunc istæ circumstantiæ nimium profint.

ANNOT. AD DISC. XXXV.

DE materia contributi videnda sunt notata ad disc. 199. de fideic. & habetur infra disc. 53.

ROMANA LEGATI DE JUSTINIANIS PRO FAMILIA JUSTINIANA CUM SOCIETATE S.S. DUODECIM APOSTOLORUM.

Casus decisus per Rotam pro familia.

Legatum annuum, vel menstruum relictum pro subventionem juvenum de familia, qui certam ætatem habentes; studii per determinatum tempus vacarent; An sit perpetuum, & reiterabile cum tractu successivo; Vel potius intelligendum veniat pro unica vice ad favorem eorum, qui primo admitti sint; Et de concursu plurium juvenum ejusdem familiæ, quibusnam debita sit prælatio, & quomodo regulari debeat ætas à testatore præfixita.

SUMMARIUM.

- 1 Adli series.
2 Resoluciones causa.
3 Quod dispositio intelligatur de primo actu.
4 Declaratur.
5 Legatum pro alimentis est pium.
6 Ita pariter illud pro studiis.
7 Quomodo elemosynæ, & subsidia debeant distribui.
8 De circumstantiis facti suadentibus tractum successivum.
9 De alio casu contrroversiæ, & quomodo intelligenda sit dispositio super ætate.
10 Quomodo ista quæstiones decidi debeant.
11 Ut attendi debeat finis à testatore volutus.
12 Proximior, vel magis habilis superveniens non excludit admissum.
13 In concursu plurium ad idem subsidium quis debeat præferri.

DISC. XXXVI.

Ilvanus Justinianus nobilis Januensis Urbis incola, instituta hæredie Societate duodecim Apostolorum, postquam cessasset quoddam pingue menstruum legatum ad vitam Caroli famuli, dictam Societatem gravavit ad administrandum mensua scuta decem cuilibet ex duobus pauperibus adolescentibus de familia, qui existentibus in tenera ætate decem, vel duodecim annorum studiis vacare vellent in Urbe usque ad ætatem annorum 20. Cumque factò dicti legati casu, ad illud admitti petisset Joseph filius Stephani (qui juxta morem hujus prudentis, ac in-

dustris nationis alibi quærentis eam fortunam, quam proprium cælum non dedit, morabatur in Civitate Licienfi) ejusdem Societatis Administratores, nullam habentes difficultatem super admissione dicti adolescentis, utpotè habentes omnia requisita per testatorem scripta, præntensionem excitarunt, ut priusquam hæc dispositio ad praxim deduceretur, declarari deberet, ut in isto, ac alio adolescente, qui compareret, legatum absque alio tractu successivo finem habere deberet; Hic autem præntensionem se opponente familia, atque de concordi Partium consensu commissa per Protectorem Societatis causa in Rota pro hujus puncti determinatione, ad favorem familiæ pro legati perpetuitate, ac tractu successivo; binæ prodierunt resolutiones sub diebus 23. Martii & 9. Decembris 1661. coram Albergato, quibus Administratores acquieverunt, ideoque legatum suam habuit, ac habet durationem.

Resolutiones mihi pro familia scribenti (reflectendo etiam ad solam veritatem) probabiles, beneque fundatæ visæ sunt; Quamvis enim regula sit deducta ex vulgari textu in l. Boves, §. hoc sermone, ff. de verbor. signific. ut legatum aliquibus de familia, vel de certo genere relictum, in primo admittis expiret, neque ulteriorem durationem habeat, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Mantiam de conjec. lib. 8. tit. 12. nu. 19. Cancr. par. 3. cap. 20. de legat. nu. 278. Surd. decif. 149. nu. 19. & 23. apud quos concordantes, Attamen juxta generale naturam omnium regularum, seu propositionum, quas in materia ultimarum voluntatum habemus, illa cessat, ubi expressè, vel etiam conjecturaliter, ac præsumptive constat de diversa disponentis voluntate, ut legatum debeat esse reiterabile cum tractu perpetuo & successivo; Sive ubi ita suadeat subiecta materia, quæ eandem reiterationem, seu tractum successivum de sui natura exigit, adeòt, juxta omnes alias quæstiones, præsertim ultimarum voluntatum, quæstio videatur potius facti, quam juris, certam ac determinatam non recipiens regulam cuicumque casui applicabilem, sed pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decidenda veniat; Et consequenter erroneum est, decisiones, aut doctrinas unum casum percipientes, cuicumque alteri indefinitè applicare, bene tamen eas attendere oportet pro norma, ut facta circumstantiarum combinatione, congrua congruis applicentur, ad textum in l. annua, & l. cum quidam, ff. de ann. legat. ubi communiter Scribentes, de quibus Barbof. in l. avortio, §. quod in anno, ff. solus matrim. Menoch. lib. 4. præsumpt. 132. Cyriac. contrrov. 340. n. 3. cum seq. Castill. 8. tom. contrrov. cap. 42. nu. 16. cum seqq.

Applicando autem ad rem; In hac facti specie, pro limitatiqne, & sic pro reiteratione, ac perpetuitate legati, quoties casus eveniret, omnino probabilius respondendum videbatur; Primo nempe ratione pietatis causæ dupliciter concurrentis, dum agebatur de alimentis præstantis nobilibus pauperibus continentibus causam piam Surd. de alim. tit. 8. privi. 58. ac etiam ex causa studii, quæ etiam pia dicitur Gratian. discept. 62. num. 3. ubi concordantes; Atque utraque est pietas satis bene ordinata, quoniam ubi pauperibus est subveniendum, cum conjunctis, potius quam cum extraneis, seu cum civibus quam cum exteris, ac nobilibus potius quam cum vilibus id est exercendum, & fortius ubi concurrat etiam causa respiciens bonum publicum, qualis est illa studiorum, cum potius in istam quam in indignorum, & vagantium alimoniam charitas applicanda sit, ut in proposito distributionis elemosynarum, cæteris allegatis bene habetur apud Franch. dec. 190.

Fortius id comprobabat ea circumstantia, quod testator motus non fuit ad ita disponendum ex aliqua particulari affectione personarum, sed ex sola generica affectione erga familiam, ac rem litterariam, unde quemadmodum utraque perpetuitatem continebat, ita dispositio intelligenda erat.

Idem quoque suadebat qualitas hæredis instituti, seu dispositionis de universa hæreditate, dum eam reliquit dictæ Societati, ut singulis annis in perpetuum juxta ejus institutum redditus in perpetuum præsertim infirmorum subventiones erogarentur unde quando occasio præberet, ut adefessent in Urbe hujusmodi adolescentes pauperes, qui studiis vacare vellent, aliud testator ordinasse visus non est, nisi hæredi insinuare hunc bene ordinatum modum distribuendi hæredis elemosynas, ut scilicet potius illis de familia, studiis incumbere volentibus, quam extraneis pro hac rata suæ hæreditatis fructus distribuerent.

Accedebat consuetudo familiæ, quæ, pro meo judicio, etiam sola efficacissimum præbebat hujus voluntatis inditium, quoniam ex dispositionibus Cardinalium Benedicti, & Vincentii de Justinianis, idem cautum reperitur pro illis ejusdem familiæ adolescentibus, qui in Civitate Perusii, vel aliis publicis universitatibus studiis operam navare vellent in perpetuum, & quoties occasio daret; Atq; generaliter nimium laudabilis consuetudo viget in Civitate Januensi erigendi montes, seu alias faciendi dispositiones, per quas de fructibus singulis annis sub veniatur pauperibus de familia, ut præsertim habetur de ista Justinianorum, unde propterea satis probabile erat, quod testator suorum majorum, ac patriæ consuetudini se conformem reddere voluerit.

Sopita ista quæstione; Cum unus ex filiis Fabiani Justiniani filii Petri Vincentii, peteret admitti ad locum vacantem per completam ætatem 20. annorum unius ex ejusdem Petri Vincentii filiis primo loco ut supra admittis orta est difficultas coram ejusdem Societatis Judice super hujus de novo admittendi ætate, stante quod decimum annum solum inchoasset, an scilicet menstruæ subventiones initiari deberent post completum decimum annum, ex quo testator dictos pueros admitti voluit, vel sufficeret initiatio, & sic, an annus inceptus, habendus esset pro completo.

Super hoc autem multa hinc inde deducta fuerunt juxta varias opiniones DD. qui ponderare solent verborum formulas, an scilicet in genitivo, vel in accusativo, sive in ablativo annus positus esset; Alii verò ponderarunt dispositionis causam, an esset favorabilis, vel odiosa, ut fere omnes opiniones referendo, materiam discutit Prat. obser. 27. apud quem concordantes.

Erroneum autem mihi videbatur hunc punctum ex verborum formulis decidere, dum præsertim testator non præcisè de decimo anno loquutus fuerat, sed alternativè de decimo, seu duodecimo, ibi due anni di dieci; à dodici anni; Ex isto enim loquendi modo clare desumebatur, quod testator respexerit ad certum effectum, præscribendo scilicet illam ætatem, quæ magis studiis scientiarum congrua esset, cum studia grammaticæ etiam in quolibet parvo loco, atq; in propria domo sine dispendio fieri possint, ideoque, juxta communem experientiam subsidium necessarium est pro se sustentando in locis publicarum Universitatum extra patriam; Unde propterea si reperiretur puer ingeniosus, qui etiam in ætate novem annorum habilis esset ad scientiarum studia, nil prohibere dicebam, ut etiam in hac ætate admittendus esset, cum nature beneficium non deberet esse præjudiciale; Et è contra si adolescens, qui tardè studiis operam dedit, istis inceptis, ob supervenientem ætatem 20. annorum; ea complere non posset, utique irrationale videretur, atq; judaismi speciem contineret contra verisimilem testatoris voluntatem, ut impediendus esset studia complere ob subsidii deficientiam.

Hinc proinde totum discretè intelligendum est pro facti qualitate, & circumstantiis ponderandis cum prudenti Judicis arbitrio, principaliter spectato fine, seu effectu per testatorem volito non autem cortice, & figura verborum ex bene firmatis apud Dunoetti. doc. 427. repetit. decif. 93. par. 7. rec. ubi dispositio per testatorem, ut extincta propria domo, per exequutores eligeretur juvenis, familiam siccè assumpturus, qui uxorem duceret, ac procrearet filios, quibus mediantibus eadem familia conservari, & propagari posset, bene deciditur, quod valida fuerit electio viri maturi in ætate annorum 50. & ultra uxorati, qui plures filios jam procreaverat, quoniam ita pinguis impletur finis per testatorem volutus, atq; obtinetur effectus principaliter attendendus, ut sæpius habetur deductum sub tit. de fideicommissis, præsertim in Roman. fideicommissi de Baldaissinis cod. tit. de fideicommiss. disc. 45. & adertitur alibi hoc eodem tit. & in proposito ætatis puerorum eodem tit. de fideicommiss. in Bonon. fideicommissi de Amorinis disc. 30.

Postquam verò dictus puer, ex præmissis admissus fuit, atq; per plures menses subsidium obtinuerat, comparuit alter adolescens de eadem familia, constitutus in ætate 16. vel 17. annorum, præntendens, quod dictus locus ut supra vacatus, sibi potius decernendus esset, dum alter admittis in intempestiva, & tenera ætate expectare poterat; Verum scribendo pro admissio dicebam, quod ista præntensio fuisset justa, quando comparitio fuisset re integra, adeòt ambo æqualiter agendo venirent ad locum vacantem; Sequens autem, ubi res non sit integra, itaut agatur de expellendo jam admissum, cum tunc major proximitas, seu altera præponderans qualitas non habeatur in considera-

tione, nisi contraria disponentis voluntas accedat ex iis, quæ cæteris deductis habentur *decis. 206. par. 3. rec. in Bonon. fideicommissi de Barberiis 5. Decembr. 1650. coram Corrajo post Genfal. ad Peregr. decis. 34. repetit. decis. 95. par. 1. recit. & in aliis, de quibus frequenter sub tit. de fideicommissis; Ideoque sibi imputet ille, qui meliorem habet qualitatem, cur debito tempore, ac reintegra non comparuerit; Atque responsio (reflectendo etiam ad veritatem) fuisse solida, nisi obstaret circumstantia, quod vacatio sequuta erat ante completam ætatem 20. annorum prioris possessoris, qui ut nepotis admissionem absque contradictione obtineret; ita per aliquos menses juri suo cesserat; Ita enim ille, qui postmodum venit, dicere poterat non comparuisse prius, quia sciebat locum plenum; Atque id tam iudici, quam etiam mihi non levem inferrebat difficultatem, quam substituit concordia, dum alter ex dictis primis admissis per aliquos menses pariter suo juri cedit, ut ita uterque contendens haberet intentum.*

Ponderabam tamen, in ordine ad præponderantiam resultantem à provectori ætate, ut in isto concursu, principaliter haberi deberet in consideratione habitas illius, qui in provectori ætate constitutus erat, an scilicet in eo modico spatio, quod supererat ad complendam ætatem à testatore prænitam, assequi posse doctoratum, seu finem, ad quem hujusmodi subsidia ordinari solent, ne alias illius præstatio inutilis esset, ac præter verisimilem intentionem disponentis; Ideoque firmum remanet, ut ista materia non ex formulis verborum decidenda sit, sed principaliter inspecto fine, seu effectu per testatorem volito, & considerato, & quisnam esset magis habilis ad profectum, seu ad assequendum finem à testatore volitum.

ANNOT. AD DISC. XXXVI.

DE legato factio pro subsidio Scholarium, habetur plenè actum in hoc tit. disc. 68.
Prima ex decisionibus propositis in ista causa, habetur impressa *decis. 302. par. 13. recit.*

**SPOLETANA PRÆDII
PRO MONASTERIO S. LUCIÆ TREBII
CUM CANONICIS S. ÆMILIANI.**

Causa disputata coram Prælo Judge commissario super aliis punctis, resolutus pro Canonicis.

An pro fructibus legati ad legatarii favorem cumulandi pro certa summa constituenda, affecta sint bona testatoris in præjudicium aliorum legatario- rum, vel fideicommissariorum.

S U M M A R I U M.

- 1 **F** Acti series.
- 2 **Q**uid requiratur ad efformandum iudicium in causis.
- 3 **R**eferruntur agentes de questione, an pro fructibus legatorum affecta sint bona testatoris, & quod debeant distinguere casus.
- 4 **S**unt affecta pro legato annuæ præstationis.
- 5 **L**egata annua sunt solvenda ex fructibus.
- 6 **D**eclaratur, ad quem effectum procedat ista conclusio.
- 7 **Q**uod pro annuis præstationibus non solutis debeatur interesse.
- 8 **D**e eadem declaratione, de qua num. 6. circa fructus census, aliæque annua onera.
- 9 **P**ro legato quantitatis affecta sunt bona, quamvis dicitur, ut solvatur ex fructibus, & de ratione.
- 10 **D**e dote extrahenda in vim auct. Res quæ, ex fideicommissis, an ex fructibus.
- 11 **S**i legatum est certæ rei, vel quantitatis, cuius fructus debeant cumulari favore legatarii, pro fructibus non sunt affecta bona testatoris.
- 12 **Q**uomodo ista materia regulanda, & decidenda sit.
- 13 **D**e alio casu controversiæ super eodem puncto.

D I S C. XXXVII.

Nventurinus, scripto herede Raynaldo nepote ex fratre, inter alia legata, reliquit Monasterio Sancti Bartholomæi Trebii, adhuc formiter non erecto scuta 3000. in tot casibus, sub ea lege, ut per quatuor annos eorum fructus reponi deberent in arca depositorum, ad effectum cumulandi aliam summam scutorum 1000. Et qua-

tendens dicti Monasterii formalis erectio non sequeretur, mandavit, ut tam ex dictis scutis 3000. quam ex fructibus ut supra cumulatis, erigi deberent quatuor Canonici in Ecclesia Collegiata Sancti Emiliani ejusdem loci, aliæque fecit legata, præsertim duabus neptibus monialibus in Monasterio S. Lucie; Cumque per Sac. Congregationem denegata dicta clausura, seu formalis erectio Monasterii, erecti essent Canonici, neglectus autem esset dictus cumulus fructuum, quos hæres exegit, & consumpsit; Hinc per Canonicos morum fuit iudicium coram Ordinario pro suppletionem dictorum scutorum mille ex fructibus cumulandorum super quodam prædio hæreditario per heredem ipsius monialibus assignato in causam eorum legati, atque sententiam favorabilem reportarunt; Commissaque causa appellationis Prælo per Papam cum clausula *appellat. remota;* eadem sententia confirmata fuit.

Super dictarum sententiarum iustitia, vel iniustitia maturum iudicium efformari non potuit, quoniam in secunda instantia post discussam causam cum aliis defensoribus, in limine expeditionis, quando Index determinatus erat, atque causa semimortua dici poterat, semel scripti, alique alia disputatione in contradictorio, vel communicatione iurum alterius Partis, sine quibus non de facili notitia haberi potest motivorum, cum quibus Index processerit, ad effectum inspiciendi, an bene, vel malè, quoniam (ut pluries insinuat) frequenter accidit, ut Iudices moveantur ex motivis non deductis à Partibus, ipsique ignotis.

Retenta verò dicta pura facti serie, quodque alia alterativa circumstantia non concurreret, mihi videbatur, quod improbabilis esset dictorum Canonicorum præstatio super bonis hæreditariis testatoris in præjudicium aliorum legatarii, vel fideicommissarii ab eodem testatore suum jus merentis, cum in hac rata controversia proveniente ex fructibus censuum à testatore legatorum, non istius, sed hæredis debitum dicendum esset, ideoque testatoris bona non essent affecta in præjudicium aliorum legatario- rum, seu fideicommissariorum, bene tamen in præjudicium ipsius hæredis, ac habentium causam ab eo, & consequenter quod sententiæ essent iniustæ.

In ista etenim questione, pluries, ac pluries à me disputata, quamvis aliqua opinionum diversitas dignosci videatur inter modernos, cum antiquis ea penè ignota videatur, ut patet ex deductis apud *Surd. dec. 2. 8. & ibi Hodiern. in addit. Grat. discip. 294. n. 22. cum seqq. & alios cumulos per Prat. observat. 32. n. 21. ac etiam licet incidenter apud Rot. dec. 260. n. 13. cum seqq. par. 11. rec. procedendum videtur, ut in omnibus ferè quæstionibus forensibus advertitur, cum distinctione casuum.*

Primus igitur casus est, ubi agatur de legato annuæ præstationis, & tunc pro annualitatibus decursis, & non solutis, legatarius, actionem habet contra bona hæreditaria, atque dicitur defuncti creditor, quoniam substantia legati consistit in ipsis annuis præstationibus, quæ ita sortis vicem habent, ex regula, ut quot sunt anni, tot censentur legata.

Et quamvis hujusmodi annualitates, per hæredem, vel usufructuarium solvi debeant singulis annis ex fructibus, non autem ex sorte principali, quæ pro eis consumi, vel alienari non debet, ideoque dicitur debitum hæredis, non autem testatoris ex deductis apud *Franch. dec. 374. num. 12. Rot. apud Dunozetum decis. 846. Prat. dicta observ. 32. num. 21. & habetur in sua materia sub tit. de fideicommissis, & sub altero de legit. & de tract. præsertim disc. 25. occasione agendi, an, & quæ detractiones, facto casu retentionis, hæredi gravato competant pro debitis, & legatis solutis.*

Attamen id rectè procedit inter ipsum hæredem gravatum, & ejus necessarium successorem jure fideicommissi, ad dictum effectum competentis detractionum, sive inter usufructuarium, & proprietarium, ad effectum inspiciendi, cuiusnam hujusmodi legatorum onus incumbat; Secus autem quoad ipsum legatarium, cui hæres negligentia, vel mala administratio in erogando fructus in alios usus, prejudicare non debet, dum substantia legati isto casu consistit in ipsis annualitatibus, quæ (ut dictum est) habent vicem sortis in singulis annis ex dicta propolitione, ut quot sunt anni, tot sint legata.

Adeunt in illis partibus, in quibus data mora pro debito in sorte principali, datur cursus usurarum, seu interusuriorum absque justificatione requisitorum, quæ recenset *Car. strenf. in l. 3. ff. de eo quod certo loc. quæ habentur pro notoriis, ut præsertim receptum est in Regno Neapolitano, ejus-*

que laicalibus Tribunalibus, ex iis, quæ pluries habentur in sua materia sub tit. de usuris; Quamvis ibidem recepta quoque sit opinio, quæ damnat anathocycinum, & sic usurarum usurarum, seu interesse alterius interesse; Attamen admittitur interesse hujusmodi annuarum præstationum, quoniam ad instar eorum, quæ habentur in fructibus censuum, dicuntur potius debitum sortis instantis de per se, ex prelo deductis apud *Royit. decis. 9. cum aliis de quibus in dicta sua materia sub tit. de usur.*

Hinc proinde stant bene simul, ut hujusmodi annualitates solvi debeant per hæredem ex fructibus, & tamen, ut pro eis affecta sint bona hæreditaria in sorte principali tanquam pro debito defuncti, quamvis fideicommissario, vel alteri jus habenti in hæreditate, actio competat contra ipsum hæredem gravatum ad reintegrationem, seu ad id, quod interest, ut frequens, & quotidianum habemus in proposito fructuum censuum, seu canonum, & livellorum, ac similibus annuarum onerum, quibus fideicommissaria hæreditas affecta est, ex deductis *dicto tit. de fideicommissis. ac in altero de legit. & de tract. ac etiam ad hoc propositum habetur sub tit. de feud. ad materiam bullæ Baronum. disc. 74.*

Alter casus est, ubi legatum in substantia sit de certa summa in sorte principali, quam tamen testator etiam per viam præcepti, non autem consilii mandat hæredi, ut absque distractione bonorum in sorte, solvere debeat ex fructibus; Et tunc pariter, idem quod supra, favore legatarii dicendum venit, quoniam substantia legati consistit in ipsa summa, quæ relicta est, fructus autem destinati sunt pro modo solvendi, qui hæredi præscriptus est potius demonstrativè, quàm taxativè.

Ad instar eorum, quæ habentur deducta sub tit. de dot. *discurs. generalis 145. ad materiam Auct. Res quæ Cod. commun. de legat. & in pluribus discursibus particularibus ad eandem materiam in proposito dotium constituendarum puellis descenditibus, quando fideicommissentis præceptum accedit, ut ex fructibus id faciendum sit, non autem ex sorte, quoniam tale præceptum obligabit quidem hæredem, vel possessorem fideicommissi, ut aliàs faciendo teneatur fideicommissum reintegrare, sed non obligabit ipsas puellas, quibus dos debita est, quando commode cum fructibus provideri non potest, cum similibus, nisi adsit præcisè taxativa.*

Tertius demùm est casus, ubi substantia legati directa est ad certam quantitatem in sorte principali, sive ad certa bona limitare; Idem verò testator pro pinguiori legatarii provisione injungat hæredi, vel alteri cumulum, seu multiplicem fructuum, ut ex eis aliqua major quantitas constituat juxta casum, de quo habetur actum in *Roman. legati de Præcipitis sub tit. de fideicommissis. disc. 187. ubi recensentur decisiones in eo casu æditæ, aliæque concordantes; Sive quod testator relinquat certam quantitatem in sorte, obliget verò hæredem, ut ejus solutione pendente usuras solvere debeat cum præsupposito, ut tale præceptum validum, & obligatorium sit juxta distinctionem, de qua sub tit. de usur. præsertim disc. 32. Et tunc omnino verius est, ut hæredem negligente solvere, vel cumulare fructus, istorum debitum sit ipsius hæredis, non autem defuncti, & consequenter istius bona affecta esse non debeant in præjudicium aliorum legatario- rum, vel fideicommissariorum, seu aliàs in bonis hæreditariis jus habentium, ut per *Surd. d. dec. 28. (quidquid Adden. in contrarium motivent,) cum ratio motivandi verè, & propriè percutiat alterum casum præcedentem, atque in istorum casuum mixtura, seu confusione consistit æquivocum; Potissimè verò ubi solutio fructuum nominatim directa sit in hæredem, ut advertitur per eundem *Surd. dec. 193. nu. 2. cum seqq. Capyc. Latr. consulti. 24. n. 9. & dixit etiam Rot. in Viterbien. legati 24. Junii 1664. coram Taja edita in casu de quo hoc cod. tit. disc. 49. ubi pariter de ista conclusione.***

Et quando Auctores desuper non haberemus, ità clarè ad sensum probaret ipsa ratio naturalis, & communis usus, quoniam cum testatoris hæredibus, aliisque successoribus demandentur hujusmodi cumuli, & multiplicata ad favorem alicujus personæ, vel operis, ità per negligentiam hæredis, vel alterius, cui onus injunctum est, nihilium facilis esset, hæreditatum, ac fideicommissorum versio, ac omnimoda supplantatio contra disponentium voluntatem; Ideoque pariter ista quæstio non est juris, sed facti, ac voluntatis, & consequenter ex ipsis facti qualitate, & circumstantiis decidenda, an scilicet substantia legati consistat in integra summa, quam à legatario testator assequi

voluit, fructus autem, ex quibus summa legata in toto, vel in parte solvenda esset, starent solum demonstrativè juxta secundum casum supra exemplificatum, vel potius starent taxativè juxta tertium casum, atque in istorum casuum confusione, non reflectendo ad eorum distinctionem, ac diversam rationem, consistere solent æquivoca.

Unde propterea in *Romana legati* inter Paulum Trovafuscium, successorem in fideicommissis, & PP. SS. Apostolorum; Cum testatrix Conventui reliquisset quamdam summam in sorte principali investendam, ut ex fructibus singulis annis missæ celebrarentur, injungendo hæredi, ut pendente solutione, ac investimento respectivè, deberet solvere fructus in quadam summa, quæ verisimiliter, attendente conditione temporum, ex investimento obtineri potuisset, atque tam hærede, quàm legatario negligentibus, constata dictorum fructuum summa, ista peteretur à Paulo fideicommissario ex bonis fideicommissariis; Introducitur causa coram A. C. atque me pro Paulo scribente, pro eo prodiit resolutio, & quidem justè; Idemque in plerisque aliis causis practicum fuit, quoniam videtur vera, & germana distinctio.

In casu autem principali hujus causæ Spoletan. post hæc scripta comperii, quod motivum fuit non jus Monialium, quæ jam satisfactæ erant, quodque hæres, sive esset debitor, sive ex errore, agnoverat etiam se istorum fructuum debitorem.

ANNOT. AD DISC. XXXVII.

DE hoc eodem articulo habetur actum infra *disc. 49. ad quem conferunt deducta sub tit. de Dote disc. 145. ex n. 40. nullaque postmodum superiit occasio disputandi.*

**ROMANA LEGATI NEGOTII
PRO JACOBO HYEOT
CUM FRANCISCO MOREAV.**

Causa disputata in Rota ubi pendet.

An factio legati negotii expeditionum Datarie, quod testator exercebat, illud factum censeatur cum juri- bus etiam passivis, adeo ut legatarius teneatur ad debita, ad quæ defunctus ex causa ejusdem negotii tenebatur; Et quid de creditis ex causa negotiorum jam expletorum à defuncto assequendis, & de quibus creditis legatum intelligatur.

S U M M A R I U M.

- 1 **F** Acti series.
- 2 **N**on sunt disputandæ quæstiones super accidentibus, ubi incerta est substantia.
- 3 **A**n pecunia domi reperta veniat sub legato mobilium domus.
- 4 **L**egatis creditis una cum legato alicujus universitatis, intelligitur de illis dictæ universitatis.
- 5 **S**i testator exigit aliqua credita, ista non cadunt sub legato generali.
- 6 **Q**uid si credita sint exacta à procuratore inspecto testatore.
- 7 **L**egata universitate, veniunt debita, & jura passiva, ut in hæreditate.
- 8 **I**dem in grege, vel ratione bancaria, aut alia universitate subalterna.
- 9 **I**n specie de legato negotiorum Datarie.
- 10 **A**n hæres gravatus faciat sua lucra negotii hæreditarii.
- 11 **R**ecensetur doctrina Bartol. an legata apotheca, quid veniat.
- 12 **D**e distinctione, an pro herede, vel pro legatario sit faciendum interpretatio.
- 13 **L**egata apotheca, an veniat aviamentum.
- 14 **Q**uomodo ista quæstio decidi debeat, & de applicatione ad casum.

D I S C. XXXVIII.

In testamento, quod juxta seriem, de qua sub tit. de testam. disc. 34. condidit adolescens Adrianus filius familiaris, qui per aliquos dies præcedentes institutus fuerat hæres per Joannem patrum negotiorum Datarie sollicitatorem, vulgò expeditorem, Francisco legavit mobilia domus, ac omnia credita responsalium ratione dicti negotii, & ipsummet negotium, ultra quamdam aliam summam pecuniariam; Quare inter istum, ac Jacobum patrem & hæredem, priusquam excitaretur altera quæstio

invaliditatis testamenti ratione patriæ potestatis, de qua *disc. 34.* orta est controversia super interpretatione primæ partis legati mobilium domus, an complecteretur pecuniam numeratam, ac etiam alterius partis legati dicti negotii, & creditorum, seu nominum debitorum, an scilicet, & quæ nomina debitorum ad legatarium spectare deberent, & an ipse teneretur solvere primi testatoris debita, eisdem negotiis occasione contracta, consistentia in restitutione pecuniarum, quas correspondentes transfuserant, ut frequenter contingit; pro expeditionibus, quæ postea effectum sortitæ non sint, sive, quæ obtentæ tantam impensam non exegerint; Introductaque causâ coram A. C. prodit sententia Jacobi hæredi favorabilis, ut sub prima parte, pecunia numerata non contineretur, quod; sub altera contineretur solum credita pertinentia ad negotium existentia tempore mortis secundi testatoris, non autem exacta, quodque idem legatarius teneretur ad debita prædicta; Devoluta verò per appellationem causa in Rota coram Priolo, ea; postquam sub die 26. Febr. 1668. nulla capta fuit resolutio; ex ea ratione, quod cum jam introducta esset, ac penderet super omnimoda invaliditate testamenti, tanquam conditi à filiofamilias, hinc proinde dictæ causæ exitum expectari debere prudenter existimatum fuit quoniam inanis labor est agere de interpretatione accidentium, quoties ipsa substantia incerta sit.

In hujusmodi ergo disputationibus in utroque Tribunali habitis, quatuor fuerunt puncti; Primò nempe super comprehensione pecuniæ numeratæ domi repertæ, sub legato mobilium domus; Secundò super legato creditorum correspondens, an scilicet venirent credita ab eisdem assequenda ex diversa causâ, & alias quam pro negotiis Datarie; Tertio circa credita hujus negotii, an venirent ea, quæ post mortem primi testatoris, per ultimum exacta fuerant; Et quarto demùm, quid de debitis eidem negotio annexis, ut supra;

Super primo deducta fuerunt eadem, quæ in ista questione habentur *hoc eodem tit. disc. 5. & seqq.* atque facti circumstantiæ dictam comprehensionem verè excludere videbantur; Quamvis etenim Scribentes pro legatario, penè transcribendo deducta in *Catacen. legati coram Cervo impressa dec. 269. par. 1. r. rec.* totam vim pro consueto stylo pragmatico in ea constituerent; Attamen scribens ego pro hærede, ad evitandam hujus decisionis applicationem, dabam easdem responsiones, de quibus *disc. 5.* considerando illius casus circumstantiæ particulares, ex quibus, ad casum præsentis controversiæ, qui nimium diversus, imò oppositas circumstantiâs habebat, non bene arguere licebat.

Facti verò potius, quam juris erat alter punctus comprehensionis nominum debitorum, seu creditorum ex diversis causis assequendorum, cum legati contextus in verbis probare videretur, ut hujusmodi credita explicata essent tanquam species generis quoque legati, per expressionem ejus, quod facit inerat.

Dabam in hoc exemplum feudatarii, vel Clerici habentis beneficia Ecclesiastica, quod si relinquat alicui feudum, & credita à vassalis exigenda; Sive (quatenus fieri possit, ut contingit in merè sæcularibus Capellanis, piorum legatorum speciem redolentibus) relinqueret beneficium, & omnia credita, à colonis, vel ministris assequenda, ut intelligendum veniat de creditis ratione feudi, vel beneficii, non autem ex diversis causis à feudo, vel beneficio extraneis, in quibus testator consideratur duplex, ac omninò diversus homo, ut pluries *hoc eod. tit. ac sub altero de feudis, & altero de beneficiis*, ac alibi advertitur.

Quo verò ad tertium punctum, distinguerebam; Aut enim agebatur de nominibus exactis per ipsummet secundum testatorem, adeò ut ipsi rectè innotesceret, quod illa non essent amplius tallâ, utpote extincta, & tunc casus videbatur planus pro non comprehensione, absque necessitate assumendi questionem alibi *hoc eod. tit.* insinuatam, an per exactiorem nominis legati à testatore factam, intret legati ademptio, quoniam ea procedit, quando agitur de legato certorum nominum; Secus autem, ubi de illo generis, quoniam cum istud essentiam, ac perfectionem recipiat à tempore mortis, capere non potest, nisi illas species, quæ sub genere legato essent.

Aut verò agitur de illis nominibus, & creditis, quæ de jure essent jam tempore mortis extincta, id autem non innotesceret testatori, qui ea reputaret adhuc vigentia, quia nempe debitores ea solvissent alicui procuratori, vel negotiorum gestori, qui pecuniam nomine principalis re-

tineret; Et tunc pro non comprehensione, ponderabam ea, quæ habentur in Lucana legati *disc. 4.* ubi in specie, an legatum nominum debitorum comprehendat pecunias exactantes penes negotiorum gestorem, à debitoribus, aliisque effectibus jam exactas; Verùm reflectendo ad veritatem, in hac facti specie contrarium credebam probabilius; Tum quia testator opinabatur, ut ista credita essent exigenda; Tum etiam, quia legatum restrictum non erat ad solos debitores, sed etiam ad correspondentes, sub quorum vocabulo, ex negotii, vel subjectæ materiæ natura, venire videntur etiam hujusmodi procuratores, seu negotiorum gestores, qui curam habent exigendi expensas expeditionum à principalibus, vel ab iis, qui eas committunt.

Major igitur, ac penè tota quæstio erat super debitis, de quibus in quarto puncto; Et in hoc (etiam in sensu veritatis) dicebam, ut contra legatarium responderi deberet, (prout à Jure primæ instantiæ responsum fuit) juxta generales terminos text. in *l. 1. & 4. & tot. tit. de hereditate, vel action. vendit. & in sua materia sub tit. de hered. ac etiam sub altero de empt. & vend.* quod scilicet cum legatum sit ipsum genus, seu ipsa universitas, hinc proinde sub ista veniunt omnia ejus membra, & jura tam activa, quam passiva, quæ dividi non possunt, juxta practicum naturale exemplum, quod non potest dividi caro ab ossibus, sed (ut vulgò dici solet) illa cum istis capienda est.

Atque in genere magis subalterno, puta, grege, peculio, dote, mensa nummularia, seu bancaria ratione, ac similibus, quæ universitatem constituunt, habemus expressè cautum in jure, ac universitate legata, non possit legatum dividi, atque in parte utili acceptari, in altera verò onerosa sperni, per textus expressos in *leg. grege autem legato, & leg. Marcio §. 1. ff. de legat. 2. & l. cum taberna, ff. de pignor. cum ibi notatis,*

Et per quæ jura; in individuo negotii Datarie ita firmatur apud Cavaler. *dec. 277. n. 1.* Et in proximis terminis legati, vel donationis rationis bancariæ apud Peniam *dec. 397.* & apud Grat. *discept. 256. n. 7. cum seqq.* ubi concordantes; Atque in idem confert regula *secundum naturam, &c.* ponderata apud Coccin. *dec. 409.* ubi de drogheria, seu taberna negotiatoria, quodque illius debebat esse onus, cujus est commodum, & è contra juxta ea, quæ in hoc proposito *disc. & decisio Coccini* habentur sub tit. de fidei. *disc. 191.* ac etiam sub tit. de *Lered. disc. 7.* super puncto, an hæres gravatus restituere teneatur lucra negotiationis hæreditariæ continuato.

Scribentes pro legatario, magnam vim constituerebant in theorica Bart. in *l. cum pater, §. mensa, ff. de legat. 2.* cum quo pertranseunt ibidem Florian. de Sancto Petro, Imol. Castrenf. & alii, ubi in specie de legato apothecæ, ut ad istam legatum restringatur, & non capiat ea, quæ extra eam sint; Verùm advertebam, ut id clarum contineret æquivocum, quoniam potius ista theorica, in hac facti specie ad evidentiam retorquebatur contra legatarium, pro legati restrictione, non autem ampliacione; Dicit enim Bartolus, quod si legatur alicui apotheca pannorum, censetur solum legata apotheca materialis sine pannis, quæ demonstrativè enunciata censentur; Vel si dicatur legari apothecam pannorum, cum omnibus, quæ ibi sunt, censentur quidem legata merces ibi existentes, non autem credita, & debita, ac avviamentum, nisi legatum conceptum esset de genere, idest, de ipso negotio, seu mercantia; ista igitur doctrina Bartoli, tota tendit ad restringendum, non autem ad ampliandum legatum; Ac ulterius versabamur in ultima ejusdem doctrinæ parte, seu declaratione, quod agebatur de legato generis omnium complexivo.

Ponderabam quoque aliàs pluries insinuatam veram, ac receptam distinctionem, super larga, vel stricta legati interpretatione, regulanda ex majori dilectione, quæ ratione sanguinis, ac majoris conjunctionis vigeat potius pro hærede, vel pro legatario respectivè, cum verè ista non sit quæstio juris, sed facti, ac voluntatis, decidenda ex singulorum casuum circumstantiis particularibus, verisimilem voluntatem suadentibus, juxta ea, quæ in terminis legati librarie facti per librarium ejus famulo, vel juveni, an comprehendat non solum libros, sed etiam avviamentum, aliaque annexa, & dependentia, habentur apud Caril. *decis. ultima 303. cum similib.* Ideoque manifesta est inæptia pragmaticorum, qui pro consueto stylo, cum regulis generalibus, sive cum decisionibus, ac doctrinis percutientibus casus diversos hujusmodi questiones tractant, ac decidunt.

Appli-

Applicando autem ad rem; cum ageretur de testamento, quod ubi etiam, non obstante obstaculo patriæ potestatis, ratione Clericatus sustineri posset, adhuc utpotè ad imprudenti adolescente, aliquam suspensionem redolebat, ut advertitur *disc. 34. de testam. cumque hæres esset pater, qui sine dubio est prædilectus, legatarius autem esset remotus transversalis, pinguissimè visibilis, non solum de hoc legato negotii, sed de aliis mobilium domus, & notabilis quantitatis scutor. 4. mill. adeout fortè plus importaret legatum; quam reliqua hæreditas, detractis aliis oneribus; Hinc proinde, de plano intrabat consequentia, ut in dubio, favore hæredis contra legatarium, faciendi esset interpretatio.*

ANNOT. AD DISC. XXXVIII.

De comprehensione bonorum sub legato, actum est supra *ad disc. 4. cum seqq.*

ANCONITANA LEGATI INTER DOROTHEAM PASSARAM, ET JO. BAPTISTAM BERTOLDUM.

Responsum pro veritate.

Delegato relicto uxori; ut sit domina, & usufructuaria, an importet alimenta, vel formalem usumfructum; Et quatenus usumfructum importet, quæ cautio per eam præstanda sit; Et an de illo participare debeat hæres universalis; Sive an capiat Legitimam ipsi hæredi debitam.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 Legatum usufructus generalis non capit legitimam filiorum.
- 3 Legatum usufructus factum uxori unâ cum filio est huic commune.
- 4 Quod debeat in his attendi substantia voluntatis.
- 5 Et quod testatores non soleant cogitare ad juris subtilitates.
- 6 Declaratur conclusa, de qua nu. 2. & quando omnis usufructus rescandum sit à legitima.
- 7 De eadem materia oneris super legitima.
- 8 Quando digressiones sint potius commendabiles.
- 9 De cautione mutianâ, quando præstanda sit.
- 10 Quod ista cautio possit remitti.
- 11 Altera cautio de utendo, & fruendo in mobilibus non potest remitti, sed declaratur.
- 12 Quandoque legatum usufructus importat proprietatem.

DISC. XXXIX.

Cum testator, instituto hærede Jo. Baptista filio, Dorotheam uxorem (quatenus vitam viduilem servaret, & non aliàs,) hæredem usufructuariam, ac dominam, & patronam absolutam in omnibus bonis reliquisset, cum expressa declaratione, ut legatum ad sola alimenta restrictionem pati non deberet, sed factum conferret de vero, ac formali usufructu unâ cum dicto Joanne Baptista filio, & hærede, illam expressè liberando ab onere cujuscumque cautionis etiam mutianæ, seu aliàs, quæ de jure communi, vel statutorio præstanda esset; Hinc sequuta ejusdem testatoris morte, inter matrem, & filium, de tribus dubitari contingit; Primò an istud legatum usufructus universalis caperet legitimam ipsi filio debitam in bonis testatoris; Secundò an de eodem usufructu, sive esset de universa hæreditate, sive de besse, participare deberet idem hæres universalis; Et tertio an eadem legataria præstare deberet utramque cautionem, non obstante dispositione testatoris eam ab hoc onere liberantis; Quare desuper (incertum est ex cujus parte,) pro veritate consultus fui.

Ad primum, & secundum respondi, quod ubi hujusmodi quæstia, distinctè, ac in abstracto juxta generales propositiones, vel doctrinas, consideranda venirent, tunc in utroque, pro filio, & hærede respondendum veniret; Ad primum scilicet, ut hoc legatum usufructus non caperet legitimam, quoniam eam præcipuam tanquam æs alienum pleno jure in proprietate, & usufructu, filius in instanti mortis parentis, per quamdam rescacationem, quæ per legem fiat à reliqua hæreditate, detrahit; Ideoque legatum

Card. de Luca Lib. XI.

intelligitur in reliquo besse, quod remanet ad liberam ipsius testatoris dispositionem, ut cæteris relatis firmatur apud Merlin. *de legit. l. 3. tit. 2. q. 13.* ac per Rot. *dec. 579. n. 1. par. 5. rec. & dec. 292. n. 12. par. 10.* & in aliis, ac insinuat in sua materia usufructus sub tit. de servit.

Prout juxta opinionem, quam Rota sequitur, de qua *dec. 241. p. 5. rec.* in Faventina usufructus 20. Junii 1664. cor. Verospio, & in Firmana usufructus 5. Julii 1666. cor. Albergato, & in aliis, de quibus sub *d. tit. de servit. ad materiam usufructus disc. 50.* edito in casu, de quo in dicta Firmana. Quando legatario usufructus adjunctus est etiam hæres cum verbo, seu dictione, cum, vel simili, quia nempe dictum sit relinqui usumfructum uxori unâ cum filio, tunc utriusque ille relictus censetur, ex ibi deductis; Et consequenter, attentis hujusmodi generalitatibus, ita resultare videtur, ut dicta mulier usumfructum ex solo bonorum triciente, & sic in tertia parte habere deberet, dum filius tertiam partem præcipuam detraheret pro legitima, reliquis autem besis, ita esset communis æqualiter dividendus.

Verùm procedendo cum consueta mea geniali, ac pro meo sensu, omninò vera, & germana propositione, ut in hujusmodi ultimarum voluntatum quæstionibus, regulæ, & propositiones generales, congruæ quidem sint, ac necessariæ, pro bene regulando arbitrium legaliter, non autem in solo sensu, seu lumine naturali, non tamen ut cum eis judaico more, & generaliter in solo sensu litterali in omni casu pariformiter procedendum sit, sed ut attendi, ac indagari debeat ex facti qualitate, totoque dispositionis contextu, substantia verisimilis voluntatis; Ista videbatur esse, ut uxoris, ac respectivè matris, & filii, æqualis esse deberet conditio in fruicione omnium bonorum, per quamdam speciem communionis vitæ, non reflectendo ad has subtilitates legales, ad quas frequentius testatores, qui præsertim non sint peritissimi Juristæ, quamvis Doctoratus gradu in legibus decorati, seu earum superficiali notitiam habentes, cogitare, ac advertere non solent, unde propterea sæpè contingit, quod Legitima cum hujusmodi legaleicis rigoribus, non interpretantur, neque exequantur, sed destruant testamentium voluntatem, faciendi de directo oppositum.

Et quamvis, quoad primum punctum rescacationis legitime, id non proveniat à sola testamenti voluntate, sed à defectu potestatis, adeout neque volens, possit pater relinquere filio legitimam hac servitute gravatam; Attamen id rectè procedit, quando pater solum legitimam filio de jure debitam relinqueret, cum tunc filius impugnare possit paternum judicium, atque ex illo legis, legitimam liberam detrahere, tanquam æs alienum, & consequenter intrat rejectio oneris, vel servitutis ex defectu potestatis, cum nil urgeat, quod ipsum filium obliget ad habendum ratum factum patris, quem non agnoscit in auctorem, ut advertitur in sua materia fusiùs sub *tit. de leg. & detrahit. ac etiam sub tit. de dote*, occasione pactorum, & gravaminum in dote succedente loco legitime, seu uliàs ex necessitate debita; Secus autem, ubi filius est hæres universalis, unde propterea ex patris liberalitate reliquum bessem obtinet, quoniam, ubi expressa accedat dispositio, ut integer usufructus alterius esse deberet, cum certa, & præcisâ testatoris voluntate, tunc non videtur, ut filio licitum reddatur impugnare illud judicium, ex quo tam magnum lucrum reportat, ac spernere possit factum sui auctoris, dum valor proprietatis reliqui besis, absque dubio in magno excessu major est quam sit ille usufructus solius trientis; Ideoque rectè intrant ea, quæ ad vulgarem regulam textus in *l. cum à matre, C. de re. vendic.* habentur pluries sub *tit. de fidei. commiss.* super potestate testatoris gravandi hæredem etiam in ejus bonis propriis, ac etiam sub *tit. de legitima, & detractionib.* in proposito gravaminis legitime, etiam in totum, & in proprietate, cum ea cautela, quam Soccini dicimus, vel æquipollenti; Et advertitur etiam sub *tit. de dote*, quod si dotator, cui facultas non tribuitur onera adicere doti congruæ debita ex necessitate legis, vel hominis, majorem dotem statuat, adeout illud augmentum, quod ex liberalitate præbetur, plus valeat, quam importet onus, tunc non videtur, quæ lex, vel quæ ratio id prohibeat, juxta practicum exemplum locorum montium, vel pecuniarum habentium aliquod vinculum, quod de prætio, seu valore minuit ex deductis sub *tit. de Regal. disc. 30. & seqq. & sub tit. de camb. disc. 2.* ac etiam pluries sub *tit. de credit.* (ubi est propria sedes pecuniæ vinculatæ) quoniam si (e. g.) quis est debitor in mille, quæ liberè solvere tenetur, admittendus non est ad præ-

D 2 stan-

mandum decem Joca montium vinculata, quæ in valore intrinseco importent quidem eandem summam, sed ratione vinculi importent minus; At si debitor, ut creditori morem gereret, illi det, seu leget viginti, vel triginta Joca montium animo compensandi cum debito, eaque, æstimata etiam cum vinculo longè excedant valorem debiti, utique creditor conquiri non poterit, neque vinculi rescissionem petere, si dispositionem vult acceptare, quoniam in iis, quæ expressè per legem reprobata non sunt, adeo ut pro non scriptis habeantur, non possunt stare simul, acceptare alicujus judicium, atque ex eo lucrum reportare, illudque eodem tempore impugnare, quoties illud sit certum, cum id adverteretur, nedum juri positivo, sed etiam illi naturæ, quoniam esset fovere ingratitudinem.

Illà verò rejectio oneris, de qua in proposito legitur, vel dotis ejus loco succedentis, habetur in dictis suis respectivè materiis de legit. & detraçt. & de dote, quando ea cautela, quæ dicitur Soccini, vel alia æquipollens, sive specialis mentio non accedat, provenire magis dicitur ex presump. ipsius dispensantis voluntate, quoties ista sit ambigua, cum pro tali casu interpretationem recipiat à potestate, sive à dispositione legis, cui in dubio præsumptio est, ut se conformem reddere voluerit; Secus autem ubi ista sit certa, adeo ut rescatio oneris importare dicatur spreum positivum, qui ingratitudinis vitium redoleat; Et consequenter, pro meo judicio, contemptibiles videntur, ac irrisione dignæ illæ legaleicæ propositiones, vel doctrinæ, quas in hac materia habemus insinuatæ d. tit. de legit. & detraçt. præsertim in Lucana disc. 18. super præcisa formalitate verborum, & cautelarum, quasi quod (ut alibi etiam per modum loquendi dicitur) essent verba continentia formam sacramenti, quod sine illis non perficiatur, dum substantia voluntatis potius attendi debet, quam hujusmodi verbales formalitates.

Verum in hac facti specie, discurrebantur hæc ad superabundantiam, atque pro ea digressione, quæ non semper vitiosa est, utpotè quandoque necessaria, vel oportuna pro casuum distinctione, ex qua resultat solet æquivocorum dilucidatio, quoniam ob æqualem communicationem, ob quam ita filius, etiam usum fructum in semisse obtinebat, resultabat, ut legitima pleno jure, tam in proprietate, quam usum fructum assequeretur.

Ad tertium respondi, quod de jure duplex cautio per istam mulierem usufructuariam præstanda erat; Primò scilicet mutiana, dum legatum conceptum erat sub conditione viduitatis, ita & taliter, quod in casu contraventionis totum perceptum restituendum esset, juxta distinctionem inter conditionem, & modum de qua d. tit. de servit. ad materiam usufructus disc. 49. & 51. Et altera generalis de utendo, & fruendo arbitrio boni viri, quæ à quocumque usufructuario præstari debet ex deductis eod. tit. de servit. ad dictam materiam disc. 48. & 51. & seq.

De potestate autem debitoris remittendi primam cautionem, dixi quod nullatenus dubitandum videbatur, dum ipse poterat dictam conditionem viduitatis non adicere seu eadem viduitate adicere per viam modis, & consequenter si habet potestatem destruendi substantiam, non videtur quid prohibeat illam destruendi accidentia, quodque onus restitutionis in casu contraventionis, ita verificaretur in eo quod de bonis legatarii superesset.

Quo verò ad alteram cautionem generalem; Quamvis DD. magis communiter firmant in testatore defectum potestatis eam remittendi, ubi præsertim agatur de mobilibus, ac aliis consumptioni, vel dissipationi subjectis, ex relatis per Castil. de usufr. c. 15. & per Rot. dec. 185. nu. fin. part. 10. rec. ac insinuat pluries in dicta sua materia sub tit. de servit. At tamen advertebam, quod adhuc discretè id intelligendum est pro facti qualitate, ex qua prudens Judicis arbitrium regulari debet, an scilicet urgeat, necne ratio, cui ista conclusio innixa est, ne remittatur dolus de futuro; seu detur delinquendi occasio, quod publico favori, atque bonis moribus naturalibus adversatur; Ideoque merito lex hujusmodi dispositiones interpretatur, ut intelligendæ solum veniant pro remissione implementi rigorosi, vel scrupulosi, & non aliàs; Adinstar eorum quæ habemus de liberatione relicta tutori, vel administratori à redditione rationum, sive à consecutione inventarii cum similibus.

Secus autem ubi testatoris voluntas certa, & enixa sit (ut in hac facti specie esse videbatur ob nimiam verborum amplitudinem,) atque facti qualitas sit talis, ut ei non

congruat dicta ratio remissionis futuri doli, vel invitationis ad delinquendum, quæ tutoribus, & curatoribus, aliisque administrationibus congruit; Tunc enim judicium species videtur, dictam conclusionem ita generaliter, ac in verbis attendere, quoniam si poterat testator omnia ea bona mobilia, vel dissipationi subiecta, liberare, ac pleno jure, etiam in proprietate legatario usufructum relinquere, hinc non videtur, quæ legalis, vel humana ratio prohibeat relinquere in solo usufructu cum remissione dicti oneris certo legali, & naturali principio, ut qui potest facere plus, possit etiam facere minus.

Ac etiam quia receptum in jure habemus, ut illud legatum, quod in verbis cantat de solo usufructu, proprietatem quoque ex conjecturis, vel circumstantiis incompatibilibus importet, atque in usufructum causalem magis, quam formalem resolvatur, ex deductis in dicta sua materia sub tit. de servit. Igitur totum pendet à voluntate, cuius substantia attendenda est, rejectis hujusmodi pragmaticorum judicium, ac formalitatis; Attendendo bene regulas, & conclusiones juris, pro congrua ejusdem voluntatis interpretatione, quando ambigua sit, non autem pro ejus destructione, quando sit clara.

Non fuit autem opus agere de quæstione, an hoc legatum juxta consuetudinem Bulgari resolveretur in alimenta, & de qua d. tit. de servit. disc. 50. & seq. quoniam voluntas erat expressa, nimiumque in verbis declarata, ut verum usufructum importaret.

ANNOT. AD DISC. XXXIX.

AD hanc materiam legati usufructus, ac etiam cautionis præstandæ per usufructuarium, habetur pluribus sub tit. de servit. præsertim disc. 47. & seqq.

BONONIEN. DOTIS, ET LEGATI PRO COMITISSA CAMILLA CAETANA DE DOZIIIS

CUM MARIA ISABELLA DOZIA.

Casus decisus per Rotam pro Camilla.

De interpretatione legati quantitatis monetæ per testatorem expressæ in testamento, extra ejus patriam condito, quia nempe dixerit de tot scutis, de quibus intelligendum sit, an scilicet de illis propriæ patriæ, vel de illis loci testamenti; Et quatenus plures scutorum species in eodem loco currerent, de qua specie legatum intelligendum sit.

S U M M A R I U M.

- 1 Adi series.
- 2 Resolutiones causæ.
- 3 Legatum factum à debitore non compensatur cum debito voluntario dotis.
- 4 De legato habitationis, vel facultatis habitandi, & in quo differant.
- 5 Partus in dubio præsumitur vitalis.
- 6 Ut legatum debeat de moneta patriæ testatoris, non autem loci testamenti.
- 7 Contrarium.
- 8 Quod sit quæstio voluntatis.
- 9 De eodem, & quando quæstio intret.
- 10 In quo differant forenses à scholasticis.
- 11 De variis scutorum speciebus in Urbe, & in Civitate Bononiæ.
- 12 An in legatis debeat, quod plus, vel quod minus.
- 13 De alio simili casu controversiæ.
- 14 De voto Auctoris, ac resolutione.
- 15 Eadem res non potest diverso jure censeri.
- 16 Quomodo ista quæstio decidi debeat, & n. 20.
- 17 Scriptus, vel consultor testamenti est ejus interpret.
- 18 De legato dotium filiabus, in qua moneta sit interpretandum.
- 19 De diversa interpretatione unius ex pluribus legatis, quam aliorum.
- 20 De eodem de quo n. 16.
- 21 Declaratur axiomata, de quo n. 15.

D I S C. XL.

Comes Joseph. Maria Dozius nobilis Bonon. qui uxorem duxerat Camillam Caetanam nobilem Romanam,

nam, infirmatus in Urbe, vel propè eam intra districtum, in testamento ibi condito, instituta hærede Maria Isabella Dozia filia inter cætera legata reliquit uxori scuta 10. m. Cumque ejusdem uxoris venter prægnans de proximo esset, ex quo ad octo menses post mortem; altera foemina posthuma procreata fuit, quæ ad breve tempus obiit, ac etiam testator eidem uxori legatum habitationis in propria domo existente in Civitate Bononiæ reliquisset; Hinc propterea, inter ipsam, ac dictam Mariam Isabellam filiam, & hæredem, seu veriùs Hippolytam testatoris matrem dictæ pupillæ aviam, & tutricem, plures exortæ fuerunt controversiæ; Primò scilicet super restitutione dotis, an istius solutio probaretur; Secundò an dictum legatum censeretur factum animo compensandi cum dicto credito dotali, & lucro; Tertio super dicto legato habitationis; Quarto super successione matri delata in portione, seu legitima debita dictæ posthumæ, quæ insuccessibilis pretendebatur sub pretextu, quod nata octavo mense; non esset vitalis; Et quinto super qualitate monetæ dicti legati scutorum 10. m. an scilicet intelligendum esset de scutis Romanis, vel de illis Bononiæ, cum isti minus, quam illi importarent.

Causa ex compromisso delata ad Rotam cor. Emerix pendè in omnibus resolutiones favore Camillæ prodierunt sub diebus 23. Jan. & 14. Junii 1669. ad quarum resolutionum normam; emanata sententia arbitrimentali, ea confirmata fuit in alia instantia, in qua non scripti, cum procederet cum eisdem fundamentis jam firmatis, ideoque necessaria non reputabatur opera plurium Advocatorum, cum inani sumptu, dum sufficiebat illa Advocati ordinarii, qui ab initio, pro stylo, onus habuerat causæ.

Primus punctus erat nudi facti; In secundo processum fuit cum excepta conclusione, seu regula, de qua alibi hoc eodem tit. præsertim disc. 15. ut cessantibus diversæ voluntatis conjecturis, legatum à viro uxori factum, compensandum non veniat cum debito dotis, vel lucri tamquam debito voluntario potius, quam necessario juxta receptam distinctionem.

Super tertio deducta fuerunt eadem, quæ in hac materia habentur sub tit. de servit. disc. 66. ubi in specie de consimili legato facto per virum uxori, ac de distinctione inter legatum habitationis, & legatum facultatis habitandi; Et in quarto super successione dictæ posthumæ, modica fuit disputatio, ob non justificatum factum præsuppositum, quod partus non esset vitalis, cuius contrarium in dubio præsumitur, ut in causæ decisionibus, cæteris relatis, firmatur.

Quatenus igitur pertinet ad ultimum punctum, super interpretatione dicti legati scutorum 10. m. de qua scilicet specie scutorum intelligendum esset, an de Romanis, & sic de loco conditi testamenti, ubi testator accidentaliter morabatur, vel potius de illis Civitatis Bononiæ, quæ erat testatoris patria originaria, & domiciliaria, resolutiones prodierunt favore legatarie, ut intelligendum veniret de Romanis majoris valoris, seu importantiæ.

In disputationibus autem desuper habitis; Scribentes pro hærede pretendente solvere legatum in moneta Bononiæ minoris valoris, dicebant quod sibi assisteret regula per textum expressum in l. nummis 73. ff. de legat. 3. ibi ex regione unde fuerit, ibique firmant Cyn. Bartol. & alii, de quibus Cor. conf. 224. lib. 2. ubi loquendo de legato facto per testatorem Perusinum in testamento condito in Civitate Anconæ de tot florenis, ut intelligendum veniat de moneta Perusina, non autem de Anconitana, & sequuntur Menoch. l. 4. præsumpt. 106. n. 4. Mant. de consuet. lib. 6. tit. 8. n. 13. Grat. discept. 565. n. 18. Surd. dec. 227. n. 2. & alii apud eos.

Converso autem Scribentes pro hac parte (quibus Rota adhesit,) precipuum fundamentum constituebant in eo nimium probabili, imò claro facti motivo redolente speciem expressæ probationis, cui dicta simplex juris presumpcio cedere debet, quoniam quando testator loqui voluit de moneta Bononiæ, id expressit, illam explicando cum ibi usitata specie librarum, in quibus communis usus, seu commercium tam in actibus inter vivos, quam per ultimam voluntatem habetur, unde propterea hæc discretiva clara præferre videbatur hujus voluntatis probationem.

Et his annexebantur etiam ea, quæ habentur apud Soc. conf. 247. n. 4. & seqq. lib. 2. Surd. dec. 227. n. 4. cum aliis apud Menoc. & alios ubi supra præsertim Grat. d. discept. 565. ubi hunc punctum examinat, & à quo totum transcribi solet; cum aliis in causæ decisionibus super aliis conjecturis, Card. de Luca Lib. XI.

& circumstantiis, illis præsertim usus loquendi Notarii, & quod testator diu versatus fuerit in loco, in quo testamentum conditum fuit cum similibus.

Scribens ego pro eadem Camilla legataria, atque deducendo quoque eadem fundamenta; Addebam ulterius, quod inanis labor videretur in hujusmodi generalitatibus immorari, quoniam cum ista sit quæstio voluntatis, & consequenter facti potius, quam juris, hic proinde (ut frequenter advertitur,) erroneum pro meo judicio est, ex hujusmodi generalitatibus judicium efformare, cum potius illud inquirendum sit ex circumstantiis facti, quæ substantiam voluntatis suadeant.

Hoc autem prænotato; Advertebam, quod quæstio cessabat in radice ex facto, quoniam tunc illa caderet, quando in utroque loco esset verificabile idem monetæ vocabulum, unde propterea intraret dicta quæstio, an vocabulum, quo testator usus est, potius referendum esset ad monetam propriæ patriæ, vel ad illam loci testamenti, quia nempe in utroque loco idem scutorum, vel ducatorum vocabulum esset usitatum; Eo modo, quo in casu, de quo agit Corn. d. conf. 244. nam idem florenorum vocabulum utique loco commune erat, cum aliqua tamen valoris differentia.

Id autem in hac facti specie in facto cessabat, ideoque pro meo judicio, iste inanis labor erat, dum semper erroneum est assumere disputationes juris, ubi quæstio decidendi potest cum pacto, quod potissimum, ac principaliter in forensibus controversiis decidendis attendendum venit; Si quidem (ut alibi pluries advertitur) in hoc differunt scholastici, seu academici à forensibus, quod illi, pro ingeniis exercendis, disputant quæstiones juris in abstracto, isti autem agunt de causis in concreto, pro ipsarum qualitate, ac particularibus circumstantiis decidendis.

In Urbe etenim, aliisque adjacentibus locis, istud scutorum vocabulum, duplicem habet significationem; Unam scilicet scutorum monetæ, qui constituuntur ex decem nummis argenteis, qui Julii, seu Pauli vulgò nuncupantur, atque ad differentiam scutorum auri vulgò dicuntur scuti monetæ; Et alteram scutorum auri, qui subdividuntur in tres species recensitas sub tit. de Regal. ad materiam monetarum, ac etiam sub tit. de pension. & sub tit. de cred. quod scilicet; Alii sunt scuti auri, qui dicuntur stamparum modernarum; Alii verò scuti auri stamparum veterum, sive ut vulgò dicitur, qui non sint stamparum currentium, ac antiquitus dicebantur stricti, ad differentiam aliorum majoris valoris, qui antiquitus erant magis in usu, qui scuti, seu ducati largi, vel solis dicebantur.

In Civitate autem Bononiæ, moneta argentea, seu alterius inferioris materiæ, explicari non solet cum hoc vocabulo scutorum, sed cum dicto alio librarum, quod continet monetam imaginariam, sive cum vocabulo ducatorum, aut ducatorum; Vocabulum autem scutorum in usu solum est respectu scutorum auri, qui pariter sunt diversarum specierum, majoris, vel respectivè minoris valoris, ut in specie de hac Civitate Bononiæ habetur per Rot. dec. 398. p. 9. rec. repetit. inter illas Bichii dec. 298. & advertitur in proposito Civitatis Mediolani, aliorumque Locorum Lombardiæ in d. tit. de pensionibus.

Igitur, quando etiam admittenda esset opinio, ut attendi deberet locus patriæ testatoris, dum iste adhibuit vocabulum scutorum, quod non est verificabile nisi in scutis auri, ita magis expediret legatarie, etiam si admittenda esset regula, de qua plenè cæteris relatis apud Surd. dec. 298. & insinuat alibi hoc eod. tit. & sub altero de dote, ut factu legatum de scutis, vel ducatis, qui diversi in regione sint, diversumque valorem habeant, illud intelligendum veniat de illis minoris valoris, quodque censeretur legatum, quod minus favore hæredis, nisi favor causæ piæ, vel dotis, aut presump. testatoris voluntas deducta ex qualitate, ac majori dilectione legatarie, vel aliis circumstantiis diversimodè suadeant; Quoniam quomodocumque diceretur, plus importabat inferior scutus aureus Bononiensis, quam scutus monetæ Romanæ, in quo legatum petebatur, atque reverè aliæ facti circumstantiæ istam veritatem clarè convincere videbantur, ideoque ad factum, non autem ad jus, in hujusmodi quæstionibus est recurrendum.

In hoc autem proposito; Cum Plumbini Princeps Nicolaus Ludovisus, ad mortem infirmatus in Calaritana Civitate, ubi duplex diversum munus exercebat, Proregis, & Ducis generalis Classis maritimæ illius Regni Sardinie, testamentum condidisset (pro loci stylo) hispanico idiomate, in quo quamplura legata quantitativa fecit, explicata cum

termino, seu vocabulo scutorum, nonnulla scilicet pia Ecclesiis, & Monasteriis dictæ Civitatis; Alterum scutorum 100.m. pro dote filie fœminæ primogenitæ, cum expressione, quod dicta summa relinquebatur tanquam congrua, & consueta filiarum primogenitarum eorum, qui sunt Hispaniarum Primi vulgò *Grandi*; Aliud scutorum 100.m. distribuendum inter ejus familiares, juxta Principum & Magnatum stylium; Et alterum scutorum 100.m. pro una vice, & annuorum scutorum 4000. in perpetuum, pro perfectione, & conservatione, & ornamento conspicui templi Sancti Ignatii in Collegio Romano, constructi ex legato Cardinalis germani fratris; Dictaque pia legata facta illis Ecclesiis, & Monasteriis illicò adimpleta fuissent in scutis monetæ ejusdem regionis, qui constituuntur ex valore illarum monetarum hispanicarum, quæ vulgò dicuntur *pezze da otto*, constituentes octo partes cum dimidia ex decem, ex quibus constituitur scutus monetæ Romanæ; Hinc proinde, respectu dictorum aliorum legatorum pro veritate consultus fui, an in eadem specie monetæ illa intelligenda essent, vel potius in scutis monetæ Romanæ majoris valoris ut supra.

Respondi, ut pro tribus primis legatis, quæ facta fuerunt Ecclesiis dicti loci, ac familiaribus, & filiæ, istud vocabulum scutorum attendendum esset juxta monetam, seu valorem loci testamenti; Alterum verò factum dictæ Ecclesiæ Urbis intelligendum esset de moneta Romana; Atque ita respectivè in eodem Tribunali A. C. per diversos tamen Locumtenentes diversimodè judicatum fuit, ut illud scilicet familiarium deberetur ad rationem scutorum Sardinie, illud verò Ecclesiæ ad rationem monetæ Romanæ (quamvis ex prudentialibus motivis in dictis causis judicialiter agitis, ego non scripserim.) sed exitus fuit juxta votum jam datum; De aliis etenim duobus legatis agere non oportuit, quoniam primum illicò post mortem pacificè in ea moneta impletum fuit; Et alterius legati adimplendi defuit occasio, dum dicta filia primogenita, vitam spiritualem Oblatarum in Monasterio Turris Speculorum, piè elegit.

Responsum autem, seu votum desuper à me datum, tunc plerique visum est exorbitans, atque contradictorium, contra vulgare axioma, super quo plura colligit Barbosa *axiom. 74. n. 4.* ut scilicet una & eadem res, vel dispositio diverso jure censi non possit, quodque propterea, istud scutorum vocabulum, quod testator adhibuit, vel de una, vel de altera specie intelligendum esset, non autem de utraque, cum id incompatibile videatur.

His tamen non obstantibus, in prædictam deveni sententiam, motus, non quidem ex generalitatibus, de quibus supra in altero casu, cum quibus procedi solet, sed cum regula, pro meo sensu solidissima, atque principaliter attendenda, quod cum ista sit quæstio voluntatis, istius substantia verisimilis indaganda est, ex facti circumstantiis, non autem ex generalitatibus, vel doctrinis, ac decisionibus, quæ diversos casus, vel terminos percipiant, cum iste videatur error nimium clarus.

Quo enim ad duo legata, Ecclesiarum scilicet & piorum locorum Civitatis, in qua testator obiit, ac distributionis faciendæ in familia, quæ tota, vel in longè majori parte ibi erat, ideoque ex verisimili testatoris voluntate, atque pro ejus honorificentia ibidem faciendâ; Cum, tam ordinatio legati, quam affectio ibidem sequi deberent, vel destinata essent, idcirco omnes regulæ assistebant, ut de illa moneta intelligenda venirent, ex deductis per Surd. & adden. *decif. 227.* & communiter; Et clarius ob subsequitam observantiam in primo legato exequuto per Consiliarios, ac assistentes, qui testamentum respectivè conscripserant, vel consuluerant, dum ut alibi *hoc eodem tit.* advertitur, ac etiam sub altero *de testam. & de fideicom.* isti dicuntur optimi interpretes ambiguae voluntatis defuncti.

Alterum verò legatum dotis, pariter, imò clariùs eodem modo interpretandum videbatur, ob causam eidem adjectam, quod scilicet ea summa legabatur, tanquam solita dari filiabus eorum, qui sunt primi, seu Magnates Hispaniarum; Addendo etiam dictæ consueta summæ scutorum centum mille, alia viginti mille, ideoque cum imponeretur, ut in Hispanis dicta summa consueta consisteret ex dictis petis argenteis Hispanicis, ita credebant quod in hoc nimium clara esset testatoris voluntas, se conformandi cum dicta consuetudine, dum declaravit aliud facere additamentum ex particulari motivo benevolentie, ac etiam verisimiliter, ut ita fieri posset supplemento scutorum

centum mille monetæ Romanæ, quatenus in Urbe (ut probabilius est testatorem opinasse) ea nuberet.

Verum quoad ultimum legatum factum dictæ Ecclesiæ in Urbe, diversa vigebar ratio, quoniam cum istud legatum habere deberet, ex intentione testatoris ita pluries explicata, implementum successivum, & perpetuum quolibet anno ex redditibus bonorum, quæ in Urbe, & Statu Ecclesiastico existebant, hinc proinde quando loquutus est de scutis, probabile est, ut intelligere voluerit, juxta communem usum loci implementi, seu faciendæ solutionis in moneta ejusdem loci certa, & invariabili; Non cogitaverit autem ad petias argenteas hispanicas, dum earum frequens, ac manualis usus in Urbe non habetur, neque sub scutorum nomine unquam veniunt, vel reputantur, cum diversum habeant vocabulum prædictum *di pezze da otto*; Ideoque iste mihi videbatur modus interpretandi dicta legata diversimodè pro diversa eorum natura, seu qualitate, procedendo, ut dictum est, cum dicta propositione indagandi verisimilem testatoris voluntatem, ejusque substantiam attendendi, non autem immorandi in formulis verborum, sive in dictis generalitatibus, quæ ut dictum est, Juristarum ineptiæ, seu frigiditates mihi videntur.

Neque præmissis obstare advertebam dictam repugnantiam, ut una, & eadem res diverso jure censeretur, sive quod unum, & idem vocabulum diversas habeat significaciones, quoniam id obstat, quando ageretur de unico, eodemque legato; Secus autem, ubi de pluribus diversis, quæ diversam nationem habeant, quoniam quot sunt legata, tot sunt dispositiones; Cumque juxta supra insinuatam *dec. 298.* Surd. & alibi *hoc eod. tit.* habeamus, ut facto legato rei, quæ duplicem habeat significacionem, ac importare possit, magis & minus, regulariter legatum importet minus, sed favore causæ piæ, vel dotis, aut ratione prædilectionis importet plus; Hinc proinde rectè dari possunt in eodem testamento diversa legata, quæ pro legatariorum qualitate hanc diversam recipiant interpretacionem, quamvis eadem sint verba, seu vocabula, cum istorum interpretatio fieri debeat juxta subjectam materiam, singula singulis congruè referendo, juxta dictum exemplum plurium legatorum piorum, & prophanorum, quæ in eodem testamento contineantur, cum similibus.

ANNOT. AD DISC. XL.

DE materia monetarum actum est *sub tit. de Cred. disc. 140. Ubi vide Adnot. & disc. 68.*

Decisiones in ista causa proditæ, sunt impressæ *par. 16. rec. dec. 17. 96. & 124.*

JANUEN. LEGATI PRO STEPHANO LOMELLINO.

Responsum pro veritate.

De materia interpretationis legati, & quomodo ista faciendâ sit, quando verba sint ambigua, & apta recipere plures diversos intellectus, & significaciones.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 De dote congrua per patrem debita.
- 3 Legataris speciei præfertur creditoribus, vel filiis pro legitima.
- 4 De quæstione contributi inter legatarios.
- 5 Gerundium an importet conditionem, ubi resolvatur.
- 6 Quomodo legata interpretari debeant, & de circumstantiis, ex quibus fit interpretatio.

DISC. XLI.

JO: Franciscus Lomellinus tres habens filias, quarum una in Monasterio professionem jam emiserat, factis aliquibus piis, ac prophanis legatis, atque relicta dictæ filiæ moniali quadam annua vitalitia præstatione, aliis duabus innuptis statuit dotem scut. 200.m. quatenus in seculo nuberent, ubi verò Monasterium ingrederentur, reliquit dotem Monasterio dari solitam, ac etiam pinguem vitalitiam subventionem, eademque filias innuptas hæredes universales instituit, quibus Stephanum fratrem, vel ejus prædefuncti, filios, & descendentes substituit, tam in casu monachagii, quam etiam matrimonii carnalis, quatenus absque filiis decederent antè completam ætatem annorum 25.

Per

Per capitulum autem separatim post legata, & priusquam ad institutionem hæredis deveniret, facta narrativa, quod domus habitationis cum annexis utpotè proveniens à paterna hæreditate, adhuc indivisa esset cum dicto Stephano fratre, idcirco, eam, & quædam alia bona pariter indivisa ab eadem hæreditate provenientia illi reliquit, sub ea tamen lege, ut legatum respectu domus, effectum fortiri non deberet, nisi postquam dictæ filiæ, quatenus superviverent, uno vel altero modo collocatæ essent ibi, *dopo che le Signore figlie d' esso testatore, vivendo, haveranno preso fluto, cioè si faranno maritate, o monachate*; Quare sequuta morte testatoris, dictis filiabus in statu innupto continuantibus, super duobus inter ipsas, ac dictum Stephanum dubitari contigit; Primum nempe, an dicto legato locus esset, ex eo quod impleta non esset conditio earum collocationis ipso testatore vivente; Et secundò, an idem Stephanus in dicto legato, ac bonis in eo contentis præferri deberet eidem filiabus in dote, quam juxta paternum judicium assequi debebant, quatenus carnale matrimonium eligerent, atque super utroque pro veritate consultus fui.

Quatenus pertinet ad secundum quæsitum, dixi quod certum J.C. responsum, seu judicium desuper dari non poterat, dum quæstio non erat juris, sed facti, utpotè pendens à duplici facti circumstantia; Primum nempe, an, & quæ esset pro qualitate personarum, & more regionis, vel familiæ, dos congrua juxta illam congruitatis taxam, de qua *sub tit. de dote* pluries præsertim *disc. general. 144.* adeout ad eam pater à lege cogeretur; Tunc etenim cum redoleat speciem æris alieni, sine dubio istud vincit legata, in quibus legatarius fovet causam merè lucrativam, & voluntariam; Ac etiam an in hæreditate alia essent bona, ex quibus ista dos præstari posset, quoniam ubi etiam speciem æris alieni redoleat, adhuc intrat conclusio, de qua pluries *sub tit. de leg. & de tract.* quod legatarius speciei in re legata præfertur filio in legitima, ac etiam creditoribus chirographariis, ubi alia suppetant bona, ex quibus consuli valeat.

Quatenus verò dicta summa pro dicta dote constituta excederet congruam ex legis necessitate debitam, adeout excessus redoleret voluntarium, & gratuitum legatum; Tunc tanquam inter æquè legatarios, si hæreditas omnibus idonea non esset, intraret quæstio contributi, & an illud locum habeat inter legatarium quantitatis, & legatarium speciei, & de qua quæstione habetur in aliis *hoc eod. tit.* Illa verò in hac facti specie non intrabat ob claritatem, & expressam dispositionem testatoris, ut istud legatum factum fratri, contributioni non subjaceret etiam cum legatis piis, cum indubitatum sit, ut ista contributi materia tota sit voluntatis, quæ etiam tacita, & conjecturalis in proposito sufficit; Eaque in præfenti adesse videbatur, ubi etiam non fuisset expressa, dum constabat de substantia voluntatis testatoris, ut ista majorum bona antiqua in domo, & familia conservarentur, istudque est magnum hujusmodi voluntatis argumentum.

Quo verò ad alterum punctum, in quo in transmissa notula supponebatur, quod major quæstio, seu difficultas resideret; In aliquibus Responsis datis pro parte dictarum filiarum ad hunc effectum transmissis, cum magno generalium propositionum, seu grammaticalium regularum apparatu, nimium insisteretur in eo verbo *vivendo*, quod in gerundio conceptum erat, an scilicet illius resolutio importaret, necne conditionem suspensivam, juxta ea, quæ in hoc proposito resolutionis gerundii, an importet modum, vel conditionem, habentur *hoc tit. & sub tit. de res. & de hæred.* super qualitate viduitatis legato adjecta, cum similibus.

Ac etiam, an idem verbum, potius ad testatorem, quam ad ipsas filias referendum esset, quatenus scilicet ipso testatore vivente filias collocarentur, ac statim sumerent, ita curando probare cum regula, ut verborum relatio ad proximè præcedentia fieri debeat, quodque hæc relatio magis congrua esset, dum verbum testatoris magis proximum erat, cum similibus generalitatibus, seu legaleicis frigiditatibus; Hisque positis, inferebatur ad consequentiam caducationis legati, ob non purificatam conditionem.

His tamen non obstantibus, Respondi, ut, pro meo judicio, punctus esset omnino planus favore legatarii, adeout indignus videretur hac disputatione, seu J.C. responsio, cum dispositio esset nimis clara, adeout rectè intraret frequenter insinuata regula textus in *l. ille, aut ille ff. de leg. 3.*

Card. de Luca Lib. XI.

Neglectis etenim præfatis generalitatibus, quas in hujusmodi ultimarum voluntatum quæstionibus, utpotè facti ac voluntatis potius, quam juris, meras ineptias perpetuè reputare consuevi; Atque attendendo substantiam dispositionis, seu voluntatis, eam, & nimium clara erat, quod cum prudentissimus testator (qui qualificatum munus Procuratoris Reipublicæ habebat, & prole masculina careret, prudenter ejus dispositionem ordinando, filias fœminas dote providit in certa quantitate, ex mobilibus, aliisque effectibus ab eo acquisitis, reliquum de eisdem bonis in pia, & prophana legata, pro anima, amicis, & familiaribus distribuit, domum verò paternam, aliaque antiqua, & majorum bona stabilia, quæ in familia, & agnatione notabili tempore fuerant, in eadem agnatione relinquere voluit, ut ibi conservarentur, dum non se restrinxit ad personam Joan: Stephani fratris, sed eo præmoriante vocavit ejus descendentes, disponendo ut hoc legatum subjacere non deberet contributo, quatenus vires hæreditariæ non essent aliis legatis idoneæ; Verum quia incongruum erat, ut eadem filie, donec statum assumerent, à paterna domo egredi cogerentur, atque alibi vivere una cum uxore, & matre respectivè, (quam usufructuarium quoque reliquit;) Hinc proinde, eadem prudentia retenta, disposuit, ut legatum domus tantum, discretè ab aliis bonis paternis eidem fratri relictis, non deberet fortiri effectum, nisi postquam dictæ filiæ jam collocatæ essent cum uno, vel altero matrimonio, ob cujus casum in domo viri, vel Monasterio respectivè vivere deberent, adiciendo etiam dictum verbum *vivendo* ex eo quod pro earum mortem resultaret effectus; Ponderando potissimè quod ista conditio desumpta ex dicto verbo *vivendo*, ac altera assumptionis status adjecta non erat substantiæ legati, sed potius executionis, & tanquam per speciem dilationis, dictam probabilem causam, seu rationem habentis, dum in verbis dicebatur, quod istud legatum respectu domus non fortiretur effectum, nisi post dictam status assumptionem uno, vel altero modo, ideoque testator clarè præsupposuit, ut testamentum, ac respectivè legatum perfectionem jam ab ejus morte reciperet, unde propterea meretur executionem, seu effectum, quem ita in parte suspendere voluit; Ergò ad nimiam evidentiam constare dicebam, ut omnino incongruum, ac ineptus esset dictus intellectus, sed potius oppositus, ut testator præsupponeret, quod de tempore mortis filiæ non essent provixæ, adeout intraret dicta ratio congruentiæ, & honestatis, ut in paterna domo cum matre interim viveret; Isteque est modus interpretandi legata, & ultimas voluntates, indagando scilicet substantiam verisimilis voluntatis, non autem immorando in hujusmodi verborum formalitatibus, ac generalitatibus, quæ ut dictum est, potius ineptiæ, ac frigiditates dici merentur.

ADNOT. AD DISC. XLI.

Interpretatio legati quomodo sit faciendâ, habetur pluries in *hoc tit. disc. 61. 67. & 69.*

CAMERINEN. LEGATORUM PRO MARIOTTIS CUM LEGATARIIS, VEL PROCURATORE FABRICÆ S. PETRI.

Causa disputata in Tribunali Fabricæ, credo sopita per concordiam.

An legata tractum successivum habentia, relicta ab instituto, censeantur repetita à substituto; Sive an censeantur injuncta primis tantum, non autem ulterioribus hæredibus.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 Ut legata etiam pia relicta à primo hærede non debeantur à secundo.
- 3 De restrictione oneris ad primum per verba personalia.
- 4 Item per discretivum modum loquendi.
- 5 In his, quæ sunt voluntatis, favor piæ causæ non operatur.
- 6 Quid agere soleant Advocati, quando vivunt de causis.
- 7 Et quid isto casu agere debeant.
- 8 Quod favore piæ causæ relicta ab instituto, debeantur à substituto.
- 9 Declaratur conclusio, de qua n. 5. & quod favor piæ causæ operetur etiam in his, quæ sunt voluntatis.

D 4 10 Cu-

- 10 Cuius sit favor maior, an pia causa vel liberorum etc.
- 11 Recensentur conjecturae, seu circumstantiae probantes tractum successivum etiam cum secundo, & ulteriori haereditate.
- 12 Quando fortius intret questio, de qua n. 2. & 8.
- 13 Quomodo questio decidi debeat.

D I S C. XLII.

Cum testator prole carens, relicta uxore usufructuaria, haereditatem instituit nepotem ex fratre, cum fideicommissio successivo, antequam vero ad institutionem deveniret, aliqua fecisset pia legata, annuum, ac successivum tractum habentia, quae tamen in verbis inuncta videbantur inferius describendis haereditibus per illa verba mandata ut infra scripti, eius haereditas quolibet anno solvantur etc. Hinc proinde, defunctis, tam uxore, quam primo haerede instituto, praesentem excitarunt substituti, ut huiusmodi legata, seu onera, tanquam favoralia, jam terminassent, ideoque per aliquos annos ea non adimplendo, iuxta ordinariam Fabricae S. Petri facultates alibi hoc eodem tit. infinuatas, in ejus Tribunali per legatarios, vel (iuxta stylum) per eisdem Fabricae Procuratores pulsati fuerunt, atque causae Patrono firmiter credente dictam personalitatem, cum requisitus essem ad scribendum pro eadem opinione sustinenda, more Advocati, causae inservientis.

Deduceram in primis regulam generalem deductam ex una opinione, de qua apud infra allegandos, ut legata relicta ab instituto, non censentur relicta a substituto; Atque in terminis specialibus annui legati pii, pro anniversariis, aliisque similibus operibus piis, ut quoties directa sunt ad primum haereditem, non afficiant secundum, deducebam ea, quae habentur apud Riminald. Jun. conf. 236. n. 76. Surd. conf. 123. n. 17. cum seqq. Capyc. Latr. conf. 23. n. 54. & conf. 24. n. 2.

Restrictionem autem ad primos haereditas deducebam dupliciter; Primum nempe ex illo verbo *infra scripti*, quod est personale, ac ad oculum demonstrativum personarum, quibus directum est, ut in eisdem specialibus terminis advertitur apud Surd. conf. 123. n. 16. & 17. Capyc. Latr. d. conf. 23. n. 53. & 54. & conf. 24. n. 1. cum seqq. & generaliter Rota apud Buratt. dec. 355. n. 5. & 387. n. 9. & frequenter in aliis.

Et secundo ob discretivam, quod scilicet quando de ulterioribus haereditibus testator loqui voluit, id expressit, ut fecerat in prohibitione alienationis bonorum, dum expressè locutus est de institutis, & substitutis, ideoque intrat vulgare argumentum discretivae; quod ubi voluit, dixit &c. communiter deductum ex textu in l. unic. §. fin. autem Cod. de caduc. tollend. ut in eisdem specialibus terminis advertitur per Capyc. Latr. sive Scribentes apud eum d. conf. 104. n. 3.

Neque obviare dicebam, quod ageretur de legatis piis, quoniam ex veriori, magisque recepta sententia pluries deducta hoc eodem tit. frequentius autem *sub altero de testamento* favor pie causae, nimium operativus est circa solemnitates, eaque removenda obstacula, quae pendent a jure positivo, non autem circa voluntatem, cujus defectus dicitur juris naturae, quod magis efficere debet causam piam, quam prophanam, ex pluries infinuata ratione, quod Ecclesia, vel pia causa, ad majorem veritatis naturalis cultum tenetur, dum eam tantum activè, ac passivè attendit, atque saecularibus in hoc exemplum praebere debet, sive esse exemplar.

Curando praemissa omnia, & alia (praeter stylum) exornare cum aliis regulis, ac propositionibus generalibus, atque super earum singulis, cum consueto inepto, ac superfluo pragmaticorum labore, magnum facere auctoritatum, sive allegationum cumulum, ut ita ignaro vulgo scriptura docta, beneque elaborata, ac fundata videretur, ut frequentius sequi solet in illis causis, de quibus ipsi Scribentes magis timent; Ideoque in classicis, ac iudicialibus Advocatis, de scripturis brevibus magis timentum est; quoniam tunc signum est, quod habent motiva solida, & stringentia; Nisi quandoque necessitas respondendi objectis, vel elucidandi aequivoce (cum quibus procedi dignoscatur), ad aliquam prolixitatem cogat, cum aliis prolixitas paupertatem iudicii denotet.

Quamvis autem haec deducerem more Advocati conducti ad causae opportunitatem; Pro consueto tamen stylo (Dei gratia benignè assistente, nunquam violato) Par-

tibus, vel alteri pro eis requirenti, liberè infinuavi meas difficultates, meumque diversum sensum, ideoque consului, ut honesta concordia procurari deberet, ut credo sequutum esse.

Ad id movebar in primis, quoniam in superius infinuata quaestione disputata per Barr. & alios in l. 3. §. fin. ff. de alim. & cib. legat. an scilicet legata repetibilia, tractumque successivum habentia, relicta ab instituto, repetita censentur a substituto. Quoties agatur de legatis piis, probabilius, magisque communis opinio videtur affirmativa, ut patet ex relatis per Surdum de alim. tit. 8. priv. 15. Menoch. lib. 4. praesumpt. 108. n. 37. Castill. (quem solum pro notitia aliorum allegare sufficit) 8. contr. cap. 32. per tot. Rot. dec. 140. n. 3. par. 2. divers.

Ut enim pluries in aliis hoc eodem tit. advertitur, praesertim occasione agendi de quaestione, an certa designatio favore pie causae, semper importet demonstrativam necesse; Quamvis vera sit superius infinuata propositio, ut in iis, quae sunt voluntatis, nullus pie causae favor dignoscatur; Attamen id procedit, ubi voluntas sit certa, adeo ut esset dare, ut pia causa aliquid assequeretur, praeter; vel contra intentionem disponentis; Secus autem ubi agatur de ambigua voluntate, quae interpretationem exigat, ideoque sit questio, an lata, magisque benigna, vel è converso stricta, & rigorosa interpretatio facienda sit, quoniam in hoc operativus est pie causae favor, ut lata, benignaque interpretatio fieri debeat, iuxta generalem propositionem, quam habemus, ubi legatarius sit magis conjunctus, seu verisimiliter magis dilectus, quam haeres, qualis reputatur pia causa in concursu praesertim haereditis extranei, ut in hac facti specie.

Questio etenim, majoris, vel minoris dilectionis, cadit in concursu pie causae, cum filiis, & descendentibus, istoque casu nostri (pro consuetu frigiditate) nimium certant ac scinduntur; Aliis simpliciter, ac indifferetè tenentibus partes pie causae; Aliis è converso indefinitè tenentibus partes liberorum; Aliis verò distinguuntibus, inter legitimam, & reliquam haereditatem, ut in prima parte, pro liberis, in altera verò pro pia causa respondendum sit; Et aliis demum, probabilius, magisque iudiciose opinantibus, ut in ista quaestione, ut potè facti, ac voluntatis; erroneum sit, certam, ac generalem statere regulam quicumque casui applicabilem, cum potius, iuxta huiusmodi quaestionum generalem naturam, decisio pendeat ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, ex quibus, etiam in transversalibus, vel extraneis haereditibus, non implicat dari posse verisimilem majorem dilectionem erga haereditem, quam erga piam causam legatariam, & è contra respectu liberorum; Bene tamen pie causae, adversus eos, qui non sint de liberis, pro majori dilectione assistit regula, quae licet inducat praesumptionem juris tantum, elidibilem pro contrariam probationem, etiam praesumptivam, & conjecturalem; Attamen eam facit operationem, ut pro ipsa in dubio sit iudicandum, ubi contrariae probationes, vel conjecturae non urgeant; Isteque est effectus dictae quaestiois in abstracto disputatae, non autem, ut idem generaliter in omni casu dicendum sit.

Ultra hanc generalitatem, quod scilicet concursus esset inter piam causam, & haereditas extraneos; Accedebant quoque pleraque specialitates, quae pro meo sensu in hoc proposito principaliter, magisque spectandae sunt; Primum nempe, verbum *in perpetuum* pluries repetitum; Secundò subjecta materia, seu qualitas piorum operum, quae tractum perpetuum, ac successivum probabiliter suadebat; Tertio vires haereditatis, dum ita bene utrique consultum remanebat, (idque nimium in hoc proposito attendendum venit;) Quando inverisimilitudo, ut plus gravare voluerit uxorem, & nepotem cognitos, ac dilectos, quam alios successores nascituros, ac ignotos, magisque remotos; Quintò quia loquutus est de haereditibus in numero plurali, cum tamen ubi de stricto jure in verborum formalitate immorandum esset, unicus esset heres, nepos scilicet, dum ex veriori sententia, institutio uxoris heredis usufructuarie, importat solum legatum iuxta plenè firmata apud Merlin. dec. 505. alias dec. 22. par. 6. rec. & pluries sub tit. de legat. & de tract. ac etiam *sub altero de haereditate*, & *sub altero de fideic.* Et sextò, quoniam ex aliis testamenti partibus constabat, quod etiam substitutos, ac ultiores mediatos heredes, sub isto haereditum vocabulo expresserat, dum idem genericum vocabulum in ejus lata significatione, ipsis quoque convenit; Ideoque ex his omnibus, probabilius esse

esse credebam, ut haec legata perpetuum successivum tractum habere deberent.

Major enim dubitatio circa dictam quaestionem, an legata relicta ab instituto, repetita censentur a substituto, cadere videtur, quando ad primò institutum, per nomen proprium, ac appellativum dispositio directa sit, ut alibi hoc eodem tit. super ista quaestione advertitur praesertim disc. 34. Et nihilominus etiam in isto casu, id productum simplicem juris praesumptionem in dubio attendendam, quando alia in contrarium non urgeant (quod tamen nimium rarum est.)

Ideoque omninò verius esse dicendum est, ut in ista quaestione, eodem modo, quo generaliter in aliis ultimarum voluntatum, erroneum sit, in generalitatibus principaliter immorari, quoniam decisio in singulis casibus, ex eorum particularibus qualitate, & circumstantiis inquiri debet, attendendo principaliter substantiam verisimilis voluntatis potius, quam immorando in verborum formulis, & grammaticalibus significationibus, sive in regulis, & doctrinis generalibus; Idque pluries, ac semper inculcare oportuim, imò necessarium videtur, cum in hoc nimium invaluisse videatur modernorum pragmaticorum abusus in contrarium, pro meo sensu, perpetuò damnandus; Id etenim producit in ista facultate tot aequivoce, & confusiones in dies majores, non distinguendo casuum, vel circumstantiarum diversitatem, diversamque rationem, & à qua distinctione pender congrua applicatio, seu decisio, cum in hoc tota verteret iudicantis, vel Consultentis peritia; Doctrinarum etenim, & allegationum consarcinatio, etiam ineptis copiam temporis, & librorum, ac patientiae habentibus, nimium hodie est facilis, sed punctus est in bene distinguendo triticum à palea, quod non omnibus conceditur.

ADNOT. AD DISC. XLII.

AD materiam praesentis discursus conferunt deducta in hoc eodem tit. disc. 64.

ROMANA
LEGATI, seu ONERIS
PRO ARCHICONFRATERNITATE
SANCTISSIMAE TRINITATIS
PEREGRINORUM
CUM BARTHOLOMÆO CEDRONO.

Responsum pro veritate.

An condiciones, vel onera legato adjecta, quae sint adeò praedjudicialia, ut non expediat legatario acceptare vitium legatum, vel potius vitia remaneant, ac pro non scriptis habeantur, ideoque legatum adhuc debeatur.

SUMMARIUM.

- 1 Facti series.
- 2 Voluntas testatoris non potest dividi atque pro parte acceptari, & pro parte non.
- 3 Quod in ultimis voluntatibus condiciones à jure reprobatae vitiantur, secus in contractibus.
- 4 Munus Procuratoris, & Ministri confidentiarum est quandoque revocabile.
- 5 De captatoria, vel dispositione, quae cum ea similitudinem habeat.
- 6 Ubi voluntas est certa, illa debet naturaliter per Ecclesiam, vel piam causam servari.
- 7 De differentia, ubi conditio ab initio inest legato, vel quando illi puro adicitur ex intervallo.
- 8 Graviter infirmi plura dicunt ad suggestionem praeter intentionem.
- 9 De verisimili voluntate testatoris, quod si cogitasset ad oneris praedictum non adiecisset, ac etiam legasset, & dantur similia.
- 10 Ademptio est odiosa, & strictè capienda.
- 11 Exitus causae.

D I S C. XLIII.

IN testamento legavit Antonius Confraternitati, cui erat adscriptus, loca 20. montium, adjecto solum onere modici numeri missarum singulis annis; In codicillis autem, ad biduum, ac penè in mortis articulo con-

ditis, aliud addidit onus, ut Confraternitas teneretur Bartholomæo nepoti conferre munus exactoris in capite ejus reddituum, cum mercede, seu salario dari solito; Sin minus in eisdem Bartholomæi facultate esset, aliam Ecclesiam, vel pium locum in dicto legato nominare; Cumque ex prudentialibus, & æconomicis motivis, dictae Confraternitatis nimium qualitate Administratores judicarent non expedire huiusmodi onus adimplere; Tum quia munus erat magnae confidentiae; Tum etiam ob huiusmodi malam introductionem, ut ita captari possent Confraternitatis officia, seu munera; Hinc propterea plures desuper consuluit Advocatos, quid expediret, & an respondendo dictum onus, legatum assequi posset.

Alter Advocatus credebatur, ut legatum dividi non posset, sed vel esset in totum acceptandum cum sua causa, vel in totum repudiandum; An autem expediret unum, vel alterum eligere, id non pendeat ex puncto juris, sed ex aliis prudentialibus, & æconomicis motivis, de quibus ad ipsos Administratores, non autem ad Jurisconsultos inquirere pertinebat.

Movebatur autem dictus respondens, ex generali, nimiumque vulgato axiomate, de quo in §. disponat. auth. de nupt. ut testamentum praecipua pro lege servanda sint, ac etiam ex altero axiomate, quod unus & idem actus non potest pro parte approbari, & pro parte reprobari, ut in specie conditionum, quae in legatis, aliisque ultimis voluntatibus adiciuntur, habemus integros titulos; De condit. institution. De condit. adjectis etc. Et de instit. & substitution. Eodemque triplici tit. de legat. 1. 2. & 3.

Et quamvis ipse admitteret verum juris principium, de quo particulariter, ac plenè actum habetur sub tit. de testamen. disc. 73. deductum ex text. in l. 3. ff. de condit. & demonstr. l. 1. ff. de condit. instit. ubi Bart. & alii communiter l. reprehendendo Cod. de instit. & substit. cum concordantibus, de quibus dicto discurs. 73. quod in ultimis voluntatibus, condiciones impossibiles, vel turpes non vitiant, sed vitiantur, eisque pro non scriptis habitis, legatum validum est, ac debetur, cum in hoc differant ultime voluntates à contractibus, ut in istis individuum voluntatis rigorosè attendatur, magisque strictè procedatur, in illis autem ex praesumpta mente testatoris fiat magis benigna interpretatio, ut eodem disc. 73. de testamen. Nihilominus ejus difficultas erat in applicatione, quod scilicet ista conditio non videretur impossibilis, neque turpis, vel inhonesta, seu aliàs de jure reprobata, cum ageretur de munere inferiori, & mechanicò proportionato personae, & cum jam per locum retineretur exactor tanquam necessarius, neque alteraretur solitum salarium, & consequenter id aliud non contineret nisi simplicem gratificationem assumendi in eodem munere, magis unam, quam alteram personam.

Diversa fuit mea sententia, ut scilicet, potius intraret dicta juris regula, pro conditionis, seu oneris vitiatione, quodque ista conditio inhonesta esset, ac de jure improba, ideoque vitanda, ac habenda pro non scripta, eaque non obstante, legatum debitum esset.

Movebar; Tum ex circumstantiis facti, ex quibus in omnium sensu ista reputabatur mala, & perniciose introductio, ideoque potius expediebat legatum repudiare; Tum etiam quia, cum munus huiusmodi procuratoris, & exactoris, reputetur summæ fiduciae, aliud de sui natura debet esse liberum, & quandoque revocabile, adeo ut neque contractus expressus, atque de sui natura obligatorius ad id obliget, iuxta unam opinionem, quam sequuta est Rota in Romana economica, de qua habetur actum l. 7. tit. de tutor. & administr. disc. 20. ubi concordantes; Igitur nihilominus dicebam ut obligatoria esse non debeat ultima voluntas, in qua iuxta supra infinuatam distinctionem, longè magis benignè proceditur.

Et fortius quia, cum hic minister, seu officialis, magnum peculium administrare debeat, ita posset societatem notabiliter damnificare, ejusque exigendas pecunias consumere, aliisque usibus erogare, unde propterea dicebam quod ista dici posset dispositio captatoria, de qua sub tit. de testam. disc. 42. Vel quod quamdam similitudinem cum ea contineret, & consequenter ut dicenda esset conditio à jure improbata.

Quamvis autem crederem, quod de stricta juris censura haec aliquam probabilitatem haberent, atque in iudicio sustentabilia essent; Attamen, ubi constaret certitudinaliter, quod talis esset praecisa, & determinata voluntas testatoris

testatoris, quia nempe aliis legatum non fecisset; Tali casu in eandem sententiam ego quoque devenissem, ut legatum, vel acceptandum esset cum tali onere, vel respiciendum, cum in eo semper fuero sensu pluries insinuato, ut Ecclesia, vel pia causa, debeat magis attendere solam veritatem naturalem, atque nolle ex quibusdam subtilitatibus juris positivi, captare aliena invito domino; Solumque ut alibi hoc eod. tit. advertitur, pie causae favor operatur circa benignam interpretationem voluntatis, quando hæc ambigua sit.

Verum favore legatarii pro refectione oneris magis me movebant contrariæ facti circumstantiæ, ex quibus probabiliter testatoris voluntas esset potius in oppositum, dum onus, vel conditio adjecta non erat in ipsamet prima dispositione, adeo dicenda veniret conditio nativa, atque ab ipsa ordinatione insita, redolens individuum voluntatis, dum legatum in sua ordinatione facta in testamento conditio in statu magis valido, & quando melior erat intellectus operatio, erat purum, illudque suam probabilem habebat causam magnæ affectionis, quam idem testator habebat erga adeo pium opus, in quo ipse longo temporis intervallo, tanquam unus ex confratribus, cum nimia charitate, ac frequentia se exercuerat; Codicilli autem initi erant penè in articulo mortis, ipsoque Bartholomæo præsentem, quo casu præsumitur, ut ad ejsdem suggestionem id factum esset ex deductis apud Capyc. Lat. consult. 9. 3. n. 40. Quoniam ut pluries advertitur in dicta sua materia sub tit. de testam. graviter infirmi, ac morti proximi, ex vi morbi, ac mortis cogitatione turbati, vel oppressi, non bene discurrentes quid agant, vel dicant, omnibus respondent affirmativè.

Et nihilominus, ubi etiam admittendus non esset hic intellectus, sed dicendum esset, ut ista conditio, ex sincera testatoris voluntate proveniret; Adhuc tamen, probabilius dicendum esse credebam, ut ita disponeret, eo quia crederet, quod conditio congruè impleri posset, neque exinde superius insinuata inconvenientia resultarent, quodque si ad id advertisset, verisimiliter eam non adiecit, vel remisisset; Adinstar eorum quæ habemus ad materiam textus in l. si unquam Cod. de revocand. donat. super resolutione donationis ob supervenientiam filiorum; Sive (magis proximè) quæ habemus de omnimoda irratione testamenti ex causa præteritionis ignoranter factæ etiam respectu legatorum, adeo non intret dispositio Autent. ex causa Cod. de liber. præterit. ut in dicta sua materia de testam. advertitur, quoniam, tam in uno, quam in altero, vel in alio simili casu, intrat consideratio, an ex facti circumstantiis, verisimilis testantis voluntas de sumi valeat, ut hoc non obstante, adhuc legatum, vel aliam dispositionem fecisset.

Ponderando quoque in idem ea, quæ pluries hoc eodem tit. insinuatur circa odibilitatem ademptionis non præsumendæ, ac difficilium inducendæ, & sic quod magna differentia sit inter casum, in quo ista esset unica dispositio, cui ab initio huiusmodi conditio inesset, tanquam nativa, & in ipsa sui origine insita, cum tunc probabiliter dubitari posset, ut istius conditionis implementum fuisset primarium in intentione testatoris, atque dispositionis causa finalis, vel saltem principaliter impulsiva; Et casum controversiæ, in quo constabat, quod dispositio in sui origine erat pura, & principaliter ordinata erga pium opus, non solum ex legis generali præsumptione, sed ex dictis particularibus facti circumstantiis id nimium probabiliter suadentibus; Onus autem ex intervallo adjectum erat cum dictis circumstantiis aliquam suspensionem, seu malam faciem redolentibus, illudque ademptionem ita importabat; Atque cum his considerationibus, & particularibus facti circumstantiis, indagando substantiam verisimilis voluntatis testatoris, huiusmodi quæstiones decidendæ veniunt, potius quàm cum regulis, ac propositionibus generalibus.

Quia verò legatarius prævidens difficultates adjerat Congregationem Fabricæ Sancti Petri, eandemque in casu non implementi nominaverat, libenterque nominatio accepta fuerat, nisi societas, intra certum terminum, legatum cum sua causa acceptaret; Quamvis probabiliter sperari potuisset, præsertim à Congregatione Generali, iustitiæ complementum prout de jure, omni ejsdem Fabricæ utilitate, vel interesse postposito; Attamen ex prudentialibus motivis, ego quoque in eam deveni sententiam, ut non deducendo ad praxim dictam condi-

tionem, cum aliquo honesto concordia temperamento ejsdem conditionis remissio à præfato interessato obtineretur, atque ita credo sequantur esse, cum amplius de controversia actum non audierim.

ADNOT. AD DISC. XLIII.

DE conditionibus legato adjectis, quando vitentur nec ne, habetur infra disc. 58. & latius sub tit. de Testam. disc. 73.

MARSICANA LEGATI
PRO THOMASETTIS
CUM PP. SCOLARUM PIARUM.

Casus disputatus coram Arbitris postea concordatus.

Demandata per testatorem erectione alicujus Monasterii in domo ejus habitationis, an ipsa domus legata censetur, & quomodo, quatenus non sibi, sed alibi Monasterium fundaretur; Et quid si domus, pleno jure non spectaret ad testatorem, an hæres teneatur eam redimere, vel solvere æstimationem legatario.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 De usuris legatorum remissivè.
- 3 Testator legare potest rem hæredit., seu aliis de ea dispo-
nere, & quando secus.
- 4 An legata re aliena, debeatur æstimatio remissivè.
- 5 De axioma quod actor non probante, reus absolvitur,
& de aliis similibus.
- 6 Legatum factum cum certo præsupposito, seu cum certo
fine, non debetur isto cessante.
- 7 Si mandetur erigi Conventum in prædio, non per hoc
ipsum prædium totum legatum censetur.
- 8 Si quis mandat ex ejus bonis erigi Monasterium, istud
censetur hæres institutus.
- 9 Institutio hæredis fit per quæcumque verba universitatis
adjecta.
- 10 Legato reddito, censentur legata tot bona illam sustan-
tia.
- 11 De conclusione de qua num. 8. & quando secus dicendum
sit.
- 12 De materia fructuum rei legatæ, & de differentia inter
legatum speciei, & quantitatis &c.

DISC. XLIV.

Juxta seriem de qua in hac eadem causa sub tit. de usur. disc. 29. legatum factum per N. Thomassetum scuto-
rum 10. m. pro erectione Conventus Religiosorum in patria, plures produxit controversias, Primam nempe inter istos PP. Scholarum Piarum, & Silvestrium, cui potius illud congrueret, & de hoc habetur sub tit. de Regular. in Miscellan. Ecclesiast. disc. 34. Et secundò post Victoriam à dictis PP. Scholarum Piarum reportatam, cum hæredibus testatoris super legati implemento, quod plures habebat inspectiones, seu punctos, quorum aliqui consistebant in nudo facto; Duo autem potissimum consistebant in jure; Primò scilicet, an pro dicto legato quantitatis deberentur usuræ illius mediæ temporis, in quo implementum dilatum fuit; Et secundò cum testator mandasset, ut Conventus erigeretur in domibus ejus habitationis, quarum aliqua pars tantum erat ad ejus liberam dispositionem, altera verò pars tanquam emphyteutica pacti, & providentiæ, transierat ad eosdem hæredes tanquam agnatos jure proprio; An sibi tenerentur; ob qualitatem hæreditariam, totam domum præstare, vel ejus æstimationem, nec non restituere pensiones seu fructus mediæ temporis; Cumque istæ differentia compromissæ essent in duos Praelatos partium benevolos, post aliquas disputationes coram eis habitas, honesta concordia ipsas terminavit.

De primò puncto concernente fructus, seu usuras dicti legati quantitatis, habetur actum dicto disc. 29. de usur. tanquam in propria sede, idque priusquam istæ disputationes habitæ essent, occasione scribendi pro veritate, sive occasione molestiarum Tribunalis Fabricæ S. Petri.

Quatenus igitur pertinet ad alterum punctum legati domorum; Dicebam ego scribens pro hæredibus (etiam in sen-

su ve.

su veritatis) quod quando ageretur de nova fundatione, quam Religio actrix, ad normam desiderii, seu voluntatis testatoris facere vellet in his domibus; Tunc pro illa eandem domorum parte, quæ necessaria, imò Judicis arbitrio congrua, seu oportuna esset, tenerentur id pati, non obstante jure proprio, quod in vim investituræ emphyteuticæ in majori parte habebant, ex recepta conclusione, de qua pluries sub tit. de fideic. ac etiam sub altero de testam. & sub altero de legiti. & de traditionibus, & forsan alibi hoc eodem titulo quoque insinuata, quod testator legare potest bona propria hæredis, seu aliis de eis dispo-
nere, saltem ad mensuram, seu proportionem virium suar hæreditatis, ejsque emolumentis; Quodque ex magis communi, & recepta opinione, regula textus in l. cum amare C. de rei vendicat. & l. vendicantem ff. de evict. ut hæres ratum habere teneatur factum auctoris, illudque præcisè, ac in forma specifica adimplere, procedat etiam in bonis propriis, vel ex propria persona sibi competentibus. Quoties tamen non obitet ipsa qualitas bonorum, quæ non sint in commercio absque certa solemnitate, undè propterea etiam hæredi licentia tribuatur impugnandi factum auctoris, ut præsertim contingit in feudis, vel illis bonis, quæ sint de Regalibus; Vel quod expressè hominis prohibitio sive etiam prohibitio implicita per legem subintellecta, ratione dilectionis, & desiderii testatoris, aut conspicuæ qualitatis ipsorum bonorum, hujus regulæ limitationem non inducat, undè propterea intrat altera quæstio, an debeatur æstimatio juxta insinuata hoc eodem tit. in Januen. disc. 1.

Difficultas verò intrabat, quod idem Religiosi contempnentes in hac parte votum testatoris, pro majori oportunitate (cum auctoritate tamen superiorum,) alium elegerant locum fundationis Conventus, undè propterea ista domus petebatur ad lucrum, seu legati impugnationem, pro burfali emolumento in redditu, quatenus eam retinere vellent, vel in pretio in casu venditionis; Atque in hoc, licet pro diligentis tunc habitis, per Scribentes hinc inde, casus non dedisset invenire DD. qui ad hos præcisos terminos descendant; Attamen ego dicebam, quod magis fundata videretur intentio hæredum, quibus tanquam reis conventus sufficit vincere per non jus actoris juxta vulgarem regulam textus in l. actor. C. de probat. de qua apud Mantic. dec. 241. Gregor. & Add. dec. 228. & passim; Eamque habere locum quoque in beneficialibus, aliisque juribus ecclesiasticis, vel spiritualibus, habetur pluries sub tit. de benef. Sive quod intraret vulgare, & quotidianum dictionem Jo: Andr. in addit. ad speculator. de quo pluries sub tit. de fideic. nempe fideicommissum de re non loquitur; Aut dictionem Baldi, ut id quod instrumentum, vel testamentum non cantat, neque ego cantabo, cum similibus.

Substantia etenim legati per viam dispositivam, residebat in præstatione scutorum 10. m. Domus autem stabat solum demonstrativè, seu præsuppositivè, pro loco constructionis, quatenus ista sibi sequeretur; Et consequenter, dicebam quod intrabat altera vera, & recepta propositio juris, ut quælibet dispositio facta cum certo præsupposito, subsistat quatenus istud quoque subsisteret; Sive quòd facta pro certo fine, eatenus locum habeat, quatenus iste impleatur; Et sic quod hæredes ita præstare deberent patientiam, atque se opponere non possent voluntati, seu desiderio testatoris, quatenus Religiosi prædicti, erectionem in hoc loco facere vellent, idque pro sola parte ad id necessaria, vel oportuna, non autem quod isto fine non adimpleto, ipsæ domus censerentur legatæ ad emolumentum burfale.

Ad quod probandum ponderabam, quod ubi ista Religio primo loco vocata, nollet, vel non posset hanc fundationem facere, testator subsidiariè vocaverat illam Capuccinorum, istique fundare volentibus, stante eorum instituto vivendi extrà mœnia seu habitatum, testator alium locum destinaverat in quadam ejus teneta, seu magno prædio, quod utique dici non poterat, ut totum veniret sub legato, sed solum, id importaret, ut hæredes, quamvis solo jure hæreditario idem prædium possidentes, in eo dictam fundationem pati tenerentur, atque tantam assignare terreni partem, quanta necessaria, vel oportuna esset pro Conventu, ac proportionatis hortis, & officinis; Ità à pari.

Scribentes in contrarium pro actoribus, totum fundamentum construunt in doctrina Baldi, & Imolæ in l. 1. ff. de testam. illam, pragmaticorum more nimium magnificando tanquam specialem; Verum advertentem quod hæc doctrina extranea videbatur à casu controversiæ; Dicunt enim præfati DD. (& bene) quod si testator, nullo scripto hærede, mandet, ut de ejus bonis erigatur Monasterium,

tunc istud dicitur institutus hæres, quodque ita per hunc modum loquendi, implicita institutio universalis facta dicitur; Id autem nil commune habet cum casu, cum id proveniat ex diversa ratione alibi hoc eod. tit. & sub altero de hæred. & de testam. insinuata, quod scilicet per jus novum, sublatis superstitiosis subtilitatibus juris antiqui, hæredis institutio fieri potest per quæcumque verba, quæ bonorum universitati adjecta sint, quamvis obliqua, ac etiam si jure legati.

Deducerat quoque doctrinam Ruin. cons. 63. n. 3. l. 2. quæ pariter extranea erat, dum continet conclusionem alibi hoc eod. tit. insinuatam præsertim disc. 21. ut factò legato alicujus annui redditus, legata censentur tot bona, quæ reddant illum fructum ad materiam textus in l. si quis argentum Cod. de donat. sed pariter id extraneum erat à casu controversiæ.

Concipiebam ego aliquam probabilem dubitandi rationem (per Scribentes tamen in contrarium non deductam) quod cum pro fundatione alicujus Conventus necessaria sint ædificia, quoties ista jam habeantur, minor sumptus requiratur pro ejsdem ædificii reductione ad usum Religiosorum; Et consequenter, quod ideo testator sufficientem crediderit dictam summam scutorum 10. m. quia provifum ita credebatur cum hoc ædificio materiali, sine quo majorem summam probabiliter reliquisset, quodque ita implicitè, seu præsuppositivè, istæ domus veniret sub legato, ejsque pars essent, istaque consideratio aliquam mihi inferebat difficultatem; Pro ea tamen evitanda (quatenus excitaretur,) considerabam, quod ubi, neque ista Religio, neque altera Capuccinorum per ipsam testatorem vocata, hanc fundationem facerent, tunc idem testator vocabat eam Religionem, quam Communitas loci eligeret & quæ jam elegit illam Silvestrinorum, ut advertitur d. tit. de Regul. Iste quoque casu, nullam de loco, vel bonis mentionem fecit, sed solum dictam summam scuto. 10. m. præstari voluit, undè propterea desumebam argumentum, quod mentio domorum non fuit causa summæ minoris, quodque alias summa major relicta fuisset, sed potius quod stante hujus Religionis instituto, circa pauperum puerorum instructionem, pium testatoris desiderium esset, ut hoc opus ab eo exoptatum in patria, impleteretur in loco, in quo, ob ejus habitationem in vita, aliquam habebat affectionem, ideoque adesset dictum implicitum legatum patientiæ; quatenus finis ab eo desideratus impleteretur, & non alias.

Hinc de consequenti resultabat decisio alterius puncti fructuum, quoniam si domus non veniebat sub legato, utique vanum erat prætere de fructus sine sorte, ac accidentia sine substantia; Si verò e converso domus sub legato veniebat, cum tunc ageretur de legato speciei præsertim favore Ecclesiæ, vel piæ causæ, cujus favore dominium ipso jure, ac recta via in eam transit, admittebam quod fructus sibi deberentur, ut distinguendo inter legatum speciei, & legatum quantitatis in hac materia fructuum, vel usurarum legati advertitur d. tit. de usur. eod. disc. 29. & in aliis ibid.

ANNOT. AD DISC. XLIV.

Conferunt ad materiam præsentis discursus deducta in hoc tit. disc. 66.

EUGUBINA LEGATI, AD PETITIONEM
HÆREDUM LÆLII DE FONTIBUS.

Responsum pro veritate.

An legatum factum de fructibus aliquorum bonorum, sit perpetuum, ac transmissibile ad hæredes, vel potius personale, undè terminetur cum vita legatarii.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 Bona possunt esse unius, & fructus possunt esse alterius etiam in perpetuum.
- 3 Quod legatum fructuum sit idem, ac illud ususfructus, & num. 6.
- 4 De ditione ultra quid importet.
- 5 Discretivus modus loquendi probat diversam voluntatem.
- 6 De eadem conclusione de qua n. 3.
- 7 De verbis personalitatem denotantibus.
- 8 Quando procedat conclusio, de qua n. 2.
- 9 Quomodo Advocati debeant se gerere in Consiliis, quæ ab eis petuntur &c.

Tiberius de Fontibus, in notabili aſſe ex ejus virtute parto, hæredes inſtituit plures ex fratre nepotes, quorum primogenito (qui Lælius appellabatur) legavit fructus aliquorum locorum montium, ratione adjecta, ut melius ejus decorem ſubſtinere poſſet; Quare ſequuto dicti Lælii obitu, inter ejus hæredes, ac illos Tiberii, orta eſt controverſia, an iſtud legatum, cum vita legatarii ceſſaſſet, vel potius ad ejus hæredes tranſmiſſum eſſet, ſuamque durationem haberet; Atque deſuper ex parte dictorum hæredum Lælii pro veritate conſultus; Reſpondi præciſe, ut ſequitur.

Pro tranſmiſſione plura faciunt; Primò, quod non implicat, ut alicui ſoli rei fructus perpetuo, ac tranſmiſſibiliter acquirantur, ejuſdem rei dominio penes alterum exiſtente, adeout detur dominium fructuum, contradicendum ad dominio ipſius rei, ſeu cauſæ productivæ, ex deductis apud Grat. *diſcept.* 839. n. 21. & 22. Ann. alleg. 104. & firmavit Rota in *Tiburina caſtrorum* 1. Octob. 1662. 13. Junii 1663. 9. Junii 1664. & 9. Febr. 1665. coram Bevilacqua, in quibus agitur ſolum de difficultate reſultante à diſpoſitione textus in l. antiquitas, C. de uſufr. an ſcilicet hoc dominium eſſe poſſit perpetuum, vel ſolum ad primos, aut aliquos hæredes limitatum ob inconveniens, nè proprietates perpetuo inutilis remaneat, & de quo caſu agitur ſub tit. de feud. diſc. 62. Ideoque quidquid ſit de iſta difficultate, certum videtur, ut non exinde quod diſpoſitio de ſolis fructibus loquatur, ità de ſui natura terminetur cum vita, dum ſimul ſtare poſſunt, ut ſit de ſolis fructibus, & tamen ſit tranſmiſſibilis.

Et quamvis in plerisque juvibus inferiùs allegandis, expreſſe diſponatur, ut idem importet legatum fructuum, ac illud uſufructus, de cujus natura eſt, ut cum vita terminetur; Nihilominùs dicta jura procedunt, ubi de annuis fructibus diſpoſitio concepta ſit, adeout, ex illa annua diſtributione potius, quam ex natura diſpoſitionis fructuum, hic effectus reſultet.

Secundò, quia teſtator dixit facere hoc prælegatum, ultra portionem hæreditariam eidem Lælio relicta; Diſtinctio autem ultra importat repetitionem qualitatum præcedentium, ut ex Decio, & aliis plene habetur collectum per Barboſ. *diſc.* 428. nu. 3. ejuſque naturæ eſt omnis æqualiter determinare, ut ex Bero. *conſ.* 204. n. 44. lib. 1. *Surd. dec.* 285. num. 12. in princip. unde cum hæreditaria portio ſit abſque dubio perpetua, & tranſmiſſibilis, talis etiam videtur hæc alia diſpoſitio, eodem jure per dictam diſtinctionem regulanda.

Tertiò fortiter, ex diſcretivo modo loquendi, quo teſtator uſus eſt, quoniam, ubi voluit legatum terminari cum vita legatarii, id expreſſit, ut liquet ex legato annuorum ſcutorum 12. relicto Hippolytæ ſorori ibi, *mentre la detta vivrà, e che ſeguita la ſua morte, ceſſi il pagamento*; Igitur quando voluit, ut legatum eſſet temporale cum vita terminandum, id expreſſit, ſignum clarum quod diverſimodè voluit, ubi non dixit *ad text. in l. unic. ſiſm autem, C. de caducit. tollend.* & eſt axioma quotidianum.

E' converſo plura in contrarium urgent; Primò nempe illud verbum *annuatamente*, fructuum legato adjectum, per quod legatum fructuum ab illo uſufructus non diſſerre litteraliter diſponitur in l. ſi quis ita 24. ff. de uſufruct. & l. cum ita 41. ff. de uſufruct. legat. quarum verba regitranantur per Caſtill. *de uſufr.* cap. 29. n. 5. Atque liquet ex omnibus tractantibus quaſtione, an legatum fructuum importet idem, quod uſufructus, & de qua poſt magiſtralem traditionem Bart. in l. fundi Trebutiani ff. de uſufruct. legat. habetur quod Menoch. lib. 4. *praſumpt.* 136. Mantic. *de conſect.* lib. 9. tit. 5. Caſtill. *d. cap.* 29. & alios apud eos, quoniam dicta quaſtio percutit effectum, ut legatum fructuum ſit minus, quàm illud uſufructus, non autem ut ſit majus, ac tranſmiſſibile.

Secundò nimium urgere videntur illa verba, *accid poſſi mantenere meglio il ſuo decoro*, quæ videntur perſonalia, atque reſpicunt ſolum perſonam dicti legatarii, ut denotat illud verbum *juo*, Seraphin. *dec.* 1337. num. 4. Barboſ. *dec.* 397. num. 3.

Tertiò ſubjecta materia, ſeu qualitas bonorum, quorum fructus legati ſunt; Non agitur enim de caſtro, vel alia re conſpicua, cujus interſe habere dominium ſine fructibus ad alium pertinentibus juxta caſum, de quo in *d. Tiburtina caſtrorum ſub tit. de feud. diſc.* 62. cum ibi allegatis; Sed de locis montium, quorum proprietates abſque fructu omninò

inutilis, ac fatua eſt; Si enim teſtatoris voluntas fuiſſet facere legatum perpetuum, ac tranſmiſſibile, probabiliter reliquiſſet iplamet loca montium, non autem ſolos fructus; Multò magis adjuncto illo verbo *annuatamente*, quod uſufructum potius importare videtur; Ac etiam, ſtante dicta ratione reſtriſta ad perſonam Lælii legatarii.

Ex his autem videtur, ut hæc ſecunda pars videatur probabilior, ſed quoniam non deſunt difficultates, quæ liti anſam præberè poſſunt, ut ſuprà, atque agitur de modica re, pro qua non convenit inter conjunctos litem haberi; Hinc proinde videtur caſus aliqua honeſta concordia dignus; Atque ità credo, quod ſequuntur ſit.

ADNOT. AD DISC. XLV.

Quando legatum dicatur perpetuum, & tranſmiſſibile, vel potius perſonale, habetur ſuprà *diſc.* 33. 34. & 36.

ROMANA REDDITIONIS RATIONUM,

PRO COMITISSA MARIA CATANEA COSTA CUM PHILIPPO & OCTAVIO FILIIS.

Caſus diſputatus coram A. C. ſeu Præſato deputato, credo, ſoprius per concordiam.

De legato factò per ſocerum nurui uſus gemmarum, & jocalium, an ceſſet per diſſolutionem matrimonii ſequutam per mortem viri, adeout congruat, necnè eidem legatarie in ſtatu viduitatis.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti ſeries.
- 2 Legatum factum tutori, vel adminiſtratori, an ceſſet ob ceſſatam tutelam, vel adminiſtrationem.
- 3 An & quæ veſtes, & jocalia cenſeantur donata ſponſæ, necnè.
- 4 Quod in caſu non adeſſent doctrinæ ſpeciales, & quid tali caſu agendum ſit.
- 5 Sub nomine mortis venit quandoque mors civilis per contraventionem.
- 6 Per tranſitum ad ſecunda vota non amittitur legatum, niſi dicatur.
- 7 An uſus gemmarum, & jocalium congruere poſſit mulieri vidua.
- 8 Quando intret officium judicis pro ſuppletionem voluntatis teſtatoris in omiſſis.
- 9 Quod ea, quæ enunciatur, vel præſupponuntur, non importent legatum.
- 10 De regula, quod verba præſuppoſitiva non inducant diſpoſitionem.

DISC. XLVI.

Inito matrimonio inter Benedicium, & Mariam juxta ſeriem, de qua ſub tit. de dote diſc. 57. Octavius pater, ad formam ſuæ promiſſionis, etiam ſumptuoſè ſponſam, providit de gemmis, & veſtibus, aliſque ſponſæ jocalibus, & ornamentis; Poſtmodum autem in teſtamento ordinato juxta ſeriem, de qua ſub tit. de ſervitut. diſc. 58. diſpoſuit, ut hujusmodi gemmæ, ac alia ut ſuprà, per ipſum de proptio data nurui, poſt iſtius mortem, per quam deſtinatus uſus ceſſaret, deberent vendi, prætiùmque inveſtiri juxta formam ab eo præſcriptam ad commodum fideicommiſſi, vel primogenituræ; Commiſſa dictæ Mariæ adminiſtratione nepotum, ac domus, eidemque legando fructus quarundam domorum in Civitate Januæ, & de qua adminiſtratione habetur ſub tit. de tutor. & adminiſt. diſc. 14. Cum autem inter matrem & filios, vel eorum alterum, eſſent ortæ controverſiæ ſuper redditione rationum dictæ adminiſtrationis, ultra plures alios punctos circa partitas dati, & accepti, in factò potius, quàm in jure conſiſtentes, de duobus præſertim coram Præſato Judice deputato actum ſuit; Primò nempe circa dictum legatum fructuum domorum, an eſſet correſpectivum ad dictam adminiſtrationem, ac ſubſtitutionem familiæ ſibi commiſſæ, vel potius ab hoc independenter cenſeretur factum ipſi Mariæ privato nomine, ac ad proprium commodum; Et quatenùs eſſet juxta hanc ſecundam partem, an ab eo ceccidisset ob contraventionem præcepti teſtatoris cohabitandi in Civitate Albinganentiſi juxta ſeriem, de qua apud Royas *decis.* 204. Et ſecundò circa dictam diſpoſitionem gemmarum, & jocalium, an ſcilicet ea cenſeretur facta cum præſuppoſito durationis matrimonii, in cujus cauſam à teſtatore

ore data fuerunt, adeout illo diſſoluto per mortem viri, undè propterea hujusmodi bona incongrua eſſent viduæ, factus eſſet caſus præcepti teſtatoris, ſuper eorum venditione, ac in veſtimento præti.

Super primo legato, cujus interpretatio pariter nudi facti videbatur, ex verbis, & contextu teſtamenti, quoad ea, quæ juris ſunt, deducebantur hinc inde eadem, quæ ad materiam textus in l. Neſennius ff. de negot. geſt. habentur *hoc eodem tit. diſc.* 22. ac etiam ſub tit. de ſervitut. ad materiam uſufructus *diſc.* 50. & 52. an ſcilicet, & quando legatum factum tutori, vel educatori, ſeu adminiſtratori hæredis, vel alterius, cenſeatur correſpectivum ad tutelam, vel adminiſtrationem, ſeu educationem, adeout ea ceſſata, ceſſare debeat, ex ibi deductis, ex quibus patet, quod quaſtio pariter eſt potius facti, quàm juris, ex facti qualitate decidenda, ideoque certam, ac generalem regulam non recipit, ut in omnibus aliis voluntatis quaſtionibus contingit.

Quatenùs verò pertinet ad alterum legatum gemmarum, & jocalium; Non intrabat quaſtio, de qua cæteris relatis habetur præſertim plene actum in *Piſawon. jocalium coram Arguelles impreſſ.* poſt Paitell. *dec.* 20. & 21. & quarum poſterior eſt etiam repetita *dec.* 340. par. 10. *rec.* an ſcilicet, & quando veſtes, ac gemmæ, & jocalia ſponſæ tranſmiſſa, cenſeantur donata, necnè, & de qua quaſtione habetur ſub tit. de dote in ſupplemento, ubi de recepta diſtinctione, de qua in mox allegatis *decis.* poſt Paitell. inter uſualia, & pretioſa ſervantur, quoties in una, vel altera ſpecie diverſæ voluntatis probationes, vel argumenta non habeantur; Quoniam planum erat, ac extra controverſiam inter partes, ut ea donata non cenſerentur, ſed tanquam tradita ad ſolum uſum, ac ornatum, remanerent in dominio, & hæreditate Octavii; Ideoque ſolus punctus erat ſuper interpretatione legati, ſeu diſpoſitionis ut ſupra ſuper eis factæ in teſtamento.

In his autem terminis præciſis, pro illius diligentis, quæ in hujusmodi diſputationibus per Scribentes hinc inde adhibita fuerunt, caſus non dedit invenire doctrinas, quæ ad eos deſcendant, iſtumque punctum decidant; Quare diſcurrendo, (ut tali caſu facere oportet) cum generalitatibus, ac ratiociniis; Dicebam ego ſcribens pro Maria, quod cum teſtator in verbis præſuppoſuiſſet uſum ad vitam dictæ mulieris, diſponendo venditionem poſt mortem, ità de plano intrare videretur ſapienter enunciata regula deducta ex vulgari textu in l. ille, aut ille ff. de leg. 3. quod in claris, & expreſſis non intrant quaſtiones, & argumenta.

Et quamvis, ut advertitur *hoc eodem tit. diſc.* 32. & alibi, in hujusmodi legatis, quæ ſunt mulieribus, quandoque verbum *mortis* verificatur etiam in morte ſicta, vel civili, adeout non ſemper naturalis requiritur; Attamen id procedit, quando iſta ſequatur ob caducitatem, quæ frequenter in mulieribus verificatur, ob tranſitum ad ſecunda voca, quoties diſpoſitio facta ſit ſub conditione, ſeu qualitate viduitatis, vel alia ſimilis contraventione accedat, quoniam verbum *mortis* in iſto etiam caſu verificatur ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Menoch. lib. 4. *praſumpt.* 65. n. 10. & *praſumpt.* 85. n. 31. Craſſ. *ſ. legatum* q. 45. Bellon. *jun. de jur. accreſcend. cap.* 7. qu. 18. n. 69. cum aliis *diſc.* 32.

Attamen ſecus eſt, ubi ex parte mulieris legatarie nulla contraventione accedat, quoniam tunc mutatio ſtatus per mortem viri, utpotè ex ejus parte non culpola, hunc effectum cauſare non debet, dum verius eſt, ut etiam ipſemet tranſitus ad ſecunda vota hunc effectum non producat, neque ceſſare faciat legatum, etiam à viro, vel ſocero factum, niſi conſtet de diverſa voluntate illud faciendi ſub conditione viduitatis, ac permanentiæ in eo ſtatu, & non aliàs, ut ex Bart. Aretin. Natt. Mantic. & aliis plene firmatur per Rot. *dec.* 95. n. 4. & 5. p. 12. *recent.* & pluries in aliis, & præſertim in *Farrana uſufructus*, de qua ſub tit. de ſervit. diſc. 50.

Ideoque non videbatur ſubefſe congrua ratio, ob quam iſtud legatum factum ad vitam, iſta durante, ceſſare deberet, quoniam licet uſus hujusmodi bonorum incongruus eſſet viduæ, attamen dicebam (atque Juxed admittebat,) ut incongruitas, imò & turpitudine percuteret quidem uſum, ad illum ornatum patenter, qui mulieribus nuptis congruus eſt, nullibi autem prohibitus videretur ille modeſtus, & occultus uſus, qui, dum vidua eſt in domo cum ſolis ancillis, ad animi exhilarationem habeatur, ſive etiam ſubtus veſtes viduales, ut in plerique viduis, citrà

ſcandalum, praxis docet quaſi quod viduitatis quoddam ſolacium id eſſe videatur.

Quamvis autem præmiſſa deducere more Advocati ſcribentis ad cauſæ, & clientis oportunitatem; Reſtendo tamen ad veritatem, mihi contrarium probabilius videbatur (ut ingenuè pro ſtylo cauſæ Patrono, ſeu agentibus pro eadem muliere inſinuabam) ideoque conſulebam, ut auctoribus aliis parum juſtis præmiſſionibus cedentibus, ipſa huic cedere deberet ſaltem ex quodam æquitatis, vel congruentiæ motivo fundato in regula, ut quod uni non nocet, & alteri prodeſt &c. dum reverà iſta prudens matrona, neque diſtum occultum uſum ad aliquod ſolacium, vel oblectamentum habebat; Et conſequenter videbatur ſpecies iniquitatis, ſeu æmulationis contra proprios filios retinere donec viveret in arca inutiliter hujusmodi bona, impediendo notabilem utilitatem, quæ ejus vita durante reportari potuiſſet ex fructifero veſtimento, ad normam præcepti teſtatoris, ex eorumdem bonorum præti faciendi, undè propterea tanquam in caſu omiſſo, veriſimiliter tamen in mente teſtatoris habitò, advertēbam, ut prohibitum non videretur Judici ejus officium deſuper interponere, ità teſtatoris voluntatem ſupplendo, juxta eam ſuppletionem, de qua habetur præſertim actum ſub tit. de fideic. diſc. 113. & alibi.

Et clarius, quoniam benè ponderata iſta diſpoſitione teſtamentaria, ea reverà non continebat in hac parte legatum, vel diſpoſitionem aliquam favore dictæ mulieris (adeout admirationem conciperem, quod ſcribentes in contrarium ad id non adverterent,) quoniam dictæ nurus uſus, enunciatus potius fuit præſuppoſitivè, non ut ei aliquid novum legatum fieret, ſeu liberalitas cum ea exerceretur, aut novum, ac majus jus, quam habebat ei tribueretur, ſed cum teſtator in apoca, vel inſtrumento dotali promiſiſſet ſubminiſtrare ſponſæ gemmas, aliaque ornamenta, undè propterea ob illud ſecundarium jus, quod ipſi mulieri durante matrimonio pro eius uſu, ac ornatu competeſcit, idem teſtator non potuiſſet, ipſa muliere invita, hujusmodi bona reaſſumere, ac diſtrahere, neque in teſtamento id præcipere; Hinc proinde hujus prohibitionis conſcius, ità præſupponendo id, ad quod tenebatur, enunciative ſeu præſuppoſitivè poſuit in conditione vitam nurus, quoniam cum homines facile credant, vel ſupponant id quod ſperant, idcirco non cogitavit ad triſtem eventum diſſolutionis matrimonii per mortem ejus filii, ſed potius per mortem nurus, & n. aliàs, iſta ſequuta, ipſe filius, ac vir reſpectivè, de cujus prudentia dubitabat, iſta bona diſſiparet, ideoque ità diſpoſuit, ac providit.

Et conſequenter iſta diſpoſitio, non fuit principaliter ordinata ad favorem nurus, adeout legatum contineret (ut malè pro meo judicio ſupponebatur,) ſed principaliter ordinata fuit ad favorem hæredis, pro dicto veſtimento præti; Uſus autem mulieris enunciatus fuit præſuppoſitivè, tanquam connaturalis, ac neceſſarius, qui ab eo prohiberi non poterat; Ideoque intrare videbatur receptum axioma, ſeu propoſitio, quod qui præſupponit non diſponit, neque verba præſuppoſitiva diſpoſitionem inducunt *Clementin.* 1. *de præben.* cum concordant apud Gregor. *dec.* 208. n. 2. ubi Add. benè Rovit. *ſuper pragmat. de titul. abuſ.* n. 83. & ſeq. Rot. *dec.* 62. *poſt colluſt.* Bonden. & ſapienter; Atque ità credo, quod cum honeſto concordati temperamento ſuper aliis, controverſia finem habuerit.

ANNOT. AD DISC. XLVI.

DE tacita legati ademptione ob ceſſantem cauſam, habetur pluries *hoc tit.* præſertim *diſc.* 22. 23. 32. & 54. & in ſupplemento *hoc tit. diſc.* 62. 65. 69. & 70.

NARNIEN. BONORUM PRO CAROLO ALBERTO CUM ANTHEA SORORE.

Caſus diſputatus coram A. C. in hac parte reſolutus pro Carolo.

An liberatio generalis à redditione rationum, & à quacumque alia actione, per uxorem legata viro, qui ejuſdem uxoris bona extradot alia adminiſtravit, importet etiam liberationem à debito reſtitutionis dotis.

- 1 **F**acti serie.
- 2 De modo decidendi has quaestiones super interpretatione legati.
- 3 An prohibitio detractionis dotium capiat dotem ab ipso testatore debitam, & n. 8.
- 4 Inquirenda est substantia voluntatis, & non immorandum in verbis.
- 5 De distinctione inter testatorem litteratum, & illiteratum.
- 6 Vir non est debitor, neque administrator dotis consentiens in quantitate matrimonio.
- 7 Liberatio legata à debitis cum expressione causae, ab ista restrictione recipit.
- 8 De eadem conclusione, de qua n. 3.
- 9 De conjecturis, vel circumstantiis voluntatem testatorum fundentibus.
- 10 Quod in conjecturalibus, verisimile, vel inverisimile principaliter attendi debeat.

D I S C. XLVII.

Utraque parentis testamenta, inter istos fratrem, & sororem, multas produxerunt lites coram A. C. disputatas, varietate decisis, praesertim vero istam super interpretatione legati liberationis, quam uxor viro fecerat, an scilicet debitum restitutionis dotis comprehendere, atque pro non comprehensione iudicatum fuit ad favorem Caroli; Cum etenim, contracto inter Albertum, & Magdalenam matrimonio, cum dote in quantitate scut. 3000. in partis solutionem, quidam census assignati fuerunt, matrimonio autem constante, ad favorem Magdalenae aperta esset illa intestata successio, in qua prodierunt adeo celebres decisiones *Narnien. bonorum coram Merlin.*, quarum mentio pluries habetur *sub tit. de success. ab intestato*, utpotè circumferri solitae tanquam magistrales super utraque copulativa subiectione personarum, & bonorum statuto foeminarum exclusivo, ac etiam ad eundem effectum super dotationis qualitate; Unde propterea magnas expensas pro huiusmodi lite sustinenda Albertum virum facere oportuit; Deindeque post victoriam aliqua bona ex huiusmodi successione obventa distracta sunt pro dictarum expensarum reintegracione, seu pro dissolvendis debitis ex eadem causa contractis; Hinc proinde mulier praecedens viro, institutis filiis masculis, cum perpetuo successivo fideicommissio, prius in linea masculina, deindeque foemina, & demum favore cuiusdam generis transversalium, viro (quem usufructuarium quoque reliquit) amplissimum fecit legatum liberationis à quacumque redditione rationem ex causa administrationis ejus bonorum, ac etiam de omni, & toto eo, cuius ipse esset debitor, tam ratione fructuum perceptorum, quam ex causa alienationis quorumcumque bonorum, & effectuum, assignata ratione, ut quicquid perciperet fuisset, vel ipsi testatrici à viro manualiter datum, vel de eius voluntate, ac mandato pro litibus, aliisque occurrentibus expensum esset.

Cumque postea vir decedens, pariter aliquas fecisset dispositiones Anthæ filiae foeminae nimium favorabiles, quae liti causam dederunt; Hinc proinde Carolus, qui, ob aliorum masculorum naturalem, vel civilem praemortientiam, erat unicuique materis haeres, petebat à paterna haereditate prius detrahi dictum debitum dotale ad favorem haereditatis maternae, foror autem excipiebat de dicto legato liberationis à quocumque debito, sub quo istud quoque creditum comprehensum esse pretendebatur, sed merito praetensio rejecta fuit.

In disputationibus autem desuper habitis, cum nullus caderet juris articulus in abstracto, tanquam in quaestione voluntatis, idcirco omnia, quae hinc inde deducebantur, juxta ferè generalem naturam controversiarum sub ista materia cadentium, percutiebant interpretationem verborum legati, ac pondus praesumptionum, & conjecturarum pro testantis voluntate desumenda; Scribentes etenim pro favore praetendente inclusionem huius debiti sub legato liberationis, principale fundamentum constituebant in amplitudine verborum universalium, atque in generalibus regulis, vel axiomatibus juris, super eorundem verborum operatione, quod verbum universale, omnes, omnia complectatur, quodque qui totum dicit nihil excludit; Ponderando etiam ea, quae habentur firmata in aliquibus decisionibus editis in *Romana fideicommissi*

de Albertinis sub tit. de legitim. & detrad. disc. 31. in proxima quaestione, an scilicet prohibitis per fideicommissum etiam ex causa dotium, ita prohibita censeretur etiam detraçtio debiti ex causa dotis matris ipsorum haereditum, ipsiusque testatoris uxoris, ex ibi deductis, cum similibus generalitatibus, super quibus, pro stylo ad satisfaciendum vulgo, atque ut distingueretur, quod esset scriptura juris, consuetum superfluum allegacionum cumulum faciebant.

Scribens ego pro Carolo dictam comprehensionem negante (etiam cum sensu veritatis per Judicem quoque agnitè) dicebam, quod huius partis iura probabiliora essent, ex adeo frequenter insinuata verissima, imò necessaria propositione, in huiusmodi quaestionibus decidendis principaliter ac perpetuo attendenda, ut immorandum non sit in verborum formulis, vel grammaticalibus significationibus, sed inquiri debeat substantia voluntatis ex factis potius, quam ex verbis; Potissimè verò attendenda aliàs pariter insinuata distinctione inter testatorem litteratum, qui per se ipsum, seriò, ac studiosè in statu valetudinis testamentum composuerit; Et mulierem, vel illiteratum, seu etiam litteratum, qui ab infirma valetudine impeditus per Notarium, vel alterius organum ejus voluntatem explicaverit, ut primo casu aliqua verborum ratio haberi debeat, in altero autem dicta substantia voluntatis ex factis potius, quam ex verbis desumi debeat, nimiumque clarus error sit, ac ineptia, tritam vim constituere in nuda verborum formalitate, seu grammaticalibus significatione, cum reverà sint verba Notarii, vel alterius, non autem testantis, atque versabamur in secunda parte distinctionis, in testamento scilicet mulieris.

Voluntatis autem substantiam nimium clarè desumi dicebam; Tum ex causa per ipsam testatricem assignata principaliter respiciente administrationem ejus bonorum, eorumque distractionem ipso vivente, quando, ac de ipso tempore testamenti, praesupponi, vel pretendi poterat ipse vir debitor pro debito consequutivo, ab ipsa administratione resultante; Id autem nullatenus dicto debito dotali congruere poterat, quoniam cum dos consisteret in quantitate, hinc sequebatur, ut constante matrimonio, in ea non caderet administratio, quae non datur in re propria, neque verificari poterat terminus debiti, vel debitoris, cum debitum restitutionis nascatur, factò illius casu per mortem, vel divortium, aut aliud in jure statutum; quamvis cum retroractione ad suum initium, pro anterioritatis, vel potioritatis praerogativa.

Unde propterea dicebam intrare regulam, seu conclusionem generalem, ut factò legato liberationis, seu aliàs facta quietantia de debitis, cum certè causae expressione, ad istam fiat restrictio, nisi aliàs dispositionis tenor offendat ex deductis *dec. 80. n. 6. & 7. post Merlin. de pignor. & apud Carill. dec. 151. n. 1. & in aliis.*

Ac etiam retorquebam ea, quae habentur deducta *d. disc. 31. de legitim. & detrad. super non comprehensione debiti dotalis propriae uxoris sub prohibitione detractionis dotium, utpotè intelligenda de illa detractione, quae cum tractu successivo in bonis fideicommissi pro dotibus constitutendis, vel restituendis proveniat ex dispositione juris in auct. rec. quae C. commun. de legat. ex ibi ponderatis.*

Comprobari quoque dicebam nimium clarè hanc voluntatem ex pluribus facti circumstantiis, quae (ut dictum est) potissimum, ac principaliter in huiusmodi quaestionibus voluntatis attendi debent; Primò nempe ob summam valde notabilem attentam loci, & personarum qualitate, unde propterea omnino verisimile est, quod id ad speciem deductum fuisset; Secundo ob magnam inverisimilitudinem resultantem ex numero filiorum quos tunc testatrix habebat, & clarius ex ejus desiderio summo studio explicato perpetuae conservacionis bonorum cum fideicommissio perpetuo, & successivo in utraque; ejus linea masculina, & foemina, deindeque in altero genere ut supra vocato; Hoc enim posito, omnino improbabile videbatur, ut viro liberè, & cum facultate transmittendi etiam ad extraneos summam, quae notabilem assis haereditarii partem constituebat, remittere voluerit; Ideoque deducebam vulgarem propositionem, quam pariter ad satisfaciendum superius enunciato inepto stylo cum superfluis inutilibus allegacionibus exornabam, quod scilicet verisimile imaginem habet veritatis, inverisimile autem illam falsitatis; Quodque (ut pluries advertitur in omni ferè materia praesertim *sub tit. de fideic.* ubi frequentius de quaestionibus conjecturatae volun-

voluntatis agitur, ac etiam *sub tit. de dote* ad materiam dotis confessatae, & alibi) istud verisimilitudinis, vel inverisimilitudinis argumentum, in materiis conjecturalibus dicitur omnium maximum, ac principaliter à iudicantibus praeculis habendum in aliis conjecturis, & argumentis metiendis; Iteque est modus, cum quo huiusmodi quaestiones decidendae sunt, non autem cum solitis frigiditatibus generalium propositionum, sive grammaticalibus significationis verborum, ut frequentius per leguleicum vulgus fieri, praxis docet.

ADNOT. AD DISC. XLVII.

Quomodo legatorum interpretatio desumenda veniat, habetur supra ad *disc. 41.*

ROMANA LEGATI DE CARAFFIS,
PRO PRINCIPE BELVEDERII.

Responsum pro veritate.

An per alienationem voluntariam rei legatae, resultet legati ademptio, vel diminutio, si praesum unico contextu in alia bona erogetur, vel potius intret istorum bonorum subrogatio.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti serie.
- 2 An debitor census possit istum extinguere cum herede absque consensu legatarii.
- 3 An, & quando per alienationem rei legatae, censetur ademptum legatum.
- 4 De eodem, ut intret ademptio per alienationem voluntariam.
- 5 Secus autem per necessariam.
- 6 Declaratur.
- 7 De circumstantiis facti, ob quas uno, vel altero modo sit respondendum.
- 8 Quod ubi praetium rei distractae in aliam rem est erogatum.
- 9 Quando potius pro herede, quam pro legatario sit respondendum, & è contra.
- 10 II & 12 Expenduntur plura iura de hoc agentia.
- 11 Quomodo ista quaestio decidenda sit.
- 14 De isto legato verisimiliter.

D I S C. XLVIII.

Præsupposita facti serie, de qua in hac eadem causa *sub tit. de fideic. disc. 52.* Cum testator mandasset praesertim, ut ex locis montium, aliisque effectibus in testamento designatis, emi deberet palatum pro habitatione Cardinalium, & Praelatorum de familia; Deindeque post ordinatam schedulam testamentariam, quam juxta seriem enunciata *sub tit. de testam. disc. 1.* in scriinio reposuit (quamvis non nisi in articulo mortis ad formam testamenti redactam,) vendiderit 70. loca montium pro pretio scut. 7500. cum quibus, ac aliis 4500. in pecunia numerata admixtis, censum in forte principali scutor. 12. m. emit à Collegio Romano Societatis Jesu; Hinc dicto Collegio post testatoris mortem dictum censum redimere volente, per ejus Administratores, & Consultores, excitata fuit difficultas, an redemptio, seu extinctio fieri posset cum Principe Belvederii testatoris ex fratre pronepote, haerede universalis, non consentiente, vel non citato Praelato possessore legati, vel non curando investiri dictam partem pretii provenientis à locis montium ad favorem dicti legati, sub quo hanc ratam venire credebatur; Quare desuper, tam ex parte dicti Principis haereditis, quam etiam ejusdem Collegii, Concorditer pro veritate consultus.

In Responsò desuper edito, duas efformabam inspectiones; Primò scilicet, an Collegium, faciendo extinctionem simpliciter cum haerede, liberationem obtineret, quamvis legatarius contra ipsum haereditatem actionem haberet pro restitutione, seu reintegracione dictae summæ; Et secundo, an haec actio competere, necne.

Quatenus pertinet ad primum; Respondi, quod planum videretur, ut Collegium rectè censum extinguere posset cum herede universalis, quoniam in instrumento impositionis, nulla fiebat mentio quod pecunia numerata juxta formam Planæ constitutionis coram Notario, & testibus, proveniret ex alienatione dictorum locorum montium; Et consequenter nulla cadebat dubitatio ratio, cui solum locus esse posset, quando ipse census legatus fuisset in specie,

vel quod idem legatum in genere, ita conceptum esset, ut censum quoque comprehenderet; Unde propterea, quamvis ad scripturam ornatam, plura deducerentur super quaestione, de qua *sub tit. de censibus disc. 23.* an scilicet, & quando debitor census, extinctionem facere possit cum haerede gravato, vel potius teneatur esse sollicitus de investimento favore legati, vel fideicommissi; Attamen erat potius superflua evagatio, cum neque ista quaestio intraret, adeo inceptam crederem difficultatis excitationem.

Quo verò ad alteram inspectionem, inter haereditatem, & legatarium; Adhuc dicebam, quod neque videretur intrare quaestio, an, & quando per alienationem rei legatae, resultet legati ademptio, cum ea verè, & proprie cadere videatur, quando post jam conditum testamentum, vel aliam ultimam voluntatem; in qua legatum contineatur, rei alienationem testator faciat; Id autem in praesenti non intrabat, quoniam licet ex insulto Cardinalium, sola schedula, testamentaria propria manu scripta sufficiat sine testatoris vel alia solemnitate; Attamen id procedit, quando ita testator disponere voluerit, eam schedulam reducendo ad actum testandi; Secus autem, ubi constat (ut in praesenti) quod esset solum praeparatoria futuri testamenti, quod per relationem ad eandem schedulam ordinatum fuit in Conclavi in articulo mortis juxta seriem, de qua *sub tit. de testam. d. disc. 1.*

Cæterum, ubi etiam versaremur in casu quaestionis; Adhuc dicebam, quod regula assistit heredi contra legatarium, ut per voluntariam alienationem rei legatae casus ademptio quoad ipsam rem alienatam ad test. in *lrem legatae ff. de adm. legat. l. legatum §. pater ff. eod. ubi Bart. & cæteri cum concordantibus per Alex. cons. 166. l. 6. Gabr. cons. 103. lib. 1. ex n. 5. Mantica de conjec. lib. 12. tit. 6. n. 2. & 3. Menoch. lib. 4. praesumpt. 167. ex n. 6. Cances. lib. 3. var. c. 20. de legatis ex n. 259. cum aliis per Rot. in *Reggien. bonorum 23. Janu. 1647. coram Corrado §. fin.* ubi firmatur id procedere, etiam si agatur de legato factò favore piae causae.*

Ratio autem dubitandi in eo consistere videbatur, quod alienatio fuerat ex causa corresponsiva, ejusque pretium extabat, utiliter conversum in alterius speciei acquisitionem, adeoque ista acquisitio tanquam subrogata loco rei legatae ad legatarium spectaret per text. in *l. fideicommissa 11. §. si rem in sine vers. paulatim ff. de legat. 3.* ubi disponit, quod si ex pecunia exacta nominis legati, testator rem comparaverit, illa venit sub legato; Et claritè per text. in *l. pater 23. ff. de adm. legatis*, ubi habetur, quod si pater reliquat filiae 300. quae habebat investita in quædam officia, si his alienatis, cum eorum pretio, ac aliis pecuniis praedium emat, videtur, ut pro dicta rata, praedium ad legatarium pertineat; Et in *l. filiae 28. §. intra ff. de cond. & demonstr. ubi* quod sub legato ancillae, venit illa, quae ex pretio alterius venditae, acquisita est.

Per ista verò, ac alia jura, ut legatario debeatur pretium extans rei legatae, & distractae, seu alia res ex tali pretio comparata, generaliter firmant Joannes de Platea, & *Jaf. in §. si rem instit. de legatis Bald. in l. 3. n. 12. C. de legatis Roman. cons. 229. n. 3. & alii apud Menoch. d. praesumpt. 167. n. 39. plene Gratian. disc. 241. ex n. 5. Modern. de Luca ad Franch. dec. 283. n. 3. Et magis specialiter probat Bart. cons. 29. lib. 1. ubi quod factò legato domus pro construenda Ecclesia, si testator illam vendat, atque ex pretio aliam emat, ista cadit sub legato; Et Alex. cons. 157. lib. 7. ubi de legato locorum montium Florentiae, ut capiat pretium, quod ex eisdem alienatis in banco per testatorem depositum erat; Idemque firmat Menoch. cons. 254. ubi de praediis legatario debitis, quae acquisita essent per testatorem ex pretio quorundam reddituum legatorum cum locis montium fraternalitatum; Sequuntur *Honded. cons. 61. lib. 1. ubi de censibus*, vel aliis bonis quaesitis ex pretio census legati, & *Cyriac. contr. ov. 118.* ubi de terris acquisitis ex pretio aliarum terrarum legatarum, atque cum hac opinione procedit *Gratian. d. disc. 251. n. 11. & per tot. licet ipse* desumendo ex elaborato, & confusissimo *Simon. de Petris*, multum se involvat in tot casuum distinctione.*

His tamen non obstantibus, in hac facti specie, contrarium probabilius videri dicebam, quoniam, ut observant *Bart. in d. l. si rem*, & cæteri de quibus bene *Gabr. d. cons. 103. lib. 1. n. 13.* ac habetur in dicta *Reggien. bonorum 23. Janu. 1646. coram Corrado §. fin.* supradicta jura procedunt, ac intelligenda veniunt in casu alienationis necessariae, & in nominibus debitorum contingit ob solutionem à debitore factam, quam creditor recusare non potest, ita pariter in extinctione censuum, ac in extractione locorum mon-

montium, ac etiam quandoque in ipsismet bonis stabili- bus, quæ ab invito emuntur, vel ex jure retractus, vel pro publico ornatu, ut habemus in Urbe ex Constitut. Greg. XIII. vel ex dispositione text. in l. si quis sepulchrum ff. de Relig. & sumpt. funer. cum similibus; Secus autem ubi de alienatione merè voluntaria.

Clarius autem in hac facti specie, ex ea circumstantia, per quam omnium dictorum contrariorum applicatio de facili evitabilis videbatur, quod ista scilicet loca montium distracta, ad speciem deducta non erant sub legato, vel in quantitate, vel in qualitate, quia nempe testator dixisset relinquere tot, vel talia loca montium postmodum distracta, non solum mandavit, emi palatium ex locis montium, tanquam ex effectibus, à quibus magis promptè pecunia numerata haberi poterat, quodque illa loca, quæ superessent post factam dictam emptionem, cederent com- modo Prælatorum, & Cardinalium pro subventione; Ideoque legatum erat potius generis quam speciei, & conse- quenter intelligendum erat de illis locis montium, quæ reperirentur in hæreditate de tempore mortis, quando etiam majora esse poterant, quam essent de tempore con- scriptæ schedulæ testamentariæ, ob alias intermedias ac- quisitiones, unde propterea, non eramus in casu dicto- rum jurium, & auctoritatum, cum testator non respexisset illud tempus præsens, quo casu fortè obitare poterat text. in l. scribit 36. §. item scribit ff. de auro, & argento le- gat. Ponderata etiam qualitate testatoris viri accuratissi- mi, & qui in eo intermedio tempore inter scripturam schedulæ, & ingressum Conclavis juxta contingencias, plura addiderat, vel respectivè diminuerat, unde si habuisset animum subrogandi ad commodum legatarii istum censum per plures menses ante dictum ingressum acquisi- tum, satis verisimile est, ut id adnotasset.

Alii per hæredem desuper consulti, magnum, ac penè totum fundamentum constituebant in eo, quod census acquisitus non esset ex solo pretio dictorum locorum mon- tium, sed cum mixtura alterius notabilis summa, dum juxta præmissam facti seriem, census erat scut. 12. m. præ- tium autem prædictum importabat 7500. ponderando in id text. in d. l. pater, 23. ff. de adm. legat. Verum observabam, ut istud fundamentum de per se, ac solum consideratum, esset nullius, vel satis modicæ relevantiæ, quodque potius iste textus retorqueretur, dum (ut supra dictum est) in eo casu prædium emptum majoris valoris erat, quam 300. quæ si- licet relicta erant, & sic summa legata commixta erat cum alia pecunia testatoris, ut observat glos. ibid. verbo para- vit; Admittebam tamen quod ista circumstantia coadju- varet alias, superius consideratas, atque faceret aliquid plus, sed præcipuè, ac fortiores essent supradictæ, quod scilicet ageretur de alienatione voluntaria, quodque lega- tum non contineret in specie quantitatem, vel qualitatem locorum montium ut supra.

In idem quoque suffragante alia circumstantia majoris dilectionis præsumendæ in hærede, quam in legatario, ob majorem sanguinis conjunctionem juxta receptam dis- tinctionem, de qua in Romana legati 14. Maii 1644. coram Carillo inter suas dcc. 303. Romana executionis laudat 14. Ju- nii 1647. coram Arguilles dcc. 77. par. 10. recent. & in aliis, quod scilicet ubi agitur de larga, vel stricta interpretatione legati ambigui, attendi debeat major, vel respectivè minor dilectio hæredis, & legatarii; Si enim legatarius est magis conjunctus, seu aliàs verisimiliter magis dilectus, quam hæres, tunc benigna ac larga pro eo sit interpreta- tio, secus autem è contra.

Neque obitare dicebam contraria, siquidem text. in d. l. fideicommissa §. si rem ff. de legat. 3. duplici responsione tolli videbatur; Primo quia ibi constare videbatur de perseve- rantia voluntatis testatoris, ut duraret legatum, quod non erat aliàs verificabile, nisi in pretio depositato, vel in alia re ex illo comparata; In præsentem licet constaret de perseverantia voluntatis testatoris, attamen illa non remanebat inutilis, & sine effectu, utpotè verificabilis in aliis superexistentibus locis montium in notabili quantitate, ita ut eorum pretium sufficeret ad emptionem palatii, ac exuberaret alia ferè centum pro subsidio; Ra- tio autem textus prædicti consistit in eo, quod voluntas tes- tatoris aliàs fatua non remaneat, ut ex Cuman. rectè probat Gabr. d. conf. 103. n. 13.

Et secundò quod ibi ageretur de legato nominis debitoris, cujus exactio sequi potuit ex causa necessaria, quam testator evitare non poterat, unde deponendo pecuniam, vel illam investiendo, declarare videtur ejus perseve- ran-

tem voluntatem ad commodum legatarii, cui sufficit sola possibilitas causæ necessariæ pro evitanda ademptione ex plenè deductis per Cyriac. dicta contro. 118. n. 7. & 8. & n. 11. cum sequent

Magis fringere videbatur text. in l. pater ff. de adm. le- gat. Verum ut observant Bart. ibidem Alex. dicto conf. 169. lib. 6. Gabr. dicto conf. 103. n. 13. (qui satis benè loquitur) ille agit de legato quantitatis; Et licet Grat. d. cap. 251. n. 11. dicat veriore esse sententiam volentium, ut indistin- ctè procedat, sive agatur de legato quantitatis, sive speciei, attamen hæc opinio videbatur potius indigesta, & non be- nè fundata, dum contrarium sentit Bart. Alex. & cæteri, de quibus benè Gabr. loco citato.

Textus autem in l. filia 28. §. Titia ff. de cond. & demonst. in qua fundari videtur dicta opinio Gratian. ex eo quod il- le loquatur de legato speciei, non obstat, quoniam in eo ca- su testator secundæ ancillæ emptæ ex prætio alterius lega- tæ, ac postmodum venditæ, apposuit idem nomen Agathæ, quod illa habebat, ex quo desumi videbatur sufficiens ar- gumentum voluntatis subrogandi; Cum enim ista sit quæ- stio magis facti, ac voluntatis, quam juris, hinc dictæ vo- luntatis conjecturæ, tam pro ademptione, quam pro sub- rogatione, principaliter attendi debent, ac prævalere ge- neralibus regulis, & distinctionibus juris, ut advertunt idem Gabr. d. conf. 103. Honded. conf. 72. lib. 2. Cancr. lib. 3. var. c. 20. de legatis n. 273. & seqq.

Ideoque cum ista sit quæstio facti, ac voluntatis, cer- tam uniformem, seu generalem determinationem reci- pere non potest, sed decidenda venit juxta singulorum casuum particulares circumstantias, unam, vel alteram voluntatem verisimiliter suadentes; Itaque voluntas in hac facti specie ex ejus circumstantiis insimul ponderatis, hæredi magis assistere videbatur; Atque juxta præmissa impositus fuit finis dubitationis, quoniam Consiliariis Col- legii debitoris, his acquiescentibus, juxta consuetam for- mam Constitutionis Pil V. cum decreto Judicis de depon- endo, nisi hæres oblatam sortem statuta die reciperet, extinctio sequuta fuit absque eo quod aliud in contrarium ex parte Prælati possessoris legati motivaretur, dum idem Prælati peritus J. C. his visis, ac ponderatis in eandem devenit sententiam.

De isto autem legato factio Cardinalibus, & Prælati- bus de familia, quomodo veniat intelligendum, an cumulat- ivè, & per simultaneum concursum omnibus, vel uni tan- tum prælativè, & cum quo ordine, habetur actum; dicto disc. 52. de fideicommissis.

ANNOT. AD DISC. XLVIII. cum seqq.

Agitur in his discursibus de causis, ob quas legata cen- seantur tacitè adempta, seu revocata, de quo so- lum habetur actum in hoc tit. discurs. 62. 65. & 66.

VITERBIEN. LEGATI, PRO OCTAVIA PARMA DE COLLEMODIIS CUM COMMENDATARIO CIVITATIS VETULÆ RELIGIONIS HIERO- SOLYMITANÆ.

Causa decisus per Rotam pro utraque parte respiciendè.

De legato contento in priori testamento, an censeatur diminutum per secundam dispositionem, quæ expressam contineat diminutionem, deinde tamen emendatam; Et an talis emendatio per apostillam, seu additionem, facta censeatur de ordine, & vo- luntate testatoris; Vel quatenus ea non adefset, an posterior diminutio, ratione subjectæ materiæ, er- rori potius tribuenda sit.

Legatarius annuæ præstationis negligens eam exigere ab hærede gravato, an petere possit annualitates decursas à successore, vel actionem habeat ad bona testatoris.

SUMMARIUM.

- 1 Falsi series.
2 Resolutiones causæ.
3 An pro annuæ præstationibus per hæredem non solutis legatario competat actio ad bona defuncti.

4 Cre-

- 4 Creditor defuncti pro censibus, vel annuæ præstationi- bus habet actionem contra fideicommissarium.
5 Quid de fructibus dotis debite ex remedio Authores que
6 De ejusdem conclusionibus, & quando cessent.
7 An pro terminis decursis pensionis detur actio contra suc- cessorem.
8 An puella quæ prius dotanda est, ob negligentiam exclu- datur.
9 Apostilla præsumitur apposita de ordine testatoris.
10 De suppletione casus omissi.
11 Testamentum revocatum servit pro declaratione.
12 Mutatio non præsumitur ex actus vicinitate.
13 De aliis adminiculis.

DISC. XLIX.

Trentius de Collemodiis Policastro. Diocetis, in- cola loci Centum cellarum, aliàs Civitatis Vetulæ, in testamento condito de mense Decembris 1661. reliquit uxori pro ejus sustentatione ad vitam menstra scuta decem solvenda singulis mensibus, ultra habitationem, ac certam quantitatem frumenti, & vini singulis annis; De- inde verò in quadam schedula futuræ donationis faciendæ Sacræ Religionis Hierosolymitanæ pro erectione commen- dæ in dicto loco, (& quam schedulam Rota sufficientem declaravit ad validam dispositionem juxta seriem, de qua in Viterbien. testamenti sub tit. de testam. discurs. 16.) man- davit, ut eidem uxori per commendatarium, ultra usum unius domus pro habitatione, ac annuam præstationem sex rubrorum frumenti, præstari deberent annua scuta decem, ut ex his se ipsam, ac famulam sustentare posset; Cum autem schedula esset duplicata, eo quia earum una transmissa fuit ad Religionem, & altera conformis reman- sit penès testatorem, hinc in secunda, manu ejusdem scri- ptoris, cancellato illo verbo, anno, per apostillam adje- ctum fuit verbum mensis, & cum explicatione quod essent scuta 120. singulis annis.

Sequitò igitur obitu testatoris postquam effectum for- tita est dispositio in dicta Schedula contenta juxta enarra- ta sub dicto tit. de testamentis discurs. 16. vivente eo quem testator voluit esse primum commendatarium, nulla in- ter istum, & dictam Octaviam adfuit controversia, Di- cto autem primo commendatario defuncto, cum Octavia à successore peteret, nedum annualitates currentes, sed etiam aliquas decursas à prædecessore non solutas. Reus conventus prætertere cepit, ultra absolutioriam à decur- sis ut neque in futurum teneri deberet, nisi ad annua scuta decem ultra frumentum juxta formam dictæ schedulæ Me- litam transmissæ, atque desuper contra Octaviam indefen- sam ab A. C. reportavit favorabilem sententiam, in gradu appellationis per duas instantias à Prælati Judicibus com- missariis revocatam, quibus sententiis Religione, seu commendatario non acquiescente, ideoque commissa cau- sa in Rotam coram Taya, datoque dubio, an, & in qua sum- ma dictum legatum deberetur, suspensa inspectione super annualitatibus decursis, illoque proposito sub die 28. Mar- tii 1664. pro Octavia legataria responsum fuit, legatum scilicet deberi in mensuris scutis decem, seu annuis scutis 120. juxta formam schedulæ accomodatæ, Et concessa nova audientia, atque reposita causa sub die 23. Junii ejusdem anni, quoad præstationes in futurum, peritum fuit in decisis; Verum in hac disputatione commendata- rius obtinuit declarari, ut non teneretur ad annualitates decursas, quas eadem legataria neglexerat à prædecessore exigere.

Hinc agentes pro Religione, seu commendatario ac- queſcebant volentes ex tempore moti iudicii, seu posses- sionis commendæ post mortem primi, solvere dictas an- nualitates ad rationem scut. 120. Nolebat autem acquie- scere Octavia quoad annualitates decursas pro tempore primi commendatarii, ex ejus hæreditate utpotè minus idonea, desperatum opus erat aliquid recuperare; Verum ego qui pro eadem scripseram, tam coram Prælati secun- dæ, & tertie instantiæ, quam etiam in Rota, consului, ut acquiesceret, ejus negligentie tribuendo dictam annualitatem decursarum ammissionem, cum in- specta veritate, quemadmodum justè erant resolutiones ad ejus favorem captæ pro tempore futuro, ita justa quo- que videbatur altera capta contra eam pro dictis annuali- tatibus decursis.

Quatenus enim ad istas decursas pertinet; Quidquid more Advocatorum, scribendo ad causæ opportunitatem Card. de Luca Lib. XI.

pro actrice deducere, ex auctoritate Coſtæ de por. rat. e quæſt. 60. numer. 4. cum seqq. ubi nominatim reprobando Surdum dec. 28. contrarium probare conatur, ut pro an- nuis legatis affecta sint bona testatoris, adeo ut pro annu- alitatibus decursis in vita hæredis gravati, vel alterius præ- decessoris, detur actio ad ipsa bona contra successorem, super quo etiam dubitare ostendit Cyriac. contr. 18. nu. 23. Attamen reflectendo ad veritatem, ista mihi videbatur in contrarium, Tum attentis auctoritatibus, de quibus apud Surd. dicta decis. 28. Gratian. discip. 294. num. 8. & 22. Mer- lin. de pignor. lib. 3. quæſt. 14. nu. 106. & seqq. Capyc. Latr. consulti. 24. nu. 4. cum seqq. Prat. obser. 32. nu. 21. cum aliis in hujus causæ decisione deductis, quod etiam prius sentit Rot. decis. 260. par. 11. Tum etiam attenda viva ratione, quæ apud me satis urgere videbatur, quod scilicet testator legando hanc mensuram præstationem in causam alimen- torum, non cogitaverit afficere ipsa bona, sed eorum fru- ctus eisdem singulis mensibus, vel anni temporibus perci- piendos, ut habetur etiam deductum supra in Spoliana le- gati disc. 37.

Et quamvis in creditoribus annuarum præstationum fi- deicommissariæ hæreditatis, puta ex causa censuum, vel canonum, seu livellorum &c. creditori non exigenti ab hæ- rede gravato, vel fideicommissario prædecessore, detur actio ad ipsa bona, etiam contra successorem ex persona propria venientem; quinimò fortius etiam pro fructibus dotis constitutendæ vel restituendæ ex bonis fideicommissariis in vim auctoritatis quæ, idem magis communiter recep- tum videatur; cum eo tamen temperamento, ut ad for- tis distractionem exinde procedi non possit, ex deductis sub tit. de dote disc. 51. & 145. & sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc. 78. & 79. & alibi

Attamen non est eadem ratio; Ibi enim obligatio provenit, vel à contractu, vel à dispositione legis, afficiens ipsum defunctum, ejusque hæreditatem, ac bona ipso etiam invito; In legatis autem totum provenit à volunta- re disponentis, quæ probabilius ita interpretanda est; Quinimò ibidem deductis, ac etiam sub tit. de fideicom. quoties magna negligentia concurrat, fortius verò colluſio, neque id competit; Atque de collusione nimium dubitari poterat, in hac facti specie ex ejus circumstantiis, ex quibus etiam in casibus præmissis magna subest ratio dubitan- di, multò magis in præsentem, cum nullatenus probabile sit, quod testator voluerit ut legatario negligente, vel colluden- te cum hærede gravato talis fieret interannualitatem massâ, quæ totam hæreditatem supplantare posset.

Et in fortioribus terminis pensionis ecclesiasticæ Apo- stolica auctoritate reservatæ super beneficio, in qua recep- tum est, ut etiam pro decursis tempore prædecessoris, agi possit contra successorem, licet ex voluntate Papæ ip- sum beneficium, seu ejus fructus affecti sint, adhuc tamen id procedit, quatenus ex parte pensionarii doceatur de di- ligentiâ contra titularem ex deductis apud Gregor. disc. 507. Buratt. & Add. dec. 448. & in sua materia sub tit. de pension. Multò magis in his terminis.

Atque conferre observabam firmata in Romana bono- rum, seu usufructus 23. Junii 1653. coram Zaratt, quod si testator mandasset præstari aliquibus puellis, juxta ordi- nem ab eo præscriptum singulis annis, vel temporibus sub- sidia dotalia, atque puella, cui prius debebatur neglex- rit urgere possessorem, atque permiserit, ut ille exigeret eos fructus, ex quibus suum subsidium juxta præscripta tempora præstandum erat, actionem habere non debeat ad fructus futuros in præjudicium aliarum puellarum, qui- bus futura subsidia debentur, ut advertitur etiam in sua materia sub tit. de dote, cum similibus; Ideoque consului Octaviam, ut acquiesceret prout fecit, quoniam facti circumstantiæ erant tales, quod illam inexcusabilem reddebant.

Quo verò ad alium punctum futurarum annualitatum, justas credidi resolutiones, quales etiam agnovērunt ip- sines commendæ defensores, qui pariter acquiescentiam consuluerunt; Tum quia in schedula reservata penè testa- torem errore expressè accomodatus fuit per apostillam, quæ ubi est ex eadem manu, sed characteres ejus, qui eam conscripsit, habet præsumptionem pro se, ut de ordine testatoris facta sit, donec probetur contrarium ex deductis apud Coccin. dec. 477. decis. 413. part. 4. rec. tom. 1. decis. 544. num. 23. eadem par. 4. tom. 3. in Urbinaten. prædii 13. Maii 1658. coram Bevilacqua impress. decis. 340. par. 12. re- cent. ac habetur in Romana fideicommissi de Vicioris sub tit. de fideicommissis disc. 23.

E Tum

Tum clariùs quia, ubi etiam dicta apostilla erroris correctiva non adesset, adhuc idem dicendum esse videbatur ex conjecturis, aliisque circumstantiis eundem errorem convincentibus, ex quibus rectè dici poterat, ut minus scriptum esset quam dictum, seu volitum, ita ut intraret ea legis suppletio, de qua plenè actum habetur præsertim in *Tudertina fideicommissi sub tit. de fideic. disc. 115.* ubi habentur auctoritates, quæ in hac eadem disputatione cumulantur, ideoque fortius admitti debebant ad administrandam dictam apostillam, seu correctionem, omnemque suspitionem abolendam.

Primum etenim administratum resultabat ex priori testamento, in quo eadem adamussim summa relinquebatur, dum ex frequenter deductis *sub dicto tit. de fideicom.* testamentum etiam nullum, vel revocatum deservit pro declaratione secundæ dispositionis, ut ex *Mantic. de conjectur. lib. 3. tit. ult. num. 2. Castill. lib. 5. contr. cap. 108. n. 18. cum seqq.* & aliis firmatur in hujus causæ decisionibus præsertim prima.

Alterum præcedentis corroborativum deducebatur ex vicinitate actuum, dum inter testamentum & schedulam, intercedebat solum spatium unius mensis, per quod breve intervallum, regula est, ut non præsumatur mutatio voluntatis, sed potius error, ut cæteris alleg. *Mantic. de conject. lib. 12. tit. 1. num. 4.* & habetur sæpius deductum in præcedentibus super casu converso mutationis de facili præsumendæ ob longum intervallum.

Tertium fortissimum, & convincens erat illud cessantis causæ odii, seu diminutionis amoris, cui dicta diminutio referri posset, cum potius schedula probaret augmentum prioris amoris in testamento expressi.

Quartum fortissimum, & magis convincens erat illud deductum ex qualitate legataria, & causa legendi, ex quibus simul junctis resultabat hujus veritatis probatio manifesta; Agebatur enim de uxore satis juveni, & formosa, sed pauperima quam indotatam pene octuagenarius testator ex filiorum desiderio duxerat, multumque diligebat, unde cupiens, quod commode cum una famula in statu viduitatis, & castitatis se sustentare posset, prout ipsius testatoris decentiæ conveniebat idcirco omnino incongrua erat ad hunc finem assequendum dicta summa annuorum scutorum decem, sed bene congrua, & proportionata erat eadem summa mensura.

Et his accedebat observantia illius, qui testatoris fiduciaris, declaratus fuerat primus commendatarius, & cujus declarationibus utpotè de ejus voluntate satis consilii descendendum esse idem testator mandaverat; Ac etiam quod ipsamet Religio in concordia, de qua *sub dicto tit. de testam. obtinuit* Apostolicam confirmationem, atque mentionem habuit hujus oneris tanquam mensuræ, unde propterea casus videbatur omnino planus, cum in contrarium aliud non deduceretur nisi dicta schedula Melitam transmissa, de qua verè nulla ratio habenda erat; Tum quia constabat de errore, quem testator correxit in eascriptura, quam corrigere poterat, non in alteri, quam non habebat; Tum etiam quia decisio Rotæ ad favorem ejusdem Religionis firmaverat, ut dispositio prædicta attendenda esset potius tanquam testamentum, ob actum coram testibus gestum à Terentio in actu moriendi quam uti contractus irrevocabilis, Ideo dum ex qua actus initus erat super hac schedula correctæ eadem Religio successionem obtinuit, ita proinde omnis dubitandi ratio cessare videbatur.

FLORENTINA LEGATI INTER COLLEGIUM, ET DOMUM NOVITIATUS SOC. JESU FLORENTIÆ.

Responsum pro veritate.

De ademptione legati ordinata sub certa conditione, an ad ejus effectum, requiratur implementum in toto, atque in forma specifica; Vel potius sufficiat in parte, vel per æquipollens.

S U M M A R I U M.

- 1 *Fidei series.*
- 2 *Implementum formæ in parte non sufficit.*
- 3 *Non potest idem esse hæres, & legatarius.*
- 4 *Ademptio strictè intelligenda est.*

- 5 *Quando sit conditio voluntaria, vel mixta, seu quando præcisa, necne.*
- 7 *Quando forma, vel conditio impletur per æquipollens.*
- 7 & 8. *In idem, & dantur similia.*
- 10 *Quomodo ista quæstio decidi debeat.*
- 11 *Quando dicitur legatum collatum in voluntatem, vel in arbitrium.*

D I S C L.

Juxta seriem super dispositione Benedicti Biffoli, quæ habetur in hac eadem controversia *sub tit. de usur. disc. 31.* Cum dictus testator reliquisset arbitrio P. Generalis Societatis Jesu, an Domui Probationis, per Collegium hæredem institutum, præstanda essent scuta 10. m. jure legati relicta, quatenus exigentur quædam nomina debitorum relicta eidem Domui Probationis recuperanda in Civitate Neapolis in summa scutorum 59. m. atque ex illis recuperata essent scuta 36. m. residuum verò remaneret omnino inexigibile; Hinc orta est difficultas, an stante quod implementum conditionis sequutum erat in parte, intraret ademptio, seu facultas ut supra concessa adimendi; Atque rationem dubitandi movebat propositio, ut de conditionis natura sit inducendi formam perfectè adimplendam, unde propterea implementum imperfectum, seu in parte non sufficit ex deductis per *Tirac. de tract. convent. §. 2. glof. unic. n. 3. Paris. de resignat. lib. 1. qu. 3. n. 15. cum seq. Surd. dec. 202. nu. 8. Buratt. dec. 437. num. 4.* apud quos concordantes.

Potissimum agebatur de translatione legati de uno in alterum, ideoque intrant termini ademptionis; Et fortius, dum penes Collegium unicum hæredem irrevocabilem, legatum esse non poterat, ob incompatibilem concurrentium actionis, & passionis in eodem subiecto ad text. *in l. in fideicommissariam §. finali ff. ad trebell. l. legatum §. 1. & l. planè §. si duobus, & l. quidam totum ff. de legat. 1. cum concordant.* Ademptio autem utpotè odiosa strictè intelligenda est atque in dubio pro ejus exclusionem respondendum *l. 3. §. in duobus ff. de adimen. legat. Menoch. lib. 4. præsumpt. 167. num. 1. Greg. dec. 236. numer. 1. Buratt. decif. 168. num. 4. & 5. Romana legati scutorum 50. m. coram Dunozeo inter suas decif. 579.* Itaque erant fundamenta, quæ deducebantur per scribentes pro Domino Probationis coram eodem P. Generali ad ostendendum, quod ipse non posset dictam facultatem exercere, adimendo dictæ Domui hoc legatum, & applicando Collegio; Super his ex parte dicti Generalis pro veritate consultus.

Contrarium (præmissis non obstantibus) respondi probabilis videri, quoniam inspecto tenore dispositionis, tam in verbis, quam in substantia voluntatis, constat quod non versabamur in conditione voluntaria, quæ strictius adimplenda est formaliter, ac specificè, ut sonant verba, quamvis ruditer concepta ex congestis per *Surd. dicta decif. 202. numer. 6.* sed in conditione casuali, vel mixta, quæ adjecta erat, non pro aliqua forma, vel solemnitate, seu obedientia, quam testator ita præstari voluerit per eum, qui emolumentum percepturus esset, sed ad certum effectum, ut scilicet ab exactione faciendâ dictorum nominum debitorum; Domus Probationis remaneret sufficienter, & congruè provisa pro sustinendo eo majori numero novitiorum, qui arbitrio Generalis congruus videretur.

Ubi autem conditio, vel alia dispositio respicit certum effectum, seu finem, tunc iste principaliter spectatur, non curato rigore formalitatis verborum, minusque attentis juris subtilitatibus super specifico, ac pleno implemento conditionis adjectæ pro solemnitate, vel forma ad communiter notata in *l. scripturas C. qui potiores in pign. Mantic. de tact. lib. 14. tit. 43. nu. 10. Buratt. dec. 910. n. 3. Rota apud Dunozeo. dec. 417. repetit. dec. 93. f. 11. 7. rec.* ubi de præcepto inuncto exequutoribus finita propria descendencia, eligendi juvenem solum assumere debentem familiam, ad hoc ut nubat; atque ita familiam propagare possit, quoniam dicitur, & bene, pinguis impletum fuisse dictum præceptum per electionem viri quinquagenarii, & ultra jam uxorati, qui plures filios masculos habebat, atque habetur pluries deductum *sub tit. de fideicommissis præsertim disc. 45.*

Et in proximis terminis id clarè probari dicebam per text. in *l. Lucius Titius §. à te peto ff. de legat. secundo*, ubi disponitur, quod si testator mandaverit præstari decem pro

pro ejus corpore condendo, pro quo minor summa sufficeret, reliquum non debeatur, sed penes hæredem remaneat, quoniam spectanda non est summa, sed finis seu effectus à testatore volitus.

Ex istius autem textus dispositione resultat traditio *Buttrigar. & Baldi in l. si quis ad declinandam Cod. de Episcopis, & Clericis*, quam refert, & laudat *Genueus in practicabil. Eccl. quæst. 526.* quod si testator assignet mille distribuenda in pios usus pro malè ablati, atque appareat, quod ea non ascendunt ad tantam summam, tunc id quod superest, cedit ad commodum hæredis, quoniam sufficit impleri effectum à testatore volitum pro quo implendo è converso, si constaret majorem summam necessariam esse, illa præstanda esset, cum summa videatur stare potius demonstrativè.

Atque ad idem conferunt deducta in *Neapolitana seu Januensis sub tit. de testam. disc. 56.* ubi de præcepto deponendi quamdam summam ad dispositionem confessarii, seu aliorum religiosorum pro eorum effectu exonerationis conscientie, ut impletum dicitur cum illa minori summa, quam dicti exequutores mandassent.

Hinc proinde concludebam; ut ista esset quæstio potius facti, quam juris, ideoque resolutio penderet ab eo, an cum summa jam exacta; Domus Probationis remaneret necne sufficienter provisa, itaut impletus esset finis, seu effectus per testatorem volitus; Et consequenter dixi quod determinatio non pendebat à responso J. C. in abstracto, sed ab examine dictæ circumstantiæ, quæ alteri melius esse nota non poterat, quam ipsimet Generali tanquam consilio status suæ Religionis in illa Provincia, seu Regione, & qualis novitiorum numerus congruus, ac adaptatus esset, ut ita regularet ejus arbitrium; Dixi tamen quod istud non erat liberum, & absolutum, sed tanquam illud boni viri à prædicta ratione regulandum erat, cum testator id non remississet per verba denotantia liberam voluntatem, sed per verbum *videbitur*, quod arbitrium, ita distinguendo in terminis legati habetur de materia apud *Cavalier. decif. 374. num. 2.* Potissimè quia dispositio directa non erat accertam personam nomine appellativo, sed sub nomine officii, & sic tanquam ad superiorem, unde clariùs resultabat, ut non posset in hoc declarare pro libito voluntatis, sed eo modo quo arbitrium regulandum est à Judice, & Superiore, justitiam administrante.

F U L G I N A T E N. L E G A T I P R O HÆR E D I B U S J O A N N I S A N T O N I I.

C U M J O A N N A.

Responsum pro veritate.

An, & quando legatum cesset, per provisionem à testatore factam post testamentum ad favorem legatarii, sive per implementum in vita, illius operis, pro quo legatum factum sit.

S U M M A R I U M.

- 1 *Fidei series.*
- 2 *De quæstione, an per implementum in vita cesset legatum.*
- 3 *De distinctione, ut cesset si est expressa eadem causa.*
- 4 *Sed quid si implementum in vita factum sit cum minori impensa, an debeat residuum.*
- 5 *Debetur legatum, si habet causam diversam ab ea, in quam factum est implementum.*
- 6 *Dos data intuitu renuntiationis reportatæ à dotata, non dicitur data per dotantem, sed de bonis propriis dotata.*
- 7 *Declaratur quando id procedat.*
- 8 *Ut attendi debeat propositio immorandi in substantia voluntatis, non autem in formalitate verborum.*
- 9 *De circumstantiis, vel argumentis, ex quibus legatum habeat certam causam, quamvis non adjectam.*
- 10 *De eodem, de quo num. 8. ut inquiri debeat substantia voluntatis, non autem context verborum, & quomodo hujusmodi quæstiones decidi debeant.*

D I S C L I.

JO: Antonius, institutus hæredibus filiis masculis, atque provisus filiabus de dote, Joannæ nepti, ex fratre prædefuncto, amore Dei, ac ob benevolentiam, relin-

quere professus est, victum, vestitum, & habitationem in ejus domo, usquequò carnaliter, vel spiritualiter nuberet; Per capitulum verò separatim, eidem legavit scuta 400. investienda in bonis stabilibus, quorum fractus spectare deberent ad hæredes, usquequò innupta domi remaneret, atque victum, & vestitum reciperet; Ipsa verò Monasterium ingrediente, possent dicta bona liberè in dotem dari, sed si carnaliter nuberet, dari non possent, nisi cum pacto reversivo ad hæredes in casu obitus sine filiis; Cum autem idem testator, ad plures annos supervivens, eamdem Joannam maritaverit cum competente dote in summa excedente dictum legatum, reportata ab eadem consueta renuncia successione paterna, & maternis, & cujusdam patris; Hinc proinde sequuta morte testatoris, dicta Joannæ, ejusque viri, legatum prædictum prætendebant, unde desuper ex parte hæredum pro veritate consultus, ad effectum deliberandi quid expediret.

Attento sensu litterali testamenti, attentisque juris regulis; seu DD. traditionibus generalibus, pro legataria primo aspectu respondendum videbatur, quoniam in ista quæstione, an ea, quæ data sunt per testatorem in vita legatario, censentur data in adimplementum legati, adeò ut istud peti non possit, vel potius debeat utrumque (quod aded acriter disputatum fuit in *Romana legati scutorum 50. mil. coram Dunozeo inter suas dec. 560. & 579. & coram Cerro dec. 41. & 309. part. 9. rec. & in aliis*, editis in ea causa, in qua Rota variavit, adeò ob difficultatem oportuerit, quod per concordiam finem reciperet.

Illà videtur distinctio, quod, Aut legatum expressam habet causam, quæ postmodum in vita impleta sit, & tunc illud cesset, utpotè præventivè satisfactum ad text. in *l. filia legatorum Cod. de legatis, & l. Lucius Titius 1. ff. de legat. 2.* ubi communiter DD. de quibus generaliter Rota *dec. 41. & 309. part. 9. rec. & prius dec. 499. part. 2. & apud Gregor. dec. 236. & advertitur in aliis hoc eodem tit. Et in specie legati pro dote Paschal. de patr. potest. par. 2. cap. 6. num. 35. cum seqq. Millin. decif. 249. num. 1. Adde ad Gregor. dicta dec. 236. num. 15. cum aliis collectis per Boss. de matrim. cap. 11. num. 551. & habentur sub tit. de dote disc. generali 154. & in aliis.*

Remanente solum quæstione, de qua apud *Fab. de Ann. const. 91. de Marin. resol. 93. lib. 1. Andreol. contror. 140. Boss. ubi supra num. 552. Gregor. & Add. dicta decif. 236. & de qua habetur alibi hoc eodem titulo, ac dicto disc. 154. de Dote*, an debetur illud plus, quod in legato contineret, quatenus implementum in vita cum minori summa factum esset, de quo in præsentii agere non oportebat, cum potius supponeretur data major summa.

Aut nulla causa expressa est, & tunc aliqua major intrat dubitatio, sed si est expressa, illaque diversa sit ab altera, in cujus causam implementum in vita sequutum sit, tunc ad legatum non refertur, ideoque utrumque debetur ex iis quæ cæteris relatis habentur *dec. 207. & 233. part. 3. rec. & dicta dec. 499. part. 2.* quæ est eadem apud *Dunozeo. Sen. decif. 20. & supponitur tanquam absolutum in decisionibus editis in dicta Romana legati scutorum 50. mil. in quarum casu quæstio erat, ubi legatum, ac respectivè implementum in vita non contineret identitatem, vel respectivè diversitatem causæ, adeò versaremur in ambiguo.*

Applicando autem istam theoreticam ad factum, pro legataria adrice potius respondendum videbatur, quoniam legatum principale causam expressam habebat pro amore Dei, ac etiam pro benevolentia, & non dicebatur pro dote, in cujus causam solum daberetur facultas erogandi bona, in quæ summa legata investienda erat, ideoque versari videbatur in secunda parte distinctionis.

Clariùs verò, quoniam idem testator dotando in vita reportaverat à puella dotata renuntiationem bonis paternis, & maternis, & quibuscumque juribus sibi competentibus super bonis alterius patris defuncti, unde propterea intrat frequens, ac recepta conclusio, de qua apud *Dunozeo. decif. 267.* quæ in Curia circumfertur tanquam magistralis, sæpius canonizata præsertim coram eodem *decif. 528. in Romana pecuniaria 15. Junii 1665. coram Albergato*, & in aliis, ac infinuatur pluries in sua materia *sub tit. de Dote, dicto disc. 145. & in aliis*, occasione agendi de articulo, an, & quando dos sit adventitia sive profectitia, seu recipiat onera, & gravamina, quod scilicet ea dos, quæ datur puellæ renunciantis successionebus, aliisque ejus juribus, ad favorem dotantis, vel alterius

rius ejus intuitu, & contemplatione, non dicitur constitui per ipsum dotantem de bonis suis, sed de bonis propriis ipsius puellae dotatae tanquam pretium jurium renunciatorum, sive sint in re, sive sint in spe; Et consequenter neque intrare videbatur quaestio, dum ea procedit, quando utrumque factum sit ab eodem testatore de ejus bonis, quod in praesenti dici non poterat, dum dotatio in vita sequuta erat de ejusdem puellae dotatae bonis propriis, ideoque legatum remanebat in suo esse, atque cessabat quaestio in radice.

Quando istud ultimum motivum haberet facti subsistentiam, quod scilicet bona, & jura, in re, vel in spe eidem puellae competentia, atque patris dotanti renunciata, istud pretium seu recompensam mererentur, adeo ut dicta conclusio intraret pro legatario probabiliter responderi debuisset; Verum supponebatur, quod id nullum haberet facti fomentum, quodque ista renunciatio esset penes de vento, adjecta instrumento dotali pro quodam stylo, seu formula Notarii; Potissimum quia ejus contextus verbalis probabat, quod de illa sollicitus non fuisset ipse patris dotator, adeo ut renunciatio dicenda veniret corresponsiva renunciationi, quae alias sequuta non esset, (in quibus terminis verè, & proprie dicta conclusio intrat) sed legebatur sponte facta cum assertione ejusdem puellae, quod fieret ex motivo gratitudinis erga patrum ejus provisorum, unde propterea id in nulla consideratione habendum venit, quoniam ut advertitur in dicta sua materia *sub tit. de Dote*, dicta conclusio non fundatur in sola formalitate verbali renunciationis, sed in substantia veritatis, seu rationis ut id, quod datur pro dote, probabiliter, seu praesumptive dici valeat pretium aequatum juribus renunciatis, unde propterea intraret corresponsivitas, Secus autem, ubi ea fiat pro stylo, & usu communi, sive ad quandam exuberantem cautellam, in effectu autem dicta ratio non verificetur, & hic supponebatur casus; Quare isto alias nimium efficaci motivo cessante decisio pendebat à dicta quaestione, seu dictae juris theoricæ applicatione, & an potius in una, quam in altera distinctionis parte verifemur.

In hoc autem (praemissis non obstantibus), pro hæredibus omnino responderi debere censui, procedendo cum adeo frequenter insinuata propositione, quae Judicantium, & Consulentium, in hujusmodi quaestionibus ambiguae voluntatis, primaria, ac perpetua magistra esse debet, ut scilicet immorandum non sit in formalitatibus verborum, sive in regulis, & propositionibus generalibus juris, sed indagari debet substantia veritatis, seu voluntatis disponentis.

Ista verò attentata, atque ponderata, non quidem per partes, grammaticali more, sed toto contextu dispositionis, ad nimiam evidentiam patere videbatur, ut haec dispositio alium finem non haberet, nisi illum collocandi hanc puellam, ejusque honestati consulendi, cum uno, vel altero matrimonio, quatenus illam superviventem collocare oportuisset, istaque provisione pendente, provisio remaneret de victu, & vestitu, ac habitatione in domo propria testatoris; Et in summa, ut hæredes erga eam agerent id, quod ipse vivens agebat, vel acturus esset, si viveret.

Idque evidenter probari observabam ex discretivo modo tento super facultate assignandi in dotem bona ex legato acquirenda, quoniam si matrimonium esset spirituale, pro quo dare oportebat dotem liberam, & quae nullum pactum reversivum admittit ex deductis in materia dotis monialium *sub tit. de Dote disc. 167.* hac libertatem expressit; E converso autem, adjecit pactum reversivum, quod per dotantes ex liberalitate adjici solet, & quasi pro communi usu est connaturale etiam in piis subsidiis dotalibus pro matrimonio carnali, in casu obitus sine filiis, quoniam iustum, & congruum est, ut potius ad ipsius dotantis hæredes; quam ad hæredes extraneos mulieris tanquam ex cessante causa dandi, bona revertantur; Igitur clara remanebat voluntas relinquendi hoc legatum, in solam, ac praecisam causam dotationis, quamvis in ejus ordinatione non exprimeretur causa pro dote, dum per subsequentem ordinationem, nimium clarè dicta expressio facta est.

Ponderando etiam in idem alteram provisionem, ut fructus bonorum emendorum, collocatione pendente, esse deberent hæredum; Ac etiam fortiter, quod ipsi sine propriis testatoris filiabus aliud relinquere noluit nisi congruam dotem, unde propterea, si inuptæ decederent ni-

hil eis relinquere voluit; Ideoque prorsus improbabile videbatur, ut nepti ex fratre absque dubio minus dilectæ, postquam eam in vita congruè providerat gravando proprios filios masculos, quos favore filiarum gravare noluit, ad superfluum ditationem, vel exuberantiam relinquere voluisset hanc summam; Ad eum si casus dedisset, ut testator hanc puellam in vita non dotasset, eaque innupta decessisset, omnino verius legatum tanquam conditionale fuisset caducatum, quamvis attento rigore formalitatis verborum, seu legaleis propositionibus, & subtilitatibus, contrarium dicendum videretur, ea quia dos posita non esset pro conditione explicita, quoniam non formalitas verborum, sed substantia voluntatis attendenda est, ex ea congruè pluries inculcata ratione, quod verba frequentius potius unam, quam alteram habent formulam ex stylo, vel imperitia Notarii, vel alterius scriptoris testamenti sine dubio non percipientis effectus, qui ex una, vel altera loquendi formula resultant, ideoque indagare oportet ipsius disponentis voluntatem, potius ex facto, ejusque circumstantiis, ac tota massa dispositionis, quam ex hujusmodi formalitatibus, & grammaticalibus significationibus verborum; Unde merito, citra superfluitatis vitium, semper repetenda est damnatio moderni abusus insitendi in verbis, vel in regulis, ac doctrinis generalibus pro decidendis hujusmodi quaestionibus, quoniam in effectu non sunt juris, sed facti & voluntatis, ideoque pro facti qualitate decidenda veniunt.

Expressio autem dictæ diversæ causæ benevolentiae, & pro amore Dei, non immutabat substantiam dictæ veritatis, sed continebat quandam expressionem, quod testator proprios habens filios, nullamque habens obligationem, quia nulla bona parentum puellae in manibus habebat, adhuc tamen ex charitate, de illius provisione sollicitus fuit, istamque rationem dicta expressio habebat.

ROMANA CONTRIBUTIONIS PRO SOCIETATE SS. STIGMATUM CUM HORATIO DE ABBATIBUS.

Discursus in congressu pro veritate.

An legatarius quotæ, seu alicujus universitatis bonorum, teneatur concurrere cum hærede in solutione æris alieni, aliorumque onerum hereditariorum, ac etiam legatorum.

S U M M A R I U M.

- 1 *Acti series.*
- 2 *De distinctione inter legatum quotæ hereditatis, & quotæ bonorum.*
- 3 *Legatarius particularis non tenetur contribuere ad onera hereditaria.*
- 4 *De alia distinctione inter legatum quotæ, & illud alicujus generis bonorum.*
- 5 *In quo consistat differentia inter legatum quotæ hereditatis, & quotæ bonorum.*
- 6 *De Voto Auctoris, & quod heredis institutio fieri potest per quacumque verba etiam per viam legati adjecti universitati bonorum.*
- 7 *Genus aliquorum bonorum reputatur tanquam species particularis.*
- 8 *De contributione ad debita inter hæredem allodialem, & feudalem.*
- 9 *Feudum est universitas, sed declaratur.*
- 10 *De universitate bonorum allodialium, quæ reputetur tanquam res particularis.*
- 11 *An codicillis hereditas detur, vel adimatur.*
- 12 *Quomodo ista materia regulari debeat.*
- 13 *Qualis sit casus controversæ.*
- 14 *In dubio pro causa pia.*
- 15 *Ademptio est odiosa, & in dubio contra eam.*
- 16 *In dubio, an pro hærede, vel pro legatario.*
- 17 *Deferendum est scriptori testamenti, seu alias informatio.*
- 18 *De falcidiæ detractione remissivè.*
- 19 *Quomodo Ecclesia, vel pia causa debeat se gerere.*

D I S C. LII.

M Arcellus de Abbatibus causarum Patronus) parto ex parsimonia, & industria notabili asse, ejus statum, ac omnium opinionem excedente), in testamento, factis aliquibus legatis particularibus, inter quæ unum continebatur de duabus tabulis pictis ad favorem Horatii germani fratris, hæredem scripsit Societatem SS. Stigmatum Sancti Francisci, cui ipse adscriptus erat, cum onere erigendi ex fructibus, vel redditibus tot cappellania pro celebratione missarum in ejusdem Societatis Ecclesia; Postmodum verò, quodam nobili viro ejus amico suadente, ut dictum ejus fratrem melius tractare deberet, in codicillis prope mortem ordinatis, medietatem omnium bonorum ei legavit; Cumque sequuta morte, Horatii legatarius præntensionem excitasset, quod sibi integra omnium bonorum medietas debita esset, nulla facta onerum, seu legatorum deductione, adeo ut illorum implementum incumberet hæredi ex reliquo semisse; E converso autem aliqui Societatis zelantes officiales aliam præntensionem excitasset super detractione falcidiæ; Hinc proinde, ex parte ejusdem Societatis convocatus fuit plurimum Advocatorum congressus, ut pro commendabili Curia stylo, ejusdem præntensionis respective inquireretur veritas, cui ipsa, pia, nimiumque exemplaris Societas, absque lite acquiesceret.

In hoc autem congressu, Aliqui juniores, quibus pro stylo prius dicere incumbebat; Quatenus pertinet ad primum punctum super præntensione Horatii legatarii, pro ipso concludebant, procedendo cum communi distinctione, de qua, antiquioribus collectis habetur præntentim apud Spin. in *specul. testament. gloss. 8. in principio tit. de legatis*, & apud Castill. de *usufruct. capitul. 59. nu. 12. & seq.* inter legatarium quotæ hereditatis, & legatarium quotæ bonorum, ut primo casu intret contributum inter hæredem, & legatarium, atque per utrumque onera impleri debeant, cum tunc legatarius dicatur etiam participare de universo jure tam activo, quam passivo; Secus autem in altero casu, in quo ratio hujus universitatis jurium non intret, ideoque dicatur legatarius particularis, qui non concurrat cum hærede in supportatione onerum, nisi quatenus hereditas, quæ cum beneficio inventarii adita sit, non esset omnibus idonea, ut apud allegatos, atque posita dispositione particulari, videtur principium certum.

Alii verò in contraria erant sententia, procedendo cum altera distinctione bene tradita per Marcian. Jun. *disp. 82.* ubi concordantes, quod scilicet etiam in legatario partis bonorum, non autem hereditatis; Aliud est agere de legato alicujus universitatis, vel generis bonorum, puta de omnibus mobilibus, ac nominibus debitorum, sive de omnibus bonis tam mobilibus, quam stabilibus in aliqua Civitate, vel Provincia existentibus, aut ad aliquam negotiationem, vel rationem pertinentibus; Aliud verò de legato quotæ bonorum in universum; Ut scilicet in primo casu dicatur legatum particulare, ideoque non intret contributio; Secus autem in altero, in quo universitatis juris activi, ac passivi relicta censetur, cum tunc nulla dignoscatur differentia inter legatarium quotæ hereditatis, & legatarium quotæ bonorum, nisi illa, quæ ex quadam juris subtilitate ponderari solet circa actiones directas activas, vel passivas, earumque favorabile, vel odiosum exercitium, ut bene ponderatur apud Marcian. *dicta disp. 82.*

Mihi placuit hæc posterior sententia, cui (post alios discurrendo) dicebam majorem videri assistere probabilitatem, non solum ex præmissis considerationibus, sed etiam ex aliis, de quibus infra, quibus auditis, etiam alii diversam tenentes in eam devenerunt.

Dicebam igitur, quod hæc ultima distinctio probabilior videretur; Licet enim antiquum jus Digestorum circa titulum hereditarium nimium insitit in subtilitate, seu formalitate verborum; Attamen ista subtilitas de jure novo Codicillis rationabilius sublata est, quoniam ubicumque dispositio universitatem contineat, tunc hereditariam qualitatem importat, non curando, an per verba heredis institutionem denotantia, vel per alia, quæ denotent legatum, dispositio concepta sit, spectando potius substantiam dispositionis, super ipsa universitate, quæ omnium activorum, ac passivorum jurium complexiva sit, qualiacumque sint bona & jura, & ubicumque sint posita, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Capyc. Latr. *decif. Card. de Luca Lib. XI.*

5. nu. 17. & 18. & *consult. 10. nu. 14.* ubi in specie de verbis legatum denotantibus, cum aliis plenè collectis per Add. *ad dec. 25. numer. 16. & seqq. part. 3. voc. Buratt. dec. 847. n. 1. & seqq. & sub tit. de testam. ac sub altero de hæred.*

E converso autem, ubi legatum est de certo genere bonorum, tunc quamvis istud universitatem contineat, at tamen dicitur universitas subalterna, quæ comparative ad alteram majorem constitutam ex universo jure hereditario, constituere dicitur rem particularem, quamvis sub eodem genere veniant omnia jura activa & passiva eidem generi annexa, quoniam hæc, discretè ab universitate omnium jurium importantium representationem personæ defuncti, particularia dicuntur.

Ad quod, ultra præmissa, ponderabam ea, quæ cæteris relatis habentur plenè deducta apud Capyc. Latr. *dicta consult. 9. & 10.* & insinuatur in sua materia *sub tit. de feud. circa contributionem onerum hereditariorum*, tam ratione æris alieni, & expensarum funeris, quam ratione legatorum, aliorumque onerum, inter hæredem in allodialibus, ac alterum in feudilibus, quoniam utraque hereditas veram universitatem continet, atque defunctum æquè repræsentat; Verum id procedit in eo, qui est hæres, vel successor in universo patrimonio respective, scèus autem, ubi agatur de successione alicujus juris particularis, quamvis istud, etiam genus, vel universitatem importet, quoniam discretè, seu comparative dicitur res particularis.

Ut puta, feudum dicitur universitas, cadente solum quaestione, an sit universitas juris tantum, vel facti tantum, vel utriusque ex plenè deductis per Amichangel. *quæ feud. 3. Capyc. Latr. dicta consult. 9. & 10. & insinuatur in dicta sua materia sub tit. de feud.* Sed si possessor plurimum feudorum, unum eorum alicui relinquit, iste dicens veniet legatarius particularis, non obligatus ad contributum, quoniam comparative ad universitatem patrimonii feudalis, dicens venit legatarius particularis, dum universalis successio in utroque jure activo & passivo explicatur, scèus autem, ubi agatur de illo jure universo, quo est particulariter annexum ipsi generi sub alterno.

Quod etiam patrimonio allodiali rectè exemplificari potest, quia nempe alicui fiat legatum de ratione bancaria, seu taberna, vel alio negotio, aut etiam de grege, sive de universitate bonorum alicujus Civitatis, vel provincie, quoniam ista in se dicitur universitas jurium activorum, & passivorum spectantium ad ipsam rationem, seu tabernam juxta ea, quæ habentur in *Romana legati de Hyet. d. 38.* & in celebri decisione in *Romana de Cæulis coram Penia* inter suas *decif. 397.* & apud Gratian. *disc. 256. num. 7. cum seqq.* ubi de donatione, vel dispositione rationis bancarie, ac enunciatur *sub tit. de donat. disc. 45.* occasione agendi quando dicatur donatio universalis, vel particularis; Verum comparative ad universitatem omnium bonorum, & jurium dicitur res particularis, eo modo, quo aliquod genus, reputatur tanquam species comparative ad aliud genus generalissimum, scèus autem, ubi de isto sit dispositio, & hic erat casus; Ideoque formalitas verborum attendenda non videtur, sed potius substantia veritatis, quod scilicet uterque tanquam successor universalis ad eandem universitatem per quotas æquè vocatus esset.

Et quamvis in hac facti specie, obitare videretur juris regula, de qua in sua materia *sub tit. de testam.* quod hæreditas directè codicillis dari, vel admi non potest, ideoque ista codicillaris dispositio jus hereditarium directum importare non potest; Nihilominus advertendam, ut id ad rem obitare non deberet ex duplici fundamentum; Primo nempe, quia agebatur cum causa pia, cujus respectu non attenduntur hujusmodi juris civilis subtilitates, ac distinctiones, ut pluries in dicta sua materia *sub tit. de testam.* Et secundo, quod aliud est de hoc agere, ad effectum exercitii jurium directorum, atque pro iis, quæ sunt ordinis; Aliud verò, ad effectum regulandi voluntatem testatoris, & qualis istius substantia sit, necnè.

Præterea (laudando istas generalitates, quarum inspectio, seu notitia nedum congrua, sed etiam necessaria est pro specialitate regulanda,) insistebam in mea consueta propositione, de qua adeo frequenter *hoc eodem titulo*, ac in aliis *de testam. & de fideicom.* & in omni serè alia materia; Quod scilicet in his quaestionibus agitur de interpretando defuncti voluntatem, quæ totum facit, ac

regulat, atque juris generales propositione cessare facit, ex iis, quæ in specialibus terminis contributi inter duplicem hæredem feudalem, & allodialem habentur sub titulo de feud. disc. 21. & seqq. ac etiam hoc eodem titulo in proposito contributi inter legatarios, quando hæreditas omnibus legatis idonea non est; Ideoque omnes dicuntur inspectiones facti, non autem juris, ex ipsius facti specifica qualitate, ac singulorum casuum individuæ circumstantiis decidendæ, principaliter attendendo ejusdem voluntatis substantiam, non autem verborum formalitates, seu grammaticales significationes, vel juris apices, ac regulas generales.

Applicando autem ad rem (stante præmissa facti serie) evidens videbatur substantia voluntatis testatoris faciendi ejus fratrem in omnibus æqualem Societati, quam hæredem scripserat, adeo ut esset utriusque conditio æqualis in eo, quod detractis oneribus, & aliquibus legatis, in hæreditate superesset.

Et nihilominus advertentem, ut sufficeret ex præmissis id reddi dubium, ut in dubio interpretatio ita favore hæredis contra legatarium faciendæ esset ex tribus regulis, seu propositionibus quarum quælibet sufficeret, multo magis omnibus simul junctis, a que in idem tendentibus; Primò nempe ob favorem piæ causæ, pro qua in dubio faciendæ est interpretatio, ut legatum censetur quod magis, ut pluries alibi hoc eodem titulo, advertitur.

Secundò, quod cum istud legatum importaret ademptionem medietatis bonorum, quæ generaliter Societati in testamento relicta fuerant, atque ademptio in jure odiosa reputetur; Hinc proinde, contra eam, seu pro ejus restrictione, ac minori operatione, quo magis fieri potest, interpretatio faciendæ est.

Et tertio, quoniam, at alibi hoc eodem titulo, advertitur, in ea questione, cujus favore potius legati interpretatio faciendæ sit, an scilicet lata favore legatarii, vel stricta favore hæredis; Vera & recepta distinctio est, ut in dubio, quando de voluntate testatoris expressè, vel conjecturaliter non constat, attendi debeat major dilectio, an sit respectivè erga hæredem, vel erga legatarium; Ideoque cum in hac facti specie absque dubio, etiam ex regulis generalibus, major contenta esset dilectio erga hæredem; Tum ob pietatem causæ, quæ juxta receptam distinctionem, exceptis liberis circa legitimum, magis dilecta præsumitur, potissimè ubi pro celebratione missarum, ac suffragio animæ ipsius testatoris, Tum etiam ob expressè declaratam majorem dilectionem in testamento, hinc proinde videbamur esse in casu plano.

Clarius vero, ob attestationem illius nobilis viri, qui testatoris amicus, illi suaserat, ut cum fratre magis benevole se gereret, dum tales narrabat circumstantias, quod penè invitatus ad id testator inductus esset; Ut enim ut pluries habetur sub titulo de fideicommissis. & sub altero de testamentis. nimium deferendum est hujusmodi assertionibus eorum, qui testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis scriptores, vel consultores fuerunt, aut alias informati.

Quo verò ad alium punctum detractionis falcidiz, quamvis alii discurrentes concluderent pro affirmativa, ex iis, quæ in specie habentur deducta sub titulo de legitimis. & de traditione. disc. 34. ubi quod ea, quæ remanent penes Ecclesiam hæredem cum onere celebrationis missarum, sunt detrahenda, & non dicuntur penes hæredem remanere; Attamen ex eisdem fundamentis, de quibus dicto discursu. 34. ego fui in contraria sententia, quodque ubi etiam de stricto juris rigore contrarium dicendum esset, adhuc tamen ob illam æquitatem, quam Ecclesia, & pia causa servare tenetur, ac etiam ex convenientiæ, seu prudentiæ motivo, ad allicendum fideles ad piè dispendium, hujusmodi rigores juris civilis adhiberi non debent; Potissimè quia ipsa Ecclesia, seu pia causa juri positivo se non agnoscit subjectum, sed attendit naturalem veritatem, ideoque intrare debet regulam, quod quisque juris &c. ut pluries advertitur sub titulo de testamentis. Controversia verò adhuc pendet indecisa.

SPOLETANA SUCCESSIONIS

PRO JACOBO TORTO

CUM ALEXANDRO DE ALBERTIS ET VINCENTIO DE TORTIS.

Casus disputatus coram A. C. seu Prælo deputato, incertus est exitus.

An & quando per secundum legatum contentum in codicillis, censetur ademptum, seu diminutum alterum legatum in testamento factum eidem personæ.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 An per secundum legatum censetur ademptum primum, vel potius debeatur utrumque.
- 3 Quod sit questio voluntatis, & quomodo decidenda sit.
- 4 Ponderantur plures conjecturæ pro ademptione affirmativa, vel negativa.
- 5 De eodem &c.
- 6 De alio casu controversiæ, & quando per secundum legatum specierum comprehensarum sub genere prius legato, istud censetur ademptum, vel reformatum.

D I S C. III.

Propertius de Anticis, scriptis hæredibus Cinthia, & Julia fororibus, Jacobum autem & Vincentium nepotes ex Julia altera forore prædefuncta instituendo in unica portione æquali fororibus viventibus, ita servando ordinem intestatæ successione; Alexandro dictæ Cinthiæ filio legavit prædium, sub onere assumendi cognomen & insignia; Cum autem casus dedisset mortem prædictarum Cinthiæ, & Juliæ, idcirco in codicillis hæreditatem reliquit pro medietate dicto Alexandro, & pro altera medietate præfatis Jacobo & Vincentio; Quarè inter istos, plures ortæ sunt controversiæ, inter quas fuit ista, an scilicet Alexander præcipuum obtinere deberet dictum legatum in testamento sibi relictum; Habitaque unica disputatione coram A. C. seu Prælo Judice deputato, non aucti amplius actum de causa; Vel quia concordata fuerit; Vel quia defensores mutaverit, neque vidi jura alterius partis, ideoque judicium pro veritati desuper esformari non potuit.

In hac igitur disputatione; Scribens pro Jacobo, more Advocati ad causæ oportunitatem, admittebam, quod stante diversitate scripturarum, ac rerum, adeo ut subjectæ materiæ duplicatio non resisteret, regula assisteret duplici, ac resisteret ademptioni, seu transfusioni prioris legati in secundam, ad communiter notata per DD. in l. quinquaginta ff. de probat. & in l. Lucius 1. ff. de legat. 2. & l. si pluribus §. 1. ff. de legat. 2. & alibi ex plenè ac elaboratè deductis per Fab. de Ann. consil. 91. per tot. ubi omnes opiniones recensentur Menoch. lib. 4. præsumpt. 167. & 173. Mantic. de conjectur. lib. 12. tit. 2. & tit. 4. & Rota dec. 41. num. 3. & sequent. & plenius dicitur 309. num. 50. cum sequent. part. 9. recent.

Dicebam tamen, quod ista, prout ferè omnes aliæ ultimarum voluntatum questiones, hodiè non videntur amplius juris, sed sunt solum facti & applicationis; Controversia enim inter DD. est in omnino ambigua, & quando particulares conjecturæ, vel facti circumstantiæ diversam disponentis voluntatem non ostendant, secus autem ista accedente, cui omnes jurium dispositiones, ac DD. traditiones cedunt, itaut dicatur more conjecturalium materia reposita in Judicis arbitrio potissimum regulando ex facti circumstantiis, in quarum defectum recurrendum est ad regulas, seu præsumptiones juris, nimium etiam deservientes in concursu conjecturarum, & admiculorum hinc inde, itaut incerta sit præponderantia, quæ in ambiguo danda est illi, cui juris regulæ assistunt, ut habetur apud allegatos, ac omnes de materia tractantes.

Plures autem conjecturæ ponderabantur pro mutatione voluntatis dicti testatoris super legati ademptione, Primò scilicet ex magno temporis interstitio annorum circiter 15. inter testamentum & codicillos, per quod facilis mutatio voluntatis præsumitur, quam incontinenti Mantic. de conjectur. disc. lib. 12. tit. 1. num. 2. in fine, & tit. 4. nu. 10. Verùm ista est nimis vaga & generalis; Secundò ex mutatione status rerum ob prædecessum fororum aliorumque nepo-

nepotum; Et ista etiam videbatur levis, quoniam si viventibus adhuc fororibus proximioribus, ac prædictis, testator hoc legatum nepoti ex forore jam honorata relinquere voluit, non videtur urgere congrua ratio ademptionis; Tertio more Advocati arguebam ab incompatibilitate, quoniam si Alexander per codicillarem dispositionem effectus erat hæres, vel saltem fideicommissarius universalis in ejus quota, non poterat esse legatarius particularis in toto prædio, cum actio, & passio non dentur in eodem subiecto, neque legatum ad seipso præstari possit; Allegando ad id (more Consulentium pro ornatu scripturæ) quamplura jura, & auctoritates super hujusmodi notoria, & indubitata propositione: Verum istud quoque motivum nullius ponderis, ac omnino fallax erat, quoniam implicanti procederet, ubi institutus esset hæres infolidum, itaut à seipso legatum recipere deberet, secus autem, dum habebat cohæredem; Quarto deducebam regulam, ut per alienationem, vel dispositionem omnium bonorum censetur ademptum legatum particulare sub genere comprehensum ex deductis per Menoch. dicta præsumpt. 167. nu. 19. Adhuc tamen id leve videbatur, cum dispositio universalitatis bonorum in codicillis contenta, rectè compatibilis esset cum hoc legato, eodem modo, quo in testamento ita compatibiliter de reliquis bonis hæreditariis ad favorem institutorum dispositum erat; Quintò ex motivo regularitatis servandæ, potissimè, quia pinguius (sequendo opinionem Accursii) dispositum erat ad favorem legatarii, quàm si ab intestato successisset, cum tunc attendi potius debuisset magis receptæ opinio Azzonis; Connectendo cum ista conjectura ponderationem, quod secunda provisio est pinguior, undè facilius intrat limitatio regulæ desumptæ ex textu in d. l. quinquaginta, quæ proprie intrat, quando aliàs exclusiva duplicatione una ex duabus dispositionibus remaneret fatua, & inanis, ut bene de materia, seu intellectu dicti textus habetur per Rot. dicta dec. 41. nu. 53. & seq. & dec. 309. nu. 26. cum seqq. p. 9. recent. Verum neque ista conjectura stringebat, quoniam scuti in testamento, firmo remanente legato, testator in reliquo assè, ordinem intestatæ successione ad favorem legitimorum hæredum servare voluit, ita immutatis personis, idem fecit in codicillis, absque alia ejusdem ordinis alteratione, nisi quod sequitur est magis opinionem Accursii quàm Azzonis, undè hæc secunda dispositio videtur regulanda à præcedenti testamentaria, per quam, legitimorum ab intestato succedentium vocatio, facta est compatibiliter cum dicto legato.

Quarè illa videbatur unica conjectura alicujus momenti, quæ resultabat ex dispositione partis dicti prædii ad favorem Agnetis neptis ex Tullia altera forore defuncta in solo usufructu; cum expressa dispositione, ut ea defuncta consolidaretur cum proprietate ad favorem dicti Alexandri, Jacobi, & Vincentii hæredum, undè clara videbatur deduci voluntas, quod prædium, non sub legato, sed sub universa hæreditate veniret, atque stante ista efficaci conjectura considerabiles dicebam etiam aliàs superitis recensitas insimul ponderandas in istius corroboracionem, quamvis singulariter essent leves, ex consuetâ regula, ut singula, quæ non profunt &c.

Licet enim satis me torqueret contraria conjectura desumpta ex contemplatione agnationis, dum testator dicto prælegato adiecit onus assumptionis cognominis & familiariz pro perpetua ejus conversatione; Nihilominus dicta altera conjectura videbatur magis specialis; Accedentibus etiam tot aliis generalibus, illis præsertim notabilis distantiz temporis, ac mutationis personarum, ac etiam quia si testator eandem intentionem de tempore codicillorum habuisset, verisimiliter idem onus repetuisset in magis pingui dispositione facta ad favorem ejusdem Alexandri, ac etiam verisimiliter idem ordinasset cum aliis nepotibus; Verùm hæc omnia ponderabam per discursum absque mei iudicii efformatione, dum altera parte non audita, defuit occasio maturioris examinis veritatis.

In eadem materia, unicum pariter disputationem habui coram A. C. cum incerto exitu in una Ravennaten. legati pro Achille Mattarello cum Lucretia Lupatella; Nicolaus enim Mattarellus scripto hærede Achille, in eodem testamento reliquit ad vitam pro habitatione Lucretiæ uxori appartamento superius suæ domus una cum granario, columbario, aliisque mansuiculis vulgò camerini; In codicillis autem postmodum confectis, reliquit Antonio Mattarello unam aulam in dicto appartamento, una cum coquina, & dictis mansuiculis vulgò camerini, Card. de Luca Lib. XI.

reliquit dictæ uxori ad usumfructum, seu habitationem; Undè propterea orta est controversia, an dictæ legatariz deberentur etiam granarium, & columbarium, de quibus in testamento, vel potius sola codicillaris dispositio attendenda esset utpotè prioris ademptiva, seu reformativa.

Pro hærede autem scribens, dicebam, quod cum ageretur de legato, vel ratione causæ, vel ratione materiæ non admittente duplicationem, certa videbatur conclusio, ut per legatum magis diminutum in codicillis factum super eadem re, censeretur ademptum illud plus, quod in priori testamento ad favorem ejusdem legatarii continebatur juxta textum expressum in l. liberti. ff. de alim. & cibariis. legatis, ubi cum testator tribus libertis decem mensuros pro alimentis reliquisset, si postea in codicillis, omnibus libertis septem mensuros relinqueret, prius legatum moderatum videtur, ibique gloss. verb. relicta sit, pleraque deducit jura concordantia, cum quibus pertranseunt Bart. Jas. & cæteri in l. non ad ea §. ultimo ff. de condit. & demonstr. l. cum centum ff. de alim. legat. & in l. quinquaginta ff. de probat. ac alibi; Atque ejusdem textus dispositio in proposito etiam contra Ecclesiam, seu piam causam ponderatur in Romana præfati legati coram Ghislerio dec. 10. part. 10. recent. ubi cum testator prius se declarasset relinquere Ecclesiæ scuta mille auri, deinde verò reliquisset scuta mille monetæ, nedum excluditur duplicatio ob unitatem causæ, sed firmatur, ut hæc secunda dispositio attendenda sit; Licet ista decisio vere non percutiat casum, cum præcipuum illius fundamentum consistat in eo, quod prior dispositio contenta solum esset in lapide, quem super ejus sepulchro testator vivens apposuerat, ideoque dicenda non esset perfecta, utpotè indicans potius velleitatem, ac futuram voluntatem).

Et magis, quia in secundo legato testator enumeravit aliam officinam in primo non contentam, nempe coquinam, ex qua posteriori denominatione videtur ad istam se restringere voluisse juxta text. in l. Seja ff. de fundo instrudo, in cujus casu, testator reliquerat Scjæ fundos instrudos cum suis villicis & reliquis colonorum, sub quo legato veniebant omnia, quæ pro patrisfamilias quotidiano usu in fundo erant, & tamen si in codicillis eidem relinquerat eosdem fundos cum supellectilibus, pecude, villicis, cum reliquis colonorum, & apotheca, deciditur, quod non debetur amplius, quam in codicillis contentum est, eo quia per hanc secundam dispositionem cum enumeratione specierum, censetur à primo recessum, & quem textum expendit Cyriac. lib. 1. observat. cap. 2. 7. Quoties enim posterius legatum continet qualem qualem diversitatem a primo, tunc istud censetur in illud transfusum ad text. in l. cum centum ff. de alim. legatis, & l. cum non ad ea ff. de condit. & demonstr. Bellon. Jun. consil. 15. numer. 16.

Ponderabam etiam pro præmissorum corroboracione aliquam distantiam temporis inter testamentum & codicillos, ex qua facilius mutatio voluntatis præsumitur Mantic. de conjectur. lib. 12. tit. 4. num. 10. ac alibi eod. tractat. Necnon satis considerabilis videbatur causa minuendi, ex eo quod legataria per plures dies virum languentem dereliquisset, & de quo constabat, quod ipse conquestus esset, quæ causa etiam ex sola juris dispositione reputatur sufficiens ad inducendam præsumptam ademptionem ex deductis per Mantic. de conjectur. lib. 12. tit. 2. nem. 18. in fine; Concurrente etiam expressa alteratione prioris legati; Tum in diminutione, dum ejusdem appartementi duas aulas Antonio in codicillis reliquit; Tum etiam quia super residuo dictæ uxori relicto, adiecit in codicillis quoddam prænale præceptum, quod in testamento non continebatur.

Difficultas tamen mea (reflectendo ad veritatem) erat in facto, an scilicet dicta duo membra controversa, granarium, & columbarium, ita connecterent cum dicto superiori appartamento, ut sub ejus generica expressione aliàs venirent, itaut particularis mentio esset potius expressio ejus; quod tacitè inerat, vel contra, cum in primo casu stante illo verbo generico residui importante universalitatem totius appartementi; satis dubitari posset de applicatione theoricæ desumptæ ex dictis juribus, in quorum casu certa erat diminutio inter unam, & alteram speciem; Defuit autem occasio id maturius examinandi.

ROMANA PECUNIARIA,
SEU LEGATI DE BENEDELLIS
PRO HÆREDIBUS ANTONII BENEDELLI
CUM MARINO NATO.

Discursus pro veritate.

Revocato primo testamento per secundum, an revocata censentur omnia legata in primo contenta; Vel potius aliqua adhuc debeantur.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
- 2 Resolutio causæ.
- 3 Revocatio prioris testamenti per posterius procedit etiam in piis dispositionibus.
- 4 Sed possunt deberi legata prioris testamenti.
- 5 Cessante causa ademptionis, cessat ademptio.
- 6 Quando legatum censetur impletum in vita.
- 7 Quod per secundum testamentum revocetur primum.
- 8 Fortius in legatis, quam in institutione.
- 9 Ampliatur.
- 10 Quando id limitetur.
- 11 De confirmatione tacita ex conjecturis.
- 12 Quando dicta confirmatio cesset.
- 13 Legata præventivè adimpleta in vita, non debentur.
- 14 An legatum liberationis à debito censetur ademptum ob illius exactionem.
- 15 An dispositio valeat, si adest falsa causa.
- 16 De eodem.
- 17 Quando verba enunciativè prolata à testatore attendantur.

D I S C. LIV.

Antonius Benedellus, in primo testamento condito de anno 1641. inter quamplura legata, unum fecit Marino Nato ejus amanuensi, seu adjutori, suppellectilium domus, ac liberationis à debito scutorum 1500. ex causa mutui; Morti autem proximus de mense Decembris 1642. prævia dicti testamenti, omniumque aliarum dispositionum revocatione, aliud condidit testamentum, in quo declaravit se in dicto penultimo testamento quamplura legata diversis personis fecisse, quæ ex eo, quod vivens adimpleverat, non renovabat; sed revocabat, atque ad tres vel quatuor dies, ordinatis interim quibusdam codicillis, obiit; undè comperto, quod dictus Marinus erat hæreditatis debitor de scuto 1630. illum hæredes pulsarunt coram A. C. à quo sententiam condemnatoriam obtinuerunt, sed introducta causa appellationis in Rota coram Arguelles sub die 22. Martii 1650. prodit resolutio super dictæ sententiæ infirmatione ex capite injustitiæ pro rata scutorum 1500. stante liberatione in priori testamento ut supra relicta, non attempta ejusdem testamenti, ac legatorum in eo contentorum revocatione per posterius; Licet enim regula sit, ut ex posteriore testamento, præcedens, omnia que in eo contenta ex sola juris dispositione quamvis expressa revocatio non accederet, corrumpantur, ad text. in §. sed & si quis priore instr. quib. mod. testam. instr. mentur cum satis notis concordantibus, multo magis accedente revocatione expressa, quod magis communiter receptum est procedere etiam in legatis, & dispositionibus ad pias causas, rejecta sententia volentium, ut in istis specifica & individua mentio requisita sit ex deductis per Rovit. dec. 56. & concl. 93. lib. 2.

Nihilominus id procedit, nisi appareat, quod diversa fuerit testatoris voluntas, quæ etiam conjecturalis; confirmata legata in priori testamento revocata contenta, ad text. in l. licet Imperator ff. de legat. 1. leg. cum proponatur ff. de leg. 2. Cæph. consil. 73. n. 22. Menoc. consil. 176. n. 3. Afl. consil. 44. n. 14. cum aliis in decisione desuper extensa per Albergatum in locum Arguelles interim defuncti suffectum, & sub cujus nomine decisio edita est.

Voluntas autem prædicta desumebatur ex ratione in posteriore testamento adjecta, circa non renovationem, sed revocationem legatorum, quia scilicet per ipsum viventem impleta, & satisfacta erant, undè propterea procedit cum dilemmate, quod Aut testator intellexit implevisse istud legatum tanquam liberationis operantis ipso jure, atque non exigentis aliud implementum positivum, & tunc plana est voluntas; Aut id non intellexit, & tunc tanquam causa finali revocandi, illud non venit sub

dicta revocatione, ex regula, ut cessante ademptionis causa, cessare quoque debeat ademptio ad text. in l. finali ff. de hæred. instr. glof. in §. sed & si quis verb. expressum instr. quib. mod. testam. instr. mentur cum concordantibus apud Menoch. consil. 857. nu. 9. Rovit. consil. 55. nu. 4. lib. 2.

Inclinatur autem in priorem partem dilemmatis, quod scilicet intellexit dictum legatum, ita impletum, seu satisfactum esse, ponderata particulari affectione testatoris erga legatarium, undè propterea verisimile est, quod quemadmodum reliqua omnia legata facta aliis minus dilectis vivens implevit, ita istud sic impletum esse intellexerit; Constituendo etiam fundamentum in aliquibus testibus deponentibus pluribus audivisse à testatore, quod Marino deponerat scuta 1500. quæ est eadem summa dicto legato correspondens, cui verbum donare adhuc congruit; Tum quia legatum est donatio à defuncto relicta, ab hærede præstanda; Tum etiam quia adimplendo in vita, magis donasse, quam legasse censetur, ut liquet ex dicta decisione.

In hoc statu hæredes, ad effectum deliberandi, an cedere, vel prosequi deberent, seu ad concordiam devenire, me tunc circa susceptæ professionis initia, utpotè minus occupatum, atque in majori studiorum fervore constitutum (ut Curia consuetudo est) requisierunt, ut pro veritate indagarem, an fundamentum decisionis prædictæ subsisterent, necnè, stante præsertim, quod in contrarium judicatum fuerat per Prælatum magnæ existimationis, tam quoad doctrinam, quam quoad integritatem; Petendo etiam, ut videretur, nedum super dicti legati liberatione, de quo solum agit decisio, sed etiam super altero legato mobilium domus, in quo legatarius erat actor.

Pro hæredibus contra legatarium in omnibus respondendum censui, innixus principaliter dictæ regulæ, quod per posterius testamentum censetur prius revocatum cum omnibus in eo contentis, quamvis nulla mentio fieret ex superius allegatis cum aliis per Surd. consil. 350. nu. 9. & 414. nu. 22. Gratian. discept. 605. n. 11. cum sequent. Quinimò facilius est revocatio legatorum, quam institutionis hæredis, adeout stare simul possint, ut institutio per posteriorem dispositionem utpotè minus solemnem, vel aliàs defectivam non remaneat revocata, & tamen revocata sint legata, ut post Bart. Bald. & alios Surd. consil. 320. n. 11. cum aliis apud Rot. in Reggien. bonorum 23. Januarii 1647. coram Corvado §. & denum, ubi quod etiam ex actu nullo, minusque solenni probatur ademptio.

Dictaque regula procedit, quamvis testator in posteriori testamento unum ex legatis in priori contentis expressè revocaverit, aliis sub silentio involutis, non enim exindè resultat argumentum à contraria sensu super confirmatione eorum, quæ revocata non sunt, quoniam illa si non revocantur ex facto hominis, dicuntur revocata ex facto legis Castrenf. in l. heredes palam §. si quis ff. de test. Mantic. de conject. lib. 12. tit. 1. n. 36. Surd. consil. 350. n. 9. Gratian. dicta disceptat. 605. nu. 11. & seq. unde propterea quoties non urgeant conjecturæ, vel adminicula suadentia diversam testantis voluntatem, quæ totum facit, atque per legatarium probanda est, fundata remanet hæredis intentio.

Ista autem vera theoretica ita constituta, totus punctus erat, an constaret necnè de dicta contraria voluntate limitationis productiva, de qua in præfenti dicebam non consistere; quoniam Ceph. consil. 73. & Menoc. consil. 176. cum quibus proceditur in decisione, & quibus observabam addi posse eundem Ceph. consil. 74. Nattam in eodem casu consulentem consil. 483. & seq. & consil. 527. eundemque Menoc. consil. 857. loquuntur in casu, quo testator expressè declarasset nolle in totum prius testamentum revocare, sed tantum in aliquibus partibus reformare, & in reliquis confirmare, tunc enim quia satis in jure dubitari potest de potestate ita disponendi, cum paganus de cedere non possit cum duobus testamentis, idcirco ad hoc objectum removendum, voluntas testatoris super confirmatione, ac subsistentia contentorum in priori testamento, in hoc operativa remanet, ut ea, quæ revocata esse voluit, censentur implicite de novo disposita in posteriore, ex quo validitatem obtineant, & sic jure confirmantis potius quam confirmati, adeout prius testamentum, in partibus non revocatis, habeatur tanquam pars, seu codicillus ultimi, ut probatur per eisdem, & per Surd. consil. 230. plenè Altograd. consil. 78. & 79. lib. 1.

In præfenti autem nulla accedebat expressa voluntas appro-

approbativa contentorum in priori testamento, idcirco dicebam, quod non versaremur in casu dictarum auctoritatum, quæ propterea directè ad rem facere non videbatur.

Et quamvis superius allegata glof. in §. sed & si quis verb. expressè instr. quib. mod. testam. instr. mentur, cui innititur Menoch. dicto consil. 176. nu. 3. & consil. 857. sub nu. 9. firmet, ut etiam ex tacita, & conjecturata voluntate, dicta confirmatio resultare possit. Nihilominus adhuc observabam, ut nimium de hoc fundamento dubitari posset; Tum quia dicta glof. ita simpliciter intellecta, minus vera videtur propter exemplum ab eadem adductum, in quo se restringit ad falsitatem causæ, ut observat Cypriac. controv. 160. nu. 45. ubi in specie illam resellit, firmando antecederet num. 10. & seqq. ut ad tollendam legalem revocationem primi ex secundo resultantem, requiratur voluntas expressa, (super cujus tamen assumpti veritate nihil firmandum censui); Tum etiam quia tam glof. quam Menoch. loquuntur, ubi agatur de revocatione tacita à sola legis dispositione resultante ob præsumptam testatoris voluntatem, quoniam tunc voluntas præsumpta cum alia præsumptione tolli potest, ut bene idem Menoch. dicto consil. 176. sub n. 3. vers. quocirca, & consil. 857. sub nu. 9. ideoque posita dictarum auctoritatum veritate, cessabat earum applicatio ad casum.

Præterea posito etiam, quod tacita, & conjecturalis voluntas in proposito sufficeret; Adhuc tamen non assis-
12 bebatur factum, ex cujus circumstantiis contrarium potius evidenter probari videbatur, quoniam per eosdem testes à legatario inductos probabatur, quod testator illo intermedio tempore inter primum, & secundum testamentum, præfato legatario donaverat diversis vicibus scuta 3. m. & ultra, undè propterea rectè verificabatur causa, seu ratio implementi per ipsum expressa; Quinimò stante hac facti circumstantia dicebam, quod etiam prius testamentum revocatum non esset, omniaque præmissa cessarent, adhuc non improbabili prætendi posset, ut dicta legata utpotè per ipsum testatorem viventem præventivè impleta amplius non deberentur ex deductis per Magon. decis. Lucen. 28. Franch. decis. 422. Gregor. & Adlen. dec. 236.
13 & in Romana legati scutorum 500. n. 11. Martii 1640. coram Dunozetto inter suas decis. 579. & in eadem 17. Junii 1644. coram Cerro, quæ quo posteriores sunt impressæ decis. 41. & 309. par. 9. recent. Quidquid enim esset de veritate dicti assumpti super tacita ademptione resultante ab implemento, quod ex aliis titulis per testatorem factum esset in vita, super quo Rota in allegatis decisionibus variavit, ac revera certa, & determinata regula tradi non potest, cum sit questio voluntatis, & facti, ex istius particularibus circumstantiis in singulis casibus diversimodè decidenda, nihilominus in præfenti deducebatur tanquam per argumentum à fortiori, & de hoc habetur particulariter actum supra disc. 51.

Accedebat etiam considerabilis circumstantia, quod illud debitum, cujus liberatio in primo testamento relicta fuerat, præsupponebatur de tempore secundi in majori parte exactum, itaut dicta sententia condemnatoria esset pro debito contracto ex alia causa, undè intrare poterat inspectio, an per subsequutam exactionem censetur ademptum legatum liberationis, quamvis primum testamentum non esset revocatum ex deductis per Mantic. de conject. lib. 12. tit. 2. nu. 19. Gratian. discept. 251. cum aliis supra disc. 48.

Motivum autem falsæ causæ adjectæ in revocatione legatorum, seu istius causæ cessatio in controversis legatis, neque videbatur considerabile, quoniam ea, quæ in hujusmodi terminis dicuntur per DD. procedunt ubi testator ignorat, quod causa allegata esset falsa, tunc enim ratione erroris excluditur voluntas; Secus autem, ubi ipsi bene sciant, an ea sit vera necnè; Puta quia agatur de re consistente in facto proprio, ut in præfenti; Tunc enim dispositio valeat non obstante causæ falsitate ad text. in l. demonstratio §. 1. ff. de condit. & demonstr. cum concordantibus per Mantic. de conject. lib. 6. tit. 14. post n. 15. Capyc. Latr. consil. 85. nu. finali.

Item considerabam, ut tunc ea, quæ dicuntur de falsa causa adimendi, locum habeant, quando agitur de ademptione legatorum contentorum in testamento valido, & non revocato, adeout principalis inspectio consistat in ipsa ademptione, qua cessante, legatum subsisteret, ac deberetur jure suo tanquam contentum in testamento, seu alia dispositione valida, adeout consideretur cessatio ademptionis tanquam remota obstaculi, seu impedimen-

ti in ea re, quæ aliàs non impedita, mater sua procederet; Ubi verò testamentum, seu alia principalis dispositio non subsistit, undè propterea, etiam si nulla legatorum ademptio, vel alia mentio fieret, illa corrueret, tunc intrare non videntur argumenta super superflua expressione eorum, quæ jam de jure inerant, sed legatario habenti contra se regulam, incumbit onus probandi diversam voluntatem, ob quam à dicta regula recedatur; Neque occasione istius disputationis, inspectis auctoritatibus in dicta decisione allegatis, ac aliis, quæ per Scribentes pro legatario deducebantur, comperiebam quod adest auctoritas, quæ istos terminos percipiat.

Hinc ponderabam, quod non bene in eadem decisione ponderarentur testes ad id inducti, licet singulares, ac alii in persona, & dicto defectivi, utpotè solum deservientes pro declaranda testatoris ambigua voluntate, quoniam posita cessatione omnium legatorum, quæ in testamento revocato continentur, adeout eorum aliqua subsistere oporteat tanquam novam voluntatem, quæ robor, ac efficaciam recipiat à secundo testamento, in quo virtualiter, ac implicite id contineri diceretur; quoties id per testes faciendum est, cum agatur de probando novam voluntatem, requiritur numerus solemnium juxta receptam distinctionem, de qua sæpius sub titulo de testamentis; Ac etiam quia in verbis incidenter, & enunciativè prolatis per testatorem, fieri non potest solidum fundamentum, nisi prolata sint in ipso actu ordinandi ultimum testamentum validum, seu post illud ordinatum; Secus autem si antea, cum tunc proferri potuerint, cum præsupposito, quod effectum fortiri deberet primum testamentum, ut apud Capyc. Latr. consil. 143. nu. 46. & sequent. de Marin. resol. quotid. 95. nu. 23. Buratt. decis. 616. nu. 10.

Quid autem sequutum sit, incertum remanet, cum amplius de controversia actum non audierim; Puto autem, quod concordia eam terminaverit, seu quod per alios defensores tractata sit.

A VENI O N E N. L E G A T I
PRO DOMO CHARITATIS, SEU ELEEMO-
SYNA GENERALI AVENI O N E N.
C U M J O A N N E B A P T I S T A.

Responsum pro veritate.

An, & quando per alienationem rei legatæ ab ipso testatore post testamentum factam, resultat legati ademptio, necnè.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
- 2 Quomodo ista questio decidenda sit.
- 3 Undè resultat decisionum diversitas.
- 4 De modo judicandi, vel consulendi remissio.
- 5 De eodem, de quo num. 2.
- 6 Traditur regula, seu theoretica generalis cum distinctione casuum.
- 7 Illa cessat ex diversa voluntate.
- 8 De circumstantiis probantibus ademptionem.
- 9 De eadem, & an legatum fructuum sit idem quod ususfructus, & minus.
- 10 Quod dari possit perpetua alienatio fructuum sine alienatione ipsius rei.
- 11 Qualitas testatoris est nimium consideranda, an sit literatus, vel illiteratus.
- 12 De modo interpretandi legatum magis favore hæredis, quam legatarii, & è contra.

D I S C. LV.

Melchior de Bus, instituta hærede Domo charitatis, vel elemosynæ generalis Civitatis Aven. legavit Jo. Bapt. ex fratre uterino nepoti, fructus, ac redditus cujusdam prædii, sub ea lege, ut eis frui non posset usquequo ad ætatem 30. annorum pervenerit, aut matrimonium contraxerit, sed interim dicti fructus per dictum hæredem, ejusque administratores, erogari deberent in emptionem tot bonorum, vel capitalium ad commodum dicti Joannis Baptistæ, quo defuncto, prædium ad hæredem reverti, seu spectare deberet, remanentibus solum ad commodum legatarii dictis investimentis factis ex fructibus.

Post testamentum per annum cum dimidio ante obitum, testator voluntariè illud vendidit, majori parte pretii re-

tii recepta in pecunia numerata, habita fide de residuali parte, cum ad biennium, Hinc propterea pro veritate consul- tus sui, an, & quale jus dicto legatario competeret, vel potius dictum legatum pro rei alienationem ademptum esset.

Respondi idem quod in hoc eodem articulo *disc. precedenti*, ac generaliter ferè in omni hac legatorum, aliarumque ultimarum voluntatum materia habetur, quod quidquid nostri cum regulis generalibus, desumptis ex aliquibus iuribus, vel majorum traditionibus, earumdemque regularum limitationibus, & sublimitationibus, seu declarationibus, se involvant; se Veriùsest, ut certa & determinata regula generalis cuiusque casui applicabilis desuper tradi non possit, quoniam cum sit questio voluntatis, à qua totum pendet, eique omnes juris regulæ cedunt, hinc de consequenti est facti, & applicationis potius quam juris, ejuque in singulis casibus diversimodè pendet decisio ex eorum qualitate, & circumstantiis, ex quibus in casibus, qui similes, ac penè indentifici videantur, in uno album, in altero autem nigrum respondere congruat; Id autem ignarum vulgus non de facili percipit, atque de varietate decisionum in eodem articulo, quinimò etiam in eadem causa scandalizatur, sed malè ex rationibus, de quibus *sub tit. de iudic.* in relatione seu praxi Curia occasione agendi de Roræ Auditorio, sub cuius Rubrica generaliter agitur de Iudicibus, ac de modo iudicandi; Ac etiam sub Rubrica de Advocatis, & Procuratoribus, ubi de modo scribendi, vel consulendi, & an liceat scribere, vel causas tueri etiam contra propriam opinionem.

Et consequenter (ut sæpius advertitur) mera ineptia est, in istis, vel similibus questionibus, cum solito improbo iuristarum labore, doctrinarum, ac decisionum magnum curiculum facere, atq; ita chartas inutiliter implendo; materiam potius involvere, quam opportuna quidem, imò necessaria est notitia theoricæ generalis juris, quæ nam ex magis communi, & probabili sententia, sit regula, vel quæ sint limitationes, ad effectum, ut ita, ponderatis facti circumstantiis, congruè applicari possint activa passiva, sive quomodo colluctantibus, hinc inde conjecturis, & argumentis diversæ voluntatis, quæ ita omnino obscura, & ambigua remaneat, per solos iuris tramites iudicandum sit, (quod tamen nimium rarum est); De reliquo enim, totum consistit in facto, sive in applicatione congrua, ideoque magis iudicium adæquatam, quam ingenium, vel dictus improbus labor desiderari videtur.

Deducendo autem in hoc Responsio (forsan pleniori stylo, ut quandoque etiam præter genium, vel rectum scribendi ordinem in huiusmodi Responsis extrà Curiam ad satisfaciendum regionum moribus facere oportet) easdem auctoritates, quæ habentur deductæ *disc. preced.* easdemque responsiones ibidem contentas ad leges, quæ desuper pugnare videntur; Constituebam regulam, seu theoricam generalem, cum vera, & recepta distinctione, quod aut agitur de merè voluntaria alienatione, & tunc regulariter ademptio exinde resultet, sive pretium extet in specie, vel in æquipollenti, sive non; Aut verò agitur de alienatione necessaria, quæ contingat etiam in bonis stabilibus per retractum legalem, vel conventionalem juxta illas retractus species, de quibus in sua materia *sub tit. de servit.* Vel in ea resolutione, quæ resultat à jure offerendi, de quo *sub tit. de empt. & vendit.* Vel à jure redimendi, quod debitori competat, de quo *sub tit. de cred.* Aut in censibus; vel locis montium cum extinctione, ac in nominibus debitorum cum solutione, &c. Et tunc, aut pretium non extat, nec in specie, nec in æquipollenti, sed verè consumptum est ab eodem testatore, & pariter intrat regula pro ademptione; Aut extat præcisè, vel æquipollenter, quia nempe investitum sit in alia bona, seu in alios effectus, qui remaneant in hæreditate, & tunc secus, quodque probabilius intret subrogatio; Nisi in omnibus huiusmodi distinctionibus partibus respectivè, diversæ voluntatis conjecturæ, & argumenta urgeant, in quorum pondere, vel efficacia, omnes forenses questiones versari solent, ut conciliando, seu declarando jura, & auctoritates, insinuantur *disc. preced.*

Ista theorica ita constituta; Quatenus pertinet ad applicationem; Respondi quod probabiliore viderentur partes hæredis pro ademptione; Primò, quia agebatur de alienatione merè voluntaria, pretio pro majori parte consumpto, seu ita commixto, ut illud in specie, vel in æquipollenti distingui non posset, residuum autem remanebat in terminis puri crediti quantitatis accidentaliter ob fidem

de eo habitam, unde propterea intrare non poterat illud argumentum voluntatis subrogandi, quod ponderatur *disc. preced.* quoties alienatio principaliter ordinetur ad aliud immediatum investimentum, quod pinguis; seu magis opportunum reputetur, cum tunc videatur potius species permutationis, quæ in substantia non importat eam alienationem, quæ bona in patrimonio annihilat.

Et secundo clariùs, quoniam legatum non erat de ipsa specie pleno jure, & in proprietate, sed solum de usufructu, seu fructibus, quod regulariter importat idem, ex deductis in Eugubina *hoc eod. tit. disc. 45.* cuius questio neq; intrabat dum in verbis exprimebatur; Quinimò minùs importare videtur legatum fructus, quam usufructus, quoniam istud importare dicitur jus, ideoq; cadit sub prohibita alienatione, quod in illo fructuum non procedit, ut potè redolens solum commoditatem, seu nudum factum ex iis, quæ habentur pluries *sub tit. de feud. præsertim disc. 61.* ac etiam *sub tit. de alienat. & contrah.* & alibi.

Et quamvis non implicet, ut etiam fructus tanquam distincti ab ipsa re, perpetuo ad aliquem pertinere possint, etiam transmissibiliter ex iis, quæ habentur *sub tit. de feud. disc. 62.* ac etiam insinuantur in dicta Eugubina *disc. 45.* Attamen id regulariter non præsumitur, ut in proximè allegato *disc. 62.* advertitur; Ac etiam, quia in hac facti specie non disputabatur de hoc principaliter, sed solum id insinubatur incidenter pro regulanda voluntate disponentis, dictaque diversa questione decidenda, cum ita in hæreditate non remaneret aliquid ex rei legatæ pretio, in quo istud legatum fructuum esset verificabile.

Ponderabam quoq; in idem eam circumstantiam, quod testator esset Jurisperitus, benè conscius de ista juris regula, ut per voluntariam alienationem, potissimè non ordinatum ad immediatum investimentum, resultaret ademptio; Cumque habuisset opportunum tempus providendi, ita magis dictæ voluntatis præsumptio à lege inducta resultare videtur, juxta ponderationem, de qua habetur præsertim *sub tit. de fideicommiss. inter testatorem litteratum, ac Jurisperitum, & idiotam, cum diversimodè unius, ac alterius voluntas interpretanda veniat; Atque pleræque aliæ quoque videbantur accedere facti circumstantiæ in idem tendentes; Quibus addebam juris generalitatem, ut in dubio stricta interpretatio contra legatariù, larga verò, seu favorabilis pro hærede faciendâ sit quoties sit verisimiliter prædictus hæres, ut in præsentî, dum concurrerant inter causam piam, & transversalem; Quamvis ista generalitas sola, & de per se absque aliis facti adminiculis, vel argumentis, pro meo sensu, modicæ, ac penè nullius ponderis esset; benè tamen considerabilis ad facti circumstantias muniendas, sive ut ex eis, huiusmodi generalitates, vel juris regulæ faciliùs intrarent, ac admittendæ essent; Isteque videtur germanus modus, quo mediante huiusmodi questiones decidendæ sunt.*

LUCANA ADEPTIONIS LEGATI.

Responsum pro veritate, suppressis nominibus.

De interpretatione ademptionis factæ in codicillis, de legato facto in testamento, & quomodo talis ademptio intelligenda sit, ubi constat, quod affectio erga legatarium non sit diminuta, sed potius dispositio ademptiva majorem arguat affectionem.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
- 2 In chartis, & expressis non intrat præsumptiones, & argumenta.
- 3 De distinctione, an testibus singularibus, vel non solemnibus probationibus in materia legatorum, & ultimarum voluntatum deferatur, & num. 8.
- 4 Inducta ob majorem amorem ad commodum, non debent operari ademptionem.
- 5 Contra ademptionem capiendâ est interpretatio.
- 6 Ea non præsumitur, & de facti circumstantiis eam excludentibus.
- 7 Affectio testatoris erga legatarium attenditur pro legati interpretatione.
- 8 De eadem conclusione, de qua num. 3.
- 9 Scriptor, vel consultor testamenti est bonus interpret.
- 10 Observantia nimium attenditur in interpretatione legatorum.
- 11 Declaratur quomodo, & quomodo id procedat.

- 12 De dispositione inter liberos.
- 13 Testi mediatori, seu deponenti de facto proprio non interessat nimium deferatur.

D I S C. LVI.

Testator, instituto hærede unico filio, duabus filiabus jam nuptis, jure legati reliquit annua scuta auri 50. pro qualibet ad vitam; Distinguo filio absque prole masculina deficiente, eisdem filiabus reliquit scuta mille auri pro qualibet declaratione adjecta, ut tali casu, dictum aliud annuum legatum vitalitium cessare deberet.

In codicillis autem, post sex annorum spatium conditis, facta magna expressione amoris, quo eisdem filias proferebatur, eisdem reliquit scuta 400. pro qualibet, solvenda statim ejus obitu sequuto; Et eodem in aliis codicillis sequenti die ordinatis, deficiente linea masculina prædicti ejus filii, singulis dictis filiabus reliquit scuta 10. mil. in quibus comprehensa esse voluit scuta mille in testamento in eodem casu relicta, revocando dictum legatum annuum scutorum 50. perinde, ac si factum non esset cum verbis revocatoris nimis amplis.

Sequuta morte testatoris; tam per tutores, vel curatores dicti hæredis minoris, quam per ipsamet factum majorem, dictum annuum legatum scutorum 50. spatio annorum circiter 12. perfolutum fuit; Postmodum verò, cum continuationem recusaret, ex fundamentis dictæ revocationis in ultimis codicillis contentæ; Hinc proinde, suppressis nominibus, neque exprimo partem, à qua consiliùm expeteretur, desuper pro veritate consultus fui.

Respondi, quod pro hærede nimium urgere videbantur verba codicillorum, quæ clarè, ac litteraliter revocationem indefinitè continet, unde propterea intraret vulgaris regula textus in *l. illæ, aut ille, s. cum in verbis, ff. de legat. 3.* quod ubi verba sunt clara, locus non est glossis, argumentis, & interpretationibus, ex deductis *decis. 44. par. 11. recent. num. 41.* & passim.

Et quamvis in facti notula supponeretur, quod testatoris uxor, ac respectivè contententium mater, per cuius organum præfactos ultimos codicillos Notarius extendit, attestaretur, quod huiusmodi revocatio ordinata esset in solum casum deficiendi lineæ masculinæ, per quam locus fieret dicto pingui legato scutorum 10. mil. atque huic attestationi accederet quoque adminiculum subsequente observantiæ.

Nihilominùs, posito quod testatoris voluntas circa dictam revocationem, in verbis esset expressa, & litteralis, dicebam quod præmissa nil prodesse, ob veram, ac receptam juris theoricam, quoad aut agitur de interpretando dubiam voluntatem, que in verbis licet ambiguis contineri potest, & tunc admittantur etiam testes singulares de voluntate defuncti informati, aliaque adminicula, & conjecturæ; Aut verò agitur de voluntate clara, quam per extrinsecas probationes destruere oporteat, ita diversam voluntatem deducendo, & tunc requiritur eadem solemnitas probatio, quæ in ultimis voluntatibus ex integro probandis de jure requiritur, ut ita distinguendo firmant (cæteri relatiæ) Mantic. *de conject. lib. 5. tit. 1. §. 5. n. 9.* Guttier. *prædict. quæst. 180.* Capyc. *Litr. consult. 143. n. 6.* & sequq. Gabr. *consil. 112. lib. 2.* Hodiern. *convov. 11. num. 83.* & sequq. Rota coram Carrillo *decis. 128. num. 24.* & sequq. *decis. 61. num. 4. p. 10. recent.* in Romana annuæ præstationis 4. Junii 1663. coram Bevilacqua. *impress. post Zuff. de legit. process. decis. 102.* & habetur pluries *sub tit. de testam.*

Potissimè, quia eadem revocandi voluntas in verbis expressè probata, adminiculum quoque recipere videtur ex notabili augmento prioris legati facti in decuplo, ac etiam ex alio legato scutorum 400. statim post mortem singulis dictis filiabus facti in codicillis die præcedenti conditis, quasi quod ita testator, cum hac summa, per unicam præventivam solutionem, dictum annuum vitalitium incertum legatum pinguis implere voluerit.

His tamen non obstantibus, pro legatariis probabilius respondendum esse censui, quoniam tam verba priorum codicillorum, quam notabile augmentum in posterioribus contentum, ostendebat, quod testatoris affectio erga filias legatarias, potius crevisset; Hoc autem posito, nullatenus præsumenda est ademptio legati certi, ob eventualem incertam alterius legati spem à testatore potius abhorritam, atque verisimiliter non speratam, cum aliàs amoris augmentum, emolumentum diminutionem caufaret, contra omnia scripti, ac naturalis juris principia.

Cessante autem probabili causa ademptionis, pro istius exclusionem semper fiat præsumptio, ideoque capiendus est omnis possibilis intellectus pro illa evitanda, *l. 3. §. in duob. ff. de adm. legat. Alex. cons. 169. num. 3. lib. 5.* & cæteri apud Menoch. *cons. 243. num. 5. & 6.* & *lib. 4. præsumpt. 167. nu. 1.* Greg. *decis. 236. num. 11.* Rota in Romana legati scutorum 50. mill. 11. Martii 1640. coram Dunoletto *inter suas dec. 569. num. 1.* & sequq. & in aliis.

De possibili autem, quinimò verò, ac germano dictorum verborum intellectu, circa dictam revocationem, accessorie solum, & consequitivè ad casum substitutionis, ob quem pinguiori legato scutor. 10. mill. locus fieret, evidenter constare dicebam ex tenore primi testamenti, in quo dispositum est, ut dictum legatum annuum cessare solum deberet in dicto casu, ideoque cum voluntatis mutatio non præsumatur, sed potius continuatio ex deductis per Menoch. & alios ubi supra, idcirco secunda dispositio à præcedenti interpretationem recipere debet, proindeq; ut dixi, revocatio, eodem themate retento ad præstatum casum referenda esset, ne daretur absurdum, ut inducta ad augmentum, operentur diminutionem, quodque crescente testatoris amore erga legatariùm, istius conditio deterior efficiatur, atque certum emolumentum diminuat, ob incertam spem non contingibilem.

Affectio enim testatoris erga legatariùm, nimium est considerabilis pro favorabili, ac benigna legati interpretatione, ut apud Carill. *dec. 303. nu. 5.* & advertitur pluries *hoc eod. tit.* Maximè ob dictam rationem, quod eventus, in cuius casu dictum pinguis legatum ordinatum fuit, erat nimium tristis, atque testatori odibilis, ab eo verisimiliter non separatus, sed potius abhorritus.

Et nihilominùs, ex præmissis dicebam negari non posse, quod huiusmodi voluntas esset ambigua, ac interpretationis capax, ut propterea, juxta veram, ac receptam distinctionem, in ratione dubitandi superius traditam, testibus etiam singularibus, aliisque conjecturis, ac adminiculis defendendum sit ex allegatis; Et in specie in dicta Romana annuæ præstationis 4. Julii 1663. cor. Bevilacqua, post Zuff. *decis. 102.* in qua nimium defertur attestationi, etiam extrajudiciali unius, per cuius organum testatoris voluntas Notario communicata fuit, ut patet ex dicta decisione, de cuius casu agitur *sub tit. de testament. discurs. 46.* Multò magis in hac facti specie, in qua agebatur de uxore, quam satis verisimile est de viri voluntate informatam esse, eaque erat etiam communis mater, quam inverisimile est, ut contra proprium filium id attestari vellet; Attenta præsertim modica summa, pro qua omnino improbabile videri dixi, ut matrona nimium qualificata, in propriæ animæ perniciem, atque contra stimulum materni amoris, minùs veram attestationem facere vellet.

Quodque testamenti, sed alterius ultimæ voluntatis scriptor, dictator, consultor, explorator, vel relator, sit optimus ejusdem voluntatis interpretæ, firmant Pedroch. *cons. 2. num. 89.* & sequq. Rovit. *pragm. 2. de Notar. num. 20.* Mantic. *de conject. lib. 3. tit. 1. num. 33.* Sim. de Præt. *de interpret. ultim. volunt. lib. 1. dub. 1. solut. 8.* & habetur *sub tit. de fideicommiss. disc. 115.* & in aliis, ac etiam *sub tit. de testam. & alibi.*

Nimium quoque conferre dicebam vehemens adminiculum subsequente observantiæ longævo spatio annorum 12. quæ in omnibus ambiguis est optima interpretæ, ac interpretationum Regina; ad textum in *dict. leg. si de interpretationem, ff. de legib. cum ibi notatis;* Et ultra generalia nota, in specialibus terminis interpretandi legati veritatem, ac substantiam ob subsequutum ejus implementum, quamvis notabile objectum Senen. Conf. Liboniani obtaret, firmatur in Romana legati 28. Junii 1658. §. final. coram Celso *inter suas decis. 272.* ad textum in *l. non dubium, C. de testam.* ubi Catr. *num. 2. & 3.* & habetur *sub tit. de testam. disc. 8.*

Licet enim istud motivum observantiæ non esset considerabile in ordine ad deducendam illam observantiam obligatoriam, quam tanquam per speciem novæ obligationis, ponderant Bart. in *dicta l. non dubium num. fin.* & cæteri, & apud Giovagnon. *cont. 7. rum. 8. lib. 2.* Magon. *decis. Florent. 58. num. 33.* & alii, cum id originariè gestum esset per tutores, vel curatores, qui non potuerunt præjudicare pupillo, vel minori, qui factus major, sequendo errorem suorum administratorum, præter voluntatem id agere potuit; Attamen dixi, id esse nimium considerabile, in ordine ad defumendum adminiculum voluntatis testat-

testatoris, cuius verisimiliter conscii præsumuntur tutores, vel curatores, quibus unicus filii educationem, atque ingentis assis administrationem commisit, nam etiam in dicta Romana legati coram Celso, confirmata etiam coram Priolo, & Verospio, de qua *d. disc. 8. de testam. solutio* consimilis annuæ, seu menstruæ vitalitatis præstationis per solum spatium aliquorum mensium facta fuerat, non per ipsum hæredem, sed per ejus absentis matrem procuratricem, & tamen id satis habitum fuit in consideratione; Ideoque omnia præmissa infimul, ac unitim combinata, cum regula in ambiguis, & conjecturalibus perpetuò, ac principaliter attendenda, ut singula, quæ non profunt, unita jurent, casus pro meo iudicio ad favorem legatariorum videbatur planus.

Omnisque difficultas cessare videbatur, quoniam non agebatur de dispositione ad favorem extraneorum, in qua requiratur probatio solemnis, sed inter liberos, inter quos sufficit probatio naturalis per duos testes, vel alias species probationis, ad communiter notata in *l. hac consultiissima, §. ex imperfecto, C. de testam.* cum concordantibus *sub tit. de testam. disc. 26. 27. & 75.* Et consequenter, ubi etiam non ageretur de faciendi interpretationem voluntatis dubiæ, sed etiam de probatione voluntatis omnino novæ, ac dispositivæ, adhuc dicta attestatio, juncta præfatis adminiculis sufficeret, quoniam testis non interessatus, & qualificatus, qui deponat de facto proprio, junctis adminiculis est sufficiens ad perfectam probationem, Rot. apud Merlin. *decis. 604. n. 11. Buratt. & Adden. dec. 111. n. 9. dec. 482. n. 3. & dec. 775. n. 5. cum seqq.*

Quamvis autem, suppressis nominibus, desuper consultus fuerim, puto tamen, quod casus esset super eo testamento, de quo habetur actum *sub tit. de legit. & detract. disc. 10.* Incertum est autem quid sequutum sit, sed credo quod hæres his acquieverit.

PERUSINA CADUCITATIS PRO MONASTERO S. BENEDICTI.

Responsum pro veritate.

An & quando legatarius, ob non implementum conditionum, & onerum adjectorum legato, ipsius caducitatem, seu privationem incurrat; Vel potius ad moræ purgationem admittendus veniat.

S U M M A R I U M.

- 1 *Acti series.*
- 2 *De decisionibus agentibus de caducitate.*
- 3 *Etiamsi caducitatis poena non sit adjecta, an subintelligatur.*
- 4 *De purgatione moræ.*
- 5 *De distinctione inter dispositionem modalem, & conditionalem.*
- 6 *De diversis speciebus contraventionis, &c.*

D I S C. LVII.

Cum testator, scripto hærede Monasterio S. Benedicti Congregationis Cassinensis, aliquorum prædiorum legatum alteri fecisset, sub lege, & conditione præstandi singulis annis eidem Monasterio certam frumenti, & vini quantitatem; Legatarius autem, qui in primis annis adimpleverat, per aliquos subsequentes defecisset; Hinc Monasterio coram Ordinario, ex consilio Sapientum de partibus, super caducitate à legato, dictorumque prædiorum vindicatione, iudicium instituit, quo pendente, cum iudex ostenderet difficultatem habere; Hinc ex parte ejusdem Monasterii, communicato Responso ejus defensoris, in quo probabatur dicta caducitas, meum pro veritate petitum fuit consilium, quod fuit, ut jam oblatas decursas annualitates reciperet, atque ab ulteriori litis prosecutione abstineret, cum non videretur opus in foro sustentabile, quodque lis, evidenter temporis, ac expensarum jacurum contineret.

In Responso autem, seu informatione communicata, elaboratè quidem, ac ingeniosè, cum eo tamen superfluo conclusionum, ac allegationum cumulo, qui extrà Curiam conaturalis videtur, in effectu deducebantur ea, quæ habentur in tunc de recenti edita decisione Neapolitanæ hereditatis 27. Januarii 1669. coram Carpineo in casu, de quo agitur *sub tit. de fideic. disc. 154.* & quæ decisio ad manus ob-

venta, forsan huic litis excitationi ansam dedit, ut frequens praxis docet, dum in hac facti specie, præceptum super implemento dictorum onerum conceptum quoque fuerat per verba expressè conditionem denotantia ibi, *con conditione però, &c.* Ita cumulando ea, quæ habentur etiam apud Dunozett. *dec. 882.* & in aliis concordantibus, de quibus in dicta recentiori decisione.

Dicebam igitur, quod ubi etiam dicta decisio admittenda esset tanquam vera in casu suo, cuius contrarium est probabilius, ex deductis *disc. 154. de fideic.* illaque ad litteram attendenda esset, adhuc tamen (istum ineptum stylium insequendo,) non erat applicabilis ad casum, cum in illo decisionis, in casu contraventionis expressè adjecta esset poena caducitatis, dato etiam substituto; In presenti autem nullum ex his legebatur.

Et quamvis admitterem veritatem conclusionis, super qua idem Scribens nimium elaboratè prolixius instabat, ut etiam testatore poenam caducitatis expressè non adjectante, adhuc tamen præclusum non sit iudicis officium in hac parte supplere hanc partem omisam verisimiliter à testatore volitam, ex auctoritatibus, de quibus supra ista conclusio habetur *ead. tit. de fideic. disc. 7.* ac in decisionibus in ea causa editis, At tamen advertebam, quod æquivocum clarum erat in applicatione, quoniam ex deductis *ead. disc. 7.* id rectè procedit, quando prævia iudicis monitione, subsequatur talis contumacia, seu protervia, quæ malitiam redoleat, ac spiritum positivum voluntatis testatoris, adeòque resultat ingratitudo, quæ legatarium, seu aliàs ex diverso titulo obtinentem reddat hoc beneficio indignum, quod in presenti dici non poterat, dum legatarius initio iudicii, illicò totum obtulit, atque ad moræ purgationem admitti petiit.

Si etenim juxta ea, quæ pluries habentur in sua materia *sub tit. de emphyt.* etiam in materia emphyteutica, in qua strictius proceditur, utpotè in contractibus, præsertim verò, ubi ageretur de primo investito, in quo propriæ obligationis conventionalis, ac præfatis fidei violatio ita accederet, adhuc ea recepta æquitate canonica, quinimò juxta unam opinionem, etiam ex intentione juris civilis admittitur purgatio moræ; Multo magis in ultimis voluntatibus, in quibus absque dubio longè benignius proceditur.

Ad distinctionem autem ex dicta decisione Neapolitana desumptam, in qua, idem Scribens nimium, ac principaliter insistebat, quod scilicet ea, quæ habentur de dolo, vel malitia desiderandis ad effectum caducitatis, procedant ubi agitur de dispositione modali, quæ cœnam formalem importet, non autem ubi ea concepta sit per viam conditionis, ut in hac facti specie verba denotabant; Respondebam eadem, quæ latius deducta habentur *dicto disc. 154. de fideic.* ac etiam in Foroliviens. donationis *sub tit. de donat. in supplemento, & sub tit. de testam. disc. 73.* ac etiam *sub tit. de matrim. & alibi,* quod in hoc proposito, immorandum non est in littera, sive in sensu, vel significatione grammaticali verborum, sed in substantia veritatis, an scilicet implementum conditionis, vel oneris præcedere debeat emolumentum acquisitioni, adeòque (quemadmodum nostri dicere solent) illud adjectum sit à parte antè, unde propterea non implementum se opponat principio acquisitionis, nullumque causet legatario, vel alteri, cui illud injunctum est, damnum, vel præjudicium in bonis propriis, vel jure quæsto, sed solum impediatur jus quærendum; Vel è converso implementum sit successivum, atque supponat præcedentem emolumentum acquisitionem, utpotè ex ejus fructibus cum tractu successivo faciendum, ideòque dicitur adjectum à parte postè, cum tunc importet poenam formalem privationis; Primò etenim casu dispositio dicitur conditionalis, quamvis verba in sensu litterali, seu grammaticali modum significarent; In altero autem dicitur modalis, quamvis verba in eodem sensu litterali, seu grammaticali importarent conditionem, quoniam in hac materia, substantia veritatis, seu dispositionis natura, non autem verborum formalitas attendi debet, ut locis citatis advertitur.

Ideòque cum in hac facti specie ageretur de implemento à parte postè, cum tractu successivo præsupponente etiam pernecessè executionem dispositionis, & acquisitionem honorum, ex ejus fructibus illud faciendum erat, ita sine dubio in secunda distinctionis parte versabamur; Potissimè verò, dum neque poena adjecta erat ab homine, sed ex officio iudicis illam supplere oportebat ex intentione legis, quo casu strictius proceditur.

Ponderabam quoque, quod in hoc proposito, notabilis differentia constituenda sit inter illam speciem contraventionis,

tionis, quæ de sui natura quemdam spiritum testatoris, vel benefactoris redoleat, puta deferendo ejus nomen, ac insignia, vel similem actum faciendū ex ponderatis *disc. 7. de fideicom.* Et hujusmodi contraventionem resultantem à non solutione alicujus præstationis, quæ negligentia, vel inopia, seu incommoditati referri valeat, ideòque pariter erroneum est in hac materia, cum generalitatibus procedere, cum decisio pendeat à facti qualitate, & circumstantiis spiritum positivum redolentibus, necne; Illeque videtur modus decidendi hujusmodi quæstiones.

ANNOT. AD DISC. LVII. & LVIII.

DE materia caducitatis ratione contraventionis, videri poterunt adnotata *ad disc. 116. de fideic.*

SENESE LEGATI PRO CATHARINA.

Responsum pro veritate.

An legatum, seu alia dispositio facta ad favorem puellæ adhuc non nubilis pro quando erit in certa ætate, ac nubet, debeatur, si ante illam ætatem nubat, vel potius caducitas intret; Et de interpretatione legati, seu dispositionis, ut uxor testatoris tractari debeat eo modo quo ipso vivente tractabatur.

S U M M A R I U M.

- 1 *Acti series.*
- 2 *Puella, si nubat ante ætatem à testatore præfinitam, an adhuc legatum consequatur, vel intret caducitas.*
- 3 *Assequitur, sed actio non est exercibilis, nisi post superventam ætatem.*
- 4 *Quando dictum tempus adjectum dicatur pro præfinita conditione, vel potius pro dilatione, & executione, & num. 9.*
- 5 *Contraventio an operetur caducitatem, si ista adjecta non fuerit.*
- 6 *Conditiones respicientes matrimonii libertatem, an vitent, vel vitentur remissè, & num. 11.*
- 7 *In his, quæ per legem reprobata sunt, vel intret dubitatio reprobationis, non est præsumenda voluntas.*
- 8 *Quod sub genericâ renunciatione, vel obligatione non veniant prohibita.*
- 9 *De eodem, de quo supra num. 4.*
- 10 *In casu caducitatis, an intret restitutio in integrum remissè.*
- 11 *De eadem conclusione, de qua supra num. 6.*
- 12 *De interpretatione dispositionis, ut uxor tractari debeat, prout ipso testatore vivente tractabatur.*
- 14 *De consuetudine Bulgari.*

D I S C. LVIII.

Carolus jure legati Lucretiæ uxori reliquit usum fructum hæreditatis, donec Catharina neptis ex fratre inferius insinuata, ætatem 15. annorum completeret, ac nubere, istoque casu facto, eidem uxori reliquit ad vitam usum fructum particularem quorundam bonorum, generaliter, mandando, ut esset domina, ac tractari deberet eo modo, quo ipso testatore vivente tractabatur; Post plura verò alia legata, deveniendo ad hæredes institutionem, hæredem instituit eandem Lucretiam cum onere restituendi hæreditatem Catherinæ, postquam dictam ætatem compleverit, ac nupsit, eam ex nunc pro tunc hæredem instituendo; Cum autem dicta Catherina esset in ætate annorum 12. atque nubere intenderet; Hinc de pluribus ex ejus parte pro veritate consultus fui; Præsertim verò (quatenus ad hanc materiam pertinet) an ejus nuptiis etiam ante dictam ætatem sequutis, restitutio ei debita esset, atque cessare deberet dictum legatum usum fructus universalis ad favorem Lucretiæ; Ac etiam quomodo intelligendum esset dictum aliud legatum, seu præceptum, quod eadem testatoris uxor esset domina, ac tractari deberet sicut in ejus vita tractabatur.

Ad primum respondi, quod duplex inspectio cadebat; Primò nempe, an ob contraventionem præcepti testatoris nubendo ante ætatem ab eo præfinitam, intraret caduci-

tas, adeòque etiam ætate adveniente, dispositio ad ejus favorem effectum sortiri non deberet; Et secundo, quatenus dicta caducitati locus non esset, an ob sequutas nuptias etiam ante ætatem cessare deberet legatum usum fructus favore uxoris.

Super utroque puncto, mihi sequi visum est decisionem Sac. Conc. Neap. relatam, ac exornatam per Merlin. *lib. 2. controv. 45.* ubi in specie de consimili dispositione ad favorem puellæ testatoris voluntate nubendæ post completam ætatem 16. annorum, ut scilicet, per nuptias ante ætatem sequutas, dispositio non cessaret, non tamen pro ea exercibilis esset actio contra hæredem, nisi post superventam ætatem, & non antea.

Quatenus enim pertinet ad punctum caducitatis, absque necessitate assumendi quæstionem potestatis, de qua infra, cessare videbatur difficultas, ex cessante voluntate, quoniam ex contextu testamenti constabat, quod testator id præcisè non demandaverat, neque adjecterat pro præfinita, & suspensiva conditione adimende aliàs consensum ab actu, adeòque ejus purificatio dispositionem perfereret, sive quid adeò præcisè esset præceptiva voluntas, ut contraventionem per speciem ingratitudinis indignum redderet legatarium, vel alium, cuius favore sub ea lege dispositum sit, & quo casu poena caducitatis licet expressè non adjecta per legem subintelligenda venit, sive per iudicem ex officio suppleri potest, juxta ea, quæ in hoc proposito contraventionis præcepto testatoris habentur *sub tit. de fideicom. pluries præsertim disc. 7. & hoc tit. disc. 29. & 57.*

Potissimè verò, quoniam in hac materia, ut patet ex plenè deductis *sub tit. de testam. disc. 73.* ubi habetur, an & quando hujusmodi conditiones concernentes matrimonium obligent, vel potius vitentur, ac pro non scriptis habendæ sint, & de quo etiam habetur in Avenionen. *sub tit. de matrim. in Miscell. mo. Ecclesiastico.* Negari non potest quin id sub quæstione sit, & consequenter in his, quæ clarè per legem reprobata sunt, vel saltem est dubium, an sub reprobatione cadant, præsumenda, vel subintelligenda non est voluntas, quoties illa expressè non sit; Ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de credit. disc. 13. & 151. & sub tit. de renunc. disc. 4. & seqq.* ut sub genericâ renunciatione, vel obligatione non veniant prohibita, seu ea, in quibus probabilis suspicio cadere valeat, quod prohibita, seu per legem reprobata sint.

Ac etiam, quia contextus dispositionis, quamvis aliquo grossolano, ac rudi modo conceptæ, & qualitas personarum, clarè probabant, ut pro sola dilatione, seu executione dispositionis, ita testator præsuppositivè, seu consultivè dictam ætatem statuisset, utpotè congruam; Et consequenter, quod id non percuteret substantiam dispositionis per viam præfinitæ conditionis, cuius defectus voluntatem cessante faceret, sed potius dilationem, seu executionem contineret, utpotè id tempore congruo, juxta casum præfixum, de quo in *d. controv. 45.* Merlini, ideòque hic punctus videbatur planus; Neque intrabant ea, quæ habentur plenè deducta per Rot. in Vennina legati coram Coccino *dec. 493. par. 4. recent. tom. 2.* cum aliis, de quibus *d. disc. 73. de testam.* dum in eo casu aderat expressè poena, vel provisio in casu contraventionis, quod in hac dispositione non legebatur, ideòque non oportebat examinare punctum, de quo ibi & in dicta Avenionen. *sub tit. de matrim.* an scilicet in omnem eventum, stante tenera ætate, vitari posset incurfus caducitatis, vel poenæ ex beneficio restitutionis in integrum, ex ibi deductis, dum ita cessabat quæstionis occasio in radice.

Hinc proinde disputandi ratio potius cadere videbatur super secundo puncto, an scilicet stante matrimonio ante dictam ætatem sequuto, deberetur dispositio, atque cessaret legatum ad favorem uxoris.

Et in hoc, ad favorem Catherinæ contra Lucretiam pro hujusmodi conditionis, seu dilationis rejectione respondendum videretur, ex plenè cumulatis per Altograd. *conf. 77. lib. 2.* super juris conclusione, ut omnia, quæ viduitatem inducunt, seu matrimonii libertati adversantur, pro non scriptis habenda sint, rectèque sperni valeant, cum aliis in hoc proposito relatis *ead. disc. 73. de testam.*

Verum his, ac similibus non obstantibus, contrarium juxta dictam resolutionem S. Conc. mihi probabilius visum est; Tum quia conclusio prædicta in suis casibus vera, rectè procedit, quando perpetuam percutiat viduitatem, seu indiscretam dilationem, quæ aliqua ratione, seu iusto motivo vestita non sit; Secus autem ubi prudens, ac rationa-

35^{te} par. 6. recent. Avenionen. fideicommissi 26. Junii 1647. coram eodem Verospio decif. 98. par. 10. in Avenionen. Salviani 10. Februarii 1651. coram Bichio inter suas decif. 449. in quibus concordantes.

Alia quoque ponderari solet conjectura, si disponens mandaverit, ut interim puellae alimenta, vel annuus redditus praestari debeat, quasi quod tunc, legato à principio puro, & dilato ad solvendum, pro dilatione interfuturum praestari voluerit, ut observant Anchar. conf. 323. Mantica d. tit. 2. num. 22. Cyriac. d. controv. 72. num. 34. Giovagnon. d. conf. 41. n. 40. & conf. 42. n. 20. Merlin. de legitim. d. lib. 3. tit. 1. q. 8. n. 66. & seqq.

Verum distinguendum videtur, quod aut ista conjectura attendenda est respectu paternae dispositionis, ad effectum desumendi voluntatem subrogandi dotem loco legitimae, in quibus terminis loquuntur allegati; Aut respectu dispositionis extraneae, vel etiam patris, secluso effectu praedicto, & tunc nisi aliae concurrant conjecturae, ea sola, & de per se nullius, vel levissimi ponderis videtur; Probabile liquidem, ac humanae rationi congruum est, ut ex eadem charitate, cum qua disponens puellae in ubi libertate de dote providere voluit, providere quoque voluerit in tempore praebulo de alimentis, vel pro ipsis de annuo reddito; Semper enim vera erit solida ratio, in qua principalis regula fundatur, quod scilicet finis à disponente habitus, jam terminatus fuerit cum persona, quam providere voluit, non autem ejusdem haeredem, quem testator non curavit, nec dilexit; Ideoque merito hanc alimentorum conjecturam in extraneo, parvi fecit Rot. in d. dec. 291. par. 11. recent.

Benè verum, quod si annua praestatio, non sub nomine alimentorum, ac subventionis, sed sub nomine interfuturum relicta sit, ad rationem tot pro centenario, tunc videtur conjectura magis efficaciae, quoniam debitum usufructum praesupponit debitum fortis; Nisi constet, quod dispositio ad eundem finem directa fuerit, ut in Bonon. successione 29. Novembris 1799. coram Lancellotto impressa apud Giovagnon. d. conf. 42. n. 134.

Ad quod conferunt deducta per Franch. decif. 392. nu. 2. & Merlin. decif. 210. nu. 6. quod scilicet, ubi conceditur res sub annuo censu, vel praestatione, tunc non intrat retractus, dum non est venditio, sed si fiat concessio sub annua praestatione solvenda, vel redimenda, ad rationem tot pro centenario, tunc intrat retractus, quoniam in effectu est venditio, atque causetur principaliter deductum in contractum pretium fortis, ejusque loco praestatio tanquam fortis accessio, ut advertitur pro futuris nuptiis, si testator sciebat tunc meliorem esse nuptam, & dotatam.

Intellige si erat congruè dotata, secus si adhuc opportuna provisione indigebat, quia ad istam dispositionem est referenda.

Ubi verò testator est ignarus nuptiarum, vel quia istae sequuntur sint post testamentum, discrepant DD. num dispositio ad favorem certae personae, vel incertae de certis, conveniat jam nuptiae, & distinguuntur plures casus.

Notes praestanda puellis in nuptiis, an & quando debeantur etiam nuptiis ante dotium distributionem.

Dispositiones de dotibus, seu subsidiis dotalibus praestandis incertis de incertis.

Dispositio de dote praestanda, intelligitur pro primis nuptiis, non pro ulterioribus.

Limitatur tripliciter: Primo, ubi constat de praesumpta disponentis voluntate; Secundo, ubi primae nuptiae non fuerunt consumatae, itaut agatur de viduae virgine; Tertio, ubi agitur de vidua juvene, & formosa, ut periculo consulatur.

Prime nuptiae nullae, non merentur nomen nuptiarum, ideoque secundae nuptiae dicuntur primae, si nullitas non est culposa, secus si culpa mulieris accedat.

tionalis; Secundò, de quo disc. seqq. an conveniat nuptis, vel pro ulterioribus nuptiis, cum ex ibidem deductis hoc praesuppositum conditionalitatis sit fundamentum quaestionis; Tertio circa exercitium actionis ad hujusmodi legatum consequendum, quoniam si est dispositio pura, statim agi potest, saltem ad effectum, ut adveniente tempore exequatur, secus verò si est conditionalis, quoniam non purificata conditione, deficit actio; Quarto circa transmissionem, vel caducitatem; Quintò circa fructus medii temporis. Sextò circa conditiones, & pacta per haeredes disponentis adjecta cum similibus, de quibus in propriis sedibus videndum est, praesertim sub tit. de dote, quae est ejus sedes, ac etiam de aliquibus sub tit. de success. & sub tit. de legitim. & detraction.

ADNOT. AD DISC. LIX. & LX.

Mho isti discurfus sunt materia generales, & instructivi, ibique habentur loca concordantia, unde nulla indigent indicatione.

An legatum alicui puellae in specie, vel puellis in genere factum pro dote, conveniat jam nuptis; Vel an intelligatur solum de primis nuptiis, vel conveniat ulterioribus favore viduarum; Et an secundum legatum deroget primo pinguiori.

S U M M A R I U M.

- 1 Regulae generales inducunt confusionem.
2 Dispositio de dote praestanda patris, vel sui immediate, qui etiam divitem, & nuptam dotare tenentur, convenit nuptis, & aliunde provisio.
3 Dos per patrem data, vel constituta post dispositionem à se factam de dote praestanda, si est major, vel equalis, censetur data in compensationem dictae dispositionis, unde unica, & secunda dos tantum debetur.
4 Legatum factum per patrem filiae indotatae, semper censetur in causam dotis, licet non exprimat.
5 Ubi secunda dos est minor, quam in prima dispositione continetur, an filia petat residuum, seu supplementum.
6 Dos semel destinata, vel constituta à patre, an minus possit remitti.
7 Dispositio de dote facta ab alio, quam à patre ad favorem certae personae, intelligitur pro futuris nuptiis, si testator sciebat tunc meliorem esse nuptam, & dotatam.
8 Intellige si erat congruè dotata, secus si adhuc opportuna provisione indigebat, quia ad istam dispositionem est referenda.
9 Ubi verò testator est ignarus nuptiarum, vel quia istae sequuntur sint post testamentum, discrepant DD. num dispositio ad favorem certae personae, vel incertae de certis, conveniat jam nuptiae, & distinguuntur plures casus.
10 Notes praestanda puellis in nuptiis, an & quando debeantur etiam nuptiis ante dotium distributionem.
11 Dispositiones de dotibus, seu subsidiis dotalibus praestandis incertis de incertis.
12 Dispositio pro incertis de incertis non conveniunt nuptis, sed solum nubendis, quod tamen declaratur, ut etiam aliquando male nuptis conveniant, ut honestati consulatur.
13 Dispositio de dote praestanda, intelligitur pro primis nuptiis, non pro ulterioribus.
14 Limitatur tripliciter: Primo, ubi constat de praesumpta disponentis voluntate; Secundo, ubi primae nuptiae non fuerunt consumatae, itaut agatur de viduae virgine; Tertio, ubi agitur de vidua juvene, & formosa, ut periculo consulatur.
15 Prime nuptiae nullae, non merentur nomen nuptiarum, ideoque secundae nuptiae dicuntur primae, si nullitas non est culposa, secus si culpa mulieris accedat.

D I S C. LX.

Um in forensibus materiis experientia probet, quod nisi casus distinguantur, generales propositiones, confusionem potius, quam resolutionem producant; Hinc proinde, pro hujus materiae aliquali cognitione, ita distinguendum videtur; Aut agitur de dispositione illius, qui dotare tenetur, etiam nuptam, ac divitem, ut est pater, ac

ter, ac etiam certis casibus avus, ut habetur sub tit. de dote, disc. 1. & 142. & tunc non dubitatur, ut dispositio conveniat etiam nuptis absque dote, vel aliunde dotatis, ideoque dispositio censetur facta in adimplementum debiti, atque pro illius taxatione; Non enim inconvenit, ut mulier duplicem habeat dotem, unam aliunde, & alteram à patre, ut dicto disc. 1. & 144. de dot. Atque isto casu vera ratio resolutionis, non consistit in expiratione, vel implemento conditionis, ut aliqui male credunt, sed in jam dicta, quod pater, etiam nuptam dotare tenetur, ut bene declarando Gulielm. de Cuneo, observat Paschal. de patr. potest. par. 2. cap. 6. n. 50. & seqq.

Si verò mulier, ad cujus favorem dispositum fuerit dotata, postmodum sit ab eodem patre, vel avo disponente, cum dote majori, vel aequali, & tunc certum pariter est, ut legatum, vel dispositio cesset ob illius causae expirationem, ad text. in leg. filia legatorum, Cod. de legat. Licet enim iste textus loquatur de legato expresse facto in causam dotis; Attamen procedit etiam in legato simplici, quoniam semper à patre censetur factum in causam dotis, ut quidquid sentiat Bart. in dicta leg. filia legatorum, firmant ibidem communiter Scribentes, de quibus apud Fab. de Anna conf. 91. n. 4. & seqq. & n. 21. Paschal. dicta par. 2. cap. 6. n. 35. & seqq. Franch. decif. 422. n. 6. Boss. de matrim. cap. 11. & seqq. Arias de Mesa lib. 2. variar. cap. 11. n. 17. & 18. Atque videtur hodie absolutum, quoties tam legatum, quam posterior constitutio, consistant in quantitate, ac fortius, ubi utraque dos consistat in specie, quae difficilior recipit duplicationem, ad text. in l. Lucius 2. §. imuberem de legat. 2. cum concordantibus per Fab. de Anna ubi sup. in princ. Dubium etenim aliquod esse possit, quoties una consistat in specie, & altera in quantitate; Verum adhuc idem est dicendum, vel ratione compensationis, vel saltem ex altera cessantibus causae.

Difficultas igitur est, ubi secunda dos data, vel constituta sit minor; Tunc enim intrat famigerata quaestio, an filia, in vim primae dispositionis residuum petat; In hoc autem duae sunt opiniones; Una est negativa Dyni in leg. Lucius de legat. 2. quoniam cessante causa legati, illud remanet extinctum, & sequuntur Imol. Cuman. & Castrenf. quos refert Fab. de Anna d. conf. 91. n. 11. & seqq. atque hanc veriorum credunt Caneo. lib. 3. variar. c. 20. nu. 182. in fine, Merenda tom. 3. contr. l. 16. c. 29. de Marin. resol. quod. 93. n. 1.

Altera est opinio affirmativa Oldradi in eadem l. Lucius, quem sequuntur Angelus, Jacobin. & alii relati per Fab. de Anna ibid. n. 14. eamque veriorum profitentur Jas. in l. hujusmodi, §. cum pater n. 18. & seqq. de leg. 1. Covarr. in c. officii n. 10. de testam. Franch. d. 422. n. 6. Casanati. conf. 35. n. 17. Capyc. Latr. conf. 17. Adden. ad Gregor. d. 236. Rot. apud Millin. d. 404. in princ. ubi haec admittitur pro regula.

Et licet aliqui tertiam tradant opinionem ex Bart. in eadem l. Lucius, distinguendo inter legatum pro dote, & illud pro maritanda, ut primo casu procedat opinio Dyni, quasi quod tunc causa cessasse non dicatur, cum etiam constante matrimonio, dos augmentum recipere valeat; Attamen reprobat hanc distinctio, quodque Bartolus computandus veniat cum sententia Oldradi, observati Covarr. quem recte expendit Fab. de Ann. ubi sup. n. 20.

Quamvis autem ista secunda opinio magis recepta videatur; Attamen mihi non placet, neque probabile rationis fundamentum habere videtur; Finis enim parentum in hujusmodi dispositionibus est, condecenter collocare filias; Neque mirum, quod major sit quantitas in legato contenta, quoniam satis notum est, quod major necessaria est dos in orphanis, cum patris viventis qualitas saepius pars dotis esse soleat, ideoque patres prudentes, plus in casu mortis pro dote filiabus legare solent, quam si viventes darent, ut ita de nuptiis dignis magis tuti reddantur; Probabileque omnino est; quod si pater voluisset dare vivens tantam dotem, quantam in praecedenti dispositione statuerat, eam constituisset à principio, dilata solutione partis post ejus mortem, cum ita utriusque digniorem generum habere potuisset, ut ad sensum.

Verum quia eam ita simpliciter respuere non audeo, idcirco crediderem, quod istae opiniones conciliari possint, quodque utraque opinio sit respective vera juxta facti circumstantias, & conjecturas, ut etiam observat Rot. apud Millin. d. dec. 404. Si enim pater vir prudens, post dotem constitutam, habens congruum tempus ad revocandam priorem dispositionem, illiusque memor, contrariam dispositionem, vel declarationem facere neglexit, tunc videtur illud plus etiam filiae post mortem praestari voluisse; E con-

Card. de Luca Lib. XI.

versò autem, secus dicendum, si morte improvisa praeruptus, testamentum mutare non potuit, vel ex facti circumstantiis constaret, quod illius memor non fuerit; Sive quod sit persona talis, quae probabiliter credere potuit, ut per jam sequutam provisionem filiae, prior dispositio evanuerit; Ideoque totum prudentis Judicis arbitrio, inspectis facti circumstantiis, remittendum videtur.

Quatenus verò secunda opinio regulariter tenenda esset, adhuc certum est, ut dicta, vel aliae conjecturae inducant limitationem, ut supra; Prout etiam indubitatum est, quod si prior dispositio sit dubia, tunc sequens constitutio dotis, tanquam deseruiens pro interpretatione, veniat attendenda; Putà, legavit pater pro dote scuta mille, atque in eadem Civitate currunt scuta diversi valoris, seu qualitates, nempe scuta auri, & scuta monetæ, ut in Urbe; Tunc in dubio favore dotis venit quod magis, ut in sua materia advertitur, sed si vivens mille scuta monetæ dederit, vel promiserit, tunc ista constitutio attendenda est in totum tanquam interpres legati aequivoçi.

Est tamen ista quaestio voluntatis, non autem potestatis, ut male creditit Crot. in l. si constante 10. in 2. lect. n. 19. relatis per Paschal. de patr. potest. p. 1. c. 4. n. 94. qui dixit ut summam pro dote legatam pater, neque volens possit amplius minuere, quoniam hæc opinio nullum habet juris, vel rationis fundamentum, ut in dicta sua sede sub tit. de dote advertitur.

Aut verò sumus in dispositione alterius, quam patris, vel etiam istius, in iis casibus, in quibus nuptam, vel aliunde provisam, dotare non tenetur; Et tunc pariter distinguendum est, an scilicet agatur de legato facto ad favorem certae determinatae personae, vel potius incertae; Primo enim casu, si mulier de tempore testamenti erat nupta, idque cognitum erat testatori, tunc planum est, ut conditio intelligenda veniat de futuris ulterioribus nuptiis, non autem de contractu ad text. in l. si jam facta 11. & l. si ita legatum 67. de condit. & demonstr. Jas. in l. 3. §. ex pluribus n. 26. ff. de acquir. possess. Felin. in c. ad hæc, ante fin. de rescrip. Caneo. d. c. 20. lib. 3. var. n. 179.

Id autem intelligendum est, si cum praesentibus nuptiis, legataria est ita benè collocata, ut illis durantiibus alio dotali subsidio probabiliter non egeat, quoniam si nupta esset cum nulla, vel cum exigua dote, tunc crederem, ut amplectenda esset supra dicta distinctio Bartolii, quae aliis in casu suo reprobatæ est, nisi conjecturae aliter suadeant; Ubi enim veram, vel conjecturatam disponentis voluntatem habere possumus, tunc cessant istae inspectiones.

Si verò de tempore testamenti, vel etiam postea, testatore vivente, sed ignorante, mulier esset nupta, & tunc intrat non levis difficultas, ob Scribentium varietatem; Prima enim opinio est magis recepta, majorique legum, ac rationum munimine roborata, ut legatum indistinctè debeatur, sive nupta sit de tempore testamenti, sive postea testatore vivente, & fortius eo mortuo ante alterius conditionis adventum; Idque ex triplici ratione; Primò nempe, quia pro dispositione conditionali consequenda, sufficit conditionem quandoenimque adimpleti, ad text. in l. si ita scriptum §. fin. de legat. 2. & in terminis in l. si quis heredem C. de instit. & substit. Secundo quia, ubi effectus alicujus rei attenditur, tunc nil interest, quod finis praecedat, vel sequatur glos. in Clem. 4. verbo Nerva, de concess. praeben. Et tertio, quia matrimonium non est causa extinctiva, sed productiva dotis; Atque per hancultimam rationem respondetur objecto extinctæ, seu cessantis causae legati.

Ubi enim tempus adjectum est, non causa terminandi, vel extinguendi, sed perficiendi, vel exequendi obligationem, tunc non procedunt ea, quae de tempore limitatio tradit solent Bald. in l. fin. C. de sent. quae sino cert. quant. n. 11. Lup. in c. per vestras 3. notab. §. 20. n. 6. Castr. conf. 148. vol. 2. & conf. 308. l. 1. & in l. Publius ff. de cond. & demonstr. nu. 2. Imol. conf. 113. n. 9.

Altera etiam ratio ponderari solet, quod scilicet mulier cum illa spe meliorem virum invenit Imol. d. conf. 113. Decius conf. 163. Spin. de specul. testam. glos. 14. n. 152. Ceval. comm. contr. com. qu. 138. n. fin. Sanchez de matr. lib. 7. disp. 91. n. 65. ex professo Casanati. conf. 35. benè Marta de success. lib. 4. qu. 18. art. 3. num. 15. & seqq. Capyc. Latr. conf. 17. Caneo. d. c. 20. n. 27. & 185. & alii (quamvis inter istos adsint plures id simpliciter firmantes etiam in legato generali facto pro incertis, sed ita simpliciter non benè ut infra.)

Alia est opinio praeredita in directo contraria, quae simpliciter negat, ut maritatis hoc legatum debeatur, ex

ea ratione, quod extincta est causa legandi, atque cessavit finis, ob quem testator inductus est ad disponendum; Atque ad contrariam rationem, quod matrimonium est causa, potius productiva, quam extinctiva, respondetur, id procedere in legato facto per patrem obligatum dotare etiam nuptam, & dotatam, Bald. *conf. 360. l. 4. & 493. l. 5.* Simon. de Pret. *de interpret. ult. volunt. libr. 4. dubitat. 12. n. 46. & seq.* Manent. *dec. 35.* Paschal. *de patria potest. p. 2. c. 7. n. 55. & 60.*

Tertia est opinio distinguens inter dispositionem conceptam in futuro, & in subijunctivo, ut in primo non debeatur, in secundo autem sic, ut per Natt. *conf. 485.* latè Manent. *conf. 147.* Mandell. *conf. 52.* & his videtur etiam adhaerere Paschal. ubi supra.

Ex præmissis igitur constat, ut priori sententiæ magis adhaerendum videatur, illaque tanquam doti magis favorabilis teneri potius debeat, nedum in legato facto certæ, ac determinatæ personæ, sed etiam incertis de certis, quoniam (excepto Baldo,) ferè omnes utrumque casum videntur æqualiter determinare.

Mihi verò, consideratis attentè præfatis auctoritatibus (aliis omisissis utpotè loquentibus de dispositione patris, in qua ut supra viget diversa ratio) videtur, ut ista materia, utpotè pendens à conjecturata disponentis intentione, cum certis uniformi regula determinari non possit, sed quod regulanda sit juxta singulares circumstantias; Ideoque juxta pendè generalè naturam hujusmodi quæstionum voluntatis, quæ facti potius quam juris dicuntur, cum casuum distinctione procedi debeat.

Aut enim agitur de legato nominatim relicto ad favorem certæ personæ, præstando per legatariæ patrem, vel alium dotare obligatum, ac verisimiliter à testatore magis dilectum, quia nempe testator, instituto hærede ejus fratre, vel alio conjuncto, fecerit legatum, pro subsidio dotis alicujus ex ejusdem hæredis filiabus; Et tunc si legataria de eo tempore, vel postea per ipsummet hæredem congruè provisâ sit, cum cessatio legati, respiciat ejusdem dotantis commodum, amplectenda venit sententia Baldi consulentis, dum potius in suble vamen dotare debentis, quam pro excessu va superflua dote, dispositum esse censetur; Et hic est proprius casus, de quo agunt Mandell. *conf. 52.* & Manent. *dec. 35.* Magna enim æquitas ac verisimilitudo id suadere videbatur, max imè si in defectum unius, alteri filie sit consultum juxta casum Mandelli.

Aut agitur de legato, pariter ad favorem certæ persone, præstando ab alio, quam ab eo, qui dotavit absque alia substitutione, itaut legati cessatio respiciat commodum hæredis non dotantis, & tunc amplectenda sit opinio Baldi repetentis quoniam aliàs intentio testatoris remaneret sine effectu, atque rectè tunc dici posse videtur, ut potius affectu personæ, quam causa contemplata fuerit, ut observat Sanchez, nisi versetur in casu, in quo dispositio censenda esset de jure subsidiaria, ut in sua materia *sub tit. de dote disc. 37. & seq. & disc. 145.*

Verùm si dispositio contineat favorem alterius personæ, in qua vigeat eadem ratio charitatis, quia nempe relicta sint mille pro dote Teriæ, & in ejus defectu, pro dote Sempronæ, tunc verior, & æquior videtur dicta sententia Baldi consulentis; dum cessat in prima provisâ, finis charitatis habitus à disponente, illeque urget in altera non provisâ, pro qua testator vivens, verisimiliter potius respondisset.

Id autem multò magis dicendum est in legato pro incertis de certis, quoniam auferendo nuptæ, ac provisæ, non cessat dispositio, sed confertur in aliam magis indigentem, juxta magis verisimilem disponentis intentionem, contra quam, ac omnem charitatis rationem videretur, ut ex sola legum rigorosa intelligentia abundandum esset in superfluis, ut deficeretur in necessariis, juxta stylum imprudentum, & prodigorum; Ideoque contraria sententia Casanat. *d. conf. 35.* & Capyc. *Latr. consult. 17.* quatenus generaliter capiatur, placet; Nisi prima non sit eum nuptis bene provisâ; Vel nisi nuptiæ sequatur sint post factum casum legati, cum tunc agatur de jure quæsito, ut rectè Bald. *d. conf. 360. lib. 4.*

Procedunt hæc quatenus dispositio concepta sit sub incerta conditione; Quoniam si conditio sit incertè exitura infra aliquod tempus, quod puella expectare non potest, vel non debet, tunc præcedentes nuptiæ non præjudicant, quoniam agitur de jure quæsito; Ut puta disponentis Statuto, ut dotes non nisi quoque triennio, vel quinqueennio puellis de familia distribuantur, tunc non tenentur vocatè expectare finem hujus termini, cum non substantiam, sed

potius dilationem executionis dictus terminus percipiat, & in his terminis rectè procedunt dicta per Capyc. *Latr. d. consult. 17.* Istoque casu, bene intrat ratio Imolæ *d. conf. 113. n. 9.* quod scilicet ista spes est pars dotis; Maxime ubi agatur de dotibus præstandis per Montes familiarum, de quibus loquitur Capyc. *Latr.* quoniam isto casu, puellæ ab instanti nativitatis, tanquam ex causa onerosa, jus quæsitum quodammodo habere videntur, ut firmat idem Capyc. *Latr. consult. 127.*

Idemque dicendum videtur in conditione potestativa pendente à facto tertii, juxta casum Valenzuelæ *conf. 132. lib. 2.* quia nempe dotes dandæ sint puellis de familia, nominandis per exequutores, vel nubendis cum eorum, vel aliorum consensu, quoniam, si isti requisiti, absque justa causa, nominationem facere, vel consentum præstare renuunt, atque puella, hoc non expectatò nubat, tunc nuptiæ non præjudicant, ut bene Valenzuela *ubi supra.*

Aut agitur de dispositione generali pro incertis de incertis, ut frequenter esse solent pia legata, vel dispositiones pro totali subsidio generali pauperibus puellis præstando, & tunc; Aut istæ sunt, nedum nuptæ, sed etiam aliunde dotatæ, & nulla cadit quæstio, cum hujusmodi dispositiones censentur subsidiarè pro solis pauperibus non provisâ Cyriac. *contro. 94. n. 41.* Ideoque detestabilem abusum esse, dare hujusmodi subsidia puellis aliunde provisâ dicit Rota in Romana dotis 21. Febr. 1650. cor. Corrado apud Salgad. *in labyrinth. dec. 22.* ubi invehit contra simulationes in ista materia fieri solitas, & habetur *sub tit. de dote;* Aut verò sunt nuptæ, sed non dotatæ, & quia tunc nulla viget ratio affectionis potius erga unam, quam alteram, atque denegare legatum nuptis, non tollit pietatem operis, principaliter inducti ad consulendum honestati puellarum innuptarum, idcirco omninò vera est dicta prima sententia Baldi *in dicta l. fin.* quam absolutam censet Sanchez *d. qu. 91. lib. 7. n. 63. & seqq.* Atque ita passim in praxi servari videmus.

Bene verùm, quod non repugnante voluntate disponentis, si ex facti circumstantiis, eadem ratio pietatis, vel consulendæ honestatis vigeat, tunc non videtur prohibitum executoribus, hujusmodi subsidia, etiam nuptias distribuere; Ponamus enim quod simus in muliere juvene, ac formosa de dote non provisâ, quæ habeat virum exulem, vel aliàs inutilem, adeo, adinstar innuptæ, honestatis periculo subiaceat, utique dicendum non est ut maximum foret charitatis opus, idem subsidium nubendarum, huic malè nuptæ præstare, ut ita honestatem tutam reddere valeat, ut expressè sentit etiam Sanchez, atque in hoc sensu capiendi videntur Cavalcanus *dec. 26. n. 36. p. 3.* & Boss. *d. c. 11. n. 56. in fin.* Nisi usus quibet, ut etiam advertitur in dicta sua materia *sub tit. de dote.*

Quovèro ad secundam partem propositæ materiæ, an scilicet dos pro nuptiis relicta, debeatur solum pro primis, vel etiam pro ulterioribus, Regula est negativa, quoniam dispositio consumitur in prima vice ex ratione *text. in l. Boves §. Hoc sermone, de verb. signif. & firmat Bald. in proem. decret. n. 24.* Sanchez. *l. 7. disp. 91. n. 55.* latè Capyc. *Latr. consult. 127. n. 10. & 53.*

Verùm ea tripliciter temperatur; Primò nempe, ubi ex facti circumstantiis constat dispositionem ulterioribus etiam nuptiis convenire, & in his terminis venit intelligendus Castrenf. *conf. 508. lib. 1.* qui pro omnibus nuptiis legatum deberi firmat.

Secundò ubi primæ nuptiæ fuerint tantum ratæ, sed non consumatæ, cum tunc mulier tanquam virgo dicatur etiam capax dispositionis, dum regula *in l. Boves* procedit cum effectu Sanchez. ubi supra *n. 56.* Capyc. *Latr. ibidem n. 54. & seqq.* ubi ita decisum in Sac. Consilio Neapolit.

Tertio (judicio meo,) ubi ageretur de vidua nimis juvene, ac formosa, adeo, ut probabiliter credatur honestatis periculo subiecta; Quemadmodum enim in sua materia *sub tit. de dote disc. 142.* nedum conjunctos regulariter ad unicam dotationem obligatos, sed etiam filios primi matrimonii, contra omnes juris regulas, ex ista ratione ad secundam nuptiarum dotem teneri habetur, ita pariter, & in præfenti; Maxime ubi agitur de subsidio debendo incertis de certis, ex aliqua particulari ratione sanguinis, vel affectionis, ob verisimilem disponentis voluntatem; Ubi enim agitur de subsidio dando incertis de incertis, non ita de facili hoc admittendum est, saltem ob contrariam communem observantiam, à qua, etiam non resistente disponentis voluntate, vel particulari Statuto, non crederem rationi incongruum esse, ut aliquando recederetur, ut supra observatum est.

Bene

Bene verùm, quod hoc tertium temperamentum, in solâ æquitate ratione fundatum, admittendum videtur, non militante altera æquitate in contrarium, atque sine præjudicio aliarum puellarum; Si enim agatur de monte alicujus familiæ, cui post præfatis dotes omnibus puellis tunc existentibus, supersint redditus, tunc pro isto subsidio videtur omni ratione prædictæ æquitati locum fore; Secus autem ubi, ob dotem viduæ præstandam, cessaret subsidium alterius puellæ nubilis, cum tunc in concursu æquitate hinc inde, non sit recedendum à regulis juris.

An autem primæ nuptiæ nullæ, nuptiarum nomen, ac effectum mereantur, adeo, ut sequentes dicendæ sint secundæ, vel primæ; Negat Sanchez. *d. disput. 91. n. 56.* quoniam non entis nullæ sunt partes ad *text. in l. dotis 68. de jur. dotium;* In contrarium verò urget *text. in l. hæc conditio ff. de cond. & demonstrat.* ubi disponitur, ut per inuiles nuptias illarum conditio, licet non impleta, adhuc tamen defecta sit; Verum non videtur recedendum à priori sententia, quoties nullitas non proveniat ex culpa, vel delicto, adeo, ut mulier reddatur æquitate indigna; Secus autem ejus culpa accedere, ne aliàs melioris conditionis dicatur contrahens criminosas nuptias, & illicitas, quam licitas, & honestas; Atque iste, inter plures intellectus, habet *text. in d. leg. hæc conditio* bene congestos per Arias de Mesa *l. 2. variat. c. 40. ex n. 15.* videtur ex littera textus & ex gl. ac Doctoribus verior; Ut nempe procedat de summo jure, secus autem de benignitate.

A R E T I N A L E G A T I,

PRO MONASTERIO OLIVETANORUM.

Responsum pro veritate.

De interpretatione Legati super comprehensione bonorum, quæ sub prædio legato veniant, necnè,

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Quomodo quæstio decidi debeat.
- 3 De circumstantiis in hoc attendi solitis.
- 4 De applicatione ad casum, ejusque resolutione.
- 5 Quod qualitas onerum regulat voluntatem.
- 6 An bona relicta pro opere pio sentiantur taxativè, vel demonstrativè.
- 7 In dubio, an quod minus, vel quod magis relictum censetur.
- 8 Quando attendi debeant regulæ, & conclusiones generales, vel doctrinæ.

D I S C. LXI.

FRANCISCUS DE GARZINIS de anno 1661. sub unico pretio, & contractu emit tria prædialia, seu petias terræ, unum scilicet steriorum quindecim cum domo, alterum steriorum duorum, & alterum stari unius, quorum singulis distinctè dati fuerunt quatuor diversi confines; De anno verò sequenti in testamento, vel Codicillis reliquit Monasterio S. Bernardi Olivetanorum post mortem famulæ, cui reliquit usum fructuum primum prædium 15. steriorum sub nuncupatione *la bagnaja*; cum diligenti expressione eorundem confinum contentorum in instrumento emptionis, & alia duo petia terræ in diversis locis, & finibus, aliàs quam ex dicta emptione ad se pertinentibus, cum distinctè pariter expressione confinum, cum onere perpetuo celebrationis triginta Missarum pri vatarum, & unius cantatæ singulis annis, herede instituto Monasterio Monialium S. Catharinæ sub diversis oneribus; Quare orta quæstione, an sub legato dicti prædii nuncupati *la bagnaja*, veniant dicta duo petiola terræ, diversam nuncupationem, diversosque confines habentia, ex eo quod unico pretio, & per unicum contractum simul quæsitæ essent, duæ prodierunt in partibus sententiæ Monasterio hæredi favorabiles pro non comprehensione, atque in hoc statu ex parte Monasterii legatarii consultus sui pro veritate ad effectum deliberandi, an deberet prosequi, necnè interposita appellatio. Respondi, quod de ista quæstione agitur in specie supra hoc eod. *tit. disc. 7.* ubi habetur, quod licet nostri pro eorum consuetudine in hoc se involvere videantur cum solita opinionum varietate, nihilominus reverè non est quæstio juris, quæ ab aliqua legum contrarietate, vel ambiguitate proveniat, sed potius est facti, & voluntatis, cum totum faciat destinatio possessoris, adeo, ut intret solitus error pro-

Card. de Luca Lib. XI.

cedendi cum regulis generalibus, vel cum inepto, ac superfluo cumulo doctrinarum, & decisionum, cum decisiò reverè pendeat à singulorum casuum qualitate, & particularibus circumstantiis, ex deductis supra *d. disc. 7.* ac etiam *disc. 74. de servit.* ex quibus aliqui desuper ex altera parte consulti totum transcribentes tacito auctore, ut sæpè contingit pro torrenti ineptia, magnum faciebant allegationum cumulum, ac inutilem chartarum repletionem.

Et quamvis pro regulatione hujusmodi voluntatis, vel destinationis ponderari solet unicitas coloniarum, & horrei, ac etiam unicitas, vel respectivè pluralitas, ac diversitas prædii, & acquisitionis, cum similibus, de quibus locis mox citatis; Attamen istæ, ac similes circumstantiæ inducunt quidem in ambiguo præsumptionem juris elidibilem non solum à contraria probatione expressa, sed etiam à contrariis præsumptionibus, & argumentis resistentibus à circumstantiis particularibus facti, quæ semper vincunt, ac suffocant hujusmodi præsumptionem juris, & circumstantias generales.

Iis itaque constitutis, atque descendendo ad applicationem, loquendo in abstracto, si ve cum solo tenore testamenti, dicebam, dubitandum potius videri de juribus Monasterii legatarii adeo, ut sententiæ haberent aspectum justitiæ, ob adeo exactam diligentiam in omnibus dispositionibus à Testatore adhibitam in testamento, & Codicillis, quod in omnibus prædiis magnis, & parvis diligentissimè descripsit vocabula situationum, & confines, quodque dum memoria erat in unum recens, ita probabilius videbatur, quod ex tribus prædialibus quamvis pro eodem pretio, eodemque contractu acquisitionis, unum tantum legare voluerint, non autem alia duo, quorum loco pariter alia duo subrogavit.

Adhuc tamen advertebam, reflectendum esse ad quantitatem fructuum rerum legatarum in verbis, an essent, necnè proportionati oneri per Testatorem inuncto, ut supra, juxta illam alteriorem taxam elemosynæ-Missarum, quæ juxta varias Diocesium consuetudines fieri solet, quando agitur de oneribus perpetuis; Ubi etenim sufficerent, tunc consului, quod acquiesceret sententiis, neque ulterius curaretur appellacionis prosecutionem, secus autem è converso, quoniam quidquid sit de quæstione; de qua supra *disc. 14.* an bona celebrationi Missarum aliisq. piis operibus destinata, stare dicantur taxativè, vel demonstrativè, cum pariter non sit quæstio juris, sed facti, & voluntatis, ideoque certam non recipiat regulam, idemq. error, de quo supra intrat, sed quoniam ubi præsertim agitur de isto pio onere celebrationis Missarum, quod solet præcæteris reputari magis pium, & privilegiatum, in dubio pro demonstrativa, potius quam pro taxativa stare videtur præsumptio, ut propterea locus esse debeat suppletioni, ut advertitur supra *d. disc. 14.* Hinc advertebam, quod longè facilius intrare deberet ista præsumptio, quæ aliam majorem juris assistentiam, seu minorem resistantiam habet, ut sub nomine dicti prædii majoris alia duo prædialia contemporanè pro eodem pretio, & per eundem contractum acquisita comprehendere voluerit, quam dare obligationem suppletionis aliunde; Id idem faciente sæpè enunciata conclusionem, quod ex quantitate pretii desumitur Partium intentio; Ita à pari ex qualitate, & quantitate onerum.

Non videbatur autem suffragari posse conclusionem super pluriès enunciata, quod in dubio pro causa pia iudicari debeat, atque fieri interpretatio, ut censetur relictum, quod plus, dum è converso in dispositionibus ad causas prophanas res est in oppositum, ut censetur quid minus, quoniam cum ageretur de hærede pariter causa pia, cui pleraque pia onera erant inuncta, ita videbatur intrare conqussatio privilegiorum, ut propterea intret potius regula, quam limitatio; Sed istæ generalitates videntur, ut dici solet, panni calidi, cum reverè principaliter sit reflectendum ad circumstantias particulares casus, ex quibus ad verisimilem disponentis intentionem sit arguendum, adeo, ut semper firmum sit, ut istæ dicantur quæstiones facti, & voluntatis, potius quam juris incapaces proinde regularum generalium quodque inutilis chartarum repletio est cum regulis, & propositionibus generalibus, vel cum doctrinis, & decisionibus procedere, atque in eis fundamentum constituere, præterquam ubi eisdem circumstantiis pensatis, ob earum colluctationem res in ambiguo remaneat, cum tunc, & non aliàs profint, atque attendi debant.

F 2 JA-

An per ademptionem legati facti uni personæ, ademptum quoque censeatur legatum consequutivè, & dependenter factum alteri,

SUMMARYUM.

- 1 Adh series.
2 Ordinarius est interessatus in causis Ecclesiarum, & priorum operum, & presumitur informatus.
3 Quilibet de populo pro Ecclesia, & pia causa agere potest.
4 Dispositio deponens, & consequentia cessat, cessante dispositione principali.
5 An, & quando per secundum legatum ad favorem ejusdem persone censeatur ademptum, vel reformatum primum.
6 Quomodo ista materia regulari debeat, & ad quid referendum, an per secundam dispositionem censeatur prima adempta.

DISC. XLII.

JO: Franciscus Granellus, inter quamplures pias dispositiones, in quas in testamento majorem partem ejus nimium pinguis assis erogavit, erigendæ Congregationi quinque Sacerdotum, pro quibusdam piis operibus exercendis, legavit annuas libras bis mille quingentum, subjungendo per Capitulum separatam, quod ubi ante obitum dicta Congregatio erecta non esset vel erecta post mortem dissolveretur, tunc dicta annualitas erogari deberet in subventionem Ecclesiarum ruralium, eo adjecto, quod si exequutoribus videretur, quod PP. Missionarii aliquo indigerent subsidio, tunc aliqua pars eis applicari posset; In secundis verò Codicillis propè mortem ad biennium ordinatis, multa ex piis legatis in testamento contentis revocavit, ac respectivè reformavit, vel immutavit, & præsertim ad rem dictum legatum factum Congregationi revocavit, relationem habendo ad capitulum testamenti, in quo illud continetur, atque dictis Ecclesiis ruralibus reliquit libras 20. m. pro una vice investendas, ut fructus pro earum subventionem servirent arbitrio Archiepiscopi.

Ista igitur facti serie sic stante, dubitari contingit, an ademptum censeretur, necnè legatum ad favorem Missionariorum, ex quorum parte pro veritate consultus, assertivè contra requirentes respondi, ad id morsus, quod legatum in casu non erectionis, vel suppressionis Congregationis verè, & propriè factum non erat ipsi Missionariis, sed Ecclesiis ruralibus, eis verò solum demanda fuit aliqua subventio, juxta indigentiam pro tempore arbitrio exequutorum, perinde ac si essent earundem Ecclesiarum Ministri, ac servientes, ideoque dictæ Ecclesiæ principaliter interessatæ, atque pro eis Archiepiscopus non ageret, ex regula, quod Ordinarius stante obligatione visitandi singulis annis Diocesim, presumitur informatus, ex relatis per Buratt. dec. 479. in fin. & passim, atque pluries sub diversis materiis, & præsertim in beneficiis advertitur, ipseque dicitur interessatus in omnibus causis, & juribus Ecclesiarum suæ Diocesis, ex deductis apud Buratt. dec. 598. atque est exequutor piarum dispositionum, ut apud Cavaler. dec. 629. & 641. & advertitur pluries præsertim in annor. ad Concil. Trid.

Et quamvis istud argumentum solum, & de per se non concludat, cum ista sit simplex præsumptio habens contrariam possibilitatem, dum quandoque solent per Ordinarios, negligi jura Ecclesiarum inferiorum, in quibus non habeant interesse immediatum, & proprium; ideoque habemus, quod quilibet de populo pro Ecclesia, vel causa pia agere potest, quamvis proprium, ac immediatum interesse non habeat; Multo igitur magis agere possent isti Religiosi habentes interesse privatum, ut supra: Attamen illud nimium considerabile dicebam junctum cum aliis, de quibus infra, & pro eorum adminiculo, ac majori corroboracione.

Ex pluribus itaque credebam istud legatum non deberi, atque venire sub dicta ademptione. Primò nempe à simili ex iis, quæ habentur sub tit. de fideic. disc. 109. & dec. 49. p. 13. rec. ubi concordantes, super cessatione, vel resolutione substitutionum dependentium, & consequutarum ab

altera quæ adempta sit, vel caducata, quasi quod ita adimendo principalem dispositionem, crediderit Testator ademisisse quoque istam dependentem, & consequutivam.

Secundò magis ex eo quod Testator istas Ecclesias rurales in ultimis Codicillis providit cum dicto diverso legato librarum 20. mil. in forte cum diverso modo: Quamvis etenim regula sit, quod secunda dispositio ad favorem ejusdem legatarii contenta præsertim in diversa scriptura, non inducat prioris ademptionem, vel reformationem, ex deductis supra disc. 53. Attamen magnum præbere videtur argumentum ademptionis, vel reformationis, cum aliis conjungendum, dum reverà iste non est punctus juris habens regulas certas, & uniformes, sed facti, & voluntatis, ex facti circumstantiis regulandus; adeo ut ista regula inducat simplicem præsumptionem Juris in dubio de facili ex contrariis argumentis, & conjecturis elidibilem, ut advertitur in eodem discurs. 53. & alibi.

Tertiò in idem fortius attento, ac perpenso toto tenore testamenti, & Codicillorum, ad quem principaliter per Judices, & Consultentes reflecti debet; considerando qualitatem Testatoris, ac modum ordinis, an sit per Notarium, vel alium Scriptorem, vel per ipsummet disponentem cum maturo consilio, & cum accurata præordinatione, ex quibus desumenda est substantia verisimilis voluntatis, non autem juxta frequentes Pragmaticorum errores, abique his reflexionibus more grammaticorum persistendo in sola littera, seu grammaticali verborum, ac dictionum, & clausularum significacione, aut in regulis generalibus, vel in doctrinis, & decisionibus, quæ in diversis casibus prædierint; Quoniam cum sit quæstio facti, & voluntatis, principaliter insitendum est in ipso facto individuo, ejusque circumstantiis, inspicendo totum tenorem testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis, atque ex tota massa simul juncta conjiciendo quid ille Testator voluerit, ut ad hanc materiam ultimarum voluntatum frequenter quidem, sed semper oportunè, & utiliter advertitur præsertim sub tit. de fideicommissis.

Attento siquidem toto tenore utriusque dispositionis constabat, quod in plerisque aliis piis legatis, & dispositionibus hujusmodi commutationes, vel reformationes Testator fecit, præsertim in hac specie adimendo legata annua, & relinquendo pro una vice in forte cum accurata diligentia per se ipsum, adeo ut dici non posset, quod essent verba Notarii desumpta ex formulario, dum etiam ad minutias cum nimia diligentia advertit, easque explicavit, atque modus ultimæ dispositionis propè mortem ostendebat, quod ipse aliquam haberet dubitationem de diminutione virium suæ hæreditatis, ut in negotiatoribus frequenter contingere solet, ob infirmitia, & accidentia fortè sequuta in eo intervallo biennii inter testamentum, & Codicillos, dum aliàs stante ejus nimia diligentia, & accurata descriptione, prorsus inverisimile videbatur, quod faciendo mentionem de istis Ecclesiis ruralibus, easque providendo cum dicto legato librarum 20. mill. quarum fructibus in earum subventionem Archiepiscopi arbitrio erogari deberent, ac etiam rectè conficiis, & memor dicti alterius legati adeò notabilis annuarum librarum bis mille quingentum occasione ejus ademptionis, ejus aliquam mentionem non fecisset, si habuisset in animo, quod durare deberet, quodque non esset ademptum, cum in hac materia ambigæ conjecturæ voluntatis verisimilitudo, vel in verisimilitudo sit principalis regulatrix, eaque totum faciat.

Quartò in idem, quoniam idem Testator in testamento expressè declaravit, quod si contingeret ipsum in vita adimplere illa pietatis opera, quæ in testamento demandabat, ita censeretur adimpleta, & adempta respectivè, excludendo duplicitem, idèque cum vivens per aliam dispositionem ad favorem istius operis disposuerit, exinde quoque resultare videbatur argumentum exclusivum duplicationis cum aliis conjungendum.

Advertebam demùm inspicere debere statum istius hæreditatis, & an detractis omnibus tam piis, quam prophænis legatis, aliisque dispositionibus, & oneribus certis superessent bona in tali excessu, quod istud legatum quoque possit commodè adimpleri, quoniam ubi id non verificaretur, ut probabiliter ex præsuppositis facti circumstantiis credendum veniebat, tunc clarum remanere videbatur quod Testator noluerit duplicationem, sed quod cum ultimo legato contento in Codicillis crediderit huic operi satisfacere.

Et in summa congludebam, quod totum pendere ab eo,

eo, an Ordinarius ageret pro dictis Ecclesiis ruralibus, quæ reverà erant principaliter legataris, & interessatæ, quòdque illis id negligentibus, quia fortè agnoscerent veritatem, tunc non bene sentiret ista præsentio merè dependens, & consequutiva, quinimò incerta, & eventualis, quia possent exequutores non arbitrari ob deficientem indigentiam; Istæque sunt reflexiones, cum quibus hujusmodi quæstiones super legatorum, aliarumque ultimarum voluntatum interpretatione decidi debent, non autem reflectendo in abstracto ad regulas, & conclusiones generales, sive constituendo vim in doctrinis, & decisionibus, earumque copiosa confarcinatione.

CREMONEN. LEGATI,

PRO FRANCISCA DE SFONDRATIS.

An, & quando ille, cujus favore dispositum sit, censendum veniat legatarius, vel potius hæres; Et incidenter quando legatum factum creditori, censeatur factum animo compensandi.

SUMMARYUM.

- 1 Adh series.
2 De quæstione, an legatum factum creditori censeatur animo compensandi.
3 Quales debeant esse conjecturæ pro istius animi induccione.
4 Quando dicatur hæres, & quando legatarius.
5 Fideicommissum particulare dicitur, ubi sit restrictura ad certa bona.
6 Non potest esse quis hæres, & legatarius.
7 De effectibus, & prærogativis inventarii.
8 Hæres non beneficiatus non opponit de ejus juribus contra fideicommissarium particularem.
9 De beneficio restitutionis in integrum adversus incunsultio aditam hæreditatem.

DISC. XLIII.

GA: spar de Frodriis in ejus testamento reliquit Francisce uxori usumfructum omnium bonorum stabilium, ac pleno jure, etiam in proprietate omnia mobilia, & nomina debitorum, aliaque jura, & actiones, eidem injuncto onere faciendi expensas funerum, & recognoscendi famulos, & adimplendi quædam legata; Hæredem verò instituire professus est in bonis stabilibus post mortem uxoris hospitale majus Civitatis Cremonæ, excepta quadam domo; cuius proprietatem reliquit Francisco dictæ uxoris fratri; Cumque prædicta Francisca esset creditrix viri in scut. mille pro ejus dote; Supponeretur, autem quod mobilia, & nomina debitorum non adæquarent debitum, & onera, adeo ut detracto dicto credito totali pro legatorum, aliorumque onerum implemento opus esset aliquam partem stabilium applicare; Hinc Administratores Hospitalis ad id evitandum, assumpserunt punctum compensationis dicti crediti cum legato, atque desuper consuluerunt aliquos Advocatos Mediolanenses, qui cum prolixo superfluo currenti stylo, præsertim in illa regione, nimium copiosa, & elaborata ediderunt responsa super quæstione, an & quando legatum creditori factum censeatur animo compensandi, atque recensendo varias opiniones, quæ desuper habebantur, & admittendo, quod pro regula magis recepta sit opinio negativa, quoties agatur de debito ex causa voluntaria, præsertim ubi de illa ex causa dotis, quæ in hoc reputari solet privilegiata, ex deductis disc. 99. de dote, & generaliter supra disc. 15. & 40. nimium se diffundebant in limitatione deducta ex contraria conjecturata voluntate testatoris, aliquas desuper considerando conjecturas, & argumenta. Quare desuper his responsis communicatis ex parte d. Francisce consultus fui, quomodo se regulare deberet.

Respondi, quòd licet ubi etiam ad hunc punctum controversia reduceretur, pro exclusione compensationis probabilibus respondendum veniret, cum conjecturæ, & adminicula in contrarium pro limitatione ponderata, nimium vaga, & levia essent, cum tamen ad hunc effectum, ex magis communi sensu urgentia, & efficacia desiderentur, ex relatis supra disc. 15. & 40. & d. disc. 99. de dote, quamvis, & in hoc neque certa regula statuit valeat, cuiusmodi casui applicabilis, quoniam ut in proposito adminiculorum, & conjecturarum advertitur disc. 72. & seqq. & 159. de dote, frequentius verò sub tit. fideicommiss. ac etiam Card. de Luca Lib. XI.

supra hoc eod. tit. & alibi, totum pendet à singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus in uno casu aliqua conjecturæ sufficiant, ac reputentur efficaces, in altero autem eadem, ac aliæ eis adjunctæ non sufficiant, atque inefficaces censendæ sint.

Attamen ista quæstio à casu extranea videbatur, eo quia dicta Francisca hæres potius universalis, quam legataria dicenda venit; Ad distinguendum etenim hæredem à legatario, non debet attendi formalitas verborum, ut nimium superfluo antiquitas practicabat, sed spectanda est substantia veritatis, cui scilicet relicta sit universitas bonorum, & jurium, ut iste dici debeat hæres, quamvis cum eo testator adhibeat verba legatum denotantia, puta lego, vel relinquo &c. Et è converso legatarius, vel fideicommissarius particularis dici debeat ille, cui certa bona relicta sint, vel etiam certum bonorum genus, quamvis cum eo testator adhibuerit verba institutionem hæredis denotantia cum non verba, sed facta in hoc attendantur ex iis, quæ antiquioribus relatis habentur apud Capyc. Latr. dec. 5. & consult. 9. & 10. apud Buratt. decis. 847. dec. 63. & 64. post Merl. de pign. & passim.

Ideoque applicando ad rem, cum dispositio ad favorem Hospitalis restrictivè restricta esset ad stabilia tantum post mortem uxoris, atque ad istius favorem de mobilibus, & nominibus debitorum, aliisque juribus, & actionibus activis, cum universitate jurium passivorum, ita clarum esse dicebam, quod ipsa esset hæres universalis, gravata fideicommissio particulari in bonis stabilibus ad favorem Hospitalis, ut de fideicommissio restricto ad stabilia tantum, quòd sit particulare, habetur apud Merlin. decis. 265. & 297. repetit. par. 5. recent. decis. 47. & 77. & habetur pluries in sua Sede sub tit. de fideicommiss. ac etiam sub altero de legitima, & detract. disc. 25. & in aliis, ac propterea licet testator professus fuerit in stabilibus relinquere uxorem usufructuariam, attamen id intelligendum venit de usufructu causali, & juxta opinionem idiotarum gravantium hæredem fideicommissio post ejus mortem, quod ita spectato facto illum credunt usufructuarium.

Isto itaque tenore præsupposito, quòd dicta Francisca esset potius hæres universalis, quam legataris, prorsus extranea remanebat dicta quæstio, sed cum diversis terminis procedendum fore advertebam, inspicendo scilicet, an ipsa fecerit necnè legitimum inventarium, ubi etenim illud confecisset, juxta formam text. in l. fin. Cod. de jur. deb. tali casu extranea remaneret dicta suspensio compensationis legati cum credito, dum posito titulo hæreditatis singulari, absque concursu cohæredum dari non potest titulus legati, ut in Engubina hoc eod. tit. discurs. 64. & alibi, sed eodem titulo redolente potius quamdam administrationem, ex deductis discurs. 36. sub tit. de credit. alibi pluries, intrat redditio rationum cum deductione propriorum jurium, quæ ita præservata remanent etiam juxta unam sententiam cum prærogativa solutionis imaginariæ, juxta deducta discurs. 28. de hærede, & alibi, ut propterea nullam jacturam de proprio pari debeat; Ubi verò inventarium, nullatenus, vel non legitime confectum esset, tunc de stricta, & rigorosa juris censura, de proprio credito objicere non potest adversus fideicommissarium particularem, erga quem hæres non beneficiatus tenetur in solium de proprio, etiam ultra vires, juxta receptam distinctionem, de qua disc. 25. de legitima, & detract. & disc. 128. de fideicommiss. & alibi pluries; Istoque casu dixi aliud non suppetere remedium, nisi illud restitutionis in integrum obtinendæ ab eo Senatu, juxta ea quæ frequenter habentur sub tit. de hærede, dum pro ejus justa causa sufficere, & abundare dicebam justam credulitatem resultantem à formalitate verborum, quòd ipsa esset potius legataria quàm hæres, potissimè dum agebatur de muliere hujusmodi Legatum subtilitatum ignar, & multò magis ubi in loco adesset Statutum inhabilitativum mulierum alienandi, vel se obligandi, sive alios præjudiciales actus faciendi, cum hodie magis communiter receptum sit, ut iste actus additionis hæreditatis cadat sub hujusmodi prohibitionibus, ut pluries advertitur eodem tit. de hærede, & in altero de Alien. & contr. prohibet. Ac propterea resultat nullitas actus, adeo ut haberi debeat pro non hærede, vel saltim ut ista sit sufficiens causa d. restitutionis in integrum; Istique videbatur veri, ac proprii termini casus, & per consequens, quòd juxta frequentem contingentiam superflua, ac extrà propositum remaneret adeò magnus labor adhibitus in examine d. quæstionis, an legatum censeretur relictum animo compensandi cum credito legatarii.

EUGUBINA LEGATI PRO ANDREOLIS, CUM ANGELA BILLIA.

Causa disputata in Tribunali A. C. & in Signatura Justitiæ, & concordatus.

An debeantur per hæredes ab intestato legata facta iisdem intestatis successoribus in testamento, in quo alter hæres esset scriptus, per cuius prædecessum illud caducatum sit; Et incidenter de puncto, an, & quando pro legato competat via exequitiva.

SUMMARIUM.

- 1. Falsi series. De stylo Signaturæ attendendi principaliter iustitiam cause. De conclusione quod legatum factum hæredi non valeat, & de eius limitationibus. Quod fallaciæ consistere solent in applicatione potius, quam in conclusionibus. De operatione clausulæ codicillaris, quando intret. Non potest idem actus approbari, & reprobari, ac reportari commodum ex actu impugnato. Intestatus hæres potest non curare successionem, & petere dispositionem testamentariam. Declaratur conclusio, de qua n. 3. ut hæres obtrineat legatum à cohæredibus. Ad quem effectum considerabilis sit opinio voluntium, ut testator debeat esse conscius operationis clausularum. Quæ regula tenenda sit in materia, quodque attendi debeat substantia voluntatis, & qualis ista sit. De questione an, & quando legata habeant viam exequitivam, necne. Quomodo leges, & doctrinæ intelligi debeant.

DISC. LXVI.

Livius de Billis, instituto hærede Francisco Maria ex fratre nepote, reliquit Angelæ forori in nuptiæ apud eum viventi scuta sex mille, sed dicto Francisco Maria testatori præcedente, sequutum est, quod ob testamenti caducationem aperta fuit intestata successio ad favorem quatuor sororum, vel respectivè aliquarum ex eis prædefunctarum filiarum in stirpes, inter quas erat eadem Angela, quæ, portione hæreditaria adepta in quarta parte contra cohæredes pro eorum virili, petiit dictum legatum, atque in Tribunali A. C. in processu exequutivo, qui in hoc Tribunali, juxta opinionem Angeli pro legatis practicatur, obtinuit mandatum canonizatum à Signatura Justitiæ, cum solita clausula sine præjudicio executionis, ideoque commissa fuit in solo devolutivo causa appellationis in Rota, non prosequuta ob subsequendam concordiam, que controversiæ finem dedit.

In his itaque disputationibus habitis in utroque Tribunali A. C. & Signaturæ Justitiæ, duo erant puncti, unus in meritis an istud legatum deberetur, necne, & alter ordinis, an scilicet intraret processus exequutivus.

Quatenus pertinet ad primum punctum Justitiæ, ex quo magis alter pendere videbatur, pro stylo Signaturæ, quod scilicet ubi causa in meritis sit turbida, de facili rescribitur de appellatione suspensiva, etiam ubi de sua natura sit extradubium exequutiva, & e converso quando Justitia videatur clara, de facili negliguntur subtilitates juris circa ejusdem appellationis competentiam, ut agendo de hoc Tribunali insinuat disc. 31. in rel. Cur. ac etiam aliquid advertitur disc. 37. de Judic.

Punctus difficultatis non erat in regulis, quæ ex hac parte deducebantur; Primò nempe in annulatione, seu caducatione testamenti ob hæredis prædecessum; Et secundò, quod non potest quis esse hæres, & legatarius; ideoq; legata facta hæredi remanent inutilia, cum per Scribentes in contrarium admitrentur, utpotè verè, & incontrovertibiles, sed erat in limitationibus, quoniam primam evadere conabantur cum operatione clausulæ codicillaris, per quam irritato testamento, legata, & aliæ dispositiones subsistentur, ex pluries deductis in sua sede sub tit. de testam. Et alteram dicebant procedere, quando unicus esset hæres purus, & irrevocabilis, qui à seipso legatum obtinere de-

beret, cum tunc intret ratio incompatibilitatis, ob concursum passionis in eodem subjecto, quodque unus, & idem sit hæres, & legatarius, ac debitor, & creditor, absque respectum diversitate; secus autem ubi habeat cohæredes unum, vel plures, à quibus legatum assequi potest citrà dictam incompatibilitatem, ut aliis relatis firmatur apud Baratt. decis. 643. n. 2. & seqq. & decis. 229. n. 27. par. 10. recen. ubi n. 26. statuitur regula, cum ita sit vera regula, sicuti est limitatio; Quinimò etiam ubi esset unicus, non tamen purus, & irrevocabilis, sed gratatus fideicommissio, vel aliàs habens titulum resolubilem adhuc legata sibi facta subsistentur, quoniam sequuta resolutione, vel restitutione fideicommissi obtinet legatum, quod ita ab initio est validum, quoties ob expressam, vel conjecturatam testatoris voluntatem non intret sub fideicommissio, juxta ea, quæ de legatorum comprehensione sub fideicommissio habentur in sua sede sub tit. de fideicom. disc. 89. & 131. cum seq. dum intrem durante jure hæreditario legata facta ipsi hæredi dicuntur obdormire, vel esse in suspensio, ratione dictæ incompatibilitatis; eo autem resolutio reviviscunt, seu verius excitantur potius, tamquam à somno, quam tamquam à morte; sive quod per solutionem vinculi, vel remotionem obstaculi reassumunt suas naturales vires, quas ab initio creationis habuerunt, ut generaliter de omnibus juribus competentibus hæredi contra hæreditatem, habetur disc. 40. de cred. ac etiam disc. 25. de legit. & detrad. & alibi.

Non negabam scribens pro cohæredibus reis conventis veritatem utriusque limitationis in abstracto, & in suis casibus, sed juxta id, quod meum fatum tribuit, adeò frequenter exclamandi, & inculcandi, negabam applicationem ad casum, in qua potius, quam in veritate conclusionum, & doctrinarum consistere dicebam fallaciam, utpote in omnibus hodie contingit; Illas etenim distinctè expendendo; Quatenus pertinet ad primam super operatione clausulæ codicillaris, neglecta etiam opinione volente, quod hujusmodi clausulæ operatio non intret in testamentis idiotarum, quoties non constet, quod de tali vi, & operatione essent rectè conscii, atque admittendo aliam opinionem magis receptam, quod Notarius censetur eam potuisse de voluntate saltim implicita, & præsumenda dispensantis; Et actus valeat eo meliori modo; quo potest, ex deductis discurs. 57. de testam. & alibi; Adhuc tamen dicebam hanc operationem intrare, quando d. præsumpta, & verisimilis voluntas testatoris assistat, & non alias; Ac propterea habemus tam in terminis istius clausulæ, quam in illis Auth. ex causæ; ut non intrent quando accedat testatoris ignorantia, vel falsum præsuppositum, sed solum quando ex dispositione legis sequatur id, quod ipse naturaliter, & de facto nolit, & sic ad impediendum; quod bona contra morientis iudicium non auferantur illi, cui ipse dare voluit, & non obtineant illi, quibus dare noluit, ut contingit, quando superstitibus testamentariis, isti ex juris subtilitate excludantur, atque succedant intestati, quos ipse noluit, quoniam tunc eadem lex temperando proprium rigorem tribuit istam medicinam, atque in his terminis procedunt omnes auctoritates, quas super ista materia habemus; secus autem quando infectio testamenti proveniat ex casu incogitato, ita, & taliter, quod non intret dictum inconveniens, cum tunc ad instar casus, quod infectio proveniat ex præteritione ignorantè facta, vel ex falso præsupposito, dicendum est, quod respectu earundem personarum, dispositio testamentaria in totum corruat, atque omnia reducantur ad statum intestati, rectèque adaptetur conclusio, quod non potest, nec debet quis reportare commodum ex actu impugnato, neque idem actus ab eadem persona potest eodem tempore approbari, & reprobari, ut firmant communiter Jas. Cagnol. Curt. jun. & alii, in eadem Auth. ex causa Rota apud Greg. decis. 271. n. 7. & 8. & apud Baratt. decis. 257. n. 18. & 19. repetit. apud Giovagn. conf. 42. n. fin. lib. 2. ubi concordantes.

Et quamvis in contrarium deducerentur ea, quæ habentur apud Bellon. jun. de jur. accresc. c. 9. q. 29. n. 24. & 25. Atamen omittendo examinare istius doctrinæ veritatem, illamque ex abundantia citrà veri præjudicium pro tunc admittendo, ac præsupponendo, decantabam idem intercalare solitum, quod scilicet fallacia consisteret in intelligentia, vel in applicatione, quoniam iste author loquitur cum præsupposito, quod successor intestatus, cur hæreditas delata sit ob infectionem testamenti, in eius gratiam inductam, illam non curet, sed potius eligat consequi legatum ex testamento, dum ita dicitur potius approbare actum, atque non intrat dictum inconveniens contemporanèe ap-

probationis, & reprobationis, ac assequeutionis commodi ab actu impugnato, non autem, ut eodem tempore intestatam hæreditatem, & testamentariam dispositionem assequatur, atque in hoc videbatur consistere punctus.

Quoverò ad alteram limitationem, ut cohæres rectè possit esse legatarius, tanquam obtenturus legatum, non à seipso, sed à cohæredibus; dicebam id rectè procedere in casu suo, de quo auctoritates loquuntur, quando scilicet id proveniat sciente, & volente testatore, qui legatum faciat ei, quem sciat scripsisse hæredem in parte, una cum aliis, quoniam tunc lex, quæ fingit, vel præsupponit testatorem sapientem, ob assistentiam, vel consilium sapientum, præsupponit quod ita ad legatum factum uni ex hæredibus pro validitate actus, & dispositionis alios hæredes gravare voluerit, & in his terminis, vel cum hoc præsupposito loquuntur dictæ auctoritates, & aliæ quæ desuper habentur; Nulla verò percipit casum, de quo agitur, quod scilicet testator, nescierit, & non cogitaverit habere hæredem legatarium, dum ita intrant quoque ea, quæ superius circa operationem clausulæ codicillaris habentur, adeout istæ responsones insimul connectant, & una alteram coadjuvet.

Atque ad hunc effectum consideratione dignam esse advertentiam supra enunciata, quamvis minus receptam opinionem volentium, quod clausula codicillaris, vel altera omni modo meliori, utpotè adjici solita ex Notariorum formulario non faciat suam operationem, nisi constet, quod testator esset ejus rectè conscius, pro regulatione scilicet istius voluntatis, & ne illi detur ea operatio, quam testator verè, seu verisimiliter noluit.

Præterea, procedendo cum sæpius insinuata propositione, quæ omnium quæstionum ambiguae voluntatis debet esse primaria regulatrix, atque principaliter præ oculis judicantium, & Consulenti haberi debet, attendendi scilicet substantiam verisimilis voluntatis potius, quam formalitates verborum, vel subtilitates juris cognitias, solum ejus professoribus, quinimò paucis, quia forte major pars illas non bene caller, & sic procedendo potius cum facti naturali veritate defumenda ex ejusdem facti circumstantiis; Istis attentis in facti specie, reflectendo etiam ad solam veritatem, dicebam prorsus improbabile videri, & contra verisimilem defuncti voluntatem, ut actrix eodem tempore portionem hæreditariam, & istud pingue legatum obtineret, ac propterea ejus conditio supra alias sorores, ita longè melior esset contra præsumptionem legis super exclusione inæqualitatis; Substantia etenim veritatis ea videbatur, quod cum ista soror, quæ virum non curando, celibem vitam domi ducere apud fratrem usque tunc elegerat, non esset provisa sicut erant aliæ, quæ habebant viros, & dotem; Hinc testator credens habere dictum nepotem masculum hæredem, voluit istam sororem innuptam, & non provisam ita providere, non autem cum adeò notabili inæqualitate illam ditare, ut portionem hæreditariam, & legatum obtineret; Unde ad summum quando verisimili testatoris voluntati famulandum esset, ipsaque naturali veritate atenta, dicebam, quod ipsa præterdere solum posset æqualitatem mediante collatione dotium, quas ab eodem testatore aliæ sorores habuissent, & per consequens pro meo iudicio parùm probabile videbatur istud rigorosum judicatum, ob solas subtilitates, & superflitiones legales, & ex operatione dictæ clausulæ codicillaris ignota disponenti, atque nullatenus ab eo cogitata.

Majoris autem exorbitantiæ visum est iudicium Signaturæ super exclusione appellationis suspensivæ, procedendo simpliciter cum opinione Angeli tribuente legatis viam exequutivam, cum reverà isto casu non intret, ex eisdem ponderationibus, & rationibus, de quibus supra disc. 6. ac etiam discurs. 42. de Judic. & alibi, Siquidem nullibi in jure expressè cautum est, ut pro legatis competat via exequutiva, sed ista provenit ab originali doctrina Angeli in §. illud Aulben. de hæred. & salcid. cuius opinionem in Curia sequuntur Tribunalia Auditoris Cameræ, & Signaturæ, ac etiam alia excepto Tribunali Rotæ, quod sequitur opinionem contrariam Alexandri in l. scum dotem §. eo autem tempore num. 6. ff. solut. matrim. & l. ait prætor, §. 1. ff. de re judic. & quarum utraque multos habet sequaces per classes relatos per Merlin. controvers. 2. lib. 2. Ac propterea duo ita dignoscuntur inconvenientia, ob quæ Juristæ puri pragmatici verè contemptibiles censendi videntur; Primò nempe, quod in eodem Principatu, eademque Civitate unum Tribunali judicet album, & alterum judicet nigrum in eodem puncto. Et secundò, quod ita clausis oculis in-

tellectus, more cæcorum trahamur ad manus illius Doctoris, cui prima vice proprio Marte, & ex privato iudicio visum sit per unam potius, quam per aliam viam ambulare, quasi esset casus legis, & sic dicit Angelus, ergò in dictis Tribunalibus Auditori Cameræ, & Signaturæ generaliter, & indistinctè concedenda est via exequutiva, & e converso contrarium dicit Alexand. ergò generaliter, & indistinctè in Tribunali Rotæ id denegandum, non ex alia ratione, quia sic unus, vel alter Doctor velit; & dicat, quo nil pro meo iudicio ineprius, Quando etenim adest clara, & expressa determinatio legis, quæ dicitur auctoritas necessaria; tunc ubi repugnet ratio vel discursus oportet captivare intellectum in obsequium potestatis legislatoris, & nihilominus etiam isto casu quando lex quoquo modo sit capax alicujus interpretationis, vel declarationis, debemus istam facere eo modo, quod dicitur ratio, quæ est anima legis, ut advertitur disc. 35. de Judic. & alibi pluries, sed quando agitur de doctrinis, quæ faciunt solum auctoritatem probabilem, tum quia nunquam probabilis dici potest illa doctrina, quæ repugnat rationibus; & principiis juris; Vel illa contemnenda est; Vel ad evitandam notam illius temeritatis, de qua puri pragmatici redarguer solent eos, qui ratiocinando impugnare velint seniorum traditiones, indaganda est ratio, cui ille auctor sit innixus, vel indagandus est casus, de quo ille loquitur, ad effectum congruæ applicationis, juxta ejusdem expressum, vel verisimilem sensum, ut eodem discurs. 35. de Judic. & alibi advertitur; atque ita possunt bene simul stare, quod eadem doctrina in uno casu procedat, ac recipienda sit, in altero autem non, quia sic unius, ac alterius circumstantiæ exigant.

Applicando autem ad rem, Angeli verba hæc sunt, Iatus registrata etiam per Merlin. dicta contr. 2. ibi: Quando petitur legatum vigore testamenti, non est necesse, quod Pars petat condemnari hæredem per sententiam diffinitivam, sed tantummodo, quod ei fiat præceptum de solvendo, &c. loquitur ergò Angelus in suo casu bene; quando scilicet legatum directè petatur vigore testamenti, quod ita supponatur validum, ac firmum, & per consequens ab hærede testamentario, qui ab eodem testamento suum jus metiatur, tunc etenim intrat congrua, & convincens ratio, insinuata etiam supra disc. disc. 6. quod scilicet testamentum quoad ipsum hæredem, qui ex eo totum petitur, dicitur res iudicata, & probatio probata, & casus legis, ac propterea manifestam redoleat calumniam, vel le impugnare illam dispositionem, quæ in eodem testamento continetur; Et nihilominus etiam in isto casu, quando hæres aliquod habeat justum motivum impugnandi petitionem legatarii, vel saltim dubium, ac iudicis declaratione dignum, adeout non intret dicta ratio, quia nempe non impugnet voluntatem, ac iudicium sui auctoris, sed potius prætendat, quod ille noluerit id, quod legatarius petat, excipiendo de non comprehensione, aut de ademptione, vel reformatione, juxta casus de quibus supra d. disc. 6. cum plur. sequen. penult. toto tit. adhuc dicta doctrina non intrat, cum ejus ratio non adaptetur.

Sed quando legatum petatur, ut in præsentia ab hærede intestato, potius conditione ex lege, quam ex testamento, sive ex voluntate tacita, & virtuali, ita subintellecta, quam hæres justè præterdere valeat non adest ob plures limitationes, quas patitur clausula codicillaris, vel dispositio Aulben. ex causa ut supra, tunc multò minus intrare debet dicta doctrina, non solum quia non adaptatur ejus ratio, sed etiam quia rectè dici potest, quod doctrina non loquitur de isto casu, de quo potius loquitur Alexan. qui in hoc sensu intelligendus veniat, & sic quod isti DD. non sint contrarii, sed potius diversi, dum ita non est impugnare iudicium defuncti, sed potius illud iudicis, malè illud interpretantis, à quo appellatur eo modo, quo in executione literarum Apostolicarum, aliisque similibus habemus, ex deductis disc. 37. 42. & 43. de judic. & alibi; Ut etiam habemus in terminis ejusdem hæredis, quod posita ejus qualitate sine beneficio inventarii, non dubitatur, quod eadem via exequutiva; quæ competeret contra defunctum, competat etiam contra ipsum, utpotè personam defuncti in universo jure activo, & passivo representantem; Et nihilominus si neget qualiter hæreditariam, vel illam acceptando alleget beneficium inventarii, atque super una, vel altera exceptione iudex decernat, tunc intrat appellatio, quia hæc à iudice malè

declarante interponi dicitur, non autem à iudicio defuncti; Cum similibus, atque ad idem conferunt deducta *sub tit. de fidei. disc. 271.* ad materiam legitimi contradicitoris, cum similibus.

ROMANA LEGATI,
ROCAPITULO ROTUNDÆ,
CUM HÆREDE JOANNIS CAROLI
VALLONI.

Causa disputata in Tribunali Vicarii credo,
resoluta pro Capitulo.

An legatum factum Ecclesiæ, in qua electa fuerit sepultura, cesset per mutationem dictæ electionis, quæ fiat in alia Ecclesiâ.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 **P**reparatio testamenti non redacti à perfectionem, non attenditur etiam ad pias causas.
- 3 **V**bi quis habet intentionem fundatam, ei sufficit effuscare probationes alterius Partis.
- 4 **T**estes reduci debent, quo magis fieri potest ad concordiam, & conciliari.
- 5 **E**x mutatione electionis sepulture non infertur ad revocationem legati facti Ecclesiæ, in qua prima electio facta erat.
- 6 **Q**uando ista questio intret.

DISC. LXV.

Joannes Carolus Vallonus Canonicus Ecclesiæ Collegiæ Sanctæ Mariæ supra Rotundam (ad quam redactum fuit antiquum celebre Pantheon) in testamento, vel alia sufficienti dispositione sepulturam sibi elegit in dicta Ecclesiâ, cui legatum fecit, deindeque in quadam præparatione alterius testamenti, non tamen ad actum testandi redacti, elegerat sepulturam in Ecclesiâ S. Laurentii in Lucina, explicando hunc ejus animum cum Religiosis in eadem Ecclesiâ viventibus, assignata ratione, quod cupiebat sepeliri in ea Ecclesiâ, in qua sepulta esset ejus Domina, & magna benefactrix, juxta sententiam, de qua in *Romana Testamento sub tit. de testam. disc. 81.* Eo autem defuncto ex improviso, cum adhuc esset Canonicus, in Ecclesiâ propria sepultus fuit, absque eo quod hæres, vel Religiosi dictæ alterius Ecclesiæ se opponerent, adversus tamen petitionem legati, excipiebant hæres de implicita revocatione resultante à dicta mutatione sepulture, quasi quod legatum fuerit correlative, juxta ea, quæ habentur *disc. 16. de donat.* introductæ causa in Tribunali Vicarii, scribens pro Capitulo actore, pro quo credo iudicatum esse, nisi concordia finem dederit controversiæ, etiam cum sensu veritatis, dicebam prorsus vanam videri hæres exceptionem; Tum ob defectum sufficientis probationis dictæ voluntatis mutandi sepulturam; Tum etiam quia ubi probatio adesset, non exinde resultaret iste effectus, ideoque duæ erant causæ inspectiones.

Quatenus itaque pertinet ad primum punctum probationum dicebam, quod aut ea deducebatur ex minuta, sua scriptura præparatoria secundi testamenti, & nullum fundamentum in ea constitui poterat, quoniam etiam in dispositionibus ad pias causas, in quibus omnes solemnitates à jure positivo introductæ non requiruntur, adhuc tamen ista imperfectio voluntatis potius, quam solemnitatum attenditur, juxta deducta *sub tit. de Testam. præsertim disc. 13.* & in aliis ibi proximis.

Aut verò deducebatur ex quibusdam privatis attestationibus factis per Religiosos dictæ secundæ Ecclesiæ; Et ultra exceptiones resultantes ex eo quod essent fides privatæ, & informes, ipsique attestantes dici possent interessati, utpote deponentes ad favorem propriæ Ecclesiæ; solidior excepti videbatur illa confictus attestatum hinc inde, dum ex hac parte dabantur attestations diversæ voluntatis posterioris, ut sepeliri vellet in Ecclesiâ, cujus erat Canonici, cum etenim ista haberent intentionem jam fundatam in testamento, iste confictus ei sufficiebat ad offuscandam, vel impediendam contrariam probationem, ne oriantur, vel ne perficiatur, ex deductis *disc. 2. de iudic. & alibi pluribus.*

Sed quoniam in hujusmodi conflictibus testium ad evi-

tandum in eorum aliquibus mendacium, & falsitatem, quam ita supponere oportet, capi debet omnis possibilis intellectus pro eorum conciliatione, ac reductione ad concordiam, ex deductis *cod. tit. de iudic. disc. 32. & alibi;* Hinc advertebam, quod omnes hinc inde dicerent veritatem, recteque possunt conciliari ob eam circumstantiam, quod idem defunctus habebat in animo dimittendi Canoniatum, cum reservatione alicujus competentis pensionis, juxta frequentiore usum, ut ita ingravescente ætate, se eximeret à servitio, atque de facto erat in tractatu; ideoque recte conciliationem cadere posse dicebam, quod scilicet quatenus decederet in eo statu Canonici, haberet in animo, ut par erat, quod in propria Ecclesiâ, & in sepultura Canonice sepeliretur, ubi verò mutato statu non esset amplius Canonici, tunc tamquam ex cessante causa cuperet sepeliri in sepultura ejus Domine, & Benefactricis, & per consequens cum obierit Canonici, firma remaneret prima voluntas.

Hinc non videbatur opus assumere alteram inspectionem cessationis legati ob mutationem sepulture; Et nihilominus quando de hoc agendum esset, duo adducebam fundamenta, quorum unum sufficeret; Primum nempe, quod probata etiam mutatione electionis sepulture, non exinde argui potest ad revocationem legati, nisi exprimat, vel efficacia hujus revocationis accedant argumenta, juxta punctualiter deducta per Maran. *resp. 9. p. 1. allegat. disc. 16. de Donat. n. 10. & alibi, Rub. de Testam. c. 68. num. 135. & segg. Quest. contror. for. cap. 8. n. 17. & 28. Frances de Ecclesiâ Cathedral. c. 17. n. 206. Capon. contr. 17. n. 5.* Et secundo clarior, quoniam dicta questio cadit quando mutatio sepulture effectum sortita est, quia defunctus in secunda, non autem in prima sepultus fuerit, juxta casum, de quo *d. disc. 16. de Donat.* quo casu intrat ratio, quod expediat sacrificia, & suffragia, aliaque pia opera sequi in illa Ecclesiâ, in qua sit cadaver, ideoque ista consideratio potius assistebat huic parti; Ponderando potissimè, quod actus sepulture in ista Ecclesiâ pacifice sequutus fuerat, quod comprobabat dictum conciliativum intellectum datum testibus, cum aliis eadem hæres germana soror defuncti, verisimiliter de hoc informata, id non permisisset, minusque permisisset dicti Religiosi, qui asseriebant se informatos pro communi consuetudine Religiosorum non de facili hæc præjudicia permittentium.

TROJANA LEGATI,
PRO MONASTERIO MONIALIUM
ANNUNTIATÆ,
CUM PP. THEATINIS.

Causa decisus per Rotam, ut infra, & postea
concordatus.

An legatum factum Loco Pio destinato pro Conservatorio puellarum, debeatur, si rigatur in Monasterium cum clausura: Et an censetur factum taxativè, vel demonstrative in effectibus destinatis.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series cum resolutionibus.
- 2 **U**bi actor fundavit suam intentionem, tunc reus in sua exceptione est actor.
- 3 **D**e fundamentis pro consequuntione legati ratione assistentis voluntatis.
- 4 **L**egata Pia non cessant ab insufficientiam, vel incapacitatem destinati operis, quia alteri pio operi applicantur.
- 5 **Q**uod etiam in pauperibus verificatur, ut solvant dotem Monasterio, & quomodo.
- 6 **M**oniales, quæ exeunt ab uno Monasterio, ut ad alterum transcant non repetunt dotem.
- 7 **A**n, & quando bona destinata pro implemento legati, sentent demonstrativè, vel taxativè.
- 8 **Q**uid operetur favor piæ causæ in hoc.
- 9 **Q**uod in arbitrariis non de facili convincatur injustitia.
- 10 **P**onderantur circumstantiæ casus, ex quibus ad demonstrativam inferatur.

DISC. LXVI.

Cum in Civitate nuncupata Foggia, quæ celebris est in Regno Neapolitano ob residentiam dohanæ pecudum Apulæ, cujus mentio habetur *discurs. 94. de Regal.* præpararetur pium opus Conservatori pauperum,

rum, quæ in eo se conservare deberent ad eorum honestatem in tuto ponendam, atque in hoc opere aliquam partem, ac effectum haberet Josephus de Ruggero illius Tribunalis Dohanæ Causidicus, iste decedens disposuit, quod ex ejus nominum debitorum exactione facienda in mense Junii proximo futuro, præstaretur subsidium cuiusdam quantitatis ab eo expressæ, puellis ingressuris istud conservatorium, quod ipse materna lingua Monasterium appellavit sub jam destinata nuncupatione Annuntiatæ, Cumque casus dederit, quod postmodum mutato consilio, non Conservatorium, sed formale monasterium servatis servandis erectum fuerit, atque ex istius partes legatum pereretur à PP. Theatinis hæredibus excipiebant isti non teneri ex cessante causa, vel præsupposito legandi; Quare introducta causa coram Ordinario prodiit sententia Monasterio actori favorabilis, in gradu appellationis revocata in Tribunali Auditoris Camera, introductaque per aliam appellationem causa in rota coram Bourlemont sub die 10. Aprilis 1672. prodiit resolutio, legatum deberi, reservato videre, an nomina debitorum starent taxativè, vel demonstrativè, ad cujus solutionis normam emanata sententia, & commissa causa appellatiouis in ead. Rota coram Vicecomite sub die 26. Junii 1673. prodiit resolutio conformis pro dicta sententia Rotalis justitia, & confirmatione; Ac propterea altera pars acquiescendo; resolutis, atque cedendo primæ parti dubii, an legatum deberetur, assumptis disputationem coram eodem Vicecomite, alterius partis reservata, an scilicet taxativè deberetur ex dictis nominibus debitorum exigendis, illudque sub die 24. Junii 1674. resolutum fuit ad favorem hæredis, quod starent taxativè, ut ipse prætendebat, non autem demonstrativè, ut ex hac parte Monasterii actoris prætendebatur, neque causa ulteriorem habuit progressum ob subsequutam concordiam.

Duo itaque, ut præmissum est, erant puncti, vel inspectiones; Primum nempe super substantia legati, an deberetur, nec ne; Et secundo quatenus deberetur super qua litate, vel accidenti; An scilicet illud restrictum esset ad exigentias per testatorem designatas, quibus non extantibus vel parum idoneis, illud aliunde non deberetur.

Quatenus itaq; pertinet ad primum, reflectendo etiam ad solam veritatem, casus mihi videbatur planus pro hac parte; Tum quia nullibi per excipientem docebatur, quod testator illud præsuppositum habuisset, sine quo non fuisset aliis relicturns, ut ipsius onus erat, dum actoris intentio jam fundata erat in testamento, ideoque reus in hac exceptione, cum qua actionem elidere prætendebat, actoris partes gerere dicebatur circa onus probationis, juxta distinctionem, de qua *disc. 2. de iud. & alibi pluribus.* Tum etiam, quia tam in verbis, quam in verisimili testatoris voluntate, ac etiam attentis regulis generalibus juris, eadem actoris intentio fundata remanebat; In verbis etenim, cum, ut supra advertitur, testator enunciaret potius Monasterium, quam Conservatorium, ideoque ubi cum sola formalitate, vel cortice verborum procedendum esset ista huic parti assistebat, magis verò ex verisimili intentione, vel substantia voluntatis, Tum quia extra Curiam etiam apud juris Professores, & Causidicos practicantes solum Tribunalia, & negotia secularia, adeunt in Tribunalibus, & negotiis Ecclesiasticis non sint plus, quam benè versati, ista distinctio inter vera Monasteria, & Conservatoria non de facili innotescit, quoniam habentur pro synonymis, juxta considerationes, de quibus *sub tit. de Regular. disc. 50. & sub tit. de dote disc. 5. & 167.* Tum etiam, quia cum hac imutatione de Conservatorio in Monasterium pinguis adimpleri dicitur pium desiderium subveniendi puellis, que ita Deo familiari eligant, suamque honestatem in tuto ponere velint, ob magis arctam clausuræ observantiam, & custodiam, ac etiam ob statum irtractabilem, juxta deducta *d. disc. 50. & 66. de Regul.* ideoque intrare dicebam frequenter enunciata verisimam, semperque præ oculis principaliter habendam propositionem attendendi substantiam voluntatis, ac finem, vel effectum à disponente volitum, quoniam quo pinguis impletur, ita melius.

Ac demum ob regulas generales juris pluries enunciatas, hoc *ead. tit. & sub altero de testam. ac etiam in annotat. ad Concil. Trident.* occasione agendi de commutationibus piam dispositionum, sive earum applicationibus Fabricæ Sancti Petri, de qua *disc. 20. in Relat. Cur. & alibi*, quod scilicet, ubi non constat de plusquam enixa, & taxativa voluntate restricta ad illud opus, sine quo cessare dicatur animus alias disponendi, piæ dispositiones principaliter, & in

genere dirigi dicuntur in Deum, & animam propriam, unum verò, vel alterum opus pium stare dicitur demonstrativè adimplendum, quatenus possit adimpleri, sin minus, quia ob rationem insufficientiæ, vel incapacitatis, id sequi non possit, vel quod sequutum cesset, non per hoc cessat dispositio, quæ in aliud pietatis opus erogari debet, ut etiam pluries habetur *sub tit. de donat.* occasione agendi de donationibus factis pro erectione Monasterii, vel Conventus postea suppressi, vel non erecti, cum similibus.

Et quamvis Scribentes in contrarium ad probandum dictam taxativam, magnum constituerent fundamentum in distinctione, non aliis, in testamento contenta, atquam videbatur leve motivum, cum ea rectè faceret suam operationem circa restrictionem potius ad unum, quam ad alterum usum ejusdem pii operis, id est quod hæc pecunia tanquam destinata in subventionem pauperum puellarum ingrediendarum non erogaretur in fabricam, vel alios usus ejusdem loci, cujus existentia posita nullatenus dispositionis cessatio præterendi poterat.

Dicebatur item, quod cum testator loquutus esset de pauperibus puellis ingrediendis, non adaptaretur illis, quæ tanquam Moniales recipiebantur, non nisi cum de dote etiã pingui pro more Regionis ducatorum quingentum, quoniam non implicat dotem Monasterio solvi etiam per pauperes puellas, quæ eandem dotem ex charitativis subsidiis obtineat, juxta aded frequentem praxim Urbis, aliarumq; præsertim magnarum Civitatum, juxta pluries insinuatæ *cod. tit. de dote;* Ac etiam, quia de facto id jam dupliciter verificabatur; Primum nempe, quia intuitu istius subsidii receptæ supponebantur aliquæ pauperes puellæ cum minori dote ita supplenda; Tum etiam, quia in eodem Monasterio introductæ fuerant gratis, & absque dote, juxta commune usum rationabilem quidem duæ Moniales extractæ ab uno Monasterio tanquam magistræ, & intructrices, quæ pauperes, ac indotatæ dici poterant, quamvis in susceptione habitus in proprio Monasterio dotem solvisent, cum ista restitui non debeat ex insinuatæ, *disc. 48. de Regular. & ex d. disc. 167. de dote;* ideoque ex pluribus causis circa hunc punctum habere videbatur de indubitabili, atque mirabat, quod invenirentur Advocati, & Professores, qui Religiosis istius litis sustentationem confulerent.

Quo verò ad alterum punctum, quod respiciebat potius accidens, quam substantiam, quando subsisteret factum, quod ex hac parte præsupponebatur, quod scilicet inter dictas exigentias adessent plures idoneæ jam exactæ, sed occultatæ, & quod fortè concordiam magis facilitavit, inanis remanebat labor assumere jus, de quo nunquam agendum est, ubi questio removere potest ex facto, cujus unica, ut pluries advertitur majoris est ponderis, quam sint mille liberæ juris. Sed quando de hoc articulo agendum esset, quamvis Scribens hinc inde totum transcribendo, ex deductis per Rovit. *decis. 57. & aliis relatis supra disc. 14.* multa deducere super questione; An favor piæ causæ excluderet taxativam, juxta opinionem Romani, nec ne; Advertebam tamen ad idem, quod aded frequenter insinuat in omni materia, præsertim verò in specie dictæ *disc. 14.* quod scilicet hodie id redoleat solitam superfluum, ac inutilem chartarum repletionem, improbumque contemptibilem laborem, cum verius dicatur questio voluntatis, qua accedente pro taxativa nil prodest favor piæ causæ, qui operativus est tantum circa ea, quæ concernunt solemnitatem, non autem voluntatem, circa quam operativus quoque; remanet in dubio, ut potius demonstrativa, quam taxativa præsumenda sit; Ac propterea censenda venit questio voluntatis, & per consequens potius facti, quam juris incapax regularum generalium, cuicumque casui applicabilem, sed decidenda cum singulorum casuum circumstantiis particularibus, ex quibus, ut frequenter animadvertitur, eadem argumenta in uno casu possunt esse efficacia, & in altero non, quamvis etiam alia majora adjungantur; Et licet adhiberi soleant distinctiones recentitæ *d. disc. 14. & alibi;* An scilicet præcedat oratio perfecta legati, deindeque subsequens destinatio, ut tunc ista stare dicatur demonstrativè; sed cum ubi è converso destinatio præcedat vel ita adjecta sit in eadem oratione, quod alias dispositio imperfecta remaneat, ut tunc stet taxativè; At tamen ista distinctio rectè attendenda venit in ambiguo, & quatenus diversæ voluntatis non urgeant majores præsumptiones, & argumenta, dum semper omnium levius censendum est illud argumentum, quod resultat à formalita-

te verborum, quæ potius Notarii, quam testatoris esse solent, semperque facta, idest argumenta, quæ resultant ex facto, prævalere debent verbis.

Hinc dicebam, agentibus pro Monasterio actore post proditam dictam ultimam resolutionem, quod quamvis mihi spectatis facti circumstantiis insimul ponderatis illa non placeret, non tamen redargui poterat de positiva improbabilitate, dum ita materia remanere videtur arbitraria, in qua non de facili injustitia convinci potest, cum ob ingeniorum veritatem, posita etiam æquali doctrina, & integritate, id quod uni videatur album, alteri videri solet nigrum.

Sed quoniam Scribentes in contrarium, ut præmissum est, totum transcribendo ex d. jam edito disc. 14. eo tacito, fundamentum constituiebant in resolutione prodita in ibi insinuata *Perusina Legati*, cum qua in hujus causæ decisione proceditur, advertebam tanquam Scribens in ea causa, quod fallacia erat in applicatione ob circumstantiarum diversitatem, ad quam pro congrua applicatione doctrinarum, & decisionum, omnino, ac principaliter est reflectendum; In eo etenim casu agebatur de dispositione facta per negotiatorem, qui habebat exigentiam Thesaurariæ publicæ per ipsum tentæ in appaltum; ideoque non bene inferri poterat ad casum præsentis quæstionis, quoniam hujusmodi negotiatores finito negotio in calculis, seu bilanciis separare solent exigentias bonas à malis, dictaque parti pendere, ac de facili condonare, sive pro exigua recompensa aliis cedere, & per consequens dici potest, quod libenter de his dispositum sit de tanta quantitate, de qua alias dispositum non esset, si ex aliis effectibus bonis, & explicitis dispositio adimplenda esset: Id autem ad rem non videbatur adaptabile, tum ob affectionem testatoris erga istum locum, quodque non concurreret major affectio erga hæredem, ut in dicto alio casu in effectibus, & explicitis bonis concurrere videbatur, tum etiam ob qualitatem aliorum bonorum hæreditatis, & credulitatem testatoris, quod exigentia essent bonæ, eo quia superventa accidentia eas fecerant malas; Ac propterea mihi videbatur, quod ista designatio facta potius fuisset in gratiam hujus pii Legati legatarii, ut magis promptè, & explicitè summam legatam obtineret ob operis qualitatem non admittentem de facili dilationem.

ROMANA LEGATI ALIMENTORUM PRO JOSEPHO DE ROSIS.

Responsum pro veritate.

De interpretatione legati alimentorum, & an ista debeantur juxta conditionem personæ, quamvis omnes redditus hæreditatis absorbeant, vel potius pro viribus, & numero personarum.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti serie.
2 Quod debeatur legatum videtur etiam si absorbeat omnes redditus.
3 Non autem ex proprietate.
4 Contrarium resolvitur, ut debeatur ad proportionem & quare.

DISC. LXVIII.

URSINUS de Rosis instituit hæredibus Aloyfio, & Josepho fratribus, ac Livia sorore cum præcepto insimul convivendi, sub administratione Josephi, reliquit Susannæ nepti victum, eo modo quo ipse testatore vivente percipere consuevit, & quatenus cogere ob parum urbanas tractationes, cum prædictis non cohabitare, tunc voluit sibi victum suppeditari in pecunia arbitrio duorum amicorum concorditer eligendorum. Cum itaque defuncto Aloyfio nollet Joseph cum Livia, & Susanna amplius convivere; hinc ex parte ejusdem consultus fui, quomodo præfatæ Annæ victus in pecunia taxari deberet, an scilicet juxta qualitatem personæ juxta illas considerationes, de quibus apud Merlin. decis. 5. & frequenter in multis Rotæ decisionibus valde notis, quamvis notabilem reddituum hæreditarium partem ut supponebatur, absorberet; vel potius ad mensuram, & proportionem virum hæreditatis, & personarum hæredum ex testatoris judicio cum legataria convivere deberent.

Respondi, quod quando testator legasset huic nepti simpliciter victum in specie, vel in pecunia, aliud non expri-

mendo, tunc si juxta qualitatem personæ opus esset erogare omnes redditus hæreditarios, adedum parum, vel nihil remaneret ad commodum ipsius Josephi, & alterius coheredis, non posset negari totum id, quod opus esset, quoniam cum agatur de testatore extraneo, qui nihil relinquere tenebatur hæredibus, quibus omnem detractionem prohibere poterat, nulla subesse videretur denegationis ratio, ex regula, quod hæres tenetur infra vires hæreditarias adimplere defuncti judicium; Et fortius, quoniam agebatur de legato alimentorum ad vitam; ac propterea quando etiam absorberet omnes fructus, adhuc ad commodum hæredum remanebat proprietas, atque solum cadere posset ratio dubitandi quando fructus non sufficerent; adedum oporteret consumere proprietatem, quo casu veritas contra legatariam respondendum esset ex verisimili, ac præsumpta voluntate testatoris, ex deductis apud Burat. decis. 73. n. 1. & 2. Potissimè verò, & clariùs, quia testator in bonis ordinavit fideicommissum.

Verùm in hac facti specie ob ejus particulares circumstantias, contrarium dixi videri probabilius, quod scilicet habenda esset ratio, vel proportio tam virum hæreditarium, quam etiam personarum, quæ insimul convivere deberent eo modo, quo cum ipso testatore convivebant, adedum omnes æqualiter in hoc essent considerati, potissimè dum ut supra ordinavit fideicommissum, ac propterea titulus hæreditarius fatuus remaneret, dum hæredes erant seniores, ita attendendo potius substantiam verisimilis voluntatis, quam regulas, vel formalitates juris, quodque ubi legataria cum coheredibus convivere nollet, haberet in pecunia id, quod alias in communi mensa esset consumptura, ac etiam plus ubi juxta suam proportionem vires hæreditariæ supportarent ex fructibus, ut supra; In id ponderando, quod propterea testator mandavit isto casu taxam fieri arbitrio communium amicorum, ac juxta ea, quæ proximè ponderantur supra disc. 24. Credo autem, quod concorditer controversia terminata sit.

FOROLIVIEN. LEGATI PRO SILVIO DE TAURELLIS CUM FRANCISCO, ET SEBASTIANO ETIAM DE TAURELLIS

Casus disputatus in Tribunali A. C.

De legato factio pro subsidio Scholarium, quam conditionem implici tam habere dicitur; Et an contraventioni explicitæ, vel implicitæ conditioni habeat oculos retrò, & obliget ad restitutionem accepti.

Et de qualitate monetæ, in qua hujusmodi legatum præstari debeat, si Testator de aureis simpliciter loquutus fuerit.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti serie.
2 De quæstione super mutatione monetæ, & cujus modo cedat augmentum.
3 De significatione vocabuli, Scutus.
4 In dubio debetur id quod minus.
5 De significatione vocabuli, aureus, vel auris.
6 De antiquis scutis auri reprobatis, & redactis ad monetam imaginariam.
7 Quod dispositio intelligi debeat de moneta magis usitata in Regione.
8 De errore componendi testamenta, & conventiones in lingua latina.
9 De distinctione inter dispositionem modalem, & conditionalem.
10 Legatum pro subventionem in studiis, quas condiciones habeat.
11 De distinctione inter Doctores, & doctores.
12 De eadem distinctione, de qua num. 9. cujusque intelligentia.
13 De eodem, & quomodo ad rem præstari debeat.

DISC. LXVIII.

SILVIUS de Taurellis in testamento condito de anno 1594. instituit perpetua primogenitura in linea masculina Thomæ ejus fratris, cum diversis dispositionibus ad rem non facientibus, mandavit ex ejus effectibus per exequo-

quutores investiri aureos decem mille productivos, ut ipse opinabatur, pro illorum temporum conditione annuorum sexcentum, cum quibus manuteneri voluit in studiis legum extra patriam tres juvenes habiles de familia sub diversis legibus, & præsertim, ut verè studeant per septem annos continuos, & nunquam possint redire ad patriam cum privatione in casu contraventionis, præsupponendo etiam, quod debeant assumere lauream doctoratus, dum disponit, quod si post istam susceptam, velit eorum aliquis se exercere in Curia Romana, tunc suspensio legato Scholarium totum subsidium huic præstetur.

Istaque facti serie sic stante inter personas de eodem familia, & linea respectivè plures exortæ fuerunt controversiæ in Tribunali Auditoris Cameræ, & præsertim duæ; Primò scilicet super quantitate, seu qualitate monetæ præstandæ pro dicto subsidio; Et secundò, an illi, qui per aliquos annos fuerunt in studiis, sed infra septennium ad patriam redierunt, doctoratus laurea non suscepta, nullaque data probatione profectus in studiis, teneantur restituere acceptum, adedum privatio contravenientis haberet oculos retrò, & operaretur tanquam ab initio, vel potius solum ex tempore contraventionis in futurum.

In disputationibus itaque desuper habitis sub ignoto eventu; Quatenus pertinet ad primum punctum; Cùm Scholares prætenderent decursas annualitates, in quibus vacarunt studii solvi debere in scutis auri veris usualibus, & currentibus, vel in eorum æquivalenti ad nunc currentem rationem juliorum quindecim pro quolibet, dum Testator loquutus est de aureis, non obstante quod interim valor notabiliter excreverit, quoniam cum agatur de moneta vera, & non imaginaria, attendi debet tempus solutionis, atque augmentum crediti commodo creditoris, juxta distinctionem, de qua frequenter sub diversis materiis, & præsertim disc. 140. de Credit. disc. 89. de benef. disc. 34. & sequentibus, & alibi; E converso autem possessor hæreditatis, vel primogenituræ, cui hoc onus incumbebat, & pro quo ego scribebam, prætendebat, quod Testator sentisset de illis scutis auri, qui tunc in ea Provincia currebant magis communiter, & qui postmodum de anno scilicet 1598. reprobati fuerunt de mandato Clementis VIII. ac determinati pro regulatione contractuum scutorum aliorumque actuum in moneta imaginaria foliorum 84. pro quolibet, & per consequens, quod juxta eandem distinctionem citatis locis insinuatam non adesset augmentum, sed illud tempus attendendum esset; Et sic nulla erat quæstio juris super hoc articulo alterationis monetæ, locis citatis peracto, quoniam licet apud nostros majores ista reputaretur quæstio nimium involuta, hodie tamen videtur jam explanata cum dicta probabili quidem, ac recepta distinctione, & per consequens remanet quæstio facti, & applicationis, an scilicet de una, vel altera monetæ specie agatur, adedum una, vel altera pars distinctionis intret.

In hoc itaque puncto, ut præmissum est, potius facti, & voluntatis, quam Javis; Cùm Scribentes in contrarium vim constituerent in eo, quod Testator in testamento concepto in lingua latina loquutus esset de aureis; Dicebam, quod revolutis Calepino, Izolio, & aliis linguæ latinæ professoribus, non inveniebam, quod vocabulum scutus denotaret monetam, eo modo, quo de præsentis, & aliquibus sæculis citrà denotat, cùm apud eos denotet illud instrumentum, quod per milites, aliosque pugnantes adhibetur, tanquam præservativum à telorum vulneribus, & amaritudinis, & de quo loquitur Psalmista, ibi: Apprehendet arma, & scutum, ac etiam habetur lib. Reg. agendo de scuto Golizæ, & scipius, & in eodem sensu idem vocabulum acceptum fuit per Glos. & alios antiquos Juristas, ut patet ex Alber. in Dictionar. Observando, quod Covarruv., qui in hac monetarum materia magnam ostendit eruditionem in ejus tractatu, cui vocabulum Veterum colatio numismatum, agendo de antiquis Romanorum, aliarumque nationum monetis, istud scuti vocabulum non recenset, cùm revera in hac subjecta materia monetarum sit barbaratum, & modernum post dissolutum in Italia Romanorum Imperium, ob tot exterarum nationum dominationem, & mixturam, incertum est à qua, & quando introductum; Ac etiam illud est æquivocum, & aptum significare diversas monetæ species, non solum in ipsomet genere auri, in quo antiquitus habebantur per Italiam diversæ species monetæ auri, majoris, & respectivè minoris bo-

nitatis, & valoris, à fine sæculi decursi citrà reprobari, ac deleri incæptæ, locis citatis recensitæ, ac etiam disc. 10. de alien. & contr. prohib. sed etiam diversi generis, vel diversæ materiæ, quoniam (ex: gr. in Urbe, & illo Statu Ecclesiastico immediato, in quo non adest diversitas monetarum, sicuti dignoscitur in Legationibus Bononiæ, Ferrariæ, Romandiolæ, & Urbini, istud vocabulum non solum congruit scutis auri, qui etiam hodie sunt duplicis generis nempe stamparum, seu novi ponderis, & aliorum ponderis antiqui, sed etiam congruit scuto monetæ argenteæ juliorum decem pro quolibet, ac etiam æræ ejusdem æquivalentiæ; Et in dictis legationibus in eorum genere monetæ argenteæ, vel æræ adest discretiva scutorum monetæ Romanæ Juliorum, seu Paulorum, & monetæ Regionis minoris valoris; Quinimò ubi non adjiciatur qualitas auri, quia nempè dicatur de scutis auri, dicendo simpliciter de scutis, intelligitur potius de istis currentibus monetæ Romanæ, vel respectivè alterius monetæ Regionis, de qua agatur ex prædictis, ut locis cit. de pensionibus, ac etiam disc. 126. de Regal. & alibi, & præsertim supra disc. 40. Ac propterea quando Partes sentire volunt de scutis auri, id exprimitur, cum adjecto auri, & pariter isto casu est de dicta duplici specie stamparum novarum, & respectivè antiquarum; Quinimò in Urbe adest alia species recensita locis citatis, & præsertim disc. 89. de benef. & disc. 140. de Cred. quorundam scutorum majoris valoris, quorum usus hodie amplius non habetur, adhuc tamen aliqui extant apud antiquarios, qui appellari solent Ducati Cameræ, sive scuti largi solis; Et per consequens rationem in actibus tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem, Partium intentio sit agere de scutis auri nunc currentibus, non sufficit dicere scutos simpliciter, sed necessarium est istum adjectivum auri; & nihilominus etiam isto casu intelligitur de illis minoris valoris ponderis veteris, nisi adjiciatur qualitas ponderis novi, vel stamparum currentium, ex regula delumpta ex vulgari Text. in l. nummis, de qua apud Surdum decis. 298. ac supra dicto d. scut. 40. & alibi, quod in dubio intelligitur de minoribus, talisque est regula, quoties privilegium ejus, cujus favore dispositum sit, vel aliæ facti circumstantiæ non sua-deant limitationem.

Ac ulterius circa istud vocabulum scutorum, aptum convenire non monetis veris diversarum specierum, ut supra (quàm etiam illis imaginariis, quæ juxta diversos Italiæ usas constituuntur ex libris, vel solidis convenit etiam alteri monetæ imaginariæ habenti adjectum auri, quales sunt scuti Marcarum discreti à scutis auri stamparum, de quibus agitur pluries sub titulo de Camb.

Prout alterum vocabulum Aureorum, simpliciter, sine mixtura dicti alterius vocabuli scutorum, ex communi modernorum loquendi usu in lingua latina, non autem in Italica ità denotat scutum auri, sicuti scutum monetæ Regionis, quoniam illi, qui pedagogico more elegantiam in eloquutione effectant, quando etiam scutos, vel ducatos monetæ exprimere volunt, adhibent istud vocabulum aureorum; Ac propterea non denotat pernecessè monetam auri, sed aptum est convenire scutis monetæ argenteæ, vel æræ, majoris, vel respectivè minoris valoris, pro diversis moribus Regionum; Quamvis etenim in legibus civilibus præsertim modernioribus trium librorum Codicis Justiniani, ac etiam in illis Codic. Theodosiani reperitur istud vocabulum aureorum, quod denotet nummum aureum; Attamen ista erat diversæ valoris, cùm aliqui credant, quod importaret quartam partem unciz, & sic illam monetam, quam hodie duplam dicimus, alii verò quod importaret illam sextam, quam importent scuti auri currentes, ex relatis per Covar. loco citato cap. 3. in princ. & §. 1. & 2.

His itaque sic stantibus, quod scilicet ista vocabula scutorum, & aureorum respectivè, quando sint disjuncta remaneat æquivoca, & apta convenire diversis speciebus monetæ, tam veræ, quàm imaginariæ, adedum ad denotandum scutos veros aurei requiratur utrumque vocabulum simul junctum, quia nempè dicatur de scutis auri, ut supra; Atque in casu quæstionis Testator loquutus fuerit de aureis simpliciter, ità dicebam nullatenus concludi, quod sentierit de scutis auri veri nunc currentibus, cùm sentire potuerit de dictis scutis auri, qui tunc currebant postea reprobatis, ut supra, & redactis ad monetam imaginariam, & de quibus, eorumque reprobatione, habetur pluries mentio in diversis Rotæ decisionibus, præsertim apud Pen. decis. 592. apud Bich. decis. 102. Othob. decis. 64. Coc-

cin. *decif. 1851. in Foro Rojien. Legati 13. Januar. 1642. cor. Panzirolo, & in aliis; Idque non solum ex dicta regula Text. in l. nummis, ut in dubio censetur de minoribus;* sed etiam, & fortius quia illa erant in Regione in magis communi usu, isti vero scuti auri veri currentes erant penè ignoti, ac vel nullius, vel nimium rari usus.

Ac ulterius in idem accedere observabam totum contextum testamenti, quod in plerisque partibus, loquendo de investimentis, vel exactionibus respectivè, adhibebat Testator idem vocabulum *aureorum*, quod pro subjecta materia non nisi prædictis in Regione magis communiter currentibus erat adaptabile; Accedente quoque subsequente observantia, quæ dicitur in omnibus optima interpretres.

Hinc autem edocemur, quàm evidens error sit in plerisque locis enunciatus, præsertim in præmio Operis Italici, cui titulus est *il Dottor Volgare*, ordinandi testamenta, ac etiam contractus in lingua latina, præsertim ubi agatur de dispositionibus Mercatorum, & aliorum, qui non sint eximii Juris Consulti, ac propterea habeant peritiam vocabulorum in utraque significatione legali, & grammaticali.

Alter erat punctus contraventionis, an ista operaretur ut nunc, vel potius ut tunc, & ab initio, adeò intraret obligatio restituendi fructus, vel annualitates perceptas; Et Scribentes in contrarium procedebant cum terminis generalibus, qui habentur *disc. 73. de Testam. & disc. 154. de fideicommissis*, & alibi super distinctione inter dispositionem conditionalem, & modalem, ut priori casu, quando dedit conditio, sub qua, & non aliàs emolumentum disponens obtineri voluit, tunc restituendum veniit perceptum, quia revera nunquam adfuit dispositio, quæ ita non incipit, in posteriori autem contraventione operetur amissionem emolumenti tanquam pœnam post delictum, non autem antea; Ultra alium effectum ut isto posteriori casu desideranda veniat malitia, & culpa positiva non desideranda in priori, ut ibi latius; Ideòque applicando ad rem, dicebant, quod versabamur in secunda parte distinctionis inobservantia, scilicet in futurum post jam caprum opus, & assequutum in parte emolumentum, adeò adaptari non possunt termini dispositionis conditionalis, de cujus natura est, ut implementum debeat præcedere, atque non implementum se opponat principio acquisitionis.

E conversò scribens ego in contrarium deducebam auctoritates *Dec. consil. 176. juxta unam, alias 179. juxta alteram impress. Jal. consil. 149. lib. 4. & aliorum de quibus apud Gratian. discip. 217. num. 87. & sequentibus*. firmanter, quòd hujusmodi legata pro subventionibus illorum, qui studiis operam navare velint, quàmvis sit implicitam habent conditionem, unam nempe, quòd revera studeant, & alteram, quòd studia perficiant cum susceptione doctoratus veri, non autem ceremonialis, juxta distinctionem doctorum per veritatem, & per solum privilegium, qui doctorati, non autem Doctores dicuntur, de qua *disc. 35. de præcemin. & alibi*; quoniam aliàs deficere dicitur voluntas testatoris, qui respexit ad certum finem, vel effectum, sine quo non dedisset illam subventionem, quamvis non exprimat, neque aliquam adiciat caducitatem; Multò igitur magis quando expressa voluntas accedat, ut in præsentem accedere dicebam, ex illis testamenti verbis; *Vi verò studeant, & quod per septem annos continuos semper studendo, nunquam redire possint ad patriam ex quavis causa*; Ac etiam, quia expressè præsupponit sequenturum esse doctoratum, adeò efficerentur habiles ad sequendam Romanam Curiam ut supra; ideòque versaremur potius in dispositione conditionali.

Et quoad distinctionem, de qua *d. disc. 73. de Testam. & disc. 154. de fideicommissis*, ut scilicet conditio distingatur à modo, quando adjiciatur à parte antea, ita ut implementum præcedere debeat ante assequutionem emolumenti, secùs autem à parte postea cum tractu successivo, & postquam emolumentum obentum est, sed obtineri cepit; Dicebam distinctionem regulariter esse veram, illamque attendi debere in dubio, secùs autem quando diversa voluntatis argumenta, & conjecturæ accedant, cum tunc veritas potius, vel substantia veritatis attendi debeat, quoniam præsumptiones juris tolluntur ex contraria probatione, etiam præsumpta, & adminiculativa, ut advertitur præsertim *d. disc. 73.* quasi quòd emolumentum assequutio de facto, quia sic importaret subjecta materia, & qualitas dispositionis, eam implicitam habeat conditio-

nem, ob cuius defectum actus resolvatur ab initio, perinde ac si assequutio emolumentum sequuta non esset; Ut etiam proximè ad rem habetur *disc. 49. & 51. de Scrip. ut de materia ususfructus, vel alterius annuæ subventionis relictae per virum uxori permanenti in viduitate, quòd licet in casu transitus ad secunda vota super hoc puncto restitutionis ejus, quòd medio tempore in statu viduitatis perceptum est, procedatur cum eadem distinctione, an viduitas in dispositionibus particularibus stet conditionaliter, vel modaliter, ideòque Doctores cum consuetis frigiditatibus immorari soleant in formalitatibus, & grammatilibus significationibus verborum, & dictionum; Attamen revera principaliter inquiri debet substantia voluntatis ex singulorum casuum particularibus circumstantiis desumenda, adeò intrat sæpius insinatus, ac damnatus error procedendi cum regulis, & propositionibus generalibus vel cum doctrinis, & decisionibus, quæ diversos percipiunt casus, cum revera ista non sit quæstio juris, sed potius facti, & voluntatis ex facto, & oratione dispositionis massa vel contextu desumenda, spectato principaliter sine, vel effectu per Testatorem desiderato, ut etiam advertitur ex *Florentina substitutionis sub tit. de fideicommissis*, & alibi.*

Omnemque difficultatem tolli dicebam ex facto, quoniam Testator adjiciendo pœnam caducitatis, adjecit clausulam *ex nunc pro tunc*. Ac etiam quia esset fatua adjectio pœnæ, quoties ei non daretur ista operatio, dum sine adjectione, quoties Scholaris rediret ad patriam; vel non doceret morari in studiis, non posset petere annualitates, ut in pensionibus, & similibus haberet super justificatione superviventis, cum similibus, ideòque his omnibus simul junctis, dicebam probabilius videri, quòd versaremur in casu dispositionis conditionalis, potius quam modalis, ideòque intraret retrotractio ad suum initium, cum obligatione restituendi perceptum.

Reflectendo autem ad veritatem, etiam mihi videbatur idem, quòd Judicis, quòd scilicet nimium durum esset ita generaliter, ac indefinitè id statueri, atque cogere ad restituendum id, quòd paulatim receptum est in singulis annos, vel menses, consumptum extrà patriam, in eo majori sumptu, que in patria facere non oportuisset, comedendo in mensa Patris, vel alterius conjuncti juxta ponderationes, de quibus *disc. 86.* ubi de hac differentia convendi in propria domo, vel extrà, ac propterea esset beneficium, quòd resolveretur in maleficium, & supplantationem; Ideòque procedendo potius cum discursu naturali, & rationali, regulato à magis communi usu, quàm cum superstitionibus Juristarum, & sic attendendo magis substantiam veritatis, quàm formalitates, ut supra mihi videbatur, quòd hujus quæstionis decisio principaliter pendet à singulorum casuum qualitate, & circumstantiis; Ubi etenim ille Juvenis, qui accedendo ad aliquam publicam universitatem causa studiorum, ut hujusmodi subventionem potiaratur, revera quantum in se est aliquid condonando illi ætati, & cuidam naturali averfioni, quam ab hujusmodi pessima occupatione homines habere solent, fecit, quòd poruit saltem moraliter, adeò ut vocaverit illi fini, ob quem ad illam Universitatem accessit, non potuit autem prosequi, ac perficere opus ex aliquo probabili motivo infirmæ valetudinis, vel inimicitiarum, sive superventæ indigentia redeundi ad patriam, ut propriis negotiis vacaret, alioque simili inopinato, & justo casu, & tunc verius videretur nullatenus intrare retrotractionem, sed solum cessationem subventionis in futurum; Ubi vero constet, quòd ille delitit, ac vitii deditus, materialiter solum in loco studiorum stetit, revera tamen non studuit, adeò nullatenus impleverit voluntatem Testatoris; Et tunc revera iste committere dicitur furtum, quòd consistit in contrectatione rei alienæ inuito Domino, & per consequens, ut teneri debeat ad restitutionem accepti; Ac propterea laudarem, quòd ab hujusmodi Scholaribus, ac etiam ab illis, qui in Seminario, vel Collegio locum obtinere fatagunt, fiant obligationes de restituendo totum acceptum, quatenus studiis non vacent, cum ut plurimum hujusmodi subsidia iniqua esse eventus, doceat.

SARZANEN. LEGATI

Ad petitionem

CATHARINÆ MANZIÆ.

Responsum pro veritate.

De interpretatione legati facti uxori alicujus non cohabitantis cum viro, an cesset necnè, si cum eo cohabitaret.

SUMMARIUM.

- 1 *Acti series.*
- 2 *Distinctio, cum qua dubium resolvitur.*
- 3 *Vxor tenetur sequi virum, neque alias extrà ejus domum peti alimenta.*
- 4 *Distinguuntur species separationis vitæ conjugum.*
- 5 *Conditiones illicitæ in legatis rejiciuntur, & habentur pro non scriptis.*
- 6 *Conclusio discussus.*

DISC. LXIX.

CUM Catharina Manzi soror olim Abbatis Caroli, de tempore, quo iste testatus est, & antea solita esset vivere in loco Massæ patria in domo fratris, non autem cum viro, qui occasione professionis medicinæ conductus à Communitate Carrariæ, ibi moram trahere solitus esset, neque aliquando accedens ad patriam in domo Abbatis recipere, sed in illa ejus Patris; Rebusque in hoc statu existentibus, idem Abbas in testamento reliquit simpliciter dictæ sorori annua scuta quinquaginta ad vitam, postmodum verò per capitulum separatim subjunxit, quòd si eadem Catharina in ipsius Testatoris domo habitare voluerit seorsum à viro eo modo, quo aliàs fecit, atque tunc faciebat, tunc ei reliquit annua scuta 200. etiam habitationem dictæ domus una cum mobilibus; Cùmque post mortem Testatoris Catharina virum quandoque accidentaliter ad patriam accedentem, à dicto loco Conductæ, in dictam domum receperit, ac recipiat, ac etiam ipsa quandoque accedat ad dictum locum Carrariæ ad domum viri, quòd vivente Testatore non faciebat; Hinc dubitari contigit quale legatum dictæ mulieri debeat, an illud scutorum quinquaginta vel alterum scutorum 200. & habitationis, atque desuper consultus.

Respondi, quòd quando conviventia mulieris cum viro non esset continua pro majori parte vitæ, qualis esset, si ipsa ad locum Carrariæ accederet, sequendo domicilium viri, qui ipi ratione conductæ pro majori parte vitæ cogebatur morari, sed esset modica, & accidentaliter, ut contingere solet in iis, qui extra patriam occasionaliter alibi vivant, occasione scilicet professionis, vel mercaturæ, & simili, ut accidentalem, & modicam esse in facti notula transmissa supponebatur, tunc pro prestatione majoris legati scutorum 200. & habitationis respondendum videtur, cum supponendum non esset, quòd Testator Sacerdos, Parochus, ac Prælatum majoris Ecclesiæ in patria, moriens esse voluerit immemor æternæ salutis, atque cum pinguiori legato forem allicere ut à viro diverteret, atque nullatenus cum eo conversari posset, ideòque dicebam, quòd substantia verisimilis voluntatis, quæ principaliter potius quàm verborum formula attendi debet, illa esse videretur, quòd cum mulier de jure teneretur sequi virum, etiam extra patriam, atque cum eo vivere in loco Carrariæ, in quo ob suæ professionis exercitium, & conductam vivere cogebatur, ex plenè deductis apud *Celf. dec. 9. nu. 2. & seqq. decif. 35. nu. 8. p. 11.*

Idcirco nè dicta mulier, quæ in gravi ætate constituta supponebatur, cogere in vita pati incommodum vi vendi extra patriam, testator voluerit, quatenus eligeret vivere in patria ita eam providere; ac propterea vir non cogere ibi alimenta suppeditare, ut probare observabam dispositionis contextum, quòd repositum esset in ejusdem mulieris voluntate, ibi *habitare voluerit in mea domo seorsum à viro*; ideòque ipsa hujusmodi continuationem facere vellet, dixi, quòd essemus in casu posterioris legati.

Neque obstare observabam illa verba, quòd *seorsum vivere voluerit à viro*, quoniam duplici modo seorsum vivi potest; Vel scilicet cum formali, & omnimoda separatione Thori ex causa inimicitiarum, vel alia de jure probata, sive ea non

probata, illicitè, & culposè, Et aliud est, quòd accidentaliter uxore vivat seorsum à viro absque odio, & formali separatione Thori, quia nempe vir ex causa mercaturæ, vel professionis, vel ex alia occasione vivat extrà patriam, contentetur autem, atque permittat, quòd uxor cum non sequatur, prout sequi tenetur, si ad illam cogere vellet, quoniam id permittendo non tenetur à converso illam alere, ut supra istumque dixi videri verum, ac germanum hujus dispositionis sensum quoniam præsumenda non est iniquitas, sive depravatus animus alliciendi mulierem, ut odio habeat virum; atque cum illo nullatenus converteretur, dum supponebatur, quòd nulla adesset justa causa separationis Thori.

Et nihilominus ubi de ista voluntate constaret adhuc neque sufficere dixi, quoniam tunc dicenda esset conditio turpis, habenda pro non scripta, ac propterea legatum quod debetur ea non obstante; juxta *Tex. liberales in l. sed neque 8. ff. de Usu, & habit. l. reprehendenda C. de instit. ubi gloss. tit. G. allegat concordantes, Duran. de condit. p. 2. c. 3. n. 15 & seqq. Sanchez de matrim. lib. 1. disp. 34. nu. 6.* Et in summa concludebam, quòd vis non erat in verbis, sed in effectu, sive in substantia rei, & an revera mulier esset provisa de alimentis convivendo cum viro, vel è converso non provisa indigeret hujusmodi alimentis, ut priori casu solum primum unius legatum obtineri deberet, in altero autem majus, adeò ut conviventia cum viro sit continua, & pro majori parte vitæ, cum dicto effectu suppeditationis alimentorum, adeò cessaret ratio, vel finis legati pinguioris, & accidentaliter, & ad modicum tempus, ac propterea finis non sequeretur.

PISTORIEN. LEGATI,

Ad instantiam

MICHAELIS ANGELI PACINI.

Responsum pro veritate.

De eadem materia, de qua *disc. 23.* an scilicet cesset legatum factum intuitu cohabitationis, & educationis alicujus, quæ postea cesset.

SUMMARIUM.

- 1 *Acti series.*
- 2 *De quæstione, de qua in argumento, & cum qua distinctione deciditur.*
- 3 *Quando puella admittatur in Monasterium gratia educationis.*
- 4 *Vbi uxor transit ad secunda vota, ejus parentet, ad huc redduntur suspecti.*

DISC. LXX.

N^o Pacinus relictiis quibusdam filiabus in infantili ætate constitutis, pro earum meliori custodia rogavit soceram, & socerum, ac etiam uxorem, tanquam avos, & matrem respectivè, ut penes eos illas teneret, & educare deberent, usquequò essent in ætate, quòd ingredi posset aliquod Monasterium eligendum à Michaeli Angelo fratre, in quo eas educari voluit, taxando alimenta dictarum puellarum, donec in domo avita educarentur, ad rationem scutorum 50. pro qualibet, quæ cessare deberent pro rata, vel respectivè in totum, post sequutum dictum ingressum in Monasterium; Cùm autem puellarum mater transitum fecisset ad secunda vota, atque præfatus Michael Angelus tutor obtinisset licentiam à Sac. Congregatione, ut istæ puellæ recipi possent in Monasterio gratia educationis, etiam ante solitam ætatem septem annorum, in qua ordinarius stylus est dictæ Sacre Congregationis concedendi hujusmodi licentias; Hinc dubitari contigit, an cessaverit dicta provisio annuorum scutorum 50. solvendum avo educatori pro alimentis cujuslibet, atque desuper consultus.

Respondi, quòd casus videretur nimium planus, imò indignus ratione dubitandi quoniam illa quæstio, quæ apud Scribentes involuta videtur, an, quando cesset legatum alicui factum cum onere cohabitandi, vel retinendi apud se aliquam personam, quæ cohabitare nolit, vel non possit, percutiet casum, in quo legatum directè factum sit illi tertio, in cujus persona principaliter sit substantium, eique annexatur dictum onus; Ac propterea cadit quæstio, an onus sit causa principalis, & finalis legati, vel potius accidentaliter, & impulsiva; Sed quando ex tenore dispositionis constat, quòd nullum legatum factum est, neque dispo-

dispositio directa est in legatarium, cui solum, ac principaliter in iuncta est educatio, cuius ratione demandata est superadditio expensarum ex causa alimentorum prestatorum personarum principaliter contemplata, tunc casus remanet extra omnem questionem, ut provisio sit mere cautiva, quæ esset ex cessante causa, ad tex. in l. illis libertis in fine ff. de cond. & demonstr. cum concord. apud Cyriac. contr. 50. n. 19. & 20. dicitur 636. p. 4. rec. tom. 3. cum aliis supra disc. 23.

Neque vim aliquam facere dixi illa verba, in chefino in eia di poter entrar in Monastero, quoniam nullibi in iure cautum est, quænam sit ista ætas, adeo ut in iure inspectio, an ille casus, qui sequatur ex gratia dispensativa, veniat necne sub dispositione; Ista etenim facultas prius competebat Ordinariis locorum, eorumque arbitrio remissa erat; in qua ætate id permittere deberent, postquam verò Sac. Congregat. eandem facultatem Ordinariis ademit, atque sibi reservavit, exercet hoc arbitrium, prout ei videatur, unde licet regulariter, & pro ordinario stylo, illud exercere non soleat, nisi quando puellæ pervenerint ad ætatem septem annorum; Attamen illud variat, ut sibi videtur, & per consequens non agitur de gratia exorbitanti, & dispensativa,

per quam tollitur jus quæsitum, tertio quoniam; revera fœder, & fœdera nullum habent jus quæsitum, nullaque dispositio eorum favore facta est, sed tantum est provisio mere cautiva, & accessoria super refectione alimentorum de jure debita, faciendæ eorum taxationem ad tollendas omnes controversias, quæ desuper cadere possent.

Rariùs verò ob immutatum rerum statum, ac cessatum testatoris præsuppositum, literaliter in testamento expressum, quòd scilicet ejus uxor puellarum respectivè mater, una cum parentibus in statu viduitatis vivere deberet, ideòque puellarum educationi, & curæ melius vacare possent; Ac propterea cum ipsa transierit ad secunda vota, quæ per legem præsumuntur abhorrita per primum virum; hic sequi dicebam, quòd non solum ipsa mater nubebat, sed etiam ejus parentes, & sic avus, & avia mater reddantur suspecti. Gozadin. conf. 54. num. 7. adden. ad Dec. conf. 188. & advertitur sub tit. de Tutor. disc. 11. nu. 5. Id autem dicebatur ad superabundantiam, quòdque arbitrium Congregationis justum habuerit motivum, adeòque concludebam, quòd casus videretur dubitandi ratione indignus.

S U M M A,

S I V E

Compendium eorum in foro magis practica- bilia continentur in hac Part. I. Lib. XI. de Legatis.

I.

De legatorum validitate, eorumque operatione, comprehensione, & interpretatione, à nu. 1. ad 32.

II.

De legatorum privilegiis, & effectibus, ac etiam de remediis, & actionibus, pro eorum asequutione competentibus, à nu. 32. ad 42.

III.

De legatorum diminutione, seu contributo quando hæreditas omnibus idonea non sit, ac de falcidiæ detractio, Et de ademptione, vel alia cessatione, seu caducatione, vel caducitate, à nu. 42. ad 67.

IV.

De legatis piis, eorumque privilegiis; Et de legatariorum capacitate, vel incapacitate; Et de facultatibus executorum testamenti, ac illorum, qui sint de jure executores, ut sunt Episcopus, vel Fabrica S. Petri, & de istius facultatibus, à num. 67. ad 78.

S U M M A R I U M.

I.

- 1 Quando exsistente valido, ac perfecto testamento curruant legata.
- 2 De Senatus Consulto Liboniano in sibi ipsis ad scribentibus.
- 3 An à validitate testamenti liceat arguere ad validitatem legatorum.
- 4 Quandoque legata debentur etiam à successore ab intestato, & quando.
- 5 Minores requiruntur solemnitates in legatis, quam in testamentis, & quæ sit differentia.
- 6 Accessoria sunt legata, quæ tamen stare possunt sine testamento, quòd est principale, & quando.
- 7 An pecunia numerata, & merces veniant sub legato mobilium, & de qua specie monetæ legatum intelligatur.
- 8 Quid de legato generis, de quibus speciebus intelligitur.
- 9 In legato generis, cuius sit electio.
- 10 An possit eligi melius, vel deterius.
- 11 In dubio, an pro hærede, vel pro legatario fieri debeat, lata vel strictè interpretatio.
- 12 Quis præsumatur magis dilectus, an hæres, vel legatarius, distinguitur.
- 13 Quando censeatur de solo usufructu, vel etiam de proprietate.
- 14 Quando dicatur purum, vel conditionale, & quando ætas, vel tempus, seu casus faciat conditionem.
- 15 Quid veniat sub legato domus, vel prædii &c.
- 16 Factum pluribus de annua, vel mensua præstatione, an intelligatur distributivè pro singulis, vel unica summa per omnibus.
- 17 An censeatur ad vitam tantum, vel sit perpetuum, & transmissibile.

18 Injur.

- 18 Injunctum hæredi, an censeatur de primo tantum, vel etiam de ulterioribus.
- 19 Factum filii, vel filiius alicujus, de quibus intelligatur.
- 20 De legato factò illis de familia certam ætatem, vel qualitatem habentibus pro subsidio studiorum, quomodo sit intelligendum.
- 21 Certa designatio in legatis, an sit taxativè, vel demonstrativè, & quid in hoc operetur favore piæ causæ.
- 22 Quando res legata non est in commercio, vel est aliena, an præstanda sit estimatio.
- 23 Factum simpliciter de aliqua re, an de tota: vel de solo jure testantis.
- 24 Collatum in arbitrium, seu voluntatem an valeat, & quomodo præstandum.
- 25 Legatum usufructus, an resolvatur in proprietatem.
- 26 Vel an importet solum alimenta.
- 27 Et an totus usufructus debeatur, vel solum pars, alia parte debita proprietario.
- 28 Ex observantia recipit restrictionem, vel interpretationem.
- 29 De legato habitationis, vel facultatis habitandi, & de differentia.
- 30 De legato usus aliquorum bonorum.
- 31 Quod super bis, & similibus non detur certa regula, & quare &c.

II.

- 32 De hypotheca, quæ competit pro legatis.
- 33 Creditores defuncti etiam in sola actione personali vincunt legatarios.
- 34 Legatarii autem in bonis defuncti vincunt creditores hæredis.
- 35 Ad quid proficiat hypotheca, de qua nu. 32.
- 36 De eodem, & de beneficio separationis bonorum.
- 37 An dicta hypotheca competat pro legatorum fructibus, & accessionibus annuis.
- 38 Ratione hypothecæ remanet proficuum legatum, quòd debitor faciat creditori, seu pater de legitima, vel de dote.
- 39 An, & quando pro legato competat via executiva.
- 40 An pro legato debeantur fructus, vel usura &c.
- 41 An, & quando legatum censeatur factum animo compensandi.

III.

- 42 Ex quibus causis legata diminutionem patiantur.
- 43 Falcidia potest, & solet prohiberi etiam tacitè.
- 44 De privilegio piæ causæ in hac materia falcidiæ.
- 45 Quando hæreditas omnibus legatis idonea non est, sit diminutio per tributum &c.
- 46 Fallit ex diversa testantis voluntate etiam conjecturalia, & quando hæc adesse dicatur.
- 47 Quid in legatis ad piæ causas, an veniat in tributum.
- 48 Et quid inter legata specie, & illa quantitatis.
- 49 De questionibus ademptionis, vel reformationis.
- 50 An, & quando secunda dispositio sit accumulativa, vel ademptiva.
- 51 Et quid ubi in vita testator aliquid præbet legatario.
- 52 De regulis, vel propositionibus generalibus, quæ desuper habentur, & in quo sint operativæ.
- 53 De differentia inter casum caduci, & casum caducitatis.
- 54 Quando legatum dicatur conditionale, & quando modale, & de effectibus ex una, vel altera specie resultantibus.
- 55 Quando conditiones legato adjectæ pro non scriptis habenda sint, ac vitientur, vel potius vitient.
- 56 Quando intret retrotractio pro restitutione fructuum.
- 57 Quomodo dignoscatur, an præceptum sit conditionale, vel modale.
- 58 Quando mors, vel dies, seu casus faciat conditionem, vel potius dilationem contineat, atque executionem percutiat.
- 59 De effectibus transmissionis, vel caducationis exinde resultantibus.

- 60 Legata fideicommissis particularibus ex æquata sunt, ideoque disposita in fideicommissis, legatis congruunt.
- 61 An, & quando legatum capi possit propria auctoritate, vel à manu hæredis capi debeat.
- 62 Onera, quibus res legata subjaceat, an ad hæredem, vel ad legatarium pertineat.
- 63 An in legatis debeat evictio.
- 64 Quando legatum ab una factum censeatur in executionem voluntatis alterius.
- 65 De ademptione, quæ resultet ab alienatione rei legatæ, & de subrogatione rei quæsitæ ex pretio.
- 66 An legatarius quotæ bonorum concurret cum hærede in supportatione onerum hæreditariorum. Et de cessatione legati ob cessantem legandi causam, puta iuriam vel educationem &c.

IV.

- 67 In favorabilibus à legatis profanis ad pia, intrat generale argumentum, ut quod profanis conceditur, piis quoque competat.
- 68 In iis, quæ voluntatis imperfectionem respiciunt, pia causa nullum habet privilegium, quòd in ejusdem voluntatis interpretatione cadit.
- 69 Privilegium consistit in iis, quæ pendunt à solemnitatibus.
- 70 Vel aliis, quæ à juris positivi prohibitione vel dispositione pendent.
- 71 De effectibus, seu privilegiis piorum legatorum.
- 72 De incapacitate legatarii, quando adsit.
- 73 Data incapacitate legatarii, cui nam pius legatum debeat, & de auctoritate Episcopi.
- 74 De facultatibus Fabricæ S. Petri.
- 75 De materia executorum testamentariorum remissivè.
- 76 Quando etiam Religiones incapaces in communi, sint capaces legatorum.
- 77 De aliis incapacibus.
- 78 De differentia inter capaces, & indignos.

I.

De legatorum, validitate, & operatione, eorumque comprehensione, vel interpretatione; Et quando sint reiterabilia, cum tractu successivo.

Testamenti validitate, ac perfectione præsuppositis, nulla cadit quæstio validitatis legatorum, quæ in eo continentur; Nisi legatarii incapacitas, vel aliqua particularis circumstantia, contrarium suadebat, quia nempe error, seu falsum præsuppositum accedat.

Sive quoad ad favorem scriptoris testamenti, sua manu, ac sibi ipsi legatum conscripserit, adeo ut Liboniana Senatusconsulto locutus sit, ejuque non intret limitatio.

His etenim, vel similibus circumstantiis non accedentibus, ex quibus legatum in testamento, quamvis valido, ac perfecto contentum, inutile sit; A testamenti validitate, ad illam legatorum, quæ in eo continentur, arguere licitum est, non autem è converso, à legatis ad testamentum; Legata etenim, ab intestato etiam valere possunt, atque per intestatum hæredem quoque præstanda sunt.

Ubi nempe ex causa exhæredationis, vel præteritionis, aut per inofficiosi querelam, testamentum corrumpat, seu aliàs, non sortiatur effectum; Quoties tamen de præteritione ignoranter, vel de exhæredatione ex falso præsupposito facta non agatur, adeo ut verisimiliter deficientis voluntatis ratio accedat, etiam legandi, eo modo quo in ipsa præteritione, vel exhæredatione viget.

Ac etiam quia, minor in legatis, quam in testamento solemnitas requiritur, cum istud septem idoneos testes, aliaque solemnitates, pro ejus diversa qualitate exigat, legata verò, per codicillos, aliamve simplicem ultimam voluntatem, cum solo numero quinque testium, tot non consideratis solemnitatibus, relinqui possunt.

Hinc proinde, accessorium regula, non semper tota est, ut scilicet, ea corrumpat, principali corrumpente, & si legata partes accessoriarum sint testamenti, adhuc tamen, eo corrumpente, ipsa firma remanere possunt, quoties testamenti defectus naturalis non sit, ex mentis scilicet infirmitate, vel deficientia, unde propterea in universam dispositionem, ille influat.

Super legatorum autem operatione, vel comprehensione, seu interpretatione, majores, ac frequentes in foro quæstiones

47 **Q**uestione cadente, an generaliter pia causa in concursu prophanę hanc habeat specialitatem, vel potius æquale contributum inter pia, & prophana legata intret: Idque varias habet opiniones, diversaque recipit distinctiones in propria sede recensitas, non de facili sub compendio explicabiles.

48 **A**lia etiam questione inter æquę pia, vel æquę prophana legata cadente, ubi diversa sint legatorum conditio, seu qualitas, quia nempe alia sint specierum, alia verò quantitatatis, quod pariter varias habet opiniones, diversaque recipit distinctiones, à quibus decisio pendet; Adhuc tamen verisimilis, vel alias conjecturata voluntas, totum facit. p

49 **A**demptionis item, vel reformationis questiones, frequenter cadunt certam non respicientes regulam, nisi eam, ut in dubio præsumendæ non sint, omnique pro earum executione capi debeat interpretatio: In reliquis etenim, totum est facti, ac voluntatis, ac facti qualitate decidendum. q

50 **U**bi verò geminata ejusdem testatoris dispositio accedat erga eundem legatarium, & frequentiores cadunt questiones, ac scilicet posterior, prioris ademptiva, seu impletiva, vel potius accumulativa sit, adeo ut utrumque legatum debeat; Sive ubi disponens, qui supervivat, erga legatarium alium per actum inter vivos liberalitatis, ac benevolentię actum exerceat, illumque finem impleat, ad quem ultima voluntas directa sit.

51 **S**uper his autem, ac similibus, pariter certa compendiosa regula statui non potest, cum totum pendeat à singularum casuum circumstantiis, ex quibus verisimilis voluntatis probationes, vel argumenta resultent; Licet enim aliquę generales desuper habeantur propositiones, an in unica, vel diversa scriptura dispositiones contineantur; Sive an prior benevolentię augmentum, vel decrementum intermedio tempore receperit; Aut an utraque eandem habeat expressam, vel saltem implicitam causam, vel rationem, vel an id, quod in utraque continetur; sit reiterabile, atque multiplicationem admittat; Attamen istę, similesque generalitates, bene operativę sunt, ubi voluntas omnino incerta sit, unde propterea, facti adiutorio cessante, cum regulis, ac præsumptionibus juris, questionem decidere oporteat: Sive ubi argumentis, & conjecturis hinc inde colluctantibus, questio sit de præponderantia, cui regularum juris assentientia magnum præbet pondus, vel fomentum.

52 **C**aduci quoque, & caducitatis questiones cadunt: Notabili tamen differentia inter unum casum, & alterum cadente, ad effectum substitutionum, & an ea, quę in legato continentur, ab hereditate avulsa censeantur, vel potius adhuc in ea existant; In casu etenim caducationis ista posterior pars verificatur, secus autem in casu caducitatis, quę præcedentem supponit acquisitionem, quam caducatio negat, ac si legatum factam non esset, ob longam diversitatem effectuum, ex una, vel altera specie resultantium, ut magis distincte in sua sede advertitur. f

53 **A**d id autem dignoscendum, eadem in legatis distinctio intrat, que in fideicommissis, aliisque universalibus, etiam directis dispositionibus habetur, an scilicet modalis, vel conditionalis dispositio sit; Ubi etenim de conditiona legatur, quę à conditionis purificatione perfectionem, ac essentiam recipiat, adeo ut acquisitionem impediatur, ejusque principio se opponat, conditionis defectus, vel non implementum, sive culposum sit, vel casuale nihil refert, ideoque caducationem causat; Ubi verò modalis adeo ut juris jam quęsti amissionem, seu privationem importet, cum speciem pœnæ id redoleat, culpa contraventio requiritur, ut locus fiat caducitati, cujus termini, intrant: Ideoque ad restitutionem in integrum, vel alicujus executionis præsidium confugere conceditur, quod priori casu negatur. z

54 **A**d plures alios effectus ista distinctio quoque nimium confert; Potissimè verò, ubi de iis conditionibus agatur, quas lex reprobat, atque pro non scriptis haberi mandat, ut (ut exempli gratia) sunt illę, quę viduitatem inducant, sive libertatis matrimonii, aut electionis vitę religiosę præjudicium contineant, cum facilius in casu, quo resolutivę sunt, quam in altero quo sint suspensivę rejiciantur, ac vitentur, in altero autem vitent: Ob eam notabilem differentiam, quę inter juris quęsti amissionem, & quęrendi impedimentum dignoscitur. u

55 **A**lter effectus est retractionis, pro restitutione scilicet fructuum, seu totius emolumentum, quod interim per-

ceptum sit ut in casu conditionis intret, secus vero in casu modi, ut frequens disputandi occasio potissimum præbet in iis legatis, aliisque dispositionibus, quę sub viduitatis præcepto axoribus fiunt, sive adiuntur, in aliis, quibus eadem ratio congruat.

56 **M**ajores itaque desuper, facti seu applicationis, esse solent questiones, quando scilicet, in uno, vel altero casu esse dicamur, quoties non omnino clara, & expressa sit voluntas, quę omnes dirimit juris questiones.

57 **Q**uamvis autem desuper magna dignoscatur sensuum, sive opinionum varietas; Plerisque grammaticalibus verborum, vel clausurarum, ac dictionum sensibus, vel legalibus significationibus principaliter inhærentibus, ideoque nimium quoque laborantibus super gerundiorum, ac participiorum resolutionibus, cum similibus frigiditatibus, ac ineptiis.

58 **V**erius tamen est, ut rei veritas, vel substantia voluntatis attendi debeat, an scilicet implementum, acquisitionis initio se opponat, illudque impediatur, vel suspendatur, sive lex ob disponentis voluntatem, suspensionem, vel impedimentum cum retractione fingat: Vel potius implementum acquisitionem subsequi debeat, illamque supponat velut necessarium antecedens, adeo ut juris jam quęsti contraventionio, pœnalem amissionem, seu privationem causet. v

59 **C**umque tempus, vel casus, ad duplicem effectum adijci soleat: Vel scilicet, ut substantiam dispositionis percipiat, ideoque interim, quod ejus purificationem sequitur, perfectionem impediatur, atque conditionem facere dicatur: Vel solam executionem, ejusque delationem, ipso adu ab initio duro, ac perfecto existente: Hinc propterea, involuta pariter questio est, an & quando mortis, vel ætatis, seu nuptiarum tempus, alteriusque casus purificationem, conditionem faciat, necne, quod ex variis distinctionibus, non de facili sub compendio explicabilibus, decisionem recipit, ideoque in sua sede quoque videndum est. y

60 **A**tque hinc transmissionis, vel respectivę caducationis, alter effectus resultat, ut in casu quo substantiam percipiat atque conditionem faciat, mors legatarii, quę ante conditionis purificationem sequatur, transmissionem impediatur, atque caducationem inducat, nisi testantis voluntas aliud suadeat, secus autem ubi dilationem solum, vel executionem concernat. z

61 **G**eneraliter item lege fideicommissis particularibus legata exequantur: Hinc ea, quę in fideicommissorum sede super vulgari, vel fideicommissaria, aliave substitutionum specie, vel super caducitate, seu caducatione habentur, legatis quoque congruunt.

62 **A**misionem quoque legatorum, lex, in pœna temeritatis induxit eorum, qui propria ubi auctoritate jus dicunt bonaque legata capiunt, cum illa ab heredis manu capi debeant; Nisi testator hanc tribuerit licentiam; Sive legatarius absque dubio vitio in rei legatę possessione sit alio titulo, quem sibi mutet, quod etiam absque expressa declaratione factum esse, lex præsumit; Aut quod, Ecclesię, vel pię causę favor eandem tribuat licentiam: Seu quod certa detractio in incompetentia, vel canonica æquitas, inanem non permittat circuitum; Adhuc tamen, his, vel similibus limitationibus cessantibus, vitiosa quidem reputatur possessio, ut legatarium non faciat heredi legitimum contradicentem, non autem, ut hanc pœnam incurrat, raro, vel nunquam ad proximum redigi solitam, cum quęlibet causa pœnam excuset. b

63 **D**iminutionis legati questiones quoque inter hæredem, & legatarium oriri solent, quamvis hæreditas idonea sit, neque detractio, legatorum integro implemento impedimentum præstent; Ubi scilicet de legatis agatur specierum, quę censibus, aliisque oneribus subjecta sint, quę illarum valorem, sive utilitatem minuant, an ad hæredem, vel ad legatarium spectent; Idque (cessante testatoris voluntate, qui semper deferendum est) ex oneris qualitate recipit determinationem; Ubi etenim merè reale sit ut in canonibus, ac livellis, vel censibus reservativis, aliisve verè realibus responsionibus, id verificari dicitur, planum est legatarii onus esse; Et è converso, planum est onus esse hæredis, ubi de simplicibus hypothecis generalibus, vel specialibus ab ipso testatore contractis agatur, pro debito generis, vel quantitatis; c Ubi etenim pro hypothecis à tertio rei legatę priori domino molestias legatarius recipiat, evictionis questionem potius id percipit; (Nisi legatum sit universalitatis, quę tam activa, quàm passiva jura secum trahat

trahat, cum tunc ad legatarium, non autem ad hæredem onera pertineant. d

64 **T**unc itaque juris dubietas cadit, quando de illo mixto agatur onere, quod ex consignativo censu resultare dicitur; quia nempe pro pecunia ad Apostolicarum Constitutionum præscriptum super ea re tanquam fundo, census sit constitutus: Atque ubi, non ab ipso testatore onus adjectum sit, sed à tertio, quod in testatorem translatum sit causative, ipsius scilicet rei occasione, adeo ut, causativum, vel occasionale onus dici valeat; Verius est ut ad legatarium pertinet, quasi quod testator id quod sibi competat, seu eodem modo, quo ipse rem possit in legatarium, transferre voluerit; si verò ab ipso, vel ab alio, cujus personam universaliter hæreditario jure ipse repræsentat, impositio facta sit opinionum non modica fissura cernitur; Ea verò probabilior videtur, quę hæredi potius, quàm legatario onus defert, nisi diversę voluntatis argumenta, quę ex ipsius rei, ac respectivę oneris qualitate præsertim derivent, aliud suadeant. e

65 **E**victio legatorum, regulariter non præstat, nisi testantis voluntas aliud suadeat, sive onerosam, atque correlative causam habeat, pro qualitate facti, cujus potius, quàm juris questio, pro facti qualitate decidenda, f

66 **A**n proprium item, vel alienum legatum sit, sub questione cadere solet, adeo ut legatario, ad hæreditaria testantis bona non competat actio, quia nempe, in alienę voluntatis executionem, ita legatum conceptum sit, ut alterius potius quàm ipsius testantis legatum dicendum veniat, idque ex facti qualitate, ac circumstantiis determinationem recipit. g

67 **P**er voluntariam autem rei legatę alienationem, sive per necessariam, cujus præcium in aliam rem erogatum sit, an ademptio resultet, vel potius alterius rei subrogatio, questio est quę pariter certam non recipit regulam, cum à facti qualitate verius decisio maneat; Quamvis enim aliquę desuper habentur generales regulę, vel propositiones, illę tamen pro norma potius deserviunt, ut dispositionis voluntas desumatur, in sua sede advertitur. h

68 **C**ontributi questio, inter hæredem, & legatarium quorũ bonorum, cadere solet, super aliorum legatorum, ac onerum implemento, an scilicet æqualis eorum concursus esse debeat, vel potius totum sit heredis onus, quod varias habet opiniones: Probabilior autem videtur ea, quę utrumque obligat, nisi argumenta accedant, quę diversam arguant voluntatem, quę totum facit. i

69 **A**n autem cessante legandi causa, legatum cesset, quia nempe tutori, vel curatori, seu educatori factum sit, varias recipit distinctiones, atque facti, & voluntatis questio est ex facti circumstantiis decidenda. i

- n. tit. de legit. & detrad. disc. 32. & 34.
- o. cod. disc. 34. de detractione.
- p. de his omnibus in materia contributi hoc tit. disc. 35.
- q. de hac materia ademptio hoc tit. disc. 32. & disc. 49. cum seqq.
- r. de his omnibus, & an secunda dispositio sit ademptiva, vel impletiva hoc tit. disc. 49. cum plur. seqq.
- s. hoc tit. disc. 39. & 40.
- t. hoc tit. disc. 43. & 58. sub tit. de testam. disc. 37. & sub tit. de fideic. disc. 154.
- u. locis proximè citatis.
- x. locis proximè cit. & præsertim disc. 154. de fideic.
- y. hoc tit. disc. 3. 58. & seqq. & d. disc. 73. de testam.
- z. ibidem.
- a. sub tit. de fideic.
- b. de his etiam sub tit. de fideic. & sub tit. de judic. ad materiam legitimi contradicentis.
- c. hoc tit. disc. 38.
- d. cod. disc. 38.
- e. dicto disc. 38. & sub tit. de censib. disc. 18.
- f. hoc tit. disc. 7. g. hoc tit. disc. 57. h. hoc tit. disc. 48. & 55.
- i. hoc tit. disc. 52.
- l. hoc tit. disc. 22. & 23. & de servit. disc. 50. & 52.

IV.

De legatis piis, eorumque privilegiis: Et de legatariorum capacitate, vel incapacitate, seu indignitate: Et de facultatibus executorum, sive illorum, qui sunt de jure executorum, sive sunt Episcopus, vel Fabrica S. Petri, & de istius facultatibus.

EA omnia, quę prophanis legatis favorabilia sunt, piis congruere quoties legatarii incapacitas non obstat, Card. de Luca Lib. XI.

de jure non dubitatur, cum à minus favorabilibus, minusque privilegiatis, ad favorabiliora, magisque privilegiata favorabile argumentum intret, non autem odiosum, ideoque super his cadunt questiones, quę prophanis, vel temporalibus legatis, per legem denegata, piis, ex speciali favore, vel privilegio, competere contendatur.

70 **D**uplex itaque defectus, vel imperfectio, in legatis, aliisque ultimis voluntatibus dignosci solet, voluntatis scilicet, ac solemnitatis; In iis itaque voluntatis defectum respicientibus, (quidquid aliqui male opinentur) nullus est pię causę favor; In eo solum considerabilis, ut ejusdem integrę, ac validę, sed ambigüę voluntatis interpretatio, magis lata, benignaque fiat interpretatio, quàm in prophanis faciendã esset, quoniam defectus est naturę, cui legis positivę privilegia non dispensant, ut generaliter in testamentorum, aliarumque ultimarum voluntatum sede, occasione legatorum quoque advertitur. l

71 **I**n aliis autem, quę juris positivı solemnitates percipiunt, iste favor nimium operativus est omniaque supplet ab eodem positivo jure manantia, cum sola naturalis veritas, vel probatio attendenda veniat. m

72 **I**demque generaliter in iis omnibus, quę ab eodem jure positivo, ex ejus auctoritate, non autem pro divini, vel naturalis juris observantia, vel declaratione manant, dicendum est: Puta circa ea, quę patrię potestatis defectum, vel inefficaci quęrellam, seu verborum vim, ac operationem concernant, cum similibus. n

73 **Q**uia verò singulariter sint privilegia, vel effectus, qui ex hac generica theoria resultant, compendio incongruum est recensere, cum formalem exigat, ac particularem tractationem, ab aliis jam peractam: Potissimè quia non legatis tantum sed etiam directis, ac obliquis dispositionibus universalibus, aliisque dispositionibus ea communia sunt; Atque ex hac generica theoria, seu distinctione vir sensatus, omnium singularium privilegiorum competentia recte comperiet.

74 **L**egatarii verò incapacitas, piis etiam, quamvis aliis validas, ac perfectas dispositiones, inutiles quandoque reddit, quia nempe, de illis agatur Religionibus, vel Religiosis, in quibus ob arctum paupertatis institutum, tam in particulari, quàm in communi, acquirendi, ac retinendi incapacitas accedat; Tunc etenim, dato substituto, vel alia favore heredis dispositione accedente, quatenus præcisum legati implementum non sequatur, inutile remanet legatum, atque pro non scripto habendum est, ex legatarii defectu; Eo modo quo illud remanet legatum, quod personę in reum natura non existenti, vel ante testatorem defunctę, fiat

75 **U**bi verò nullus detur substitutus, nullaque alia favore heredis accedat dispositio; Cum pię dispositiones, ad Deum, vel propriam animam primariò directę censeantur, unum verò, vel alterum piium opus, demonstrativè, atque pro modo exequendi adjectum dicatur; Hinc proinde, per loci Episcopum, utpote piarum dispositionum legalem exequutorem, aliis piis operibus, (non autem sibi, nec suis) eadem pia dispositio applicabitur. o

76 **P**er apostolicas autem Constitutiones, in aliquibus præsertim Italię partibus, vel Ditionibus, cumulative cum Episcopo, istoque non bene præveniente, Fabrica S. Petri has explet partes executoris, sibi ipsi etiam, ad earumdem Constitutionum, aliarumque ejus auctoritatum normam, in toto, vel in parte applicando id, quod juxta testantis desiderium applicari non potest: Vel quia legatarii incapacitas id prohibeat: Vel quia ejusdem incertitudo id impediat: Vel quia ad opus volitum non sufficiat. p

77 **A**liorum verò, quę particularium exequutorum ab eodem testante destinatarum, ac Episcoporum, & Fabricę potestatem concernant, aliqua compendiosa mentio in testamentorum sede habetur, cum eadem sit generica ratio, ac potestas. q

78 **N**on semper tamen, Religiosorum, ac Religionum præfatum arctum paupertatis votum, etiam in communi profitentium, incapacitas viget, pia legata assequendi, vel retinendi, cum in aliquibus, retentionem perpetuam ad redditum, non autem assequutionem pro erogatione in quotidianos usus, ea percipiat; Sive in iis etiam, quę omnimodam assequendi incapacitatem habeant, ea solum viget, ubi ipsorum Religionum provisionem dispositio concernat, adeo ut diuturnę mendacitati ex quęstuatione id adverteretur; Secus autem ubi, Ecclesię, vel Conventus fabricam, & ornamenta, sive sacrifię sacram suppellectilem, aut infirmarię, vel librarię usum concernat, ut in Regularium sede advertitur. r

Aliæ quoque, in legatis, aliisque ultimis voluntatibus incapacitates legatariorum, sive passive intestabilitates in jure habentur, quarum aliquæ in testamentorum sede habentur; Ea præsertim quæ in spiritibus, potissimè verò in iis qui ex damnato coiti procrepit sunt, dignoscitur, ultra id quod alimentorum obligatio exigat.

Quamvis etenim plures, legatorum, aliarumque dispositionum indignos lex reputet, ut sunt testatoris occisor, vel quia alias eum gravi injuria affecerit, ac similes; Attamen non semper id importat incapacitatem, cum indignitatem, quandoque causet; Ut etiam in testamenti impugnatore habetur.

Nimium autem refert, an incapax, vel indignus quis existat, cum incapacis respectu, inutile remaneat legatum, atque pro non scripto habendum sit; perinde ac, si factum non esset, ideoque bona per jus non decrescendi, in hereditate remanent, vel ad substitutum deferuntur, qui propterea, ex secundo, primus efficitur: Indignus

autem acquirat, sed ab eo, quod jam quæsitam est, sicut aufert.

De aliis verò, de quibus in praxi tractare occasio non præbuit, apud suas sedes, qui cupit, perquirat, cum non totius materiæ per speciem absolute tractationis, sed eorum de quibus agere contigit, compendiosam insinuationem, isti labores contineant.

- 1 sub tit. de testam. pluribus.
 m. ibidem proximè.
 n. ibidem proximè.
 o. de testam. disc. 34. & in aliis.
 p. tit. de fideicom. disc. 108. de testam. disc. 22. & 23.
 q. tit. de testam. disc. 68.
 r. sub tit. de Regular. disc. 35.
 s. sub tit. de testam. disc. 52. & seqq. & 74.
 t. dicto tit. de testam. disc. 55.
 u. hoc tit. disc. 24. & disc. 55.
 x. tit. de Regal. ad materiam confiscationis disc. 160.

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Undecimi Pars Secunda.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO, ET DE STATUTIS.

PERUSINA SUCCESSIONIS,
PRO JACOBO, ET PETRO PAULO
DE MUSCOLIS,
CUM LEOPARDA, ET HORTENSIA.

Responsum pro veritate.

Statuto Perusino super successione ab intestato decernente successione patris, eorumque descendentes, una cum sorore, & matre; An locum habeat, quando nullis patris existentibus, adsint solum patrueles; Et an hujusmodi Statuta excludentia tæminas, & cognatos propter masculos, & agnatos respectivè, censenda sint odiosa, & exorbitantia, vel potius favorabilia, adeo ut benignè interpretanda sint.

S U M M A R I U M.

- 1 Quales sint quæstiones cadentes in successione ab intestato.
- 2 Refertur Statuti dispositio.
- 3 Facti series, seu casus controversiæ.
- 4 Quod punctus esset nimium ambiguus.
- 5 Quomodo in ambiguis quæstionibus de jure debeat responderi.
- 6 Qualis videatur sensus, vel intellectus magis probabilis Statuti.
- 7 De differentia an sit unica successio, vel considerentur duæ diversæ.
- 8 Statuta in materia successione continent testamentum legis.
- 9 Ubi vocantur plures lineæ, vel plura genera, quomodo attendatur proximitas gradus.
- 10 Non vocatus à Statuto, censetur exheredatus.
- 11 Quomodo aliqui sentent demonstrativè potius, quam taxativè.
- 12 Statuta exclusiva femininarum, vel cognatorum non sunt odiosa, sed potius favorabilia.
- 13 De ratione dictæ conclusionis, & de historia legali super antiquo more scribendi.
- 14 De differentia inter non usum initiativum, & præscriptivum legis.
- 15 Ex usu fideicommissorum odocemur de moribus regionis.
- 16 Declaratio non importat novam dispositionem.
- 17 Quod in dubio sit capienda interpretatio favorabilis masculis, vel agnatis.

D I S C. I.

Nullæ, vel nimium raræ sunt in foro quæstiones, super successione ab intestato, in solis terminis juris communis, quoniam, si quæ antiquitus inter Scribentes aderant: Attamen ex eo quod per Tribunalia, una opinio usu magis recepta sit pro regula; Altera verò opinio recepta est pro limitatione, hinc proinde videntur hodiè remanere scholarum, & academiæ pabulum; Ut potissimum videmus in ea antiquorum adeo celebri, & agitata quæstione inter Accusum, & Azzonem, an plurium prædefunctorum fratrum nepotes, cessante concursu patris succedant in stirpes, vel in capita, dum hodiè receptum est, ut cessante necessitate representationis, successio sit in capita: Ac etiam in altera ad materiam text. in l. quod scitis C. de bonis qua lib. vel ad materiam text. in l. si infanti Cod. de jure liber. cum similibus.

Frequentes autem fori hodiernæ controversiæ sunt super

Card. de Luca Lib. XI.

JO:

intestatis successione ratione juris statutarii, vel consuetudinarii in casibus, qui non bene ab eo fuerint explicati.

Cum autem Statutum Perusinum Rubr. 45. lib. 2. inter alia disponat ut aliquo sine filiis, vel fratribus moriente, supersititibus sororibus utrinque conjunctis, & patruo, seu patruis, eorumque descendentes, isti una cum sororibus ad successionem admitti debeant: In altera verò parte disponat, ut moriente pariter aliquo sine filiis, vel fratribus supersite matre, seu ascendentes per lineam maternam, & patruis, uno, vel pluribus, ac præmortui patris filii vel descendentes, in medietate bonorum morientis succedat mater, vel avia paterna, vel descendentes per lineam maternam juris ordine servato, & in alia medietate, patris, unus, vel plures, ac præmortuorum filii, & descendentes in stirpes, exclusis fratribus, sororibus uterinis, necnon avunculis, materteris, & amitis expressè declarando casum, in quo adesset mater, ac soror utrinque conjuncta, & patris ut omnes æqualiter succedant.

Casus autem dederit mortem Sebastiani de Muscolis, supersititibus Leoparda, matre Hortensia sorore utrinque conjuncta, & Jacobo, ac Petro Paulo Vincentii patris prædefuncti filii; Hinc orta est quæstio, an isti, ob nullius patris existentiam, admittendi essent ad æqualem successionem, una cum matre, & sorore; Atque desuper pro veritate consultus.

Respondi, quod adeo dubius reputatus fuerit iste articulus plene tractatus per DD. Perusinos nempe Eugen. conf. 37. lib. 2. substatuentem iura patruium, & Honded. conf. 1. & 2. lib. 1. substatuentem earumdem exclusionem ad favorem matris, & sororis, ut introducta in Rota eadem quæstione per dictos Consulentes disputata, causaque pluries propolita, capi non potuerit resolutio, unde propterea controversiæ finem dedit concordia, ab eodem Tribunali insinuata, vel demandata, ut in nimium ambiguis quæstionibus, stylus commendabilis est Tribunalis faciendi.

Hinc proinde dixi, temerarium, videri, determinatum judicium pro veritate desuper tradere, cum solum in hujusmodi casibus, Consulentes partes esse videantur, respondendi de proprio judicio, & quomodo ipse, si Judicis partes gereret, decerneret; Et juxta quem respondendi modum frequens est mea consuetudo, potissimè verò in materiis conjecturalibus; in quibus conjecturarum pondus, vel efficacia, certam, determinatamque regulam non recipit, sed ut sæpius sub tit. de fideic. ac alibi habetur, pender à singulorum casuum individuus circumstantiis, pensandis ex prudenti Judicis arbitrio, quod etiam in iis, qui solam justitiam, ac veritatem præ oculis habeant, pro ingeniorum varietate, frequenter varium esse solet.

Probabilior autem mihi videbatur opinio Eugen. pro patruiibus, tam ex rationibus, ac fundamentis per eum ducte deductis, quæ rectè intuenti, solida, & stringentia, ac adæquata videntur, potius quàm alia deducta per Honded. d. conf. 1. & 2. apud quos, absque superflua repetitione videri possunt. Quàm etiam, ac principaliter, quia Statutum non constituit in unica successione, seu patrimonio hujusmodi personarum concursum, sed dividendo in duas partes hæreditatem, distinguere voluit utramque lineam, agnationis scilicet, & cognationis, atque constituere duas successione causas omnino diversas, ut in una medietate succedat, vel mater, vel avia, vel ascendentes per lineam maternam, non data distinctione numeri personarum; Et in alia medietate succedant patris, unus, vel plures, seu prædefunctorum filii, & descendentes in stirpes, pariter absque differentia numeri, quoniam compartivè ad aliud genus maternum, id nihil refert, dum tantum capiunt

G 3

piunt

Finis Partis Prima Libri Undecimi.

piunt decem, vel viginti, quantum caperet unus, servando solum ordinem successionis inter seipso in quolibet genere; Eo modo quo, vocatis æqualiter ab initio duabus lineis, vel personarum generibus, tantum obtinet una linea, in qua adfit unus, vel duo, quantum alia, in qua adfit centum, ut infra, atque advertitur pluries sub tit. de jurepatron., ac etiam aliquando sub tit. de fideic.

His autem sic stantibus, nullatenus intrare videntur propositiones, ac regulæ generales deductæ per Honded. in materia Statutorum excludentium masculos propter feminas in gradus æqualitate, quoniam illæ procedunt in concursu personarum in simul ad eandem hereditatem, vel successionem venientium, quorum una, alteram ratione proximitatis excludere prætendat: Secus autem ubi fingantur duæ successiones pro diversis personarum generibus juxta ea, quæ in proximis terminis consimilis distinctionis habentur deducta locis citatis, ac etiam hoc eodem tit. in Reatina disc. 112. quoniam non curatur numerus, vel qualitas personarum omnium per unicum simultaneum concursum, utriusque lineæ, seu generis, sed solum ille consideratur inter personas cujuslibet lineæ discretivæ.

Hujusmodi etenim statutariæ dispositiones dicuntur continere testamentum legis, Bald. cons. 205. nu. 1. lib. 4. & cæteri per Rot. apud Celf. dec. 248. num. 11. edita in dicta Reatina discurs. 12. Unde propterea, si testator ab initio per nomen collectivum duas diversas lineas constituat, seu duo distincta personarum genera vocet, cum distinctione portionum, quia nempe ad unam medietatem vocet unum genus, & ad alteram medietatem alterum, cum successivo fideicommissio, tunc eveniente casu, juxta magis communem, & probabilem opinionem, non curatur proximitas omnium utriusque generis, sed attenditur solum illa generis proprii, in qua sufficit esse proximior in sua linea, seu genere, quamvis comparativè ad personas alterius generis, esset remotior, quoniam per subingressionem in gradum corruptum sui ascendens, ita sit proximior atque sufficit esse talis in sua linea ab initio, per testatorem constituta, & distincta, ut cæteris relatis, Odd. cons. 39. num. 58. cum seqq. Menoch. cons. 125. num. 78. Giovagn. cons. 26. num. 6. lib. 1. Rot. dec. 99. post Merlin. de legitima aliis dec. 198. par. 4. tom. 3. & habetur sub tit. de fideicom. disc. 17. & 18 & in aliis.

Et licet retento eodem axioma, ut ordo successionis ab intestato, continere dicatur testamentum legis, communis, vel municipalis, intret objectum, quod qui non reperitur in hujusmodi testamento vocatus, præteritus, seu exheredatus censeatur, ut ex Bald. d. cons. 205. lib. 4. & 473. lib. 5. habetur in superius allegata dec. 248. Celf.

Ponderabam tamen, quod hoc objectum in proposito non intraret, cum Statutum non præterierit, sed expressè vocaverit patruorum prædefunctorum filios, ac descendentes, ideoque iste personarum ordo dici non potest neglectus, vel omisus, sed potius expressus; Nil obstante quod in eius vocatione supponatur existentia patris, quoniam illa non enunciatur taxativè, quasi quod in eo tantum casu & non alias istud personarum genus vocatum sit, dum nulla penitus congrua ratio id fuadere videtur, sed solum quoad ordinem succedendi inter se, ut scilicet in tali casu, prædefunctorum, filii, vel descendentes, in stirpes, non autem in capita successionem prætereundè valeant; Ideoq; non est extendere Statutum ad casum omisum, vel ad personas non vocatas, ut credit Hondedeus, qui super hujusmodi extensionis regulari denegatione multum insistit, sed est solum interpretari, ut expressa vocatio hujusmodi personarum non cesset, ob cessationem illarum, quarum existentia quoque à Statuto considerata est.

Fortius verò, qui a non agitur de Statuto odioso, ac verè exorbitanti (quo casu strictus in materia extensionis, vel comprehensionis proceditur,) sed potius reversivo ad jus, quo Romani magis vivebant, vel conservativo morum Italiae, de tempore, quo jus civile inventum est, & consequenter, vel favorabile, vel non odiosum censendum venit ut de hujusmodi Statutis exclusivis feminarum, vel cognatorum propter masculos agnatos, quod non sint odiosa, neque adeo strictè, & rigorosè attendi debeant, ut sunt alia odiosa, & exorbitantia, cæteris allegatis habetur apud Gratian. disc. 449. n. 43. Rota dec. 188. n. 15. dec. 548. n. 8. p. 1. rec. 438. p. 4. tom. 2. Add. ad Buratt. dec. 6. in fin.

Et quidem, ut sæpius infra hoc eod. tit. & sub altero de testamentis, ac alibi advertitur; Pro meo sensu fabulolum, ac erroneum videtur illud assumptum, quod per ora prag-

maticorum ita volitare solet, ut hujusmodi Statuta, exorbitantia, & juris communis correctoria sint, ex eo quod averterentur juri novissimo Justiniani dirimenti differentiam sexus, ac agnationis, & cognationis; Siquidem attentis occidentalium regionum moribus, præsertim verò Romanorum, totiusque Italiae, potius dictum jus novissimum exorbitans, atque contrarium censendum est, hujusmodi verò statutarium, nostris moribus magis adaptatum est, ac favorabile.

Quamvis enim DD. præsertim Institutionum glossatores, ac præcipuè illi moderni scolastici, qui legali, eruditioni ac temporum supputationi magis inhærent, longas retexerint quæstiones, quidnam verius disponderent leges 12 tabularum, ac media jurisprudentia, (quæ lex Vaconia dicitur) sive Prudentiam interpretatio; Aut Prætoris æquitas cum remedio possessionis bonorum, vel Imperatorum Constitutiones, ab Augusto initium sumentes; Atque in hoc idem eruditionis profectores, nimium certent ad notata per Gotifred. Misinger. Piccard. Harprecht. & alios in f. cæterum instit. de legit. agnat. success. Albert. Brun. de statu. exclusiv. art. 2. & alios; De quibus Cyriac. contrrov. 353. n. 26. & seqq. Atque præter causas necessitatem, & cum aliqua fortè inutuli evagatione agitur in Firmiana fideicommiss. 1671. coram Albergato; Hoc unum tamen certum est, quod novissimis temporibus, in quibus, sub Constantino magno, sequuta est Sedis Romani Imperii translatio ad Constantinopolitanam Civitatem, in Urbe vivebatur eo jure, quod masculos agnatos vocabat, non autem feminas, vel cognatos, atque ita continuatum est usque ad tempora Justiniani, qui omnem sexus, ac agnationis, vel cognationis differentiam subtulit: Verum, juxta legalem historiam sæpius enunciata præsertim sub tit. de servit. disc. 1. latius verò actam per Valentin. Forster. inter tract. magn. tom. 1. istè novissimæ leges Justiniani, quinimò omnes, juxta ejus compilationem, vel nullatenus cognitæ fuerunt Italiae tunc à Vandalis & Gothicis, aliisque barbaris nationibus jam penè devastatæ, ac oppressæ: Vel si cognitæ fuerunt, postmodum ex Longobardorum, aliarumque dominantium exterarum nationum Romani Imperii nomini, & dignitati inferensarum, legibus, ac prohibitionibus, sub oblivione sepultæ fuerunt, per sex sæcula, & ultra, vivendo; Vel cum legibus Longobardorum, quæ feminas, vel per eas cognatos excludunt; Vel cum legibus, & usibus particularibus, idem disponentibus, ideoque ista Provincia, ejusque populi hoc jure vivebant.

Cumque sequuta in duodecimo sæculo nostræ Salutis, casuali dictarum legum civilium inventionem, eisque receptis, compertum esset, quod ex litterali earum sensu, & ad hæc non reflectendo, primi Glossatores, ac interpretes, dictum jus novissimum Justiniani editum in Græcia, hujus regionis moribus oppositum, ad praxim deducerent; Hinc proinde, vel renovando antiqua Statuta, seu consuetudines, quæ ante dictam inventionem in singulis Civitatibus vigeant; vel ita declarando animum non acceptandi leges civiles in hac parte; Per Statuta ferè ubique prodita, etiam in ipsamet Romana Civitate, eorum animum populi declarant, adeo ut non sint nova Statuta juris communis jam recepti, ac practicati correctoria, sed potius impeditiva primæ ejus receptionis, & usus, juxta distinctionem non usus initiativi, ac alterius destructivi, de qua eod. disc. de serv.

Et consequenter, clarus error videtur istos terminos correctionis, ac exorbitantiæ, adhibere, cum præsertim frequens usus fideicommissorum agnatorum nos deceat, ut isti sint regionis mores, eodem themate retento: Potissimè quia Statutum in hac parte non processit per viam novæ dispositionis, sed per viam declarationis, ut liquet ex illo verbo declarantes. Qui etenim declarat nil de novo disponit, sed quid jam dispositum sit, melius aperit, adinstar executientis grana à spicis, juxta exemplum traditum per tex. in l. adco. ff. de acquir. rer. domin. atque advertitur sæpius sub tit. de donat., & sub altero de fideic., & alibi: Ideoque patris stare dicuntur solum demonstrativè ad præcedenter disposita, non autem taxativè, seu moderativè; maxime dum utitur dictione pariter, quæ de sui natura est præcedentium repetitiva.

Istam itaque dixi mihi videri veritatem, quoniam in meo sensu sufficit casum esse dubium, ut in dubio capi debeat interpretatio pro feminarum, & cognatorum exclusionem ad favorem agnatorum ob jam dictam rationem, ob quam nunquam intellectum captivare potui ut acquiescerem nostrorum pragmaticorum traditionibus, ac rigoribus, cum quibus in hujusmodi Statutorum intelligentia proce-

procedi solet, ob dictum præsuppositum quod sit exorbitantia, & juris communis correctoria, dum jus civile non habemus in ratione auctoritativa Imperatoris, eo modo, quo editum fuit, sed potius in ratione usus, ac legum respectivè particularium cujuslibet regionis, vel Principatus, ut sæpè in omni ferè materia advertitur.

S U M M A R I U M.

- 1 DE Statutis feminarum exclusivis.
- 2 De transmissione hereditatis non agnitæ.

ANNOT. AD DISC. I. cum sequen.

1 Agitur in his discursibus de Statutis exclusivis feminarum, vel respectivè cognatorum, propter masculos, sive agnatos, de quibus actum quoque est in hoc tit. disc. 45. 47. 49. 50. & 51. Et incidenter sparsim de eisdem agitur, præsertim sub tit. de fideicom. Testam. Legitima aliisque detractionibus, ac etiam sub tit. de jurepatr. ad diversos effectus, de quibus locis citatis.

De ademptione tam activa, quam passiva Ecclesiasticorum ab hujusmodi Statutis, habetur in hoc tit. disc. 47. 49. 50. & 52.

Decisio prodita in casu, de qua supra disc. 2. habetur impressæ par. 13. rec. dec. 200.

Aliæ decisiones enunciatæ in disc. 15. sunt impressæ par. 14. rec. dec. 46. 122. 357. & 438. & dec. 35. par. 16. Ultra quas postmodum prodierunt aliæ sub diebus 30. Maii & 12. Decembris 1672. coram Albergato, & 20. Aprilis 1676. atque 10. Maii 1677. coram Calataju, harum ultima præcipuè favore matris.

2 De transmissione hereditatis non agnitæ habentur aliqua in hoc tit. disc. 43. Et quoad extensionem hujusmodi Statutorum habetur in hoc eod. tit. disc. 51.

Decisiones proditæ in casu, de quo disc. 17. habentur impressæ p. 14. dec. 157. & p. 15. dec. 273.

Et aliæ, quæ habentur in casu, de quo disc. 23. sunt in rec. p. 15. dec. 323. & p. 16. dec. 171. & 301.

PERUSINA SUCCESSIONIS,
PRO ASTORRE BENINCASA,
CUM PHYLomena SORORE.

Casus decisus per Rotam pro Astorre.

De Statuto Perusino excludente feminas propter masculos, dummodo eas dotent, in casu negligentia eas ad successionem vocante, seu reintegrante; Quomodo intelligatur, Et quæ mora in masculo ad hunc effectum requiratur.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 Resolutio causæ.
- 3 De consuetudine Neapolis masculi ante feminas exclusas.
- 4 Quod masculus etiam non requisitus, teneatur dotare feminam excludendam.
- 5 Ille qui negligit dotare puellam usque ad ætatem 25. annorum, est in mora.
- 6 Laudatur resolutio, & de ratione.
- 7 De fide non præstanda Consulentiibus, & præsertim Ruino.
- 8 Non est immorandum in verbis, sed attendi debet substantia voluntatis Statuti.
- 9 Quod masculus debeat constitui in mora, & non procedat conclusivo, de qua n. 5.
- 10 In heredem non transmittitur facultas implendi conditionem legalem.
- 11 Hoc Statutum diversimodè disponit de successione materna, quam de paterna.
- 12 De novis reformationibus post quam scripsit Corneus.
- 13 Datur regula quomodo intelligenda, & prædicanda sit conclusivo, de qua n. 5. & 9.

Card. de Luca Lib. XI.

Parentibus ab intestato defunctis, Astorres, Phylomenam sororem in pupillari ætate existentem, in Monasterio educari curavit; Cumque ejus factæ nubilis, diversitas seniorum nuptias distulisset usque ad ætatem annorum 30. in qua, nulla constituta dote, in scio fratre, virum duxit; Statutum autem Perusinum exclusivum feminarum propter masculos Rubric. 45. exclusionem demandet, dummodo frater forem congruè dotet, si minus illa in successione cum eo concurrat: Hinc dicta Phylomena prætendendo, ut ob non adimpletam conditionem factus esset casus successionis utriusque parentis, iudicium desuper instituit coram illius Civitatis Governatore, qui ad maternam successionem eam admisit, à paterna verò, stante dote per fratrem oblata, exclusit; Introductaque causa per appellationem in Rota coram Albergato, ac dato dubio an mulieri appellanti paterna successio debita esset (cum materna non controvertetur) sub die 26. Novembris 1660. negativa proditit resolutio, cui actrix acquievit, ideoque causa ulteriorem progressum non habuit.

Hujus disputationis punctus erat, an hæc statutaria exclusio sub onere dotandi, dicenda esset conditionalis, adeo ut unus esset masculi excludere volentis, conditionem adimplere, priusquam successio agnoscat, unde propterea etiam non requisitus, & sine aliqua mora, dotem dare vel saltem offerre teneatur; Vel potius è converso necessaria sit interpellatio, per quam incurrat mora, quæ locum aperiat reintegranti feminae, juxta quæstionem præcæteris magistratam per DD. Neapolitanos super interpretatione illius consuetudinis quæ disponit ut frater negligente maritare, ac dotare sororem intra ætatem 16. annorum, ea æqualiter cum masculo ad successionem admittatur, quod ibi sub vocabulo masculi, seu masculitatis explicatur, cujus Consuetudinis mentio habetur in Beneventana sub hoc tit. 26. disc. 26. & in Neapolitana sub tit. de dote disc. 103.

In hoc autem, Scribentes pro actrice dicebant verus esse, ut id pro conditione adjectum sit, quodque frater, non requisitus, dotare, vel dotem offerre teneatur, in nixi auctoritati Ruin. cons. 74. lib. 2. numer. 12. & magis in specie auctoritati Corn. cons. 300. lib. qui loquitur in specie hujus Statuti Perusini, cum quo pertransit Rota disc. 264. part. 6. recent. repetit. apud Gilian. ad Statut. fol. 258. Et nihilominus quod ubi etiam contraria opinio tenenda esset super mora, adhuc illa quidem magna contracta erat, quoniam ex iis, quæ habentur in sua materia sub tit. de dote disc. 1. & 2. & 144. lex moram in maritandis ac dotando puellam supponit per lapsum ætatis 25. annorum, adeo ut licentiam illi tribuat etiam indignè nubendi, quinimò, & se prostituendi, multo igitur magis dum usque ad majorem ætatem annorum 30. id fuerat dilatatum, atque major dilatio accessisset, nisi ipsa mulier absque fratris opera invenisset virum, qui eam sine dote durare contentus fuit.

Contrarium, etiam in sensu veritatis, probabilius dicebam ego, scribens pro fratre, ideoque resolutio, justa, beneque fundata visa est; Tum ex facti circumstantiis, dum ex hac parte justificabatur, quod frater plures invenerat, ac obtulerat dignarum nuptiarum occasiones, ab ipsa muliere recusatas; Tum etiam, quoniam quidquid dicat Ruin. ditto cons. 74. lib. 2. (cui sicut in ingenii acumine non immerito inter Consulentes fortè prima laus saltem post Baldum danda est, ita etiam congrua videtur obrectatio, quod pecuniæ nimium inserviendotum id, quod Partes volebant, sapius sibi contrarius probare curabat, ut in dies facere coguntur Advocati) unde propterea pro meo sensu perniciosus est Consiliorum usus, magnusque error videtur Judicantium, hujusmodi Consulentium auctoritati deferre, quoties non sint Consilia decisiva ad veritatem, quæ nimium rara sunt.

Omnino verius, magisque receptum est, ut mora vera requiratur mediante formali interpellatione, quoniam, ut bene advertit Isern. in Constitutione Regni quæ incipit In aliquibus quinta Columna post num. 8. quoties Statutum non restringit exclusionem feminae ad jam dotatam, sed supponit futuram dotationem, immorandum non est in verborum formula vel subtilitate, quam pertinacibus relinquendam esse dicit, sed attendi debet substantia voluntatis statuentium, seu finis ab eis contemplatus, non curata distinctione, an verba importent modum vel conditionem, Et consequenter requiritur mora vera per judicalem im-

terpellationem cum præfixione termini ut per Ifern. ubi supra n. 50. Afflict. ibid. n. 3. & in fortioribus terminis dictæ Consuetudinis Neapolitanæ, quæ habet tempus præfixitum, unde intrare potest dispositio textus in l. magnam Cod. de contrahen. & committend. stipulat. Afflict. in dict. constitutione aliquibus 8. notab. n. 69. Molfes. ad consuetud. par. 4. quest. 4. n. 6. Capyc. Larr. decis. 59. n. 23. ubi add. n. 13. & seqq. & decis. 125. n. 8. Et habetur dicto disc. 103. de dote, Et generaliter Gabr. conf. 5. n. 30. & seqq. lib. 1. conf. 139. n. 5. & seqq. lib. 2. Fenzone. ad Statut. Urbis cap. 145. n. 21. & seqq. Mart. de success. par. 2. quest. 13. art. 6. n. 30. cum seqq. cum aliis in causæ decisione.

Et in terminis specialibus huius Statuti idem Corn. conf. 75. nu. 4. lib. 1. Ambrosin. decis. 46. n. 21. par. 1. cum aliis in decisione, ideoque curandum non est de dicta auctoritate Ruin. potissimè quia ipse percutit casum diversum, quod iam defuncto patruo, cui ex Statuto competeat jure excludendi nepem, huius conditionis, vel modi implementum offerebatur per ejus hæredem, in quem una opinio credit non transmitti facultatem implendi conditionem legalem, ut advertit Menoch. conf. 1170. n. 25. & seqq. qui cum hoc præsupposito eum sequitur, unde propterea quidquid sit de hoc assumpto quod examinare non oportuit, sufficiebat quod non esset in casu.

Neque præmissis obstare dicebam auctoritatem Rotæ d. dec. 264. par. 6. rec. repetit. post Gilian quoniam loquitur de successione materna, in qua diversa militat ratio; dum Statutum discretè de hac successione agit, cujus respectu præsupponit fœminam jam dotatam, secus autem respectu successione patris, vel avi, in qua supponit fœminam esse inuptam, ac indotatam, dum disponit ut frater admittatur ad eam offerendum forori quamvis invitæ, ac interim decernit alimenta, seu fructus eorum loco.

Quo verò ad auctoritatem Corn. dicto conf. 300. de illa pariter non veniebat habenda ratio: Tum quia percutit casum diversum, magisque exorbitantem consobrini excludere volentis à successione fratris germanam sororem, Tum etiam quia Corn. scripsit in terminis Statuti antiqui, quando adhuc non prodierant novæ reformationes editæ de anno 1563. & sic ferè per sæculum post Corneum, in quibus reformationibus ad hujusmodi difficultatem removendam addita fuerant illa verba mulierem etiam invitam, & in quacunque ætate constitutam, ut advertunt scribentes apud Gilian: ad hoc Statutum fol. 261. n. 74.

Quamvis autem in ista causa, ex ejus particularibus circumstantiis; probabiliter neglecta fuerit mora deducta ex lapsu congruæ ætatis, quoniam docebatur de diligentis à fratre adhibitis, quodque mora potius provenerat ex parte ipsius mulieris respuentis occasiones à fratre oblata, adeo ut potius ex facto, quam ex jure prodierit decisio; Attamen reflectendo ad veritatem pro meo iudicio, improbable videtur dictam conclusionem ita generaliter statuere; ut semper necessaria sit vera mora non incurrenda, nisi per judicialem interpellationem cum præfixione termini, quoniam cum puellæ innuptæ, sub fratrum educatione, ac potestate vivere soleant, eos loco patris, ut plurimum meruentes atque ex virginali pudore non de facili audentes etiam extrajudicialiter atque intra domesticos parietes, eos requirere de viro, cum hujusmodi licentiæ, seu petulantis in puellis contingere soleant, solum ubi reperiantur in Monasteriis, quæ juxta frequentem experientiam pro iis, quæ maritandæ sunt, perniciose potius videntur: Hinc proinde nimium rari essent casus, in quibus ista conclusio practicabilis esset, satisque lata via aperiretur fratribus, exereendi tyrannidem cum fororibus, easque cogendi ad perpetuam viduitatem, illas domi tanquam famulas retinendo cum denegatione tam successione, quam dotis; Ideoque pro meo iudicio ista dicenda videtur quæstio facti potius, quam juris discretè pro facti qualitate, ac discretè, prudenti arbitrio tractanda, non autem inepto, & leguleico more cum regulis, ac propositionibus generalibus tam contra puellas ut in præsentis conclusione; quæ pro eis juxta exorbitantes propositiones practicatas in casu, de quo dicto disc. 1. & 2. sub tit. de dote: Aut enim puella ante ætatem immaturam, ex regionis usu metiendam, petulantem cum patre, vel fratre agendo, eis neglectis, virum sibi eligat, absque eo quod ipsi de culpa redargui possint, & tunc rectè ista conclusio recipienda sit super mora vera, non nisi per iudicium interpellationem cum præfixione termini à iudice faciendâ, incurrentia: Aut è conversò consistat de culpa nimium comprobata à lapsu dictæ ætatis 25. annorum, ob quem lex indignè nubendi, quinimò et-

iam se prostituendi, licentiam concedit, & tunc alia mora desideranda non sit, quoniam idè prudenter statuentes, masculis, fœminarum reintegationem, seu masculiationem comminatur, ut ita providi, ac solliciti sint ad eas collocandum ex impulsu proprii interesse, dictique timoris, ideoque substantia istius veritatis pro facti qualitate attendenda videtur, non autem procedendum est cum verborum formalitatibus, vel cum generalibus traditionibus quas semper erroneum est, generaliter, ac interminatè praticare, cum principaliter spectari debeat finis, seu effectus à statuentibus consideratus.

NEPESINA VEL SUTRINA SUCCESSIONIS
I N T E R
FRANCISCUM, ET ALIOS DE
CONSTANTINIS.
CUM ANNA MARIA, OLIMPIA,
ET ALIIS.

Votum decisivum.

De Statuto Scrophani excludente fœminas propter masculos, an intelligendum veniat data gradus æqualitate, vel potius masculi remotiores succedant; Et demandata exclusione propter dotem, an unica sufficiat pro omnibus casibus, vel discretivè requiratur dotatio ex qualibet successione.

Et de hujusmodi Statutorum cessatione, ob existentiam matris in medio, tanquam in casu mixto; Et quid ubi mater non succedat; Vel ea succedente in sua portione, quid inter fratres, & sorores; Et an sorores uterinæ concurrant cum matre.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
- 2 Votum, seu resolutio.
- 3 Quod difficiliores sint partes Judicis, quam ille Advocati.
- 4 Statuta exclusiva fœminarum intelligenda veniant propter masculos æqualis gradus.
- 5 Declaratur quando secus.
- 6 Quomodo in materia procedi debeat.
- 7 Quod agatur potius de casu limitationis, & de ratione.
- 8 De hujusmodi Statutorum benigna interpretatione.
- 9 An in hoc dignoscatur aliqua differentia inter fœminas agnatas, & cognatas.
- 10 In successione attendenda est causa immediata.
- 11 Hæc Statuta procedunt in successione dotantis.
- 12 Quando secus ut unica dos sufficiat, & de distinctione.
- 13 De applicatione ad casum.
- 14 Quomodo in materia procedendum sit.
- 15 Quod improprrium sit eidem fœminæ plures dotes dari debere.
- 16 Statuta exclusiva non procedunt, existente matre in medio.
- 17 Fratres, vel sorores ex latere paterno tantum non concurrunt cum matre, & è contra ex materno cum patre.
- 18 Quod ubi conjunctio est ex eodem latere ipsius matris, vel patris.
- 19 An existentia matris de factis sufficiat ad effectum de quo num. 16. quamvis illa non succedat.
- 20 Contrarium verius.
- 21 Statuta continent testamentum à lege factum pro morientibus ab intestato.
- 22 De Statuto Faventino.
- 23 De illo Imole.
- 24 Etiam ubi mater est in medio intrat Statutum inter ipsos fratres, & sorores.
- 25 De ratione, ob quam in istorum Statutorum interpretatione benignè procedendum est.

D I S C. III.

Defuncto ab intestato Joanne Antonio de Constantinis, superstibus matre binuba, pluribus fororibus uterinis ex secundo matrimonio, & duobus patruis; cum in loco Scrophani, de quo omnes erant, cum bonorum etiam situatione, vigeret Statutum ut fœminæ maritatæ, vel maritandæ à patre, avo, matre, avia, aliisque superioribus, vel à fratre, patruo, avunculo, nepotibus, aliisque consanguineis, vel affinibus vel extraneis per-

sonis, dote contentæ esse debeant, nec aliud prætere de possint, assignata ratione, quia expedit honestati habere mulieres dotatas, & maritatas, familias autem, & stirpes conservare. Hinc, ultra aliam controversiam fideicommissi in aliquibus defuncti bonis avitis; quatenus ad ejus intestatam successione pertinet, orta quoque est controversia inter patruos, & sorores; Cumque ageretur de assenabili, Partes concorditer obtinuerunt à loci domino, ut ille Gubernator, coram quo causa pendebat, procedere deberet de voto alicujus J. C. in Curia, ubi punctus formiter discuti posset; Quare me deputato, assumptisque hinc inde pluribus primi nominis Advocatis, super duobus articulis acriter disputatum fuit; Primò nempe an hoc Statutum intelligendum veniret, data gradus æqualitate vel potius, ut masculi quamvis remotiores excludant fœminas proximiores; Et secundo an intelligi debeat solum de illa successione, de qua fœmina dotata sit, vel potius unica dotatio sufficiat pro omnibus.

In utroque autem puncto, mihi verius visum fuit, pro patruis contra sorores responderi debere; Excitavi tamen ego motivum contra patruos ab hac successione excludendos, ob existentiam matris, ut ea veniente atque successione petente, Statutum tanquam in casu omisso cessaret, ideoque subintraret dispositio juris communis, qua attenda, sine dubio, in concursu matris, & fororum, patru non veniunt, quæstione remanente inter ipsas matrem, & sorores; Undè propterea Scribentes pro patruis acquirerunt, bonis fideicommissariis contenti; incertum quoque est quid inter matrem, & sorores sequendum sit, cum desuper meum votum expetitum non esset, credebam tamen quod totum mari deberetur; Ideoque tres fuerunt puncti juris articuli, duo scilicet inter Advocatos disputati; Et alter à me tanquam iudice excitatus.

Rari autem sunt casus, in quibus ego has partes gesserim quoniam agendo Advocatum, effugit quantum potui partes iudicis, utpotè pro meo sensu expertus quod longè difficiliores sint partes iudicis, quam Advocati, adeo ut majorem laborem, ac timorem, & applicationem mihi præberet una causa in iudicando, quam quatuor, & ultra, mora Advocati defendendæ, & tamen videmus, quod cum tanta facilitate, partes iudicis etiam per inexpertos explicantur.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum; an scilicet hujusmodi Statuta excludentia fœminas propter masculos, intelligenda sint per masculos æqualis gradus, non autem inæqualis; Scribentes pro fœminis dicebant (& bene,) quod eis assistebat regula, ut scilicet Statuta intelligenda veniant, data gradus æqualitate, & non aliàs, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Brunum de Statut. art. 11. n. 248. Honded. conf. 1. n. 33. lib. 2. Tob. Non. conf. 15. ubi de Statuto Tuderino Franch. dec. 87. Rovit. dec. 20. Rota dec. 2. num. 33. p. 1. divers. plenè dec. 68. n. 6. rec. & in aliis plures.

Admittebant Scribentes pro masculis hanc regulam, cum illi assisteret magis communis, & recepta opinio; Insistebat autem in limitatione, pariter magis communiter recepta, ubi ex Statuti contextu pateat de diversa voluntate, defumenda, vel à ratione conservationis in ipso expressa, vel à generalitate verborum, aliisque argumentis hanc Statuentium voluntatem suadentibus, cum in effectu ista sit quæstio facti, & voluntatis potius, quam juris, ex iis, quæ cæteris relatis, habentur apud Honded.

conf. 4. num. 85. & seqq. lib. 1. Borgnin. dec. 22. n. 10. cum seq. p. 4. latè Theaur. dec. 37. ubi plures cumulantur, Rota in Romana seu Spoletana bonorum 22. Maii 1602. coram Sacrato, & in aliis, atque Scribentes pro fœminis, non negabant veritatem limitationis in abstracto, sed negabant applicationem, super qua certatum fuit, adeo ut ex jam insinuat, verè ista non sit quæstio juris, sed facti, & applicationis, certam non recipiens regulam generalem cuicumque casui applicabilem, cum decisio pendeat ex singulorum Statutorum contextu; Ideoque erroneum est, cum docturis, & propositionibus generalibus procedere, benè istis deservientibus ad intellectus illuminationem pro hujusmodi interpretatione faciendâ, eo modo quo in aliis ambiguis morientium, vel contrahentium voluntatibus habemus.

Mihi verò visum fuit, quod versaremur potius in casu limitationis favore masculorum, quam in casu regulæ; Tum ob rationem assignatam à Statuto conservationis bonorum in famulis, & stirpibus, quodque in fœminis sufficiat providere honestati, eas maritandæ, & dotandæ; Tum

etiam ob verborum amplitudinem, ut Statutum dote etiam ab extraneo danda contentetur; Nimiumque me movit auctoritas quatuor insignium hujus Curie antiquorum, ac primi nominis Advocatorum, quorum duo de tempore hujus disputationis obierunt, alii verò duo in conspectu Prælaturæ statui constituti erant, nempe, Spada, Portius, Andossilla, & de Rubeis, qui in consimili controversia circa hujus seculi initium excitata, ita pro veritate responderunt; Ita etiam nimium impellente meo sensu vel genio ex pluries hoc titulo insinuatâ ratione præsertim in Persina disc. 1. quod scilicet hujusmodi Statutorum latam, ac benignam interpretationem facere debemus favore agnatorum contra fœminas, cum id nostris Italiam moribus magis adaptatum sit, ex ibi deductis.

Facilius autem in hac facti specie quoniam non agebatur de excludendo sorores utrinque conjunctas, vel sanguineas, cum isto casu aliqua major dubitanti ratio eadem videatur, eo quia fœminæ de familia, dicantur etiam agnatæ, in fideicommissis agnaticis, quoque succedentes, ex motivatis in specie apud Thef. d. dec. 34. & in terminis Statuti 141. Urbis habetur apud Rot. dec. 491. par. 9. recent. Licet enim verius sit, ut id neque sufficiat, quoniam fœminæ de familia dicuntur quidem agnatæ, ac succedunt in agnaticis dispositionibus in subsidium, quando masculi amplius non extant, ex deductis d. dec. 34. Theaur. & in terminis dicti Statuti 141. Urbis plenè, recedendo à dicta dec. 491. firmatur dec. 267. 383. eadem p. 9. in terminis fideicommissariis plenè habetur dec. 133. ead. p. 9. rec. & pluries in sua materia sub tit. de fideicommiss.

Adhuc tamen videbatur circumstantia considerabilis, non quidem apta ut sola, & de per se induceret dictæ regulæ limitationem, sed ut aliis concurrentibus, quæ limitationem suadeant, non tamen omnino clarè, adeo ut res in ambiguo maneat, id nimium considerabile sit ad regulandum Judicis arbitrium, ut in unam, vel alteram partem desinat; Cum enim omnia bona controversia obvenierint in defectum à paterna successione, hinc nimium asperum, ac improbabile videbatur, ut sorores uterinæ, & sic filiæ secundi viri, probabiliter exoræ tam defuncto, quam ejus patri, agnatos adeo proximos excludere deberent; Siquidem, licet attento leguleico rigore, id non attendatur, ex regula attendendi causam immediatam, non autem mediatam, quodque ita bona non dicantur amplius paterna, sed fraterna; Attamen adhuc id ab ipsa lege consideratione habetur, ut in materia secundarum nuptiarum hoc eod. tit. pluries habetur, ad effectum scilicet regulandi arbitrium in casu dubio.

Quoverò ad secundum punctum, an scilicet unica dotatio sufficeret pro exclusione ab omnibus successioneibus, vel potius Statutum discretivè intelligendum esset de successione illius, de cujus bonis fœmina dotata sit; Scribentes pro fœminis, pariter dicebant eis assistere regulam, quoniam ex magis communi opinione, hujusmodi Statuta fœminarum exclusiva propter dotem, intelligenda veniunt à successione dotantis tantum, non autem ab aliis, ut firmant magis communiter Scribentes, de quibus plenè relatis habetur per Rot. apud Merlin. dec. 360. & 492. repetit. dec. 247. & 321. p. 5. rec. & dec. 179. & 202. post Merlin. de legit. & in aliis frequenter.

È conversò Scribentes pro masculis, non negando hanc regulam, insistebant in limitatione, seu distinctione latè deducta in dictis dec. 390. & 429. Merlin. & dicta dec. 179. & 202. post Merlin. de legit. apud Cels. dec. 46. apud Dunozett. dec. 929. & in aliis, quod scilicet; Aut Statutum enumerat plures personas, & successiones per copulativam, & tunc unica dotatio sufficiat pro exclusione ab omnibus; Aut per alternativam, & idem dicendum sit, ubi sit in capite dotationis, non autem exclusionis, secus autem ubi alternativa sit, tam in dotatione, quam in exclusione; Cumque dicta distinctio non negaretur per Scribentes pro fœminis, hinc tota quæstio pariter erat super applicatione, an in una, vel altera distinctionis parte versaremur.

Atque in hoc mihi quoque visum fuit pro masculis respondere; Tum ex contextu Statuti, quod scilicet per copulativam magis, quam per alternativam procederet; Tum etiam, quia Statutum considerat casum successioneis de tempore, quo fœmina adhuc dotata, & maritata non sit, dum disponit de fœmina maritanda, & dotanda, ut considerat Rota apud Merlin. de legit. dec. 202.

Clarius verò, quia cum ista (ut dictum est) sit quæstio potius facti, & voluntatis, quam juris, idcirco pro meo sensu

fenſu decidenda venit cum regula pluries inſinuata *ſub tit. de fideicommiſſis*. & alibi, ut non cortex, & figura verborum, ſed ſubſtantia voluntatis attendi debeat regulanda potiſſimum ex qualitate teſtatoris, ut ſit litteratus, vel idiota, ac etiam ex aliis circumſtantis, quæ veriſimile, vel inveriſimile ſuadeant; Ideoque, cum ageretur de Statuto parvi loci, groſſolano modo, ab idiotis, vel parum doctis viris ordinato, improbable mihi videbatur, ut ex ſola phraſi, ſeu forma elocutionis, inferri poſſet ad hujusmodi voluntatem, omnino inveriſimilem etiam in Statutis conditis per magnas, ac primarias Civitates, atque per viros litteratos, ratione ſubjectæ materiæ, & communis uſus, qui in jure etiam præſupponitur tanquam abſolutus, quod ſcilicet fœminis unica dos conſtituitur, ſuper cuius congruitate, vel natura, ſeu reſtitutione, ut fructibus, & aliis, ſemper lex loquitur in numero ſingulari, alia autem bona enunciantur ſub genere extradotalium, ſeu paraphernalium; Et tamen ubi ageretur, de familia numerota, in qua propterea agi contingeret de pluribus ſucceſſionibus utriuſque parentis, & quatuor avorum utriuſque lateris, ac etiam fratrum, aliorumque conjunctorum oporteret dare inconveniens, ut una, & eadem fœmina, haberet decem, & viginti dotes: Item quia notorius uſus docet pluries enunciatas ſub *tit. de fideic.* & alibi, quod omnes humanæ diſpoſitiones, per ipſos diſpoſitores, vel ordinatores conſcipiuntur in compendio, ſive in ſubſtantia, deindeque alicui Notario, vel Juriconſulto, ſeu lingua latinæ profeſſori communiter extenſio, quæ in una, vel altera elocutionis forma concipi ſolet pro ipſius extenſoris loquendi ſtylo, vel phraſi, non apta proinde alterare ſubſtantiam ejus, quod à diſponente, vel à legiſlatore volitum ſit; Ideoque hujusmodi Juristarum ſubtilitatibus, originatis ut plurimum ab acumine Conſulentium, qui ad pecuniam, ſeu ad cauſæ opportunitatem ſcripſerunt, (ut in dies nos Advocati experimur) intellectum nunquam adaptare poſſunt, erroneumque videtur, in judicando cum eis procedere, dum potius procedendum eſt cum dicta ſolida propoſitione ex utroque poſitivo, & naturali jure manante, ut ſubſtantia voluntatis attendi debeat; In idem ſuffragant alia recepta propoſitione frequenter inſinuata, ut capitula tanquam verba Partium, non autem instrumentum, tanquam verba Notarii attendi debeant, cum ſimilibus.

Nihil autem profuit patris, ut in utroque puncto eorum favore reſponderem, dum prædicando propoſitionem, ut ea, quæ deſunt Advocatis, *Judex ſuppleat*, excitavi dictum alterum motivum eorum excluſivum, propter matrem, cui ſolum dixi debitam eſſe ſucceſſionem, ex concluſione communiter recepta, ut hujusmodi Statuta excluſiva ſorores propter fratres, vel alios agnatos, locum non habeant, matre exiſtente in medio, utpotè in caſu mixto, in quo ceſſante Statutaria diſpoſitione, ſubintrat illa juris communis Neapod. *ad conſuetud. Neap.* incipien. *Si ruis, vel ſi qua num. 552.* Ann. *alleg. 70. n. 49.* & ſeq. & *alleg. 119. n. 13.* cum ſeq. Minad. *dec. 38.* Franch. *dec. 91. dec. 92. num. 7.* & *dec. 606. per tot.* de Marin. *reſol. 70. n. 5. lib. 1.* Rota *dec. 59. p. 1. rec. & dec. 43. p. 7.* apud quos concordantes.

Cum etenim ſorores ex uno tantum latere conjunctæ eſſent, concurſum cum matre præterendere non poterant, ut ſorore conſanguinea non concurrente cum matre eſt planum, ex iis, quæ cæteris ibidem relatis, firmatur *diſc. dec. 43. p. 7. rec.* & in alia præcedenti deciſione ejuſdem cauſæ ibidem enunciata, cum poſita diverſitate conjunctionis, res ſit extra controverſiam.

Et quamvis diſputent DD. an idem dicendum ſit ubi conjunctio eſſet ex eodem latere, ut in præſenti, dum ſorores conjunctæ erant ex eodem latere materno, vel quod conſanguineæ concurrerent cum patre, unde propterea Caſtr. in *Aub. deſunct. n. 7.* qui nonnullos habet ſequaces, credit quod unicitas vinculi iſto caſu non obſtet; Contraſtaria tamen opinio eſt magis communis, & recepta, ut cæteris relatis Boer. *dec. n. 2.* Franch. *dec. 682.* Fab. de Ann. *conſ. 92. n. 35.* Graſſ. *de ſucceſſ. q. 24. in fine,* Michalor. *de fratr. p. 3. c. 14. n. 10.* apud quos alii.

Non fuit autem opus examinare quid dicendum eſſet, ubi mater ſucceſſionem negligeret, ſeu aliàs eam non obtineret, an ſcilicet ejus exiſtentia de facto induceret dictam mixturam adimentem diſpoſitionem Statutariam, ac aperiendum locum juri communi, dum mater ſucceſſionem agnoverat, ideoque ex facto ceſſabat quaſtio; Adhuc tamen in voto deſuper edito, obiter inſinuavi, quod ea

etiam non ſuccedente, pro ſororibus tanquam proximioribus in excluſionem patrum reſponderi debuiffet ex auctoritate Rotæ *d. dec. 59. p. 1. rec. & dec. 43. p. 7.* in quibus firmatur, quod ſola exiſtentia de facto matris, vel alterius perſonæ proximioris, cauſat dictam mixturam, ac aperit locum aliis à Statuto excluſis, quibus juris communis diſpoſitione attenda, ſucceſſio privativè, vel in concurſu debita eſſet.

Verum licet adhuc occaſio non præberet particulariter in foro id diſputare, attamen reſpectendo ad rei veritatem, iſtud aſſumptum nunquam placuit, Tum ex deductis *ſub tit. de legit. & detraſt. diſc. 4.* in propoſito hujusmodi Statutorum excluſivorum fœminas propter mafculos, vel cognatos propter agnatos, ut ex veriori, magiſque recepta opinione, ſola exiſtentia perſonæ à Statuto contemplatæ, de facto non ſufficiat niſi ſequatur ſinis, vel effectus à Statuto contemplatus, attendendo ſubſtantiam voluntatis, non autem hujusmodi metaphyſicam ex Conſulentium ſubtilitatibus originatam; Tum etiam quia hujusmodi Statuta continere dicuntur teſtamentum, quod lex ordinat pro moriente ab inteſtato, juxta traditionem Baldi *conſ. 205. n. 1. l. 2.* cum aliis apud Celf. *dec. 248. n. 1. & in d. Peruſina diſc. 1.* & alibi, unde propterea ſi teſtator negligit aliquem ex filiis, vel parentibus veriſimiliter prædiſelectum, vel ab eo de neceſſitate vocandum, non per hoc diſpoſitio conruit, ac ordo ſucceſſionis ab eo ſtatutus reſpectu aliorum pervertitur, niſi quatenus exigat favor perſonæ præteritæ ad terminos textus in *Aub. ex cauſa C. de liber. præterit.* de quibus in ſua materia *ſub tit. de teſtam.* Ac etiam à ſimili conferunt, quæ ob caducationem gradus antecedentis habentur *ſub tit. de fideicommiſſis.* ad materiam vulgaris anomalæ præſervantis caducationem gradum ſequentium, cum ſimilibus; Ideoque meus intellectus captivari non potuit in obſequium dictarum deciſionum ſequentium quandam mere leguleicam traditionem Conſulentium omnino improbabilem, atque à legali, & naturali ratione alienam, adedut videatur, (ut vulgò dici ſolet,) ſpecies judaismi legalis.

In dicta etenim *dec. 59. p. 1. rec.* cum cujus ſide, & auctoritate proceditur in altera *dec. 43. p. 7.* cum ageretur de Statuto Faventino excluſente matrem propter agnatos intra quartum gradum, ſuperreſſent autem patris, qui erat religioſus profeſſus in Religione clauſtrali, cui ſtatutum proſcribitur nolle ſuffragari, deceditur; quod ſola iſtius exiſtentia, quamvis non ſuccederet, ſufficere ad faciendum ceſſare Statutum, ac aperiendum locum matri in excluſionem aliorum agnatorum remotioris gradus, quod nullam habet probabilitatem, dum Statutum noluit ſuffragari clauſtraliſibus ex eodem motivo, ex quo matrem, ac fœminas excluſit, ut ſcilicet bona conſervarentur in agnatione, & familia, idèque non videtur, quæ ratio unquam ſuppetat, ut ita inferri poſſit ad hunc effectum, qui ſtatutentium voluntati de directo oppoſitus eſt.

Et in *d. dec. 43. p. 7.* agitur de Statuto Imolæ excluſente matrem propter patrum; Dicitur enim quod iſtud Statutum non operatur excluſionem ſororis conſanguineæ, de qua illud non loquitur, quodque propterea iſtius exiſtentia faciat ceſſare diſpoſitionem ſtatutariam, atque locum aperiatur matri, quæ excluſat in totum ipſammet ſororem, quæ ex cauſa excluſionis patri, quo nil improbabilius, atque de directo contrarium menti, ac fini ſtatuentium; Eatenus enim perſona non excluſa in conſideratione habenda eſt, quatenus ita remaneat præſervatum ejus præjudicium, juxta deducta *d. diſc. 4. de legit. & detraſtionibus*, non autem ut exinde ad hanc magnam exorbitantiam inferendum ſit.

Hinc proinde ſemper placuit, nimiumque probabilis viſa eſt opinio, bene comprobata per Apont. *conſ. 61. lib. 1.* juxta quam deciſum fuit apud Franch. *dec. 92. n. 7.* & ſeq. cum concordant. per modern. adden. ad eum, quod ſcilicet exiſtente matre in medio, ceſſet ſtatutaria diſpoſitio ad effectum, ut ipſa mater ſuccedat in eo, quod jus commune ſibi deſert tanquam in caſu omiſſo per Statutum, ſed non per hoc ceſſet excluſio ſororis utriusque conjunctæ per ejus germanum fratrem, ad cujus favorem, faciendum numerum, faciat patrem; juxta ea, quæ ad aliud propoſitum habentur *d. diſc. 4. & ſeq. detraſt.* quoniam ſpectandus eſt ſinis, ſeu effectus à Statuto volitus, ſive attendenda eſt ratio, ob quam in caſu omiſſo ita receptum ſit, non autem immorandum eſt in hujusmodi judaismi verè alienis ab omni probabilitate, & ratione, quæ legis anima dicitur; Ponderando etiam quod in omnibus hujusmodi ſtatutariis quaſtionibus reſpectendum eſt ad ſupra inſinua-

ſinuatum principium latius ded. in *d. Peruſina diſc. 1.* ut inſpicendum ſit, an agatur de Statuto verè odioſo, ac exorbitanti, quod ab omni jure communi verè exorbitet; Vel potiùs de eo, quod fit reſtitutorium juris, cum quo in Romano Imperio, quando in Italia ſedem habebat, vivebatur, ſive per quod conſerventur noſtri Itali mores, qui adederant de tempore, quo legum civilium inventio ſequuta eſt, ſed earum uſus haberi cœpit, atque exinde reſultent tot omnino irrationabiles exorbitantiæ contra omnem rationem humanam, quæ eſt legis præcipuum fundamentum, vel anima.

JANUEN. SUCCESSIONIS,
PRO THOMA SPINOLA,
CUM DELIA SORORE.

Diſcurſus pro veritate.

De famigerata quaſtione, occaſione Statuti Urbis in ſucceſſione exteri in ea morientis; An Statuta cupiant bona extra territorium, ſive an in bonis in territorio exiſtentibus, ſuffragentur mafculo forenſi, in cujus patria idem vigeat Statutum, an ſcilicet intret, necne, combinatio utriusque Statuti, perſonarum, & bonorum.

S U M M A R I U M.

- 1 Adii ſeries.
- 2 Quod requiratur utraque ſubjectio perſonarum, & bonorum, & non detur combinatio Statutorum.
- 3 De Statuto Januæ ſuper prohibita declinatione illius fori.
- 4 De Rotæ Romanæ auctoritate.
- 5 Ubi vigeat Statutum in loco perſonarum, & non bonorum, an iſta ſub eo veniant.
- 6 De rationibus, ob quas veniant etiam bona extra territorium.
- 7 Ut verius ſit eſſe debere locum combinationis.
- 8 Contrarium tenet Rota, & de ejus fundamentis.
- 9 De rationibus pro benigna Statutorum interpretatione.
- 10 Quare apud Januenses non habeatur uſus fideicommiſſorum.
- 11 De alio tamen uſu æquivalenti.
- 12 Quod paganus non poſſit habere duos hæredes, duasque diverſas hæreditates.
- 13 Contrarium verius.
- 14 Ad quid iſtud inconveniens ſit operativum.
- 15 Quod debeat attendi Statutum perſonarum.
- 16 Statuta operantur quoad bona extra territorium ratione voluntatis morientis.

D I S C. IV.

CUM in Urbe obiſſet Nicolaus Spinola nobilis Januensis, qui occasionaliter in ea moram trahebat, ſuperſtitibus, Epifcopo Savonenſi germano fratre, Thoma ex uno, & Delia ex altero, pariter germanis fratribus prædefunctis, nepotibus; Hinc orta eſt dubitatio, an in bonis Urbis, dicta Delia ad inteſtatum ſucceſſionem admittenda eſſet, (cum in aliis exiſtentibus in Civitate, ac Ditione Januensi, nulla caderet dubitatio ob copulativum concurſum utriusque ſubjectionis perſonarum, & bonorum;) Quare deſuper ex parte Thomæ pro veritate conſultus.

Reſpondi, quod ubi de quaſtione diſputari debuiffet in Curia Romana, ubi caſus ſucceſſionis contingerat, plana erat reſolutio favore fœminæ, cum hodiè poſt hujusmodi quaſtionem accerrimè diſputatam in celebri Narnien. ſucceſſionis coram Merlin. inter ſuas *dec. 352. & 526.* quarum prima eſt repetita *dec. 177. p. 5. & altera dec. 68. p. 6. rec.* extra controverſiam ſit, ut utraque ſubjectio perſonarum, & bonorum copulativè requiratur, neque intret combinatio Statutorum, quamvis conſimilium utriusque loci reſpectivè, ac habeatur etiam apud Buratt. & Adden. *dec. 188. & 262. dec. 228. p. 8. rec. & frequenter.*

Verum quia cauſa tractanda erat in dicta Civitate Januensi communi patria, cujus forus, ex eo rigoroso Statuto (ſuper cuius obſervantia nimium inſiſtitur (neque pro bonis extra illud territorium, vel ditionem exiſtentibus, declinari poteſt, ut advertitur in ſua materia *ſub tit. de judic.* Cum ibi non habeant Rotæ deciſiones illam majorem auctoritatem, quam habent in Curia Romana, & in aliis Tribunalibus ab ea dependentibus; Quamvis ubique ipſius

Tribunalis magnam eſſe auctoritatem, ultra ea, quæ dicunt noſtri præſertim Gomez, in *proem. ad regul. cancellar. q. 2. n. 10.* teſtantur cæteris relatis Franch. *dec. 605. n. 6.* Fontanell. *de pactis clauſ. 6. gloſ. 2. p. 3. n. 46.* Gait. *de cred. c. 4. quaſt. 7. n. 729.* & alii; Hinc proinde de meo ſenſu conſultus fui, quid in puncto juris probabilis videretur, perinde, ac ſi articulus non eſſet adhuc deciſus in loco.

Super hoc autem dixi, quod, quando non concurreret utrumque uniforme Statutum, ſed ſolum adeſſet illud loci perſonarum concurrentium, non autem alterum loci bonorum ſub controverſia cadentium, tunc aliqua major dubitandi ratio cadere videretur; Quamvis adhuc ex proprio ſenſu, vel genio, magis etiam placeret, atque probabilior videretur opinio mafculo favorabilis, quam plene, ac doctè aliis relatis veriore eſſe probat Bellon. jun. *conſ. 74. n. 177. cum ſeqq.* Tum ex pluries inſinuata ratione veriſimilis voluntatis ipſius morientis; Tum etiam ex altera inhabilitatis proprii ſubditi, qui non videtur à proprio Principe, vel Superiore prohiberi, ne alterum ſubditum, cui magis ex publica cauſa favere voluit, moleſtet etiam in bonis, quæ extra propriam ditionem ſita ſint, eodem modo, quo ordinatoria judicij, ſive fori competentiam præcepit.

Verum ubi utriusque Statuti concurſus adeſt, (ut in præſenti,) adedut; tam inſpecto loco perſonarum, quam altero bonorum, excluſio fœminarum propter mafculos ſit uniformis, nullamque exorbitantiam cauſare dicatur, tunc eſſe ferè omnium receptam opinionem mafculo favorabilem pro combinatione, probat Bellon. jun. *diſc. conſ. 74. n. 99.* ubi allegat Soccin. Peregr. Surd. Theſaur. & alios ſiſtra tranſcribendos.

Et quamvis in *diſc. dec. 353.* Merlin. repetit. *dec. 177. p. 5. rec. n. 24.* & ſeq. iſtis DD. nominatim relatis, ac rejectis, contrarium firmetur pro dictæ combinationis excluſione; Attamen advertendam, quod, (ut ex ejuſdem deciſionis contextu patet,) huic opinioni adharere viſum eſt, non quidem ex majori auctoritatum calculo, vel rationum præponderantia, ſed ſolum in obſequium auctoritatis ejuſdem Tribunalis, eo quia idem aliàs tenuerat apud Gregor. *dec. 255.* & apud Buratt. *d. dec. 188.* aliam non allegando auctoritatem DD. niſi Gratian. *diſcept. 43. n. 16.* cum ſeq. ideoque in puncto juris, atque in loco tertio Reſpondi quod mihi probabilior videbatur, magiſque placebat contraria opinio, juxta quam extra Curiam ego judicarem, ex fundamentis bene expenſis apud Bellon. *d. conſ. 74.* Potiſſimum verò ex illo, de quo ſupra in *Peruſina diſc. 91.* & infra in *Tuderina diſc. 6.* & in aliis pluries, veriſimilis ſcilicet voluntatis morientis.

Iſta veriſimilitudine ducta à noſtris Italæ moribus ibi ponderatis, quodque rigor ſuper hujusmodi Statutorum intelligentia, vel reſtrictione utpotè proveniens à quadam ſubtilitate, vel leguleica ſimplicitate noſtrorum majorum, nullam haberet probabilitatem ita in hoc Diſcurſu, ſed Reſponſo deducendo eaſdem ponderationes, de quibus ſupra allegatis *diſc. 1.* & *6.* ſuper noſtris Italis moribus antiquis, ac modernis, comprobatis tam ab antiquis legibus Romanorum editis ante translationem ſedis Imperialis in Græciam, quam etiam à legibus Longobardorum, & ferè communi hujusmodi Statutorum, ſed legum particularium uſu; Necnon à quotidiana praxi ſuper fideicommiſſorum, ac majoratum ordinationibus, præſertim verò in hac Civitate, in qua licet, exceptis quibuſdam conſpicuis bonis ſtabilibus, frequens non habeatur uſus fideicommiſſorum niſi intra certam ætatem ex ratione pluries aſſignata *ſub tit. de fideicommiſſis.* præſertim *diſc. 153.* & *ſub tit. de feud. diſc. 108.* Attamen alter habeatur laudabilis uſus in ea frequentior, quam alibi, quo mediante decor, ac nobilitas familiarum conſervatur, juxta deducta *eodem tit. de fideicommiſſis diſc. 3.* & *ſub tit. de juv. patr. diſc. 54.*

Ponderabam etiam alteram probabilem rationem abſurdi, quod retenta dicta opinione Rotæ ſuper excluſione combinationis, reſultat, quod ſcilicet ejuſdem pagani dentur plures hæredes, plureſque hæreditates diverſo jure cenſendæ; quod in jure implicat, ex deductis per Merend. *lib. 11. contr. 45.*

Et quamvis Rota præſertim *d. decif. 228. n. 22.* cum ſeq. *p. 8. rec.* reſpondendo nominatim huic difficultati, dicat non implicare ut pro diverſitate territorium dentur diverſæ ſucceſſiones, diverſo jure regulandæ, quaſi quod nil prohibere videatur, cur id, quod jus civile deſuper induxit in milite, ad cujus inſtar idem receptum habemus in feudatario, vel clerico, ex deductis *ſub tit. de feud. diſc. 21.* & ſeqq. & alibi pluries, induci non poſſit per Statutum, quod

quod etiam reperitur apud Merlin. *dec. 82.8. & 83.3.* & apud Rojas *dec. 157.* & in aliis, atque habetur deductum *sub tit. de dote disc. 103. cum seqq.* & alibi, præsertim *sub tit. de hæred. disc. 3.* Attamen dicebam istam videri nimium considerabilem circumstantiam, non in ordine ad illam omnimodam incompatibilitatem, quam scholastico more in puro legaleico rigore ponderat Merend. ubi supra pro defectu potestatis, quando Statutum sit clarum, cum revera id improbabile sit, quoniam nihil impedit, ut id, quod una lex induxit, altera tollat, sed ad effectum interpretationis, ac attendendi magis unam, quam alteram opinionem.

Ideoque mihi probabilis semper visum est, ut lex patriæ defuncti, ejusque conjunctorum in successione concurrentium, pariformiter ubique, tanquam super unica successione, (ubi expressa lex non resistat, attendi debeat eo modo, quo *sub tit. de jurisdiction. & for. compet. disc. 86.* habemus in materia fori super hæreditate, vel successione quando bona in pluribus provinciis sita sunt, ut attendi debeat (ut Hispani dicunt) caput hæreditatis; Potissimè verò, ex motivo voluntatis morientis, ob quam habemus, ut attendatur Statutum loci conditi testamenti, etiam pro bonis extra territorium, non in ratione auctoritativa ipsius Statuti, sed in ratione voluntatis testatoris, ex deductis per Rotam apud Merlin. *dec. 447. repetit. dec. 355. p. 5. recent.* & habetur *sub tit. de fideicom. ad materiam Statuti vocantis filios in conditione positos, cum similibus; Semper præ oculis habendo ponderationes, de quibus præsertim in d. Perusina disc. 1. & in aliis.*

BONONIEN. SUCCESSIONIS DE ZANIS, PRO COLLEGIO SOCIETATIS JESU, CUM MONASTERIO MONIALIUM, SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Discursus pro veritate super casu variè deciso per Rotam.

De Statuto Bononiæ exclusivum feminarum propter masculos, an afficiat Moniales tanquam personas ecclesiasticas, & Statuto non subjectas: Et generaliter de omni alio simili Statuto.

S U M M A R I U M .

- 1 **A**lli series.
- 2 **S**tatuta Bononiæ præferuntur feminis, etiam legitimatis.
- 3 **R**esolutiones cause.
- 4 **R**ota tenet opinionem, ut femine Moniales non excludantur à Statuto.
- 5 **D**e Catalogo ferè omnium Doctorum de ista questione agentium.
- 6 **A**d quem punctum DD. restringere soleant dictam questionem.
- 7 **F**emine forenses, & Statuto non subditæ adhuc excluduntur.
- 8 **Q**uod incongrue questio restringatur ad punctum, de quo n. 6. & qualis verè sit.
- 9 **D**e eodem, & qualis sit ratio exclusionis feminarum.
- 10 **D**e Statuti laicalis operatione circa juramentum.
- 11 **D**e exclusione clericorum à feudis.
- 12 **D**e aliis licitis clericorum, & religiosorum exclusionibus.
- 13 **D**e exclusione religiosorum à beneficiis, & pensionibus.
- 14 **D**e inventione juris civilis, & quare Statuta debeant etiam comprehendere mulieres religiosas.
- 15 **D**e ratione assignata per oraculum Pontificium.
- 16 **C**atalogus recentius, n. 5.

D I S C. V.

AB intestato defuncto Angelo de Zanis, superstibus Febronia forore moniali professa in Monasterio Trinitatis, & Carolo Antonio germani fratris filio legitimito, qui emissa tribus votis, quæ dicuntur simplicia, non autem quarto solemnibus, ingressus fuerat Societatem Jesu, & ejus ingressus intuitu, amplam fecerat renunciacionem cum pacto resolutivo in casu egressus; Fuit iste per Superiores, juxta stylum hujus Societatis, ex justis causis ab ea dimissus, undè propterea in statu seculari constitutus; sublato etiam per dictum pactum resolutivum, obstaculo renunciacionis, hanc successione agnovit prælativè ad dictam Febroniam, stante Statuto Bononiæ exclusivum

fœminarum propter masculos etiam legitimatos: Introduclaque causa in Rot. cor. Bichio *sub die 17. Maii 1641.* ad d. Caroli favorem prodit resolutio, quæ habetur impressa inter illas Bichii *dec. 52. repet. dec. 32. p. 9. rec.* dictaq; resolutio produxit concordiam, qua mediante lis quievit, donec vixit Carolus; Eo autem defuncto, scripto hærede Collegio ejusdem Societatis, hinc indignati aliqui agnati, Monasterii præsentiones jam sopitas (impugnando concordiam tanquam læsivam) ex rescripto Signaturæ Gratiæ extare curarunt coram eodem Bichio, coram quo proposita causa *sub die 9. Decembris 1654.* favore Monasterii, (recedendo à dicta priori decisione) resolutum fuit, ut patet ex *decis. inter illas ejusdem 62.5. repetit. decis. 349. part. 11. rec. dec. 18.* post Zuff. *de legitim. process. & dec. 36.* post Michalor. *de frat. (isto abusu inter alios per Librarios, sed Bibliopolas introducto;)* Cumque post hanc decisionem editam, novus concordie tractatus assumptus esset; Hinc per Societatis superiores, ego, qui pro neutra partium in causa scripseram, de proprio sensu pro veritate consultus fui, ad effectum deliberandi, an expediret concordiam amplecti, quæ ante me libenter consultata, sequuta fuit, atque liti finem dedit.

Duo autem erant puncti sub disputatione cadentes in utraque decisione enunciati; Primò nempe, an obstaret, necne renunciatio, non obstante pacto resolutivo in casu egressus, ex eo quod hic prætenderetur minus legitimus, utpotè absque legitima causa sequutus: Et secundò, posito quod renunciatio non obstaret, an Statutum prædictum afficeret dictam Febroniam tanquam monialem professam, à laicorum statuentium jurisdictione exemptam.

Super primo, ego non scripsi, quoniam, agnita dictæ præsentionis insufficiencia, in repositionem causæ, nulla capta resolutione, difficultas restricta fuit ad secundum super comprehensione monialis sub Statuto, quo non obstante foror absque dubio, juris communis dispositione attempta, ejus intentionem fundatam habebat.

In hoc autem; Quamvis pro meo sensu, omnino verius videretur, ut dicta femina sub Statuto comprehensa esset, proindeque ad ejus normam successio debita foret soli masculo; Attamen libenter dictam concordiam, quamvis Collegio præjudicalem, consului; Tum ex prudentialibus motivis respicientibus primum punctum; Tum etiam agnoscendo quod Rota moderna, juxta sensum in ea tunc sedentium, vel majoris patris eorum, istam opinionem tenaciter subsistere profitebatur, dum id formiter, & ex professo firmaret in *Spoletana bonorum 13. Apr. 1646. cor. Corrado impress.* post Censal. ad Peregr. *dec. 34.* Idemque postea pariter ex professo dixerat in *Tudertina de anno 1652. cor. Mellio impress. 256. p. 11.* & consequenter quod probabiliter recessus sperandus non esset, ut subsequutus eventus docuit, dum postmodum in plerisque aliis causis, cum eodem sensu processum fuit, & præsertim in *Tudertina de qua sub tit. de testam. disc. 25.*

In Responso autem, sed Discursu desuper edito, in quo concludebam quod omnino improbabilis videretur hæc opinio, quæ antesignandum habet Salicetum, quem sequuntur alii in catalogo de quo infra, nullum adhibui laborem in parte doctrinali expendendo scilicet numerum, & dicta DD. in verbis; Tum quia hunc improbum, ac ineptum numerorum laborem qui nullas ingenii partes habet, genium semper abhorruit, ac nauseavit; Tum etiam quia, occasione repositionis causæ post dictam ultimam resolutionem, vel unus ex Scribentibus, in causa, vel alter qui majus otium haberet, cum magna patientia, magnoque labore, omnium DD. hinc inde de materia agentium catalogum composuerat, ordine alphabetico dispositum, plurium DD. verba præcisa recensendo.

Iste autem labor pro studioforum commoditate: ac veritatis elucidatione registratur in calce presentis discursus; Ac etiam ut ita convincatur ineptia eorum, qui inanem allegationum cumulum optant, vel in scribentibus laudant, cum ita dignoscatur quam facile sit id proprio operi referre agendo munus scriptoris, vel collectoris.

Hinc proinde pro genio, & stylo, assumendo partem discursivam, sed ratiocinativam; Advertebam quod (pro meo iudicio) malè per aliquos DD. (cum quorum sensu in secunda præsertim decisione Rotæ proceditur) restringi solet hujus articuli nodus ad punctum subjectionis, sive temporis, in quo Statutum exclusivum hanc operationem facere debeat, an scilicet attendatur status personæ in instanti natiuitatis feminae exclusæ, quæ ita tunc in statu sæ-

culari, Statuto subjecta erat, adeo per diversum statum ecclesiasticum assumptum, dictus effectus jam consummatius tempore habili, cessare non debeat, ut subsistat in Statuto favorabilis; Vel potius attendendum sit tempus apertæ successione, & an tunc femina, vel aliæ personæ exclusæ subjaceant, necne Statuto, ut credit altera opinio, quam Rota moderna sequitur; Undè propterea pro consueto Juristarum stylo, (qui mihi verè inepetus videtur, ideoque tam in ista, quem in omni alia interpretativa materia, nunquam intellectum in ejus obsequium captivare potui,) immorantur in formalitate seu grammaticali significatione verborum, & ac ipsa importent exclusionem seu inhabitationem in ipso instanti natiuitatis, vel potius percipiunt dictum alterum tempus successione; Sive ut alii distinguunt, an Statutum prodierit de tempore quo personæ exclusæ erant jam in statu ecclesiastico, ac exemptionis, vel potius in statu seculari postea immutata, ut patet ex DD. qui pro utraque sententia in dicto caualogo, ac etiam in istius causæ, ac aliarum supra allegatis decisionibus recensentur.

Europeum siquidem videtur, istam exclusionem referre subjectioni Statuti, seu jurisdictionali, ac potestativæ auctoritati cum personis exclusis; Si enim ita esset, sequeretur quod feminae forenses neque excludi possent utpotè Statuti jurisdictioni non subjectæ; Et tamen contrarium est verius, ab ipso etiam Rotæ Tribunali receptum, ut scilicet subjectione personæ excludentis, juncta cum altera subjectione bonorum in proposito sufficit, non curata non subjectione personæ excludendæ ex deductis, *infra disc. 33.* Igitur ista ratio exemptionis feminae exclusæ profus incongrua est.

Idemque comprobati dicebam procedendo etiam cum opinione ab ipsomet Tribunali moderno tempore tenta, quamvis pariter pro meo sensu minus probabilis, ex iis, quæ habentur in *Tudertina disc. 6.* quod scilicet ubi agatur de successione clericis, quamvis contentio sit inter laicos Statuto æque subiectos, attendi non debeat Statutum, ex ratione verisimilis voluntatis defuncti, qui potius ejus successione regulare voluerit juxta ordinem juris communis, cui subjacebat, quam juxta illum juris statutarii, à quo erat exemptus; Ergo si regulanda est successio à præsumpta, seu verisimili morientis voluntate, desumenda ex ejusdem subjectione, non curata subjectione succedentium; Itaque eadem ratione de consequenti resultat quod moriente laico, qui est subiectus Statuti, ad istius limites successio debeat regulari, non curata exemptione aliquorum ex successoribus, cum nullum rationis discrimen desuper dignosci videatur.

Multò verò magis dum, juxta ea, quæ in *disc. Tudertina disc. 6. & in Perusina disc. 1.* ac frequenter in aliis insinuantur, ista præsumptio voluntatis morientis se conformandi cum Statuto, ad ejus limites ejus successio regulari debeat, maximum habet naturæ fomentum ob regionis mores tam antiquos, quam modernos ex ibi latius deductis; Igitur vis non est in subjectione personæ exclusæ, sed est in presumptione dictæ voluntatis morientis, pro quo ut advertitur in *d. Perusina disc. 1.* & in aliis pluries; Statutum facere dicitur testamentum; Quemadmodum igitur si moriens cum testamento, masculis, vel agnatis institutis, feminas præterisset, utique non posset ista ratione ecclesiasticæ immunitatis, morientis voluntatem, impugnare, nisi quatenus contra illam ratione legitimæ aliquid prætereundere possent; sic à pari.

Ad quod bene conferre observabam ea, quæ habentur *sub tit. de dote disc. 143.* & pluries *sub tit. de alien. & contr. prohib.* in materia juramenti, quod legibus, & Statutis laicalibus non subjacet, adeo hæc Statuta directè ejus vim tollere non possunt, & quatenus id agant, tanquam improba, & cessa censenda sint ex defectu potestatis; Et tamen rectè admittitur enervatio indirecta, quæ resultat ex actu temporali, super quo lex laicalis rectè disponit, & de consequenti cessat juramentum ex defectu ejus probationis, quia nempe adimatur fides scripturæ; vel ex defectu naturali consequutivo illi vitio voluntatis, cuius præsumptivam probationem lex inducit, præsumendo scilicet actum dolosum, vel meticolosum, quoniam Statutum operatur circa probationem animi proprii subditi contraheatis; Sic in præfenti.

In idem quoque nimium conferre observabam ea, quæ habentur *sub tit. de feud. præsertim disc. 54.* super inhabitatione clericorum secularium, vel regularium in successione feudorum, quoniam licet plures credant hujusmodi leges, vel consuetudines feudales cadere sub dispositione text.

in *Authent. cassa, & irrita &c. Cod. de Sacrosanct. Eccles. & in cap. Ecclesia S. Mariae de Constitutionibus;* Contrarium tamen est verius, magisque usu receptum, ex ea congrua, nimiumque probabilis ratione, quod lex directè non statuit super inhabitatione clericorum, jurisdictionem cum eis exercendo, sed ita præsumit voluntatem in feudantis, quod scilicet hanc legem rei suæ adire voluerit, sive desiderare in successore feudi qualitatem laicalem, ex cuius deficientia de consequenti, clericorum, & ecclesiasticorum exclusio, seu inhabilitas resultat, non directè ratione clericatus, sed indirectè, & consequitivè ratione deficientis qualitatis laicalis.

Eodem modo quo *sub tit. de dote disc. 12. & 167.* habetur de dispositionibus, quæ circa dotes, vel dotalia subdita fiant, taxativè, ac limitatè favore nubentium in sæculo, ut ab eis exclusæ sint eligentes vitam spiritualem, non in istius odium, sed ob dilectionem alterius qualitatis matrimonii carnalis, ob cuius deficientiam inhabilitatio resultat; Ac etiam habetur *sub tit. de fideic. disc. 44. & sub tit. de testament. disc. 73.* super inhabitatione nuptiarum, quod; solum innuptæ habitatae sint, quamvis id, attento jure civili prohibito viduitatem redolere videatur; Sive earum, quæ cum certis personis, vel certo modo nubant, quamvis attento jure canonico, talis conditio adversetur libertati matrimonii ejusque impeditiva sit, quoniam non dicitur dispositio odiosa, & privativa, sed solum invitativa personarum habentium certam qualitatem; juxta parabolam Evangelii, ut invitati ad nuptiale convivium, vestem nuptialem habere debeant, sine qua cœnaculum ingredi non liceat; Ideoque ut pluries habetur *cod. tit. de fideic. præsertim disc. 63. & seq.* quidquid aliqui minus probabiliter dixerint, receptum est, validas esse restantium dispositiones super exclusione religiosorum, vel clericorum, ex dicta ratione, quod non est illos directè excludere, in odium status clericalis, vel religiosi, sed est invitare solos laicos.

Quod etiam in materiis ecclesiasticis & spiritualibus præxis docet, quod quamvis Ecclesia Catholica nimum laudet statum regularem, isteque in sensu aliquorum, reputetur perfectior, quam ille clericorum secularium; Attamen eos excludit ab assequutione beneficiorum secularium & pensionum ecclesiasticarum, adeo inducat amissionem etiam obtentorum, ut *sub tit. de benef. & sub altero de person.* non in odium status regularis; sed ob deficientem qualitatem clericatus secularis, cum similibus.

Hinc observabam, quod si casus non dedisset editionem juris novissimi *Authenticorum*, per quod, agnationis, & cognationis, ac sexus differentia sublata fuit; Sive quod pluries recensita legum civilium casualis inventio post tot sæculorum sepulturam, & oblivionem, id dedisset de solis Pandectis, & Codice, non autem de *Authenticis* sed *No-*

vellis Justiniani, utique feminae nullum jus in successione haberent, sive essent sæculares, sive moniales, utpotè à dicta lege non invitatae ad intestatam successione cuius beneficium provenit à jure positivo, non autem à jure naturæ; Igitur non videtur quid prohibeat, cur hanc femini sexus habitationem, quam induxit Jus civile novissimum correctorium Juris antiqui, vel mediæ, non possit idem Jus civile particulare corrigere, sive antiquum restituere; Aut verius, ita non potuerint populi declarare animum non acceptandi dictum jus novissimum *Authenticorum* dum ut pluries advertitur, à populorum usu potius, quam ab Imperiali auctoritate, Juris communis observantia provenit, ita inhabilitando sexum in genere, seu pro regula, absque aliqua status distinctione, & consequenter non videtur quid in proposito commune habeat materia ecclesiasticæ exemptionis, vel immunitatis; Quæ tunc intraret, quando successio aliàs debita esset de jure Divino, vel naturæ, seu gentium, aut etiam de jure canonico, sive quod sola ratio status ecclesiastici seu religiosi esset causa exclusionis, quia nempe feminae sæculares non essent exclusæ; Secus autem ubi exclusio est generalis de sexu tollendo eam habitationem, quam aliud jus laicale *Authenticorum* induxit.

Nimium quoque in id conferre observabam ponderationem jam ab aliis in ista causa factam, super confirmatione Statutorum Perubi facta per Gregorium XII. qui non solum Sanctissimus, ac justissimus Pontifex fuit, sed etiam doctissimus J. C. fuit, dum eam assignat congruam rationem, quod si Statutum excludit feminas in sæculo nuptas, quæ, earumque filii, & descendentes, verè, ac de facto sanguinem retinent, atque bona, quatenus successio eis deferretur, in Sanguine conservantur, multò ma-

magis excludere debet moniales, dum juxta Canonistam, in Curia Romana, ac foro ecclesiastico receptam opinionem, ita directè, ac immediatè, succedit potius Monasterium, quod in effectu est omnino extraneum.

Et quamvis in dicta ultima decisione Cor. Bichio, respondendo huic motivo, dicatur, quod ista sit prævisio particularis pro ea Civitate, ad alias non extendenda; Attamen videtur parum congrua responsio, quoniam id attendendum non est in ratione privilegii, cujus extensio non datur, sed attendi debet ratio generalis ita tanquam congrua per Summum Pontificem canonizata cuicumque casui applicabilis, cui ea congruat.

Sequitur CATALOGUS DOCTORUM supra in discursu enunciatus.

16 Tribus de causis compulsi sumus ad hanc prolixitatem alioquin onerosam iis, qui angustiis temporis urgentur, aut invidiam illis, qui vel incuria, vel dissimulatione affectata, tantum Auctoritatum numerum, & pondus declinare malunt, quam experiri. Prima est, quod non nemo Adversariorum, ausus est affirmare opinionem exclusivam Monialium Falsam esse, & communiter reprobant; inclusivam verò magis veram, & communem, & pro illa plures Doctores stare, vel plurimos. Secunda est quod major pars illorum (licet perpaucorum) qui contra Statutum exclusivum Monialium adduci solent; aut in hoc puncto juris perperam adducitur, aut etiam manifestè stetit tandem pro tali Statuto. Tertia, ut de Rationum ipsarum momentis constet, ex ipsa qualitate, & quantitate Doctorum, qui illi tanquam solidioribus, & evidentioribus permoti sunt ad pronuntiandum in favore Masculorum contra feminas Moniales, sperandum enim est à RR. PP. Romanæ Rotæ, & ab æquitate Tribunalis tam Sacri, fore ut recognita causa, secundum eam, quæ verè verior est & Communis opinio judicent, ac decernant persistendum in pristina, & iustissima Decisione 17. Maii anni 1641. coram R. P. D. Bichio.

17 ABBAS Panormitanus in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constitutionibus numero 25. ibi: Et ideo fuit aliis consultum quod si Statuto caveatur, ut stantibus masculis feminæ non succedant, si femina erat monialis, Statutum non extenditur ad eam. In hoc tamen advertit ad tres casus: aut Statutum injecti vinculum ante clericatum aut post, aut oritur ius agendi ex facto Clerici seu quasi sive Statutum injecerit vinculum ante, sive post. Primo casu statutum porrigitur ad Clericum: Exemplum, Statuto cavetur quod primogenitus succedat patri, si secundogenitus fiat clericus post statutum, ligatur illo statuto, & scribens Lupo affirmat quod si Statuto cavetur quod stantibus masculis feminæ non succedant, si tempore statuti filia femina erit secularis repellitur à successione, licet intret monasterium postmodum. Idem Abb. in cap. Quod Clericis, de Foro competenti, nu. 39. ibi: Exemplum, jam statutum conditum est ante clericatum secundogeniti, quod primogenitus succedat in hereditate; certe licet secundogenitus postea fiat clericus, ligatur ista consuetudine, quia ante clericatum secundogeniti, ius primogenituræ erat effectum pro primogenito, ideo non debet tolli per clericatum supervenientem, mox numer. 40. subdit: Et faciunt hæc ad questionem quotidianam: Statuto cavetur quod superstantibus masculis, feminæ non succedant, nunquid hoc statutum præjudicat feminis effectis religiosis? Et secundum prædicta concludit, quod si assumpserunt monachatum ante statutum, non præjudicat eis, secus si post. Requirit tamen Abbas, ut statutum generaliter excludat feminas, tam laicas quam moniales, idèque in fine num. 40. subjungit: Sed si in omnem eventum filia femina veniret excludenda, extantibus masculis, valeret statutum ante ingressum factum; ut si diceret; Extantibus masculis filia femina non succedat, etiam si ingrediatur religionem, tunc enim non impedit religionis ingressum, cum in omnem eventum sit excludenda. Hinc patet quare idem Abbas Consilio CXI. Catharinam monialem dixerit non excludendam à successione, quia ut ibi dicit n. 4. statutum non potuit præjudicare mulieribus, quæ jam intraverant Monasterium tempore statuti, erat ista Catharina, quæ non solum intraverat, sed etiam adiverat hereditatem paternam.

18 ACCURSIUS teste Alberico de Ros. mox adducendo determinavit, statutum, de quo hic quæritur, debere servari.

AFFLIGTUS lib. 3. constit. Scil. rubr. 23. de success. Filiorum n. 17. q. 6. ait hanc esse opinionem communem, & de hoc non dubitare.

ALBERICUS de Rosate lib. 2. de statutis, quæst. 103. 4. num. 1. refert Franciscum Accursium præceptorem suum disputasse an valeat statutum quo cavetur, si quis intestatus decesserit relicto filio masculino, & filia, quod filia non veniat ad successionem, sed debeat dotari? & nu. 8. concludit: Successio deseritur filis, & filiabus per jus civile; ergo tolli potest per aliud jus civile: ipse Dominus Franciscus determinando tenuit statutum valere, & debere servari, & dotata debeat esse dote contenta: non dotata dotetur decenter, & illa quæ religionem intravit dotetur decenter, secundum verba statuti.

ALBERTUS Brutus Astenensis tractat. de statutis excludent. feminas, articulo 6. num. 33. movet questionem hanc, quam n. 37. repetens resolvit dicens: An talia statuta exclusiva feminarum comprehendant personas Ecclesiasticas, quando generaliter, & indistinctè loquuntur &c. ut quia simpliciter dicunt, quod extantibus masculis feminæ non succedunt; & tunc etiam sunt opiniones: sed magis vera & communis est sententia, quod feminæ, quæ tempore statuti conditi non erant ecclesiasticæ, sed factæ sunt postmodum, per tale statutum à successione propter masculos, excludantur, quia tunc cessat ratio, per quam videntur timidiore reddi ad ingrediendam religionem: & allegatis multis à num. 38. ad 43. allegat etiam jura pro contraria parte, sed num. 44. persistens in sua opinione dicit: Sed isti non obstantibus ad hoc prædictam opinionem tenendum, & esse pro ea magis communem opinionem, & maxime ex eo quod dicitur de primogenito, qui ex statuto vel consuetudine in successione præfertur, ut excludat secundogenitum etiam clericum, secundum magis communem opinionem, prout etiam dicit Franc. Aretinus, & numer. 48. solvens rationes adversariorum de suo ait: Dicit potest quod clericatus vel religio superveniens non se extendunt ad casus, qui suam virtutem ante clericatum sortiuntur, sicut patet in exemplo de primogenito, cui à principio inest ius primogenituræ, quod sibi confert emolumentum successoris, & consequenter idem dicitur in masculo, qui feminæ ex forma statuti præfertur, quia ratio sexus, quæ hunc effectum producit, adest illi à principio: sic dicimus quod ius agendi ante clericatum observatur in utroque foro, & quod supervenientia clericatus non impedit causam prius inchoatam coram iudice seculari, & num. 51. adducto exemplo de testamento pagani non solemnè, & postea militis addit: ergo in proposito qualitas quæ adfuit à principio in muliere, per supervenientem religionem non mutabitur, nec ipsius qualitatis effectus: & tandem n. 52. accumulatur aliam rationem: quia statutum afficit bona, unde cum antequam persona sit facta ecclesiastica, sint affecta, valebit quoad eam statutum, sive illam ligabit l. rescripto §. fin. ff. de mun. & hono. cum concordantibus supra allegatis: nec per hoc fit gravamen, vel injuria Ecclesiæ, vel Religionis, quia in omnem eventum talis persona exclusa remansisset, etiam si nec fuisset ecclesiastica.

ALCIATUS ejusdem sententiæ fuit in conf. 358. n. 2. antiquæ impressionis, prout eum quoque allegant Carpanus, & Thesaurus, de quibus infra.

Alexander Raudensis, vide infra, Raudensis. ALTOGRADUS consil. 66. n. 37. Existentibus masculis, ab hereditate parvis femina esset exclusa ex dispositione statuti feminas propter masculos excludentis, quod cum injecerit vinculum priusquam puella monasterium ingrediatur, eam etiam afficiat, ut in puncto pluribus probat Tamburinus, & Martin Medices decis. 52. per totam.

ANCHARANUS Conf. 11. in fine dicit, quod licet in jam quæstis Laici nullo ingenio possunt derogare ecclesiasticis, tamen bonè in acquirendis, si laici hoc non faciunt malo animo, sed pro bono publico, & consil. 107. num. 2. dicit Monialem dotandam esse, ne per ingressum religionis, spirituales conjugum esse debeat deterioris conditionis, & in fine aut admittendam esse ad successionem aut dotandam, & consil. 108. quærit item de Moniali, an sit dotanda, & præmittit num. 1. Non absurdè quidem dici potest statutum excludens feminas à successione ab intestato extantibus masculis non debere intelligi de filiabus Monialibus, circa quas non potuissent statuentes expressè disponere. Supponit ergo Statutum expressè excludens Moniales, ut tales, non autem generaliter, ut feminas, deinde num. 3. Sed præsupposito sine præjudicio veritatis, quod arbitror nosset hanc interpretationem amplecti, sed præcisè ipsam

tanquam feminam, licet monialem cum masculo non admitti, utrum secundum formam ejusdem statuti debeat dotari? & tandem num. 4. concludit dotandam quia spirituale matrimonium est fortius, quam carnale, & ne impediat vita contemplativa, & quia alioquin retraheretur à vita contemplativa quæ est melior quam activa. Quare si Statutum æqualiter disponat de laicis, ac monialibus, eaque sic excludat, ut utraque dotet, cessat ratio Ancharani, & poterit arbitri non admittere Monialem ad successionem. Ex initio tamen hujus consilii, & sine satis indicatur Statutum Ferrariæ tunc factum fuisse post ingressum illius feminae in Monasterium, quod magis confirmabitur mox ex Antonio de Butrio.

Andreas Gail. vide Gail. ANTONIUS de Butrio in Cap. Quod Clerici, de Foro competenti sub num. 10. sic habet: Idè si statutum est factum quod primogenitus succedat in hereditate ante clericatum secundogeniti, & secundogenitus postea fuit clericus, ligabitur illa consuetudine, quod ante clericatum jam erat effectum jus primogenituræ; non debet tunc per clericatum supervenientem. Deinde Lapi opinioni adhærens addit: Idè statuta ista, quæ excludunt feminas à successione, usque ad certum gradum agnatorum, si fuerint postquam femina monachata sunt, eis non præjudicant, & sic de facto consulti in Ferraria ego, & Dominus Petrus Ancharanus. At si statuta essent simplicia, & ad tales non extendentur; si eas pervenerint antequam monacharentur, eas ligarent, nisi specificè disponerent de monachatione ipsa. Sed & antea in Cap. Ecclesia S. Mariæ, de constitutionibus sub num. 20. dixerat: Si est statutum, vel consuetudo quod primogenitus succedat in hereditate, si ante consuetudinem secundogenitus jam sit clericus, illa non ligat eum, alias si prævenit, sic; & ibi: Si autem injecti vinculum ante clericatum, &c.

ANDREAS Barbatia Messanensis consil. 4. numer. 17. & 18. cum Antonio Butrio, & Jo. Andrea docet. Quod si consuetudo primogenituræ fuit introducta antequam secundogenitus fuerit effectus clericus, excludit à successione, quia jam consuetudo talis injecti ei vinculum ante clericatum, & idè Dominus Antonius in cap. quod Clericis refert se consultasse cum D. Petro de Ancharano, quod masculus excludat feminam in successione intestati, quod hujusmodi statutum excludit feminam effectam Monialem, (nisi illud statutum emanasset, postquam illa fuisset effecta Monacha, quia tunc ligaretur tali statuto condito post monachatum) & sic statutum injecti vinculum ante Monachatum.

ARETINUS in Cap. Quod Clericis, de foro competenti; quamvis argumentando dubitaverit in contrarium, in fine tamen fateatur esse magis communem opinionem quod statuto ante clericatum factò excludatur Secundogenitus ab hereditate, quamvis postea fiat clericus, &c. & argumenta dirigit contra statutum, quod conferat suum effectum in tempus delatæ successions, sed ut notat Flavius Tortus infra allegandus dicit sequendam esse communem Jo. Andrea non obstante subtili distinctione Saliceti.

ARGELUS de acquirenda possess. ex remedio legis finalis, Cod. de edito D. Adriani tollendo quæst. 3. art. 4. n. 799. post alios asserit; Receptam esse opinionem quod in hujusmodi statutaria dispositione, ante ingressum Monasterii emanata, continentur etiam Moniales; quia non potest dici contra libertatem Ecclesiasticam, & idè servanda est: quem etiam allegat Redenascus infra.

ARNALDUS Ferron. lib. 3. consuetudin. Burdegal. tit. 15. de testam. in fine; à verè. An statuto planè fiat pro eadem sententia, & hoc esse certum scribit, nititurque vinculo à nativitate injecto.

AUCTOR Additionum ad Panormitanum in Cap. Ecclesia S. Mariæ, tit. de Constitutionibus post n. 25. §. Femina non succedat subscribit Abbatis, & Pauli Castrensis opinioni de exclusione Monialium, si non erant in Monasterio tempore statuti.

Azorius: vide infra, Jo. Azorius.

BALDUS in l. Cunctos populos Cod. de Summa Trinit. & Fide Cathol. num. 53. litt. b. proponit hoc dubium: Numquid Clerici includantur in statutis odiosis, vel exclusivis, tunc si odium est irrationabile non includuntur exempti, nec veniunt in generali sermone &c. Si autem ratio finalis Statuti concernat bonum publicum, ut quod mulier non succedat, nisi in certa particula, extantibus masculis, tunc dicit ut dicam in l. Deo nobis, & ibi per Jacob. Butr. Postea verò in l. Deo nobis, §. Hoc etiam Cod. de Episcopis, &

Clericis nu. 8. iterum proponit casum hunc ibi: Dicit Statutum quod filia dotata, vel Religionem ingressa extantibus masculis non succedat, modo quæritur utrum istud Statutum valeat, quantum ad istam ingressam. Super hoc distinguit Jacob. Butrus: aut ingresso præcedit statutum, aut statutum præcedit ingressum: primo casu statutum non potest excludere illam Monialem, quia tempore conditi statuti illa non erat subjecta &c. Secundo casu dicit: quod videtur quod Statutum valeat, quia respectu bonorum deferendorum, Statutum potest disponere, quod deseratur filis masculis tantum, unde excludatur femina non quia Monialis, sed quia masculus includitur ad totam hereditatem: dicit tamen ipse quod istud est dubium utrum istud Statutum sit contra libertatem Ecclesiæ: dicit quod ipsi non solvit, quia tunc quæstio pendebat de facto. Erat enim dubium id quod quædam; mox Baldus solutionem suam subiungit dicens: Tu solve quod in primo membro ipse dicit verum sine dubio, quia quantum ad jus municipale Monachus habetur pro mortuo, unde est exemptus à jurisdictione Laicorum. Sed in secundo membro subdistingue: nam aut statutum dicit, quod ingressus Monasterium non succedat, & tunc non valeat, quia confert dispositionem suam eo tempore, quo statutum non potest disponere. Aut dicit quod ingrediens non succedat, & sic non requirit actum consummatum ipsius ingressus, & tunc valeat, quia secundum id tempus personæ erit subjecta &c. Nec est verum quod sit contra libertatem Ecclesiæ; nam ex quo principale est permissum, scilicet providere de conservatione domus, & agnitionis, istud quod venit incidit, & secundario, non intelligitur tunc prohibitum argum. l. ff. de auctor. tutor. & instituta de test. §. Legatarius. Antea verò Baldus in l. Omnes populi n. 54. ff. de Just. & jure ejusdem sententiæ fuerat cum Jacobo Butrio, non obstante quod alios dubitare in contrarium sciret, inquit enim: Sed quid Statutum dicit quod Monachus non succedat? Certe si quis ante Statutum esset factus Monachus, non includitur in Statuto, quia Laici non possunt statuire contra Monachos, & Clericos: sed monachi post Statutum non succedant, quia statutum præambulans professioni, reddit eos incapaces secundum Jacobum Butrium. Alii dicunt quod non valeat statutum tanquam religioni contrarium: Item videtur l. Deo nobis istum casum, & causatum simul reprobare. Junctis igitur quæ postea in l. Deo nobis, §. Hoc etiam num. 8. Cod. de Episc. & Clericis cum Jacobo Butrio determinavit, manifestum est Baldum, & Jacobum Butrium, non obstantibus aliquorum dubitationibus pro certo hanc sententiam retinuisse. Neque verò sibi repugnavit Calvus, aut mutavit sententiam, ut quidam colligunt ex ejusdem Conf. 55. lib. 5. in quo consuluit pro Moniali, casus enim diversissimi erat à nostro: Statutum enim Fulgini, de quo ibi, excludebat feminam à successione sub duplici conditione, nempe quod esset dotata, & quod masculus illi superstiteret: Sed Monialis in odiosis non venit nomine dotata, & Angelus, ac Franciscus, ut narratur ibi in facto, filius Lilli intestati non supervixit Sorori suæ Moniali: verba Baldi sunt num. 1. Nam licet Statutum excludat filiam dotatam, tale statutum nihil disponit de Monacha. Item quia statutum loquitur de dotata excludenda quando supervixit masculus, sed hic non supervixit, & num. 2. Et hoc est clarum si ista Monacha vivit, item dico si decessit post mortem Angeli, & Francisci, & mox Monialis non includitur in statuto non excludente. Quia scilicet non includitur sub nomine dotata: nisi in favorabilibus, & quia ipsa potius supervixit masculis.

BALTHASAR Carducius Conf. 78. apud Ziletum n. 10. tunc tantum ait non valere Statutum exclusivum ingrediens Religionem, quando non æque excludit laicos, quia tale statutum esset intimidativum vitæ contemplativæ, cessante igitur hac unica causa per eum adducta, & Statuto generaliter feminas ingressuras excludente, valet.

BALTHASAR Tomaxius, Modernus propugnator Ecclesiasticæ Immunitatis: tractatu de Immunitate Eccles. tit. 1. n. 799. rotundo ore non pronunciat Statutum excludere etiam Moniales, & hanc esse communem.

BAEZA De non meliorandis filiis cap. 14. num. 33. sentit Statutum generaliter excludens feminas propter masculos, excludere etiam Moniales eo prorsus modo, quod Sanchez infra allegandus.

BARTOLUS in l. Cunctos populos, Cod. de Summa Trinit. & Fide Cathol. num. 29. Aut statuta sunt directè super Ecclesiis, vel rebus ecclesiasticis, & non valent, &c. aut statuta sunt facta simpliciter, & tunc aut redundant contra

tra ea que sunt concessa Ecclesiasticis, vel Clericis in privilegium, & non valent; aut contra ea que competunt Ecclesiis, vel Clericis, non in privilegium, sed ut culibet, & tunc ligant Clericos, & sunt servanda in foro Episcopali, dummodo sint honesta. Sed in puncto questionis hujus l. final. Cod. de pactis num. 6. proponit casum de Statuto Adiffi, quod ingrediens monasterium non succedat, & solvit distinguendo sic: Aut Statutum disponit in ingrediente per hæc verba: (ingrediens monasterium, vel si quis intraret monasterium: sit privatus jure succedendi, vel non succedat) & dico quod statutum valet, nam non disponit circa Clericum, sed circa Laicum, nam laicus est ille qui ingrederetur monasterium, sicut videtur in l. qui duos in princip. de manu test. & huic non obest quod dicitur in authentica Cassa, & irrita. Nec obest authentica: Nisi gravati, quia ibi gravatur si monasterium ingreditur, hic verò lucrum auferri non autem in sibi quæsto gravatur. Si verò statutum disponit de jam ingresso, per hæc verba si quis ingressus fuerit monasterium, tunc non valet statutum, quia non potest Clerico auferre jus suum, & esset contra libertatem Ecclesiæ, & hoc dico salvo meliori iudicio, & determinatione Canonica, & Theologorum. Quamvis autem hæc distinctio Bartoli visa sit aliquibus propter subtilitatem suam, verbalis potius quam realis, & etiam in primo casu contra libertatem Ecclesiæ, quia ingressus religionem retardaretur ab ingressu, videns se privari lucro, & jure quærendo; tamen hinc manifestum est Bartolum, multo magis stare pro statuto, quod non excludat ingressuram religionem specificè, sed generaliter ut feminam,

20 **BARZIUS** quoque decif. 19. n. 20. ubi agatur de jure quærendo, docet Statuta laicorum Clericos ligare, & ita illum adducit Mangilius inferius allegandus.

BELLETTUS, quem R. P. D. Melius in Tudertina successione 29. Maii 1652. indicat sub nomine Moderni Pedomontani: Est enim Jo: Maria Belletus Vercellensis, Distingtionum Clericalium part. 1. Tit. de Exemptione Clericor. à statuto sæcul. §. 4. n. 18. ait: Quod si statuta fuerint in specie, quoad ea que tangunt personas Ecclesiasticas, approbata per Papam, tunc valent etiam contra Clericos, & Ecclesias &c. & tunc dicuntur statuta Papalia, juxta regulam illam: Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur, l. 1. §. merito Cod. de veteribus iuribus encl. Gloss. in cap. 1. de presump. & statim idem Belletus num. 19. subjungit: Statutum tamen tam in inclusione agnatorum, quam exclusionis Feminarum, conditum ante susceptum Clericatum, sive monachatum, dummodo prohibitio non fiat in personam, comprehendit personas Ecclesiasticas, & cum Soccino, Nevizano, Burfatto & Marabina dicit esse commune, Quia hujusmodi statutum non excludit personas ecclesiasticas, sed uti vel securæ genitus, qui repelluntur à primogenitis, vel uti mulieres, quibus præferuntur masculi, & ita non læditur libertas Ecclesiastica.

BENEDICTUS Capra in Communium Opinionum Regulis Conclus. 15. num. 39. Quando tale statutum effect de se honestum, & rationale ligat Clericos, & personas Ecclesiasticas, & n. 47. Tertio fallit quando statutum vincit vinculum ante Clericatum, cum tunc liget Clericos quoad bona patrimonialia, & n. 51. subscribens Domino Nicolao, idest Nicolao Tudeschio, qui idem est ac Abbas Panormitanus in Cap. Ecclesia S. Mariæ dicit: Idem esse si statutum disponat quod stantibus masculis femina non succedat, nam ligabitur tali statuto ipsa filia, quantumcumque postea intret monasterium: secus si tempore dicti statuti fuisset monialis, ut voluit Lapsus, quod verum intellige.

22 **BLANCHETTUS** de Compromiss. q. 3. num. 32. post versum: In hac questione, nostram sententiam docet sic decisam ab omnibus, ut habetur etiam apud Tamburinum infra adducendum.

24 **BONACINA** de censuris in Bulla Cœnæ disput. 2. q. 16. Sect. 2. puncto 2. n. 21. contra distinctionem Bartoli de qua supra dicit, Statutum excludens ingressum, aut volentem ingredi Religionem, aut alios Ecclesiasticos à successione parentum, agnatorum, vel aliorum est contra libertatem Ecclesiasticam, tum quia impedit ne bona locis piis, vel Ecclesiis acquirantur, tum quia retrahit Ecclesiasticos à statu Clericali, & Religiosis. At Statutum Bononiense non impedit feminis potius religiosis quam laicis acquisitionem hæreditatis, nec eas retrahit à statu Religionis: cum æquè excludat laicas: in quo casu statutum sit generale, & antiquius ingressu, non negat Bonacina valere, imo valdè indicat oppositum, dum pro se adducit Felinum, & Duar-

dum, quos constabit infra stetit pro tali statuto, & remittit lectorem ad Carolum de Grassis effect. 2. num. 269. quem cum Marta, Parisio Macorello, & aliis faceret Oppositam sententiam tueri, si statutum fuit antequam femina Religionem ingrederetur, quam distinctionem non modo non reprobat, sed brevitati consulens, & tacite illi subscribens subdit, Vide prædictum Carolum de Grassis, ubi plures questiones ad hanc rem pertinentes tractat. Transit ergo cum illo quem constat esse pro nobis.

BORGNINUS Cavalcanus parte 2. decif. 9. num. 81. 25 post assertum statutum exclusivum etiam Monialium affirmat Contrariam opinionem esse periculosem, nempe suscitandi infinitas lites, ac perturbationes Familiarum; & pro ista magis Communis fuisse iudicatum per Rotam Florentinam. Pluribus verò hanc nostram opinionem tueretur parte 3. dec. 33. num. 15. à versu Quia tale statutum, ubi addit Opinionem hanc inconcusse servari in Civitate Papæ, & part. 4. decif. 31. num. 19. persistens in eadem ait: Hinc est quod Statutum excludens feminas propter masculos comprehendit etiam Moniales, & Clericos, quia Moniales excluduntur propter masculos seculares, & Clericos, & etiam comprehendit bona, & hæreditatem Clericorum, & vocat masculos Laicos, & excludit feminas etiam Moniales, quia injecti à principio vinculum subjectionis, cui principio quilibet reperiebatur masculus, & femina secularis, licet tempore hæreditatis, & successione non reperiretur secularis, tamen eos comprehendit, ligat, & vocat, ut est communis opinio, & ita servatur, ut latè ego dec. 33. num. 15. in 3. parte.

BOTTILIERIUS J. C. Neapolit. tractatu de Successionibus ab Intestato c. 1. theorem. 12. ut confirmet feminas excludi à successione in bona Clerici intestati, per Masculum extantem; addit num. 18. Imò dixerunt Doctores hanc consuetudinem vigere etiam contra Monialium, ita ipsæ excludantur per existentiam fratrum, & allegatis Lapo, Bruno, Petro de Gregorio, Cavalcano, & de Grassis concludit: Igitur à fortiori dicendum est nostram consuetudinem habere locum in hæreditate Clerici defuncti, scilicet feminas excludi per existentiam fratrum.

Brunus, vide supra n. 5. Albertus Brunus.

BURSATUS J. C. Mantuanus lib. 1. consil. 93. n. 28. ita loquitur: Insuper ex alia opinione frequentiori calculo Doctorum admisa quod femina licet ingressa monasterium, seu Monialis, post statutum conditum effecta, vel que virginitatem voverit, ab hæreditate masculis agnatis existentibus excludatur virtute Statuti, eavatione ut plurimum assignata, quod statutum tempore natiuitatis sui masculi illum tantummodo habilem ad successione, feminam verò inhabilem, ac incapax reddat: & num. 38. adducit illos, qui volebant statutum differre suam dispositionem, & effectum in tempus delatæ successione, quando utitur his verbis: Si quis decedat intestatus ac proinde non ligare monialem, vel Clericum, secus autem si utatur his verbis: Agnati masculi excludant feminas in successione transversalium, cum isto casu statim natus masculus habilitetur solus ad successione, femina exclusa, & nota femina statim successione incapax effectur ob exclusionem extantibus masculis, adeo licet postea, vel alter clericus ordinetur, vel illa monialis constituat retineant tamen dictam qualitatem inchoatam, & exclusivam. Ossibus affixam, & ante professionem acquisitam. Idem tamen n. 38. dicit quod etiam si statutum loqueretur per verba si quis decedat; comprehendit clericum, & monialem post statutum ad ordinem receptos, eo quia vinculum ante professionem, vel clericatum sit injectum cum jura &c. officiant uti prævenios ante clericatum, & professionem, secus si post clericatum, vel religionem ingressum statutum fiat. Quod firmat per exemplum de statuto totam hæreditatem primogenito deferente, & num. 40. Quam quidem doctrinam vinculi injecti ante vel post clericatum ob omnibus passim probari video.

Butrius, vide supra Antonius de Butrio.

CACCIALUPPUS in l. Cunctos populus, Cod. de Summa Trinit. & Fide Cathol. num. 109. adducitur pro hac ipsa sententia per Gasparem Antonium Thefaurum, de quo infra verbo Thefaurus, Sic Cacheraus decif. Pedemontana 80. apud Burfatum, docet in similibus casibus Ecclesiasticos ligari statutis laicorum.

CALCANEUS Consil. 7. n. 17. ita concludit: Sicut ergo super rebus sibi subditis disponere potest statutum laicorum, antequam sint acquisita Ecclesiis, vel Clericis, ita & super personis antequam sint effectæ Ecclesiasticæ; propterea dicunt Doctores, stante statuto quod ingressi monasterium, vel

vel quod Clerici non succedant, quod tale statutum non valet &c. Sed si statutum diceret quod ingrediens monasterium non succedat, & sic non requirit adum consumatum ipsius ingressus, & valebit statutum, quia secundum id tempus persona erat subiecta statuto.

30 **GALDERINUS** in disput. que incipit Statuto civitatis cavetur, distinctione illa utitur de vinculo injecto ante Clericatum, si statutum disponat de iis, quæ habent principium, & fundamentum ante Clericatum, non autem post. Certum est autem principium, & fundamentum excludendi feminas, ut conservetur agnatio per masculos esse sexum, qui ante Monachatum ab ipsa natiuitate incipit.

31 **CAMPEGIUS** de Dote par. 3. quæst. 32. tunc tantummodo putat non valere statutum exclusivum à successione, quando dirigit verba ad tempus, quo nondum est quæsitum jus hæreditatis ulli, & excludit monialis hæc sola de causa quod fiat Monialis, ideoque nu. 2. ait: Non potest negari quod tale statutum non sit impediendum futura ingressi, & sic contra libertatem Ecclesiæ. Qua unica ratione excludi sequitur per tacitum saltem ipsius assensum excludi Moniales, quando excluduntur non ut Moniales, sed ut Feminae.

32 **CANCERIIUS** par. 1. Variarum resolutionum cap. 24. num. 10. movet dubium: An valeat statutum ut ingrediens religionem, successione privetur, & respondere tale statutum valere, ad iudicium Bartolo, & Castrensi, approbat etiam Baldum. Quod licet in jam quæstis Laici nullo ingenio possunt derogare Ecclesiis, seu iuribus Ecclesiis, possunt tamen bene in acquirendis, si laici hoc non faciunt malo animo, sed pro bono publico: & infra reddens eam rationem, Cum tale statutum non fiat odio religionis, nec ut quis à religione averteratur, sed tantum in favorem familiæ, ne bona extra familiam exeant, concludit: Omnino fatendum est tale statutum valere. Parte verò 3. cap. 11. à numer. 187. ad 279. loquens de sua hac opinione antea tradita, perseverat in eadem: A priori sententia non existimo esse in iudicando, & consulendo recedendum, cum certum sit prædicta statuta religionis odio non fieri, sed tantum causa conservandæ agnationis.

Capra: vide supra: Benedictus Capra.

33 **CAROLUS** de Grassis, de effectibus Clericat. effect. 2. n. 269. Quæro quarto an statutum quod existentibus masculis femina non succedat excludat moniales, que habitum habuerit post conditum statutum, & dicit quod sic, adducitque Auctores ferè 20. cum quibus censet esse magis commune, & id patere clarissime ait nu. 270. & num. 271. inquit, Ratio prædictæ opinionis est, quia cum omnes nascantur laici, & sic à natiuitate sint suppositi dispositioni statutorum, clericatus superveniens eos non eximit à iure statutorio, à quo à principio sunt ligati; deinde subdit: Alia ratio est quia cum spes succedendi fuisset certa à natiuitate, & sic antequam mulier effectetur monialis, & ante delatam hæreditatem, statutum potuit talem spem à principio tollere, eos faciendo omnino incapaces, quod secus est in aliis statutis, ubi tempore natiuitatis nulla vigeat spes, neque excogitari poterat casus superveniens, ex quo sequitur quod cum statutum injecerit vinculum ante monachatum, cum ipso eodem vinculo etiam ad monachatum transeat.

Carolus Ruinus: vide infra: Ruinus.

34 **CARPANUS** ad Statuta Mediolani lib. 1. c. 278. cum n. 130. dixisset secundum opinionem quorundam non videri statutum hoc comprehendere Moniales, statim num. 131. ait: Verum quod comprehendat moniales factas post confessionem statuti hujus, ubi statutum simpliciter excludat feminas propter masculos notat idem Castrensis &c. & de sententia multorum quos ibi accumulatur, confirmat esse commune, & tantò magis si factæ sint Moniales antequam hæreditas eis deferretur; qui est casus Felroniæ ante mortem Co. Angeli de Zanis Monasterium ingressæ.

35 **CASTRENSIS**, idest Paulus de Castro Consilio in veruitis editionibus 339. libri primi, sed 304. in recentibus anno 1423. consuluit pro Hospitali S. Mariæ veniente ex persona Antonii contra Monialem excludam à successione vi Statuti Florentini: & prius num. 4. adversariorum fundamentum præmittit ibi: In contrarium dicitur & allegatur per Monasterium contra Hospitali quod Statutum Communitatis Florentiæ præiudicium facere potuit dicte Moniali, vel monasterio, ex quo tempore delatæ successione illa erat Monialis, quia cum tunc temporis præstatum statutum operaretur suum effectum exclusivum mulieris à succedendo, masculo extante, dicta q. Monialis tunc non esset subiecta iurisdic-tionis.

ni statutum, nec etiam monasterium, non potuit præstatum statutum eam excludere, & inter alia pro adversariis allegat Salycetum in auth. Cassa, Cod. de Sacros. Eccles. Statimque subdit: Sed si ista procederent videretur laicis resulare magna iniuriam, quod vitandum videtur, ut notat Glossa Cod. de transact. l. si major. Nam sequeretur quod si quis decesserit intestatus relicto filio, & filia moniali, & in monasterio competentè dotata, nihilominus Monasterium veniat ad dimidiam hæreditatis quantumcumque magna una cum masculo: Sed effectus melioris conditionis, quia non excluditur à statuto, à quo, si non esset ingressa, excluderetur, quod quidem absurdum, & intolerabile videretur laicis. Idcirco in hoc articulo salvo iudicio melius sententis, videtur mihi sic dicendum, quod longè aliud sit quando statutum specificè, & expresse disponit de Monialibus tantum, dicendo quod non succedant extante masculo, sed de monialibus nihil disponit: & aliud sit quando generaliter disponit quod mulier non succedat, extante masculo, non approbat enim distinctionem aliorum de ingressa, & de ingrediente, imofasè illam reprobat, deinde subdit: Si verò statutum non loquitur specialiter de ingredientibus, vel ingressis monasterium, sed generaliter quod nulla mulier succedat extante masculo, tunc cessant rationes prædictæ, quia non effectuntur deterioris conditionis propter ingressum: cum etiam non ingredientur, excludantur: unde non potest dici contra libertatem Ecclesiasticam; nec ex hoc capite nullum statutum. Videndum est ergo an possit comprehendere moniales: & puto quod sic tali ratione: Nam in loco ubi tale statutum viget, censetur corruetum jus commune, quia cum illud deserat hæreditatem femina una cum masculo; statutum verò delationem reserret si masculus non extet, sed si extat auferet, ex hoc toto ius municipale effectur ff. de iust. & iure l. jus civile, & non dicitur deserri hæreditas de jure communi, sed ex forma legis municipalis ff. de lege, & senatus cons. l. 1. Igitur eo ipso quod mulier nascitur, inspicitur sibi hæc potentia succedendi, ab ipso statuto, scilicet in totum si non extiterit masculus, & nihilum si extiterit: Transiundo igitur in monasterium, transeat illa potentia sic limitata, & sic conditionata, & non cum illa, quam mulieres habent à jure communi, quia, ut dixi, in loco, ubi tale statutum viget, non censetur vigere jus commune, quoad feminas, vel si viget, sub conditione dicitur vigere adjecta à statuto videlicet, si masculus non extabit, & post pauca: Satis enim est quod non effectur deterioris conditionis propter ingressum, non ergo debet petere quod sit melioris, & si non sit melioris, non propterea potest monasterium conqueri argum. ff. que in fraudem Cred. l. qui autem, §. simili modo, & iterum sub eodem nu. 4. Dico quod statutum non ligavit moniales nec eas impotentes effectit, sed effectit dudum antea, scilicet tempore sue natiuitatis, & sic antequam de ingressu esset cogitatum. Et in fine ejusdem numeri: Alias sequeretur quod si foret hodie lex Imperialis, statum illud idem, quod statuit hoc statutum, non ligaret moniales, quia possent venire secundum ius commune antequam; quia qua ratione statutum non ligat ecclesiasticas, eadem nec lex Imperialis, nisi quatenus per Ecclesiam recipitur, ut not. in auth. hoc jus porroctum; & tamen hoc esset ridiculum dicere. Concludo ergo dictam Monialem, vel jus monasterium audiendum non esse contra Hospitali ad aliquid petendum ultra quam habuit tempore ingressus.

CAVAGNOLUS ad decreta. Montisferrati 13. §. 1. 36 qu. 7. fol. 79. de vinculo injecto ante ingressum status Ecclesiastici, idem quod cæteri supra tenent.

Cavalcanus, vide supra, Borgninus Cavalcanus.

CEPHALUS J. C. Ferrariensis est unus ex illis, quos adversarii allegant passim pro se: Sed ille lib. 1. conf. 53 nu. 43. & 44. ait: Dico etiam quod statutum nostrum loquitur etiam in rem &c. quo casu omnes sententur dispositionem ipsam personas quoque Ecclesiasticas includere, vel saltem effectus hujusmodi prohibitionis est propter rem: quia si prohibentur subditi, vetantur contemplatione ipsorum rerum: interest enim reipublicæ, ut bona remaneant inter subditos, quo casu quando saltem prohibitionis effectus est realis, ad Clericos etiam porrigitur: non enim debemus considerare corticem verborum, neque in quem ea sine directæ, sed intentionem. Quæ notanda sunt pro puncto infra discutiendo an dispositio de successione ad hæreditatem, ut conserventur bona in familiis agnationis sit realis potius, quam personalis, & in fine n. 48. addit: Possent etiam dici quod iste fuit factus Clericus post conditum statutum, quo casu videtur ut liget etiam Clericos, & pro hoc dicto allegat Jo: Andream, Calderinunt & Batrium, Imolam, & Ruinum. Idem lib. 1. conf. 95. cum

95. cum num. 14. dixisset: *Ad primum respondetur, statutum non completi moniales, quod stantibus masculis feminas excludit, & ita Butrius cum Ancharano consuluit in Civitate Ferrarie.* At supra ostensum est nu. 9. Antonium de Butrio cum Petro Ancharano ita consuluisse, quod tunc statutum Ferrarie non excluderet simpliciter feminas ut feminas, sed ut religiosas, & extendebatur etiam ad eas, quæ ante statutum fuerant Moniales: Statutum enim Ferrarie antiquum sub rubr. de success. ab intest. n. 141. habet hæc verba: *Etiamsi essent bona quæ recognoscuntur ab Ecclesiis, vel piis locis, vel personis; hæc locum habeant tam in præteritis, quam in futuris.* Sed pergit Cephalus, & nu. 15. ejusdem Consilii dicit: *Forum fundamentum quo solo moventur, quod scilicet statutum injecit vinculum ante professionem in ipsa nativitate tam ex parte masculi, quam feminae, locum habere non potest in statu Ferrariensi, quod expressè confert suum effectum in tempus successione delatæ, nec prius excludit feminam, nec includit masculum ut subtiliter id perpendendo, & mature considerando concludit Rujinus consil. 200. num. 8. & consil. 204. numer. 8. &c. & ibidem concludit: Sic igitur ibi statutum stantibus masculis feminas simpliciter excludit, potest procedere illorum sententia, ut effecta monialis post conditum statum excludatur: potuit ne clariori distinctione loqui pro statu Bononiensi, quod in hoc toto celo diversum est ab antiquo illo Ferrariensi, cum simpliciter excludat feminas ut tales, ob inclusionem masculorum, & multis annis præcesserit monachatum Febronæ? & tamen adversarii non dubitant pro se adducere Cephalum hoc ipso Conf. 95. & hoc ipso nu. 15. Sed nondum finis: nam lib. 1. conf. 146. nu. 26. contra Monialem sic concludit: *Ex dictis inferre idem esse dicendum circa secundum dubium, de quo supra: nam ingressura monasterium, licet etiam consecratur comprehensa per statutum feminas excludens, secundum magis communem opinionem, tamen ipsa habet majorem facultatem renunciandi bonis paternis, nam ingressum monasterium non potest dici se enormiter lesam cum paupertatem profiteatur; nec monasterium ullam lesionem potest prætere, cum spe lucri non debeat accipere ingredientem, quoniam esset simonia per Decium conf. 31. Superest Cephalo conf. 309. lib. 3. ubi concludit statutum Mutinense excludens feminas propter masculos à successione in bona extra territorium sita, quia statutum ob bonum publicum potest reddere inhabiles mulieres sibi subjectas, & cum generaliter loquatur censetur eas inhabilitasse quoad bona omnia, sic ille numer. 73. quæ licet diversa sint à nostro casu potius tamen illi suffragantur.**

38 CORNEUS Consil. 94. lib. 2. numer. 9. asserit jus quæsitum primogenito ante Clericatum secundogeniti, & ideo vi statuti aut consuetudinis antecedenti excludit secundogenitum ab hæreditate, etiam si postea fiat Clericus.

39 COTTA nomine Catellanus in memorialibus verbo Clericus, ibi: *Secundo limitatur quando statutum prius vinculum injecisset cognato vel mulieri, quæ monacha efficeretur, antequam clericatum assumeret, vel religionem ingrederetur; asserit enim tunc statuto ligari, imò asserit omnes recentiores Canonistas idem sentire, ibi ubi omnes modernis.*

40 CRAVETTA. nomine Avmon. conf. 251. in fine n. 1. & initio 2. *Maximè autem efficax erit ejusmodi consuetudo circa successorem, quia in ea tractatur de jure querendo, &c. ideo valet statutum laicorum in præjudicium Ecclesie quando tractatur de jure querendo.*

41 CROTTUS Conf. 267. n. 27. & 29. lib. 2. Stat. pro exclusione Monialium prout testantur Cavalcanus, & Redenafcus asserens se Auctorem hunc in fonte vidisse conf. 26. lib. 5. num. 9.

42 DECIANUS in tractatu Criminali lib. 2. cap. 35. nu. 4. *Quod tamen intelligi quoad quæstia non quoad querenda: quia statutum laicorum potest præjudicare Ecclesiis quoad querenda, licet non quoad quæstia: & numer. 13. limitatur quoad quando statutum injecit vinculum ante clericatum, quia licet post efficeretur clericus, ligaretur illo statuto, & allato exemplo de secundogenito addit statim: Similiter & statutum quod extantibus masculis feminæ excludantur, excludit feminam factam monialem post statutum, & hanc dicit communem Aretinus in cap. quod Clericus in fine.*

43 DECIUS aded constanter, aut rationibus sibi adeo repugnantibus loquitur, ut non minus pro nobis quam contra non adduci queat; quod breviter ostendo: nam in l. filie dotem, Cod. de Collationibus columna penult. prope

finem inquit ingressam monasterium comprehendit statuto excludente feminas, secundum magis communem, & Consil. 296. col. utitur hac doctrina: *Testator manifestam facit differentiam inter masculos & feminas, quia filios masculos dumtaxat hæredes instituit, filias autem particulariter dotes relinquit; quo casu testator non videtur motus alia ratione, nisi favor agnationis, ut bona in familia conserventur, prout Doctores dicunt in illo statuto, quod extantibus masculis feminæ non succedant.* Deinde Consil. 578. num. 15. *Statutum laicorum valet in præjudicium Ecclesie in querendis, non in quæstis, & subdit; Ideo cum in causa ista agebatur de jure querendo agnatis in futurum, clarum quod illud factum ex causa à principe tolli potest.* Igitur & Statutum disponens de successione futuris ab intestato, ob conservationem agnationis, agit de jure querendo, non de quæstio, ac proinde potest disponere, ita ut ad moniales, non perveniat. Et in Cap. Ecclesia S. Mariæ de constituto n. 140. ait: *Tertia conclusio supra facta, habet locum quando tractatur de præjudicio juris quæsit: Secus videtur esse in querendo, in quibus valet statutum laicorum in præjudicium Ecclesie & Clericorum, quod confirmat tribus exemplis dicens: Facit quod supra dictum est de beneficio statuti quod Clericus denegari potest, & n. 241. Et ad id quod dictum est de præditi tributis, quæ cum suo onere transeunt ad Ecclesiam: facit quod dicitur de præditi, qui Ecclesia præjudicare potest in querendis licet non quæstis, & n. 249. admittit quod statutum valeat, quando non loquitur specialiter, & principaliter in præjudicium Clericorum, sed generaliter: & inculcat illud: In questione ista de bonis querendis in quibus Ecclesia videtur quod facilius præjudicari possit, ac tandem num. 251. Quando non agitur de gravi præjudicio Ecclesie, & statutum laicorum habet rationabilem causam, etiam respectu Ecclesiarum, & pia causa debet servari. Hæc enim Decius pro nobis. In eodem tamen Cap. Ecclesia S. Mariæ num. 212. ait: *Et ideo jus quæsitum in moniali debet considerari tempore mortis ejus de cuius hæreditate agitur ut expressè tenet Salycetus: & n. 213. & sic in puncto juris videtur quod dicta, monialis à dicto statuto non excludatur, nec etiam Clericus secundogenitus, nisi in fraudem hoc factum fuisse: nec obstat quod quando quis nascitur sit purus laicus, & sic videtur ligatus statutis Laicorum: quia à tali vinculo eximitur per ordinem Clericatus, per quem hoc privilegium consequitur. At hoc privilegium nullo jure civili aut canonico probat, aut probare potest, deinde deberet assignare disparitatem inter hunc casum, & sequentem, quem num. 214. admittit dicens: Quod autem supra dictum est de vinculo inuncto, bene procedit respectu bonorum, & n. 211. cum Bartolo ait: Quod pro bonis, quæ non sunt quæstia Ecclesiis vel Clericis statuta possunt fieri quod etiam si perveniant ad Ecclesias vel Clericos collectæ imponi possunt. Quæro igitur cur per Clericatum non consequuntur hoc privilegium, ut eximantur à vinculo iniectione? cum persona quæ debet compelli ad collectionem solvendam, sit Ecclesiastica, etiam si videatur statum loqui in rem: seu cur non similiter dici potest iniectionem esse à statuto vinculum hæreditatis Laicorum, ac possit pervenire nisi ad masculos, cum hæc nondum sit quæstia Ecclesiæ, sed Lis sit de querendis? Superest ut exaggeratoriam illam rationem examinemus quam ibidem num. 212. addit dicens: *Nec placet illa ratio Pauli de Castro quod sufficit quod monialis non efficiatur deterioris conditionis quam prius esset, quia atenta tali ratione Clerici, & personæ Ecclesiasticæ, ferè semper statuti præjudicialibus laicorum subicerentur: quam etiam conf. 53. attuli: At hoc falsissimum est quia ut contra illum respondit Barfascus conf. 93. n. 41. sæpius sunt statuta de novo in quibus Clerici non comprehenduntur quoad ea, quæ non habent qualitatem aut principium ante Clericatum, & plurimi sunt casus in quibus gaudent immunitate Ecclesiæ, nec habent paritatem cum casu hoc Monialium, hanc eandem exaggerationem Decii reprobat Rochus Curtius, Sarayna & Tiraquellus infra adducendi & Flavius Tortus addens eorum responsum tollere omne dubium. Imò veriori exaggeratione dici posset, quod si per supervenientem Clericatum, ac Monachatum, posset quis eximere se à vinculo antea injecto, & succedere in bona laici intestati, in nullo ferè casu valeret doctrina de vinculo injecto bonis aut personis, & sic ferè semper statuta & leges laicorum possent eludere.***

DIANA parte 6. Resolutionum Moral. tract. 3. resol. 8. ad 3. argum. hæc habet: *Sed pro dilucidatione veritatis ad individua deveniendo: Prout quod statutum excludat feminas*

minas à successione ab intestato stantibus masculis, quæritur an excludat filias Moniales, & distinguitur: Aut statutum generaliter modo, quo supra, loquitur, & persona de cuius successione tractatur, non erat religiosa tempore conditi statuti, & tunc cum transeat in monasterium cum illa impotentia succedendi, ligatur tali statuto etiam facta Monacha, cum per ingressum non efficiatur deterioris conditionis, allegatique multis, quos penè infinitos esse apud Hondedum refert, & cum Socino ac Parisio supponens ita esse communem, ut in iudicando & consulendo ab ea non sit recedendum, prosequitur sic: *Aut Statutum non loquitur generaliter sed specificè, ut puta quia excludit mulieres religiosas, & tale statutum non valet, sive loquatur de ingressa, sive de ingrediente ubi post adductos DD. concludit: Si ergo statuta ex adverso allegata, sunt generalia, includunt etiam moniales, cum ipse ingressa sint monasterium cum illa impotentia succedendi, nec efficiantur deterioris conditionis per ingressum: si vero statuta sint specificæ, non valent. Hæc alioquin Ecclesiasticæ Immunitatis propugnator acerrimus.*

45 DUARDUS, quem in nupera Decis Romana videas allegatum sub cognomento Moniacitensis in Bullam Cæneæ lib. 2. Can. 15. qu. 17. loquens de Statutis num. 25. ait: *Quod si specialiter & ex certa scientia fuerint à S. P. approbata, tunc sunt indistinctè servanda inter Ecclesiasticos, quoniam confirmatio facta ex certa scientia, dicitur actus Sedis Apostolicæ: post hæc loquens de Statutis non confirmatis specialiter à Papa dicit num. 28. Si vero in Ecclesiasticorum adium ac dispendium tendant, eos non includunt. Unde statutum excludens à successione feminas propter masculos, non comprehendit Moniales, ubi non injecit vinculum ante Religionis ingressum, sed contulit effectum suum ad tempus delatæ successione, quando ipsa Monialis non erat sub ditone statutum. Et ibidem de sententia Alterii in eandem Bullam subjicit: Quod si hujusmodi statutum expressum mentionem facit de Religiosis, sed Monialibus excludens eas, non valet & repugnat libertati Ecclesiasticæ: tum quia seculares carent potestate statuendi aliquid de personis Ecclesiasticis, tum quia hæc ratione retraherentur mulieres à monachatu, ex quibus liquet de mente Duardi tunc valere statutum quando generaliter disponens de feminis & eas ut tales excludens nec retrahens à monachatu, injecit antea vinculum. Ideo Canone 15. q. 19. loquens de statuto laico num. 35. dicit: *Adde etiam quod quando statutum generaliter disponens potest se habere ad commoda & incommoda, non potest dici præjudiciale, & proinde stante statuto, quod extantibus masculis feminæ non succedant, sicut Clerici masculi excludunt à successione feminas seculares, ita feminæ Moniales excluduntur à successione à masculis secularibus, & in hoc bene servatur æqualitas ut habetur ex Felino.**

46 EMILIANUS conf. 1. n. 19. stat pro statuto Mutinensi excludente Monialem jam dotatam, ut testantur Thefaurus & Redenafcus.

Episcopus Eugubinus, à Rota Romana sic allegatus in Bononiensi hæreditatis 28. Junii 1652. coram R. P. D. Bichio, idem est ac Alex. Sperellus, de quo plura infra inter Auctores contra nos allegatos.

47 FABER in definitionibus Senatû Sabaudie tom. 1. l. 1. tit. 2. definit. 22. nostræ opinioni suffragatur, ut quidam Scribentes pro nobis allegant.

48 FELINUS Sandeus J. C. Ferrariensis in Cap. Ecclesia S. Mariæ de Constitutionibus sub n. 77. inquit: *Sexto quæro utrum stante statuto, quod masculi excludant feminas ab intestato, excludatur mulier monacha? Et breviter concludit, quod si assumptum monachatum ante statutum, non excluditur: secus si post: deinde num. 79. subscribens rationibus Pauli Castrensis, quas attuli supra, nempe de Statuti Municipalis vi, & de impotentia succedendi à nativitate feminis inflata, dicit cogitandum de Salyceti & Aretini opinione, quia est additio perfunctoria: mox subjungit: *Ceterum quia communiter talia statuta ita demum excludunt feminas, dummodo videlicet fuerint dotatæ, dicit quod etiam debet dotari, alias non excluditur à statuto.* Et n. 101. querit an consuetudo, quæ præfert primogenitum in hæreditate, noceat Clerico secundogenito, respondetque: *Et conclusio est, quod nocet clerico, quia talis secundogenitus jam in nativitate sua ligatus erat illa consuetudine per quam ipsi primogenito debeantur bona etiam invito patre.* Quod confirmat ex dictis à se supra sic: *Ubi allegavi multos ipsam sequentes dum dixi, quod statutum excludens feminas, excludit eam, quæ post statutum ingressa est mo-**

nasterium, propter vinculum sibi injectum ante professionem.

FLAVIUS Tortus in Annotationibus ad Statutum Papiæ sub rubrica Statuti 95. in civilibus numer. 84. affirmat: *Communem esse distinctionem, quod si statutum injecit vinculum ante assumptionem clericatus, vel monachatus, & tunc comprehenduntur sub hoc statuto, & excluduntur stantibus masculis à statuto vocatis, & allatis DD. addit: ratione clara quia per hoc statutum non fit præjudicium aliquod ipsi monialibus, cum etiam si in seculo remaneant, nihilominus essent incapaces successione, & post pauca: cum iste defectus sexus feminini nascatur cum ipsi feminis, ipse est causa exclusionis non autem ipsa assumptio habitus monachalis, & propterea nullatenus retrahuntur à religionis occasione hujus statuti, & num. 91. Hoc statutum comprehendit personas monialium in capite exclusas, ut supra dictum fuit secundum communem opinionem, & communem praxim in hac civitate Papiæ. Postea num. 101. adducto exemplo secundogeniti exclusi, quam clerici subjungit: *Negue obstat quod dicta distinctio Jo. Andreae, & communis videtur intelligenda non de ipsa fatione statuti ante vel post assumptionem clericatus, sed de effectu ipsius statuti, sive de casu illius contingente ante vel post Clericatum, per id quod Salycetus, Decius &c. quia respondetur pluribus modis: Primo quod ista subdistinctio communiter reprobat, ut testatur Aretinus in cap. quod Clericus in fin. de foro compet. & inquit distinctionem Jo. Andreae esse simpliciter sequendam ab omnibus uti communior, non obstante subtili distinctione Salyceti. Quapropter numer. 102. pergit dicens: Vinculum statuti injicitur ipse personis civium tempore, quo nascuntur, si tunc temporis statutum erat conditum, non autem tempore quo casus statuti contingit: unde femina statim ut nascitur, dicitur nasci incapax successione masculis superstitibus. Obiectum vero Decii quod semper statuta laicorum ligant Clericos solum esse à Rocho Curtio & Tiraquello plene, & hæc responsio tollit omne dubium: ad hæc nu. 103. subdit: *Tertio etiam ex abundantia dico quod subdistinctio scilicet Salyceti non procedit quando ante effectum statuti, vel in collatione illius est acquirendum jus ipsi vocatis à statuto.* Postremò nu. 130. & 131. repetit comprehendendi moniales hoc statuto antea condito, & esse magis communem.**

Franciscus Aretinus, vide supra, Aretinus.

FRANCISCUS Marcus in Decisionibus Parliamenti Delphinalis q. 420. nu. 4. scribit: *Nec obstat si dicatur quod statuta laicorum non ligant clericos: quia hoc verum est quando specialiter loquuntur de Clericis, securi si generaliter Cap. cum venissent de eo qui mitt. in possess. & maximè quando statutum non concernit personam nec loquitur specialiter de persona clericis &c.*

FRANCISCUS Redenafcus lib. Consil. 26. n. 9. Cujus sanè generalis statuti dispositione feminas quoque & Sares Moniales, quæ post statutum assumpserunt Monachatum, & sunt dotatæ, excludi propter masculos voluerunt præ cæteris infra scripti Patres, quos oculata fide perfectos ordine recesso. Et subrexit Catalogum Doctorum quadraginta quinque, dicit hanc sententiam fuisse receptam in variis Tribunalibus, & in praxi observatam, subscribitque Cavalcano contrariam opinionem esse periculosam: & in hac civitate Cremonæ nefas propè esset ab ista opinione recedere, quam in dubium audio nunquam Suisso revocatam: additque nu. 10. *Fundamenta namque habet in illa solidissima ratione, qua dicit solet per hujusmodi statutum nullum fieri præjudicium ipsi Monialibus, quæ etiam si in seculo remansissent pari modo incapaces successione fuissent, & masculis exclusæ, quando non assumptio monachalis habitus, & masculis exclusæ, quando non assumptio monachalis habitus, sed ipsæmet defectus feminini sexus sit causa earum exclusionis: Et enim ipso quod nascitur femina, instigitur sibi à statuto character privativus juris succedendi &c. sicut eo ipso quod nascitur masculus recipit habitum succedendi &c. Unde transeundo postea ad Monasterium, transeat femina cum illa impotentia succedendi, quo fit ut per tale statutum minimè dici possit effecta timidior ad religionis ingressum. Imò ulterius ait: *Statutum injiciens vinculum tempore nativitatis, potuit ab ea auferre jus succedendi etiam vivente patre, aut alio de cuius hæreditate agitur, quæ oblata censetur sub conditione si masculus extabit: non obstante quod tempore delatæ successione in Monasterio reperitur, quia superveniens Religio non tollit ea, quæ à jure communi statuta sunt: At statutum hoc in casu dicitur jus commune, & non est postea querendum quid fiat post delatam successione, cum persona sit affecta dispositione statuentium.**

- 52 FRANCISCUS Vegius Conf. 14. n. 14. relata opinio-
ne Felini de statuto excludente Moniales, & secundoge-
nitum Clericum, si post statutum assumpserit habitum Ec-
clesiasticum, approbat eam addens: *Et ratio est quia statu-
tum, & consuetudo iam injecti vires suas antequam personæ
essent Ecclesiasticæ, merito illas comprehendit, ut latè probat
Felinus, & attestatur hanc esse communem opinionem, &c. ita
dicendum in proposito.*
Fularius, vide infra: Vincentius Fularius.
- 53 GABRIEL Commun. Concluf. lib. 6. titulo de Statutis,
Concluf. 6. nu. 11. dicit opinionem de statuto exclusivò ge-
neraliter quarumvis feminarum ob favorem agnationis
veram esse, & magis communem.
- 54 GAIL nomine Andreas lib. 2. Practicarum observatio-
num, observ. 32. n. 4. Statuta simpliciter, & generaliter dis-
ponunt mulierem non succedere, extante masculo, rectè in-
cludunt etiam moniales, cum in universum omnes feminæ fa-
vorem agnationis excludantur, nihilque eo casu contra libera-
tatem Ecclesiæ spectat statutum.
- 55 GASPAR Antonius Thesaurus lib. 2. questionum Foren-
sium qu. 3. nu. 2. narrat à Senatu Pedemontano in causa
Astensi decim fuisse: Moniales ab isto statuto exclusas
censeri, & nu. 3. limitat sic: *Quod quidem habet locum quoniam
statutum generaliter disponit mulierem non succedere extan-
tibus masculis, cum nihil tunc contra libertatem Ecclesiæ, &
personarum Ecclesiasticarum odio spectat statutum: & nu. 4.
Neque dicatur statutum non posse comprehendere personas
Ecclesiæ, quia non militat quando statutum injecti vinculum
ante religionis ingressum, & ingressus religionis sit magis ac-
cidentaliter, quam principaliter &c. quia intentio principalis
statuentium est ut bona, super quibus statuere possunt, conser-
ventur in agnatione & familia defuncti, non autem ut exclu-
dant personas religiofas à laicorum successione, & concludit:
In praxi solet ab ista opinione recedi, quæ ubique terrarum
recepta est. Verùm eodem lib. 2. tota qu. 92. reasumens
hanc controversiam, firmat suam opinionem auctoritate
Doctorem plurium quàm quadraginta, & refellens ad-
versarios ait: *Sed opinio Decii non est tenenda, & contra
eam est magis communis opinio, & veritas est in contrarium,
quia superveniens Religio non tollit ea, quæ à jure communi
statuta sunt, & statutum dicitur jus commune in casu isto:
neque attendendum est tempus delatæ successione, quia cum
tempore mortis persona reperitur inhabilis, non est postea
querendum quid fiat post delatam successione, cum persona
jam sit affecta dispositione statutum. Subnectit postea tres
alias rationes sumptas à statuti causa Finali, Materiali, &
Formali, nempe à fine conservandæ agnationis ob bonum pu-
blicum, & quod statutum disponit de bonis temporalibus, licet
secundario de personis succedentium tractet, & quod statu-
tum simpliciter, & in abstracto disponat circa res quæ jure
communi competunt. Postremò notetur illa Thesauri con-
clusio ad finem columnæ 3. Quando statutum injecti vincu-
lum ante Clericatum, illa est proculdubio verior & magis
communis opinio ut Monialis excludatur, & cum ista decla-
ratione transeat omnes Doctores supra &c.**
- 56 GEORGIUS Natta lib. 2. confil. 282. numer. 11. & 12.
Statutum non valet, si spectat tantum disponeret de in-
gredientibus religionem, quia videretur principaliter retra-
here homines à religione, sicut etiam hac ratione non valet
statutum spectat disponens, quod filia ingrediens monaste-
rium non succedat: sed disponendo generaliter & ex honesta
causa statutum includit etiam monachas quando injudicium est
vinculum ante monachatum, id est ut statim se explicat si
jam condito statuto, monachæ fuerint effectæ: & lib. 3. confil.
54. num. 13. dicit: *Statutum prohibens successione, sive
loquatur in rem, sive in personam, videretur effectualiter dis-
ponere de rebus, seu de personis contemplatione rerum, &
conf. 515. nu. 6. cum Cyno, & Ancharano docet: Non
esse contra libertatem Ecclesiæ Statutum, si præferat suam
publicam utilitatem utilitati Ecclesiæ; nam principaliter in-
tendit suam propriam utilitatem, licet incidenter redundet
in Ecclesiæ damnum, vel potius in prohibitionem novæ
acquisitionis.*
- 57 GERARDUS Mazollus Confil. 53. num. 47. Habet
locum hujusmodi statutum, etiam ad exclusionem Monialium
religiosarum, quia lex dicitur de bonis, & potest prohibere
bona acquiri uni, & alteri dare, cum bona sint sibi subdita.
Idem conf. 83. nu. 34. Intellexerim quod moniales filia isto
statuto non prohiberentur succedere, quæ essent moniales tempore
statuti.
- 58 GREGORIUS XIII. Pontif. Max. teste Giliano ad
Statutum Perusianæ, verbo femina fol. 135. cum Reformato-

res Statuti Perusini sub Rubrica 45. & 46. excludente fe-
minas propter masculos, addidissent illam clausulam sine
præjudicio locorum priorum, & personarum ibi existentium,
eam abolendam decrevit, & de facto abolitam fecit hac
expressa ratione: *Quod conservationi Agnationum adversa-
retur, effectus contra omne jus, & æquitatis debitum, adju-
gens universalem rationem illam: Cum par sit & esse debeat
conditio feminarum pia loca ingredientium, quam nubentium.*
Ita Oraculum Sedis Apost. ex quibus licet hoc non in Pri-
vilegium Perusini Statuti, sed univèrsaliter pro quovis tali
Statuto pronunciatum esse.

59 GUILLELMUS de Benedictis in Capit. Raynutius, 59
verbo, duas habens filias num. 126. Quoties statutum, aut
patriæ consuetudo habet, quod filia stantibus masculis non
succedant, tunc non succedere possunt, cum consuetudo, vel
statutum eas excludat, etiam, si moniales factæ essent; tan-
quam statuto comprehensæ, quia nascendo jam ligatæ erant
statuto aut consuetudine, filiar propter masculos excludente,
unde monachatus subsequens tollere non potest jus masculis
quæsitum &c. Si autem monachatus statutum præcederet,
vel consuetudinem, non posset eas, quibus jus erat jam quæ-
situm, excludere, & idem si monachatus statutum sequeretur,
& statutum eas expressim excluderet. Sed ubi statu-
tum simpliciter feminas excludit, nihil expressè de moniali-
bus disponendo, tunc omnes feminas excludit quovis reli-
giosas.

HONDEDEUS Eugubinus lib. 2. confil. 11. num. 15. 60
proponit adversariorum negantium exclusionem Monia-
lium argumentum illud quando ex verbis statuti constat
quod inclusio masculi, & inclusio feminae confertur post mor-
tem illius de cuius successione agitur; quo casu cessat ratio,
quæ in contrarium adduci posset, quod statutum injecti vincu-
lum in ipsa natiuitate feminae, & sic ante monachatum,
ut in terminis statuti Ferrarientis respondit Ruinus, & Ce-
phalus. At ipse tandem respondet num. 37. Verius quidem
est statutum Cassianum generaliter excludens feminas pro-
pter masculos, nulla facta mentione de monialibus, excludere
etiam eam, quæ post conditum statutum effecta est monia-
lis, ea ratione quia statutum injecti vinculum ab initio, &
in natiuitate feminae ligavit, ensque tempore, quo erant in
seculo sub jurisdictione statuentium inhabiles fecit ad succe-
dendum cum masculis, & cum hoc vinculo inhabilitatis
transiunt in monasterium. Post quæ, allegatis plurimis Scri-
bentibus, affirmat hanc opinionem sequendam in consulendo,
& judicando, cum sit non solum verior, sed etiam magis com-
muniter recepta, & n. 38. hujc opinioni omninò inhaerendum,
quando ex verbis statuti non apparet statuentes voluisse con-
ferre exclusionem feminae in tempus delatæ successione, sed
simpliciter excludit feminas, Denique nu. 39. improbat dis-
tinctionem Ruini, & Cephalii: Quia communiter Doctores
dicunt feminam effectam monialem post conditum statutum
remanere exclusam.

HODIERNA ad Surdum decif. 20. nu. 11. dicit hanc 61
esse communem opinionem. Novissimè ait in Contro-
versis Forensibus lib. 1. cap. 7. nu. 58. Sed contrarium vide-
tur dicendum à masculo nempe excludi monialem ab om-
nium successione &c. siquidem verissimum est jus commune ef-
fectu correctum in civitate Neap. & jus municipale est jus Civi-
le illius civitatis, unde eo ipso quod mulier nascitur, insi-
litur sibi hæc succedendi potentia ab ipso statuto, scilicet in-
totum si non existerit masculus, in paraggio si existerit, ipso
enim puncto quo masculus natus est, qualitatem inclusivam
recipit, & filia etiam ut nata est impotentiam succedendi.
Ingrediendo igitur Monasterium cum illa impotentia sic li-
mitata, & restricta ingreditur, & non cum illa, quam mulieres
habent de jure communi: argum. text. in l. Statuti Florius
§. Cornelio Felici ff. de jure sic. l. peto, §. prædium ff. de leg. 2.
& hoc modo jus quæsitum considerat Lapus allegat. 9. in fin.
quem sequitur Tiraquell. & in fine num. 68. negat effectum
statuti non considerari nisi tempore executionis, quia huic
motivo singulariter respondet Tiraquell. quæst. 43. de primog.
à num. 16.

JACOBUS Butrigar. tenuit quod si Statutum præcedat 62
ingressum, statutum hoc excludit Monialem, cum id pos-
sit facere respectu bonorum deferendorum, ut de illo atte-
stat Baldus in l. Deo nobis §. Hoc etiam C. de Episcop.
& Clericis sub num. 8. & in l. Omnes populi num. 54. ff. de
just. & jure.

JACOBUS Mandellus de Alba lib. 1. confil. 89. nu. r. 63
Respondet esse verioem, & magis communem opinionem,
quod si statutum loquitur de omnibus feminis, sive tradantur
nupti, sive ingrediantur religionem, comprehendit tale statu-
tum

rum eas omnes in effectu, & eas excludit stantibus masculis,
quia cessant eo casu rationes omnes, quibus solent talia
statuta impediri, ne comprehendat feminas ingredientes reli-
gionem; videlicet ne retrahantur mulieres ab ingressu reli-
gionis, timore statuti, vel ne saltem efficiantur timidiores:
qui etiam si femina non ingredatur religionem, comperit se
exclusam à successione. Idem lib. 3. confil. 498. num. 1. Si
statutum simpliciter diceret, quod stantibus masculis feminae
non succedant, & factum sit ipsum statutum antequam nata
sit ipsa femina, de qua agitur, vel saltem antequam ingressa
sit religionem; tunc comprehenderent etiam Monialem, dato
quod hereditas deferatur postquam est facta Monialis, secun-
dum magis communem opinionem. Et lib. 3. confil. 33. n. 19.
si ex duobus filiis junior efficiatur Regularis, erit talis filius ex-
clusus per statutum.

64 JACOBUS Puteus in decisionibus Rotæ par. 3. dec. 99.
num. 3. Est communis opinio in illo statuto, quod stantibus
masculis feminae non succedant, quia tale statutum ligat femi-
nas Ecclesiasticas, quæ tamen post statutum fuerunt factæ
Ecclesiasticæ, & sic quando statutum per prius invenit vincu-
lum &c.

65 JASON Maynus in l. finali Cod. de pactis, & in l. Ser-
vi legato §. si testator col. 2. ff. de leg. ejusdem fuit opinio-
nis, ut attestatur discipulus ejus Albertus Brunus traçt. de
Stat. Exclud. foem. arr. 6. à nu. 38.

66 IMOLA in Cap. Ecclesia S. Mariz, & in Cap. Dilecti,
de Constitutionibus, & in Cap. Quod Clericis de Foro
competenti, docuit quod Ecclesiastici ligantur statutis ex-
clusivis laicorum, si hant Ecclesiastici post statutum condi-
tum, & firmat id exemplo secundogeniti postea Clerici;
eumque pro exclusione monialium adducunt Brunus, Ca-
pra, Mascardus, Riminaldus, Tamburinus, Thesaurus,
Tiraquellus locis supra, vel infra allegatis.

67 JOANNES Andreas in Regula Sine culpa in Mercu-
rialibus, de regulis juris in 6. n. 17. censet & ipse compre-
hendi, & ligari à statuto, vel consuetudine primogenitum
præferente, secundogenitum quamvis postea Clericum, ne
detur locus fraudi, & aliquis cum ipse præcipiendi primo-
genituram, vel succedendi ex æquo assumat Clericatum:
quo argumento Jo: Andream pro excludione Monialium in-
numeri allegant ex his, quos partim jam nominavi, partim
deinceps recensero.

68 JOANNES Azorius r. parte Instit. Moralium lib. 5. c.
13. sub §. Octavo quæritur: Item solent esse statuta, ut pri-
mogenitus excludat secundogenitum in bonis paternis; item
ut masculus excludat feminas: Quæres an valeant hujusmodi
statuta laicorum contra Clericos, vel feminas religionis
voto consecratas: & constans est multorum, & communis
opinio, quam referit & sequitur Felinus numer. 101. valere,
quoniam nihil detrahunt Ecclesiasticæ immunitatis: nam
ante Clericorum ordinem susceptum, jus est alteri acqui-
situm, proinde si secundogenitus sit Clericus nihil mirum si
non succedat in bonis, quia lex constituta fuit antequam cle-
ricus crearetur. Similiter si femina sit Sanctimonialis Deo
dicata, potest à successione paterna excludi, quoniam non
excluditur eo quod sit Sanctimonialis, sed quia antequam re-
ligionis votis sese astringeret, & Deo obligaret, lex fuerat
constituta, ut masculi feminas excluderent, & propterea
excluditur: sicut etiam secundogenitus non excluditur quia
clericus, sed quia secundogenitus. Ergo hujusmodi statuta
nihil immunitatis Ecclesiæ derogant, & eo ipso iura conscien-
tia firma & rata censentur.

69 JOANNES Bapt. de Sancto Severino in l. Cunctos Po-
pulos Cod. de Summa Trinit. & Fid. Carbol. n. 189. & 190. di-
cit hujusmodi statutum afficere ipsam personam antequam
monasterium ingrediatur, & ob injectum antea vinculum
excludi à successione: & hanc opinionem magis commu-
nem, & verioem attestatur, & proinde merito allegatur
à Bruno nu. 33. & Burfato & aliis.

Jo: Cephalus, vide supra: Cephalus.

70 JOANNES Jacobus de Ferro super lege municipali Vi-
centiæ Cap. 14. nu. 15. nititur vinculo injecto Monialibus,
in ipsa natiuitate eo quod nascantur omnes laici.

71 JOANNES Bapt. Laderchius de Imola Confil. 74. nu.
29. Si injiciatur vinculum ante ingressum, nam hoc casu verius
est valere: sicut dicimus de Statuto excludente feminas; ob
talem enim rationem & Moniales excluduntur, de qua ego
alias latè tractavi: Et in fine ejusdem Consilii concludit:
Quare arbitror hanc Monialem &c. omnino esse excluden-
dam: atque non male ageretur cum plurisque familiis Ferrar-
iensium: quandoquidem omnia bona earum brevi tempore
monasteria vindicarent.

Jo: Salas: vide infra: Salas.

LÆLIUS Caputus ad consuetudines Neapolitanas in 72
prælud. §. 3. nu. 22. pro hac parte stat.

Laderchius: vide paula supra Jo: Baptista Lader-
chius.

LAPUS Allegatione 101. num. 26. Nec obstat si dicatur 73
quod statutum quod repellit filiam à successione extante pa-
truo non observaretur in foro Ecclesiastico contra filiam Mo-
nialem: Primò quia hoc de se est falsum, quando statutum
procedit monachatu, quia jura quæ inhabilitant eam & ex-
cludebant ante professionem; excludunt, & offiunt eam
puellam tanquam præventam l. cum quædam puella §. ff. de
jurisd. omn. jud.

Laurentius Calcanes: vide supra Calcanes.

LAURUS de Palatiis super statuto Communiter per Ita- 74
liam vigente quod extantibus masculis femina non suc-
cedant à numer. 89. ad 100. disputant de hoc in utraque
parte: tandem numer. 100. concludit: *Si verò Statutum
non loquitur specialiter de ingredientibus vel ingressis mona-
sterium, sed generaliter quod nulla mulier succedat extante
masculo, tunc cessant rationes prædictæ, quia non efficien-
tur deterioris conditionis propter ingressum, cum, etiam si
non ingrediantur, excludantur, unde non potest dici contra
libertatem Ecclesiæ, nec ex hoc capite nullum: si ergo quæ-
ritur utrum tunc possit comprehendere, dico quod sit tali ra-
tione: num. 101. 102. 103. Nam in loco ubi tale statutum vi-
get videtur correctum jus commune &c. & pergit ex scribon-
do penè de verbo ad verbum Pauli de Castro discursum,
quem supra deduxi num. 35. propterea non est cur eum hoc
loco rescribam.*

LOPEZ in l. 2. Hispan. tit. 9. par. 6. in glossa verbo No- 75
valdera citatur à Molina Jur. Conf. de quo infra pro hac
opinionem.

Mandellus, vide supra: Jacobus Mandellus.

MANDOSIUS ad Lapus allegat. 101. sub finem: Non 76
desunt tamen, qui distinctè affirmant Statuto feminas ex-
cludente nunquam Moniales excludi: Sed horum opinio
communiter est improbat, & antea dixerat valere, quan-
do statutum cuiuscumque generis filias, non autem solas Mo-
niales excludit, licet etiam de ipsis Monialibus mentionem
faciat: tunc enim illud Statutum non impedit religionis in-
gressum ob metum non succedendi, nec Moniales efficiuntur
deterioris conditionis, quoniam tam moniales, quam alie
filie excluduntur.

MANGILIUS Pisauriensis de imputatione qu. 8. §. 5. nu- 77
mer. 8. Statuti mens fuit excludere filiam ab universali suc-
cessione cum fratribus; ut provideret agnatis, & ne bona
ad alienam familiam transirent: quæ ratio est etiam in ea,
quæ monasterium ingreditur, ut patet ad sensum: & nu. 33.
respondet: Verius esse quod statutum generaliter exclu-
dens feminas propter masculos, nulla facta mentione de
monialibus, excludit etiam eam, quæ post conditum statu-
rum effecta est monialis, ea ratione, quia statutum injecti
vinculum ab initio, & feminas à natiuitate ligavit, quas
tempore, quæ erant in seculo sub jurisdictione statuentium,
fecit inhabiles ad succedendum cum masculis, & cum hoc
vinculo inhabilitatis transiunt in monasterium. Deinde
paulò post allegato in contrariam partem Salycetò, improbat
ejus opinionem dicens: *Tamen hæc est sequenda in judi-
cando & consulendo cum sit verior, & magis communiter re-
cepta, & nu. 37. Statutum disponit super bonis quæ deferunt
masculis & aufert à filia, quoniam filia, non quatenus mo-
nialis est, & mox: At in questione nostra dici non potest con-
tra libertatem Ecclesiæ, quia ex quo principale permissum est,
scilicet providere pro conservandione domus & agnationis,
istud quod venit incidenter, & secundario, prohibito non
intelligitur.*

Manicalciantensis allegatur à R. P. D. Bichio in Bono- 80
nienti Hæreditatis 28. Junii 1652. sub §. Quæ ratio. Sed
is stat pro nobis & idem est ac Duardus, de quo supra nu-
mer. 44.

MARANTA disput. 8. nu. 26. & 56. opinionem hanc 78
de vinculo injecto ante monachatum, & ob id de exclu-
sione feminarum monialium tenet communiter.

Marianus Socinus, vide Socinus.

MARSILIUS in Cap. At si clerici n. 75. de Judiciis; 79
& in singularibus n. 303. subscribit Paulo Castrensi, quoad
exclusionem Monialium, ut testatur Gaspar Anton. The-
saurus super adductis.

MARTA Neapolitanus in Consiliis anno 1628. pri- 80
mum editis, Confil. 118. num. 14. ait verioem & commu-
niorem esse sententiam, quod statutum laicorum exclu-

dat feminas à successione in bona Clerici præsertim patri-
monialia, deinde num. 15. in puncto hoc dicit: Item hoc
statutum comprehendit personas Ecclesiasticas in capite ex-
clusivo, ut Moniales dicantur & sint exclusæ per masculos
quando dictum statutum injectit vinculum ante assumptionem
habitus, ita post multas relatas attestatur esse magis com-
mune Parisius, Brunus, Bursarius &c. Ubi mani-
festum est Martam seipso doctorem factum retractasse,
aut explicasse, quæ anno 1621. in contrarium attulerat
in tractatu de successione legali parte 1. quæst. 13. art. 13.
numer. 1. dicens: Effectus hujus statuti non consideratur
inspecto tempore quo conditur, sed considerato tempore ip-
sus executionis, quando videlicet effectum sortiri potest:
& allegatis quibusdam textibus & Alberico concluderat:
Si igitur tempore delatæ successione filia reperitur monia-
lis facta, ipsa dicto Statuto ligari non potest, quoniam sta-
tutum ante monachationem non adhuc injectit vinculum:
etenim an aliquis sit capax, tempus delatæ successione at-
tenditur non ante, pro quo mirum est quod alleget Ceph-
alum, Brunum, ac Ruinum, ac supra Albericum, quos
manifestè oppositum sensisse docuimus, ac docebimus,
quando statutum præcedens monachationem non exclu-
dit specificè feminas, nec ex verbis ipsius colligitur ipsum
differre suam dispositionem ad tempus delatæ successio-
nis. Advertendum est etiam Martam quæstione illa 13.
art. 12. numer. 14. exclusionem filiarum odiosam, sed foro-
ris (qui est casus noster) favorabilem excludisse. Cum igitur
standum sit ultimis resolutionibus Doctorum sicut ulti-
mis voluntatibus, & Marta postea agnoverit ex Pari-
sio, Bruno, & Bursario nostram hanc opin. esse magis
communem, allegandus est potius pro nobis, quam con-
tra nos, ut rectè allegat pro nobis Thefaurus; & idem esto
judicium de Martæ dictis in tract. de Jurisdiction. part. 4.
centuria 1. casu 4.

81 MARTINUS Laudensis de Primogenitis quæst. 30. in
fine pro nostra Opinione assertur à Thefauro, sicut & Mar-
tinus Medices decision. Senenf. 53. per totam adducitur ab
Altogrado superius recentio.

82 MASCARDUS ad general. statut. Interpret. Conclus. 1.
num. 235. Secus si laicus sit, vel de foro seculari tempore
statuti, quia tunc à statuto vinculum injicitur, à quo postea
non eximitur per Clericatum supervenientem; & exempli-
ficat in statuto, qui primogenitus præsertim secundogeni-
to quamvis postea Clericus efficiatur: postea subscri-
bit Abbati: Quod si statutum disponat, quod stantibus
masculis femina non succedat, ligabitur ex eo filia,
quantumcumque postea intrat monasterium. Secus si tempe-
re dicti statuti fuisset monialis: & num. 236. Primò subli-
mita ut procedat limitatio de vinculo injecto ante Clerica-
tum in Casibus, qui habent principium & fundamentum ante
clericatum, sicut in exemplo de secundogenito, & de mo-
niali femina que excluditur. Secus est in aliis casibus qui es-
sentiam, & principium sumunt post Clericatum. Additque
hanc esse bonam & necessariam distinctionem pro modo se-
gnoferendi vinculi injecti ante Clericatum vel post, quos
ufos esse ait Butrium & Calderinum.

83 Mazollus: vide supra: Gerardus Mazollus.

84 MENCHACA de success. creat. lib. 3. §. 21. nu. 179.
allegatur pro hac opinione à Sanchez, infra referendo.

85 MENOCHIUS lib. 4. Præsumptione 189. cum nu. 89.
proposuisset dubium an alienari possint bona fideicommi-
si pro dote constituenda filiarum, vel nepti quæ vult ingredi re-
ligionem & monialis effici, cum Bartolo, ac plurimis docet
posse, idque confirmat nu. 94. sic: Quarto accedit eorum
traditio, qui dixerunt stante statuto, quod filia nupta & do-
tata excludatur à successione, satis dici dotatam & nuptam
quæ religionem accepta dote est ingressa. Accepit ergo Me-
nochius tanquam traditionem quandam, seu communem
doctrinam par manus traditam, quod filia quæ accepta
dote religionem est ingressa, satis sit dotata, & excluden-
da sit à successione. Neque obstat quod idem Menochius
Conf. 1170. num. 8. dicit de attendendo tempore mortis in
successione deferenda: loquitur enim ibi de filia excluden-
da à successione, sed sub conditione quod sit dotata à patre
saltem post testamentum, nam si non dotata, est habilis
ad succedendum: quare ut de hoc iudicetur expectanda est
mors patri ut constet num. saltem per testamentum provi-
sum sit illi de dote, & lib. 4. Præsumpt. 83. num. 25. nihil de
hoc ex sua sententia, sed folium aliter solvit argumentum,
dimissa hac opinione.

86 MERENDA lib. 23. Controversiarum Juris Capit. 30.
num. 6. Circa secundam quæstionem non est quod multis ex-

plitem, cum recepta opinio, & usus quotidianus vestat fœ-
deris: post quæ allegatis aliquibus DD. pergit sic: Cum
enim statutum impediat feminis acquirere jus succedendi, si
extiterint masculi, non potest allegari quod statutum aliquid
ipsis adimat: si tempore sumpti habitus extabant masculi:
dum ab idem masculis excludantur, hæc enim exclusio est
effectus ejus juris, quod prius ipsi acquisiverunt, quam il-
la sumerent habitum religiosum. Si verò masculi non extra-
bant tunc temporis, dicemus statutum disponere circa suc-
cessionem personæ subditæ generaliter, ac proinde non pos-
sunt conquiri moniales quod inde damnum sentiant iuxta L.
si quis nec causam ff. sicerant personam. Omnia enim per-
turbarentur si personæ Ecclesiasticæ occasione damni per ac-
cidens venientis, impedire vellet effectum statutorum à
laicis conditorum super rebus suorum subditorum, & pro-
inde non possunt allegare jus commune l. Omnes populi ff. de
just. & jur.

MERLINUS de legitima lib. 3. tit. 2. num. 21. Inferitur 87
etiam ex prædictis quoad statutum excludens feminas pro-
pter masculos, vel propter agnatos, quod statutum locum
etiam sibi vendicat adversum Moniale feminarum agha-
tam, & cum Thefauro sopponit esse veriorum & commu-
nem.

MICHELORUS de duobus fratribus parte 3. c. 8. nu. 2. 88
ejusdem opinionis adducitur.

MICHAEL Grassus de successione ab intestato q. 3. 89
num. 2. Sed quæro nunquid statuto excludantur feminæ re-
ligionem proficientes, Respondio quod sic: ita tenent Abbas,
& hanc dicit esse communem.

MIEREZ de Majoratu parte 3. qu. 3. nu. 2. ejusdem est 90
opinionis.

MINADOUS in repetit. comm. num. 13. & 23. & pro
eadem solet afferri.

MOLINA Juriscons. de Hispan. Primogeniti lib. 2. cap. 91
10. num. 80. Similiterque eam quæstionem proponunt in sta-
tuto excludente feminas à successione parentum propter ma-
sculos, utrum scilicet comprehendat Monialem in qua quæ-
stione communis resolutio est, quod si statutum factum fuit
post Clericatum, seu monachatum, illos non excludat; si
verò ante factum fuit, sic: idque in specie sic resolvunt &c.
Et numer. 81. id probat ex eo quod hæreditas, exceptis ali-
mentis necessariis, competat filiis à jure civili, legibusque
Regis, ideoque consequens est, ut à principio quoad hoc ante
delatam successione tolli possit ex communi opinione, de qua
per Bartolum & communiter Scribentes in l. Gallus §. &
quid si tantum, ff. de liber. & posth. in quo non est faciendæ
differentia inter Clericos seu Religiosos, & laicos, cum om-
nes ex lege civili jus succedendi capiant, atque ad id jure
idem ante delatam successione tolli possit: postremo idem
nu. 82. addit: Quod etiam comprobatur ex eo quod lex prin-
cipis facta ob bonum publicum, que generaliter disponit, nec de
Clericis aliquam mentionem facit, indistinctè tam Clericos,
quam laicos comprehendit, nisi Clericis præjudicialis sit:
cum non potius in Clericorum, quam laicorum favorem seu
odium condi solet, quod sufficit ad hoc, ut lex non dicatur
Clericis præjudicialis, ut Abb. Decius. Felin. & Scrib. in
Cap. Eccles. S. Mariae resolvunt.

MONTALBUS lib. 5. Fori tit. 5. num. 10. solet adduci 92
pro hac ipsa opinione.

MONTERENTIUS ad Statutum Bononiense sub 93
rubrica de Successionibus, ad §. de clericis Religiosis; ac
Monialibus, est manifestè pro statuto hoc in hoc puncto.

NATTA in tract. quod stantibus masculis &c. quæst. 2. 94
princip. num. 57. verum limita illam, pro eadem opinio-
ne allegatur per Hondedeum, Mangiliam, & Thefau-
rum.

NEAPOLITANUS additionator in Consuetud. Nea- 95
polit. tit. de success. ab intestato folio 100. littera D. & F.
in hanc sententiam propendet.

NEVIZANUS Consil. 39. numer. 16. & 17. docet non 96
esse hujusmodi statuta contra libertatem Ecclesiæ, quia
non disponunt specificè de Clericis, aut bonis in Ecclesiasticis.

PAULUS Æmiliius de Exceptionibus success. tit. 1. 97
except. 1. part. 1. num. 72. & tit. 4. Except. 1. part. 1. nn.
23. videndus pro eadem opinione.

Paulus Castrensis: vide supra: Castrensis.

PAULUS Parisius lib. 3. Consil. 40. num. 15. Dico tale 98
statutum ligasse & comprehendisse dictum sororem effectam
monialem, quoniam post conditum statutum ipsa dicta fuit
monialis, non enim statutum loquitur de ingressis vel ingre-
dientibus religionem &c. sed loquitur generaliter & exclu-
dit feminas à successione fratrum extante masculo, & v. 16.
Quæ

Que femina soror, si post conditum statutum assumpsit habi-
tum, excludi debeat à successione, nam statutum injectit
vinculum antequam habitum assumeret; & nu. 17. Et etiam
cum statutum prædictum concernat jus querendum & non
querendum quo casu valet etiam in præjudicium Ecclesiæ, &
Clericorum: & num. 24. Quia omnibus istis obstat dictum
statutum quod præfertur juri communi, & jus municipale
observandum est: & ibidem addit: Communem opinionem,
& judicandam, & consulendam sequendam esse, ut Monia-
lis comprehendatur, quando post statutum conditum habitum
assumpsit.

99 PEREGRINUS lib. 1. consil. 91. num. 11. lex municipi-
palis pro publico beneficio lata generaliter respiciens bonum
commune, modo directe non sit lata ad omnes personæ Eccle-
siasticæ, valet & ligat etiam personas Ecclesiasticas: & nu.
12. Statutum Laicorum simpliciter, & indistinctè dispo-
nens ex aliqua justa, & honesta causa afficit personas, &
res Ecclesiasticas, in iis que jure communi competunt, &
contraria opinio Canonistarum in quæstis locum habet, sed
in querendis limitatur ut in his etiam clericis comprehendat.
Idem Marc. Anton. Peregrinus in decisionibus
Patavinis decis. 138. num. 4. Sic & de contra statutum istud
prodest filio masculo ad verus feminam professam, quia sta-
tum cum nata fuit, ex lege exclusionis onus ei fuit injun-
ctum.

100 PETRI de Gregorio Additio facta à Garzia Mastrillo
de Dote & Paragio quæst. 13. lit. A. per Bottiliernum addu-
citur pro hac ipsa opinione tract. de success. ab intest. c. 1.
theor. 13. nu. 18.

101 PLOTUS consil. 93. num. 3. ad hanc ipsam rem alle-
gatur à Thefauro, & à Redenafco; & Piagg. de consue-
tud. quæst. 11. num. 226. Allegatur à Carolo de Grassis eun-
dem adducit.

102 PURPURATUS in l. final. num. 153. Cod. de pactis
apud Redenafcum stat pro eadem.

103 RAUDENSIS, nomin. Alexand. Variarum resolutio-
num Cap. 11. nu. 9. Nec obstat quod statutum laicorum non
adstringit clericos, nam istud est verum, sed non procedit
quoad eorum bona laicalia ubi est statutum conditum, seu
confirmatum à principe vibrante enseni Cæsaris in suo statu,
estque honestum, non in odium Clericorum, & verba sunt
vel censentur directa in ipsa bona, vel inicitur vinculum
statim à natiuitate; & antequam quis efficiatur clericus,
tunc enim cum nullus sit contemptus Ecclesiasticæ qualitatis,
ac jurisdictionis, nec audacia disponendi super bonis Clerico-
rum: sed modestia & laudabilis prudentia habet finem utili-
tatis publicæ, nec imponitur falsè in alienam messem, &
præsumatur consensus Pontificis; statutum absque dubio va-
let: ac num. 20. Et generaliter statuta laicorum condita non
in odium Ecclesiasticorum sed principaliter propter causam
rationabilem, & publicam utilitatem comprehendere Eccle-
siæ, & pia loca tenent Doctores.

Redenafcus: vide supra: Franciscus Redena-
fcus.

104 RICCIUS in praxi Fori Ecclesiastici resolut. 207. n. 8.
part. 3. stat & ipse pro nobis.

105 RIMINALDUS Senior in l. fin. n. 8. versu: & ad præ-
dicta Cod. de pactis ejusdem opinionis fuit, & lib. 2. conf.
246. nu. 21. ubi de primogenito.

106 RIMINALDUS Junior lib. 1. conf. 15. num. 79. Ante
Clericatum forensis erat & inhabilis ad acquirendum, ex
dictis decretis, & sic injectum jam erat vinculum incapaci-
tatis: ergo nulla vis, & injuria sit clericatus, cum non ex-
cludatur tanquam Clericus, sed uti forensis, quæ qualitas
est naturalis, illa verò Clericatus accidentalis unde illa de-
bet hinc prævalere l. 3. ff. de tutela: Et ibidem nu. 80. Quod
in statuto feminarum exclusivo latè prosequitur Brunus:
& lib. 3. conf. 293. num. 12. Dixi & nunc repeto, tale statu-
rum comprehendere Clericos, & prodest ad exclusionem fe-
minarum &c.

107 RIPA respondeo 84. nu. 11. apud Thefaurum, & antea
respondeo 6. num. 11. titulo de Lege, & longa consuetud.
ait hanc esse communem Doctorum Conclusionem.

108 ROCHUS Curtius in Cod. cum tanto, de Consuetudi-
ne n. 689. sed in nova impressione lect. 8. nu. 81. ait: Sexto
limita dictam conclusionem, ut non procedat quando consue-
tudo injectit vinculum ante clericatum, quia tunc, licet post
consuetudinem inducitur quis efficiatur clericus, ligabitur
tamen illa consuetudine &c. Exemplum si consuetudine vel
statuto caveatur quod primogenitus succedat; ceteri secun-
dogenitus factus clericus post statutum, vel consuetud. ligabi-
tur illo statuto. Quod corroborat per Abbatem, & alios
Card. de Luc. Lib. XI.

dicentes: Quod statutum disponens, quod extantibus ma-
sculis femina non succedant, excludit moniales, quæ as-
sumpsit monachatum post statutum &c. & eandem opinio-
nem veram esse præsupponit Rota in antiquioribus sub hoc ti-
tulo de consueud. decis. 1. & istam decisionem dicit esse com-
munem. Aretinus in C. quo Clericis in fine, licet arguat in
contrarium. Refert deinde duas objectiones adversariorum,
quarum prima est Aretini à Salyceto sumpta, quod statu-
tum solum iniicit vinculum tempore successione deferendæ; &
hanc solvit primò cum Paulo Castr. afferendo, quod statu-
tum prædictum iniicit vinculum feminis tempore quo nascun-
tur, non autem tempore, quo succedunt, quia stante dicto
statuto jus commune non habetur in consideratione in eo loco,
in quo viget &c. Exclusio enim feminae causatur propter qua-
litatem impotentia succedendi, quæ præcedit ingressum mo-
nasterii &c. solvit secundo dicens: Vel brevius possit negari
id quod dicit Salycetus &c. quia de natura statuti est ligare
statim, ut tradunt Abbas; & alii in cap. 2. supra eod. nec
illi verbo, succedat, est adjecta, aliqua qualitas per statu-
tum, quæ qualitas debeat regulari secundum tempus ipsius
verbi iuxta l. in delictis §. si extraneus ff. de noxali-
bus.

Solvit deinde alteram objectionem Decii dicens: Non
obstat modo ratio Novitiorum dicens, quod attempta dicta
decisione omnia statuta laicorum ligarent clericos, quia om-
nes qui nunc vivunt, sunt nati post statutum. Quia respon-
deo quod assumptum non est verum, quia plerumque sunt sta-
tuta nova, vel reformationes, & sic non omnes, qui vivunt,
sunt nati post statuta. Vel secundo melius ex decis. Cald.
quod quando actus, de quo loquitur statutum, recipit consu-
mationem post Clericatum, tunc clericus non ligatur. Et
dat aliqua exempla disparitatis addens: Sed in casu statuti
excludentis feminas dicimus, quod actus exclusivus femi-
narum recipit consumationem tempore natiuitatis ipsius. Et
concludit: Stat ergo defensiva dicta limitatio de qua supra
dixerat. Tamen tenendo limitationem prædictam, quæ
in prædica observatur in hac patria maxime: nempe
Papia.

ROMANUS nomine Ludovici in l. Stipulatio hoc 109.
modo concepta 61. nu. 18. ff. de verborum obligation. tenet
Moniales factas post Statutum exclusivum excludi à
successione.

ROMANA Rota olim idem tenuit in Decisionibus an- 110.
tiquis, quas indicant Abbas, & Rochus Curtius supra ja-
lari, & sub Jacobo Puteo, de quo vide supra, nomina Ja-
cobus Puteus; & valde faveat decis. 99. numer. 3. part. 3. &
decis. 405. part. 5. recent. in Romana successione coram
R. P. D. Verospio 15. Novembris 1630. cum num. 30. &
31. admittit exclusionem feminarum ab hæreditate esse
ob conservandam agnationem, & statuta hujusmodi pluri-
ma per universum orbem terrarum condita reperiri, & ex
Cyno hanc esse observantiam ferè omnium Civitatum Ita-
liæ. Sed expressè in hac nostra Bononiensi Successione de
Zanis 17. Maji 1641, coram R. P. D. Bichio cujus Decisio
in terminis est hujus tenoris: Carolo filio naturali Com.
Joannis de Zanis, & vivente patre per DD. de Campegiis
amplissimè legitime dandam esse immisionem bonorum hæ-
reditariorum Com. Angeli patris, Rota censuit; Monaste-
rio Monialium Sanctissimæ Trinitatis venient ex persona
Montale Febronia sororis defuncti excluso, vigoris Sta-
tuti Bonon. exclusivi feminarum propter masculos. Ubi
cum bis nominentur Moniales, non potest dici Ro-
ta aut tantus Auditor non advertisset ad hanc qualitatem,
sed dicendum eum non reputasse illam pro relevanti, præ-
sertim cum in tota illa Decisione, nusquam fiat mentio de
hoc motivo facta ob adversaria, quamvis, ut dicitur in
fine decisionis, iterum atque iterum; accerimè informan-
te. Quia tunc Advocati Monasterii alias omnes subtili-
tates excogitarunt; & hanc de qualitate Monachatus ob-
viam, & patenter non ausi sunt producere, tanquam
certissimi quòd ob vim, & observantiam statuti, nihil
relevatura esset apud Romanam Rotam. Sed neque in
tot Decisionibus ejusdem Rotæ ulla hæctenus reperta est,
in qua lis intentata fuerit contra Masculorum successio-
nem à Monialibus illorum locorum, in quibus Statutum
à Papa specificè confirmatum excludat æque laicas, ac re-
ligiosas feminas.

RUINUS; quem adversarii non verentur contra nos 111
allegare, manifestissimè stat pro nobis, siquidem lib. 3. conf.
42. loquens de Statuto Perusino, ait nu. 5. Et statutum hoc
excludit etiam moniales dotatas, ex quo Statutum non lo-
quitur specialiter de monialibus, sed simpliciter de filiabus,
H 4 vel

vel foribus dotatis, quia statum iniecit vinculum ante monachatum, & in natiuitate; & pro hac ratione adducit Abbatem, Castrensem, Burrium, Ancharanum, Lapum, Jo: Andr. Imolam, & Calderinum. Merito tamen contrarium dixerat de Statuto facto post monachatum, & expresse excludente personam Ecclesiasticam ut talem, nempe lib. 1. conf. 95. num. 6. ibi: *Si statum excludit filias à successione extantibus masculis, non excluditur monialis, quæ erat professa ante statum &c. & idem multo magis est dicendum si lex, vel statutum à jure delata specialiter excluderet jam professum.* Et verò lib. 1. conf. 204. ut probet Renunciationem à Monacho factam ante ingressum Monasterii juramento vallatam, non obstat quo minus Monasterium nomine ipsius succedere possit in hæreditatem, quia in hoc attenditur tempus delatæ successioneis, & ad id num. 10. adducat doctrinam Salyceti, illi tamen firmiter non adhæret: nam ibidem dicit: *Et dato etiam quod Opinio Pauli de Castro, Romani, & Abbatis in questione statuti supra proxime formata, esset vera, tamen adhuc secus dicendum esset in casu nostro. Prædicti enim Doct. illam sequuntur opinionem, præsupponentes absolutè quod tale statutum iniecerit vinculum, & effectum suum consumauerit ante delationem.* Quod pluribus probat, & postea sub finem numer. 10. hoc successio argumentatur à contrario sensu sic: *De mente ergo omnium esse videtur quod si statuta exclusio referretur ad tempus delatæ successioneis, quod monachos, vel moniales eo tempore existentes non existentes non excluderet, dato quod post statum forent ingressæ monasterium. Sed omnes, ut supra dictum est, tenent quod exclusio, quæ ex renunciatione causatur, sortitur effectum tantum tempore successioneis delatæ, ergo ex mente omnium concludendum mihi videtur, quod non operetur aliquid si tempore delationis est monachos, licet tempore renunciationis esset laicus.* Statimque subiungit aliam disparitatem inter Statutum, & Renunciationem, dicendo: *Pro qua differentia inter prædictum statutum, dictam renunciationem facti, quod statum excludens feminas superstitibus masculis tollit suavitatem, ut per Bartol. in l. 1. §. sciendum de suis, & leg. & per Bald. in l. maximum vitium in fin. C. de liber. præter. Renunciatio verò prædicta non tollit: Ruini non autem consil. 195. lib. 2. non facit ad rem, loquitur enim de passiva hæreditate Clerici, à qua negat excludi feminas ob rationem eam nu. 4. Nam in casu nostro statutum loquitur in personam, dum dicit, si quis ab intestato decesserit sine liberis &c. ex quo sequitur quod non comprehendit forenses, ergo nec Clericum, qui non est subditus: & quod persona Clerici, de cuius successione agitur, magis etiam attendatur, quam persona succedens, vel exclusa.*

Libro autem 2. Confil. 200. loquitur in terminis de statuto Ferrariensi, quod peculiarias clausulas habere supposit ob quas suum effectum differret in tempus delatæ successioneis, nec adhæret absolutè Opinioni Salyceti nu. 8. sed subdit: *Sed etiam dato quod statutum simpliciter extantibus masculis excluderet feminas, operaretur etiam contra mulierem professam post hæreditatem delatam, prout voluerunt aliqui quos superius retuli.* Nihilominus in casu nostro arbitror firmissimè quod statutum Ferrariense eum non excludat. Nam tenentes contrariam partem, moventur solum hac ratione, quia statutum iniecit vinculum ante professionem in ipsa natiuitate tam ex parte masculi, quam femine &c. Quæ ratio locum habere non potest in casu de quo agitur, quoniam prædictum Statutum expresse confert suum effectum in tempus successioneis delatæ, & prius non excludit feminam, nec masculum includit. Ponderat autem Ruinus statuti verba illa si quis decesserit, vel decedat, tunc succedant, & præferantur feminis, quæ dictio, tunc, denotat extremitatem temporis, & significat quod postquam quis decesserit, & non prius masculi præferantur pro quo adducit quosdam textus. Quare si Statutum simpliciter dicat præferantur, vel succedant, nec ibi apponatur particulam, tunc, vel aliam, per quam exprimat dilatatio ad tempus successioneis deferendæ; Doctrina de vinculo iniecto ante monachatum non est contra mentem Ruini. Omnibus ergo consideratis apparet Ruinum non fuisse absolutè contra nos in terminis statuti Bononiensis, immo stando, ut oportet posteriori ipsius sententiæ lib. 3. Consiliorum eum expresse stare pro bonis.

121 SALAS tract. 14. de legibus disput. 14. sect. 8. cum docuisset Ecclesiasticos non teneri legibus laicorum; ponit tamen cum Rebuffo varias exceptiones, inter quas hæc: *Sexta acceptio, nisi ante Clericatum ordinatio in Clerico*

ceperit habere vires, pro quo adducit non solum Jo. Andr. de Clerico secundogenito, sed etiam Albert. Brunum in tract. de Statuto exclud. feminas, de quibus satis supra; quare utrisque videtur subscribere quoad exclusionem Monialium à statuto præventarum, alioquin non allegaret eos ad propositum.

SANCHEZ lib. 7. in Decalogum cap. 12. cum nu. 18. 113 reprobatet distinctionem Bartoli, & aliquorum de statuto excludente ingressum, vel ingredientem Religionem, quia per expressam mentionem Religiosorum effectus statuti dirigitur in tempus, quo ille est ingressus Religionem, tamen nu. 19. limitat & ait: *Valeret tamen lex civilis statuens masculos in successione præferendos feminis, nec obstat quævis femina aliquæ effectus essent moniales, adduc enim ea lege ligarentur, & ipsæ postponerentur masculis. Ratio est quia lex civilis generaliter, & ob bonum publicum edita, nec mentionem Clericorum, aut Religiosorum faciens &c. ligat æquè illos ac laicos, ut diximus supra, sed hujusmodi est lex ergo omnes ligat. Secundo quia cum tam seculares, quam clerici ex jure civili jus succedendi habeant &c.*

SARAYNA Veronensis in Annotationibus ad Mathesilani Singularia sub nu. 110. in Consilio Annotationi subjuncto nu. 54. reprobat opinionem dicentium quod respectu successioneis, tempus mortis ejus, de cuius successione agitur, inspiciatur, & ait: *Imò jus erat quæsitum ipsi agnatis vivente eo, de cuius hæreditate agitur &c. Nam quoad ejus exclusionem jus videtur agnatis quæsitum, siquidem eo ipso quod nascitur femina, recipit inhabilitatem succedendi: & nu. 56. Et quod dicitur tempus mortis quoad successioneis inspiciendum esse, illud verum est quoad executionem, & effectum dispositionis, non quoad ipsam dispositionem: quod latè probat usque ad nu. 62. ubi ex eo quod statutum conditum fuit ante natiuit. Dom. Luca, & tempore ejus natiuitatis vigebat insert quod vinculum hoc statutarium fuit eidem à statuto iniectum tempore quo erat laicus, & sic subditus statuentium jurisdictioni. Unde concludi potest quod dictum vinculum, quo jam agnatis jus erat quæsitum, per qualitatem Clericatus postea superuenientem tolli non possit, & nu. 71. ac 72. attendendam esse intentionem principalem Statuti, quæ est inclusio masculorum, non exclusionem foeminarum, quæ in consequentiam venit, & nu. 79. statuta quæ generaliter disponunt, porrigi ad Clericos. Et nu. 92. ac 93. discutit distinctionem de statuto loquente in personam, & in rem.*

SEBASTIANUS Medices de legibus & statutis par. 4. 115 quæst. 6. nu. 5. censet, quod si Statutum simpliciter factum est contra ea, quæ Ecclesiis, vel Clericis non in privilegium, sed ut cuiuslibet, ligat Clericos.

SFORTIA Oddus apud Flavium Tortum, & Redenacium lib. 1. conf. 26. nu. 9. ait: *communem esse distinctionem in hoc articulo, quod aut Statutum iniecit vinculum post assumptionem habitus Monachali, & Moniales non comprehenduntur sub capite exclusivæ Statuti: Aut iniecit vinculum ante assumpt. monachatus, & tunc comprehenduntur, & excluduntur stantibus masculis.*

SIGNOROLUS de Homodeis conf. 6. in fine, de lege generaliter loquente, & ligante Clericos, eadem dicit, quæ Peregrinus supra, nu. 97.

SOCINUS Senior lib. 1. consil. 8. l. colum. 4. §. Sed re- 118 stat alia pulchra difficultas: tandem subscribit opinioni Pauli Castrensis, & concludit: *Si Statutum non specificè, & expresse de Monialibus, sed simpliciter, & generaliter disponit quod mulier non succedat extante Masculo, valet, nec est contra libertatem Ecclesiasticam, quia non efficiuntur deterioris conditionis propter ingressum, cum etiam si non ingrediantur, excludantur. Addit & approbat radicalem illam Castrensis rationem. Nam in loco ubi tale statutum viget, censetur correctum jus commune & reliqua omnia, quæ jam ex Castrensi supra retuli, & concludit: *In loco ubi tale statutum viget, non censetur vigere jus commune quoad feminas: & item quia non ligavit ut Moniales, sed dudum tempore natiuitatis. Et confirmat ex communi theoria Canonistarum, quod quando Statutum iniecit vinculum ante Clericatum, tunc iniecit Clericum, & eum obligat, datque exemplum de secundogenito.**

Idem lib. 2. consil. 230. ad finem ait: *Tertio & ultimo confirmatur ea clara ratione. Non antequam dicta Catharina efficeretur de tertio ordine, erat iniecta qualitas filie; unde superueniente qualitate religionis, in personam matris, non debet hoc jus sibi quæsitum auferre. Repetitque exemplum de primogenito. Nam ante Clericatum secundogeniti erat jam acquisitum jus primogenito, & ideo non debet tolli per*

li per Clericatum secundogeniti superuenientis. Et hæc de- 119 cisionem sequuntur Canonistæ, quia stante statuto quod stantibus masculis, filia femina non succedat, comprehendit etiam feminas religioas, quod iniectum est vinculum ante religionem assumptam: & eodem lib. 1. conf. 247. eandem distinctionem, & exempla eadem de exclusionem secundogeniti Clerici, & foemina factæ Monachæ post statum repetit, & comprobat.

SOCINUS Junior lib. 3. conf. 25. n. 11. dicit sic: *Tertio evidentissimè demonstratur: nam quando statutum excludit simpliciter certas personas à successione, puta filiam fororem, matrem, aut similes favore masculorum, non habetur consideratio cuius qualitatis sint dictæ femina; sed satis est eas esse feminas, & extare masculos propter quos excluduntur: adeo etiam Moniales, & sic non subditæ statuto dicuntur excludi, & cum Bruno dicit esse magis veram, & communem: & n. 13. Nec obstat quod Statutum non potest præjudicare non subditis, quia responderet quod illud non procedit quando illud præjudicium venit in consequentiam permissæ dispositionis.*

120 SURDUS, & ipse allegatur pro adversaria parte, quia decif. 20. n. 7. dicit: *Non obstat autem quod statutum iniecerit vinculum ante adeptum Clericatum: responderet enim hoc falsum esse, quia statutum tunc videtur excludere, quando casus evenit succedendi. Sed ibi disputat de bonis clerici, cui succedendum erat. At decif. 160. num. 7. de foeminis earumque activa successione aliter supponit dicens: *Sed præter eos est decisio Ancharani conf. 433. col. 1. n. 3. ubi vult quod utile dominum rei Ecclesiasticæ, ligetur statuto, licet statuti quis non porrigatur ad directum existens penes Ecclesiam, quia quoad utile competens laico nihil ad Ecclesiam: & statutum hoc casu non dicitur disponere de rebus Ecclesiæ, sed de jure personarum sibi subditarum, puta quando disponit quod succedat masculus vel femina, vel agnatus. Immo eadem decif. 20. num. 8. agnoscit distinctionem inter statuta quæ non simpliciter sed specificè dirigitur in Ecclesiasticos, & quæ secus, nam laudat Cephalo conf. 95. n. 15. subdit: *Ubi distinguit an statutum simpliciter excludit, vel vim suam conferat in tempus delatæ successioneis &c. Doctores autem in contrarium citati, loquuntur quando statutum consumavit suum effectum ante clericatum. Et consil. 2. nu. 43. dicit: *Nemo cogitur aliis benefacere, & aliud est tollere jus quæsitum, aliud vero denegare quærendum, & proinde non tenentur laici statutorum beneficium Clericis impartiri, & de statuti hujusmodi casu ait: *Primo casu non auferitur libertas Ecclesiastica, sed denegatur beneficium, aut privilegium, non tamen exercetur jurisdictioni in Clericos, sed jus quærendum admittitur. Et consil. 192. num. 21. ad sui favorem adducit multos dicentes: quod nomine dotis intelligatur etiam id quod datur puellæ ingrediti monasterium, & eam sic dotatam excludi à statuto. Postremo consil. 343. num. 10. allegat, sequitur quæ multos docentes Statutum disponens de successioneibus, & excludens feminas ob masculos, disponere principaliter de rebus esse videatur loqui in personam, & sic semper, & absolute ligare etiam non subditos, si bona de quibus disponit, sint laicalia; additque aliam rationem: *Quia intentio statuti non est tam feminam excludere, quam masculos vocare; quia si femina esset subdita excluderetur, ergo multo magis censetur excludere non subditam, nempe quia multo minus vult ut bona transeant ad non subditam; & nota illa verba: & id procedit multo fortius quando defunctus est subditus. Quidquid ergo sit de successione passiva Clerici defuncti intestati, certè si agatur de Foeminarum etiam Monialium successione activa in bona laici intestati, & de quærendis non de quæsitis; Surdus stat potius pro exclusionem Monialium, quam contra illam.******

121 TAMBURINUS de Jure Abbatissarum & Monialium disp. 8. quæstio 10. cuius titulus est: *Utrum statutum laicale foeminarum exclusivum propter masculos liget Moniales?* Respondet initio statim sic: *Licet sit controversia inter Doctores, recepta tamen magis communis opinio in iudicando, & consulendo videtur affirmativa. Sive Ratio nos attendamus, sive numerum Doctorem, qui eam sequuntur. Et nu. 1. ac 2. proponit rationem Pauli Castrensis, de Jure Municipali à quo solo petendum est jus succedendi cum relictiis, quæ supra ex Castrensi atuli, & n. 3. addit: *Et hæc ratio tanquam clara destruit unicam in contrarium &c. & n. 4. Nam ratio sexus quæ hunc effectum producit, adeo illi à principio: & sic etiam secundum**

sententiam eorum, qui contrariam partem conantur defendere, cum Religio superueniens non se extendat ad casus qui suam virtutem sortiuntur ante Religionem, statutum obstat, cum ratio sexus quæ effectum producit, adit à principio. Et num. 5. inculcat attendendum solum Statutum tanquam jus commune. Et n. 7. corroborat id exemplo de Secundogenito excluso, non obstante Clericatu superueniente, & n. 8. Exemplo de prædiis tributariis transeuntibus ad Ecclesiam cum onere reali collectæ, & ex generalitate statuti nihil disponentis ob odium Religionis, & num. 9. quia statutum non disponit de Monialibus ut talibus, nec retrahit foeminas ab ingressu religionis. Ibidem ad opinionem Salyceti de attendendo tempore delatæ successioneis ait: *clara est responsio, quod tempus delatæ successioneis, licet consideretur respectu emolumentorum, tamen ad id requiritur facultas succedendi, nec potest considerari illud tempus, cum facultas & jus succedendi sit sublata ante per statutum quoad fieri potest etiam vivente patre. Quibus latè probatis concludit: *Ex quibus sine dubio patet quod opinio in contrarium, tanquam sine ratione, non sit sequenda, cum ista sit magis communis & verior. Confirmat tandem inde quod versumur in quærendis, non in quæsitis, cum bona antequam acquirantur, sint in potestate statuentium: & ex fine considerandæ agnationis, ob quem per totam Italiam sunt hujusmodi statuta.**

Thelausus: vide supra Gaspar Antonius Theaurus.

THOMAS del Bene Neapolit. De Immunitate Eccl. 122 tom. 1. c. 8. dub. 11. sect. 4. nu. 4. & 5. Docet Statuto excludendi ligari Ecclesiasticos si fiant Ecclesiastici post statutum, hæc etiam ratione, ne aperiat via fraudibus.

THUSCUS Cardinalis tomo 7. Practicarum Conclus. 123 sionum littera S. conclusiones § 81. num. 27. Tertius casus est quando Statutum Laicorum est generale & ad bonum publicum, & ita potest iudicare Ecclesiasticos sicut etiam nocere, non tamen loquitur de ipsi Ecclesiastici, veluti si fiat statutum pro conservatione agnationum, quod stantibus masculis femina non succedant, quia sicut femina quæ efficiuntur Moniales, excluduntur à laicis masculis, ita etiam filie laicæ excluduntur à masculis Clericis, & in fine approbat postillam ad Lapum quæ dicit: *Quod attendi debet quia non retrahuntur mulieres à calibatu & religione, quia omnes feminæ excluduntur à masculis, & tantum conferi quantum auferi.*

Tiberius Decianus: vide supra: Decianus.

TIRAQUELLUS de jure Primogenit. quæst. 43. nu. 7. 124 tom. 1. totus est pro nobis non solum in casu Secundogeniti Clerici, sed etiam Monialis, si facti sint Ecclesiastici post conditum statutum, eo enim casu affirmat Statutum Excludere feminas moniales: & n. 14. Consequitur ut masculus natus est recipit qualitatem inclusivam, & filia etiam ut nata est, impotentiam succedendi, ideoque ingreditur monasterium cum illa impotentia succedendi existentiibus masculis, & paulo post: *Sufficitque quod per ingressum non efficiatur deterioris conditionis iuxta textum in l. Deo nobis §. Hoc etiam in fin. nec enim debet conquiri si non melioris efficiatur, argumen. l. Qui autem fuit ff. quæ in fraud. credit. & propter ea non est verum quod Moniales excludantur, cum prius esset exclusa à tempore natiuitatis suæ, id quod similiter dici potest de secundogenito Clerico, & ita dicitur iniici vinculum ante clericatum, excluso nascitur ex qualitate præcedenti Clericatum: addit autem jus esse quæsitum his ante mortem, nec expectandum tempus delatæ successioneis, quod pluribus probat, & abunde solvit fallentiam Salyceti.*

Tomaxius: vide supra: Baltasar Tomaxius.

Vegius: vide supra: Franciscus Vegius.

VILLALOBOS in commun. opin. verbo Statutum, 125 adducitur pro hac opinione à Burfato & Theauro.

VINCENTIUS Fusarius de Fideicommissaria sub- 126 sicut. q. 439. sub n. 25. ait per accidens esse quod in exclusionem ab hæreditate retrahatur, quis à vita contemplativa quando intentio disponentis illuc non ordinatur, sed ad bonum conservandæ familie: quanto magis si Statutum non retrahat à vita contemplativa, eo quod excludat tam laicas, quam Moniales.

Vincencius Hondedeus: vide supra: Hondedeus.

VIVIUS lib. 2. commun. Opin. verbo Statutum Ex- 127 clud. n. 10. seu opin. 82. nu. 14. ait hanc opinionem de Exclusionem etiam Monialium esse communem, & pro tali eum allegant Mangilius, Molina, & Redenacius.

128 URILIUS ad Afflictum decif. 310. num. 9. & in fine docet, quia versatur in bonis querendis, & nondum Ecclesie quaesitis &c.

DOCTORES PRO CONTRARIA opinione allegari soliti.

Inter hos quidam falso allegantur ab Adversariis, alio in puncto loquentes qui tamen in puncto nostro aperte stant pro nobis, cujusmodi sunt, Ancharanus Baldus, Cephalus, Duardus, Imola, Ruinus, Surdus, ut ostensum est supra; Quidam mutarunt postea sententiam ut Marta; Quidam disputando tantum videntur contrarii ut Aretinus, sed tandem opinionem nostram communem fatentur; Quidam denique ut Decius ita inconstanter loquuntur, ut ex doctrina eorum sequatur eos, aut pro nobis potius, aut non magis pro contraria, quam pro hac allegandos, ut ex praecedenti Catalogo constat. Superfuit ergo perpauci alii, nempe Alexander Tartagnus Cumanus, Rolandus, Salycetus, Sperellus. De quibus eodem ordine agemus.

Alexander Tartagnus de Imola libro 2. Consil. 121. n. 9. Ex hoc quod contractus fuit celebratus post Clericatum, non dicitur statutum injectisse vinculum, &c. nam jus primogeniturae, de quo loquitur Jo. Andr. etiam vivente parte prodegit effectum; non mirum, si in casu illo potest dici quod procedat, quia ante clericatum secundogeniti jus primogeniturae erat vacatum, & acquisitum primo: alia secus, ut est etiam de mente Salyceti in auth. cassa & adductis verbis ejus subdit: Ecce quod Salycetus vult, quod sufficit ipsam esse Monacham, tempore quo acquiritur jus; & licet tale statutum esset factum ante Clericatum, tamen non ligabit, & idem consulti Peir. de Anchar. in consil. in Christi nomin. amen, in paucis verbis, & ita etiam vult Bald. Sed de Ancharani, & Baldi opinione satis patet ex dictis. At eodem lib. consil. 121. num. 5. loquitur de testamento habente conditionem turpem de qua dicit, habetur pro non adjecta: quia impediri non potest vitæ contemplativæ. Libro portio 5. conf. 44. cum Butrio loquitur de Monachatis ante statutum, dicens: Statutum non excludit filias jam Monachatas, quæ nunquam fuerunt sub jurisdictione statutum, addens sic consultiisse Anton. de Butrio in Civitate Ferrariæ, & num. 16. improbat statutum loquens in personam. Fatendum igitur est Alexandrum licet obiter, tamen propendisse in opinionem Salyceti.

Raphael quoque Cumanus consil. 84. ait: Nam in successione intestati potissimum attenditur tempus additionis in non suis heredibus, & in fine: Cum dictum statutum laicorum non possit præjudicare, dicendum est ipsam Dominicam Luciam Monialem, & ejus Monasterium admitti per edictum successorum.

Rolandus de Valle lib. 2. consil. 57. videtur sed nequaquam est contrarius, concludit enim Antonium licet Clericum, teneri tamen vi statuti ad compromissum, & solvens objecta adversarii ponit responsiones, quas alii qui dare possent, & inter has hanc num. 24. & 35. verbi secundo responderi potest, & quod si statutum injectit vinculum ante Clericatum, quod ligatur statuto, quod etiam num. 26. per Abb. habet locum in moniali statu statuto, quod femina excludantur, quia si tempore statuti non erat monialis, sed secularis, excluditur postea: post quæ num. 27. ait: Verum quia hujusmodi responsiones videntur pati aliquam difficultatem, & inter difficultates adducit Alexandrum Salyceti fecitorem, de statuto exclusivo feminarum, effectum suum dirigente in tempus delatæ successione, his inquam relatis, sub dit. nu. 29. Ideo transiit ad aliam responsionem, quæ non habet scrupulum. Malè igitur allegatur hoc loco Rolandus, tanquam adhærens opinioni Alexand. & Salyceti, cum eam nec approbet, nec reprobet, sed solutionem meliorem quaerit. Idem lib. 3. conf. 35. nu. 26. quid statutum disponens quod ingrediens Monasterium non succedat, non valet, quia esset impedimentum vitæ contemplativæ. At statutum Bononiæ, cum æquè laicas, ac Moniales excludat, non est impedimentum vitæ contemplativæ, non est igitur ad rem locus iste Rolandi.

Salycetus est adversarius antesignanus, qui primus doctrinam de expectando tempore successione delatæ in lucem protulit in auth. cassa, & irrita, Cod. de Sacrosanct. Eccles. num. 14. dicens: Et ex his inferitur ad statuta causam intestati concernentia, quorum aliquo cavetur, ut filii masculis extantibus filie feminae non succedant patri ab intestato, ut statutum illud non vincat sibi locum, si tempo-

re mortis patris, filia concurrans cum masculo sit Monacha, & idem si cavetur statuto, ut extantibus agnatis usque ad tertium gradum, cognati, licet intra illum gradum, non succedant. Nam cognatus intra gradum illum, & in sacris constitutus non erit exclusus, &c. Quod firmat sic: Et ita vidi determinari per valentissimos Doctores in persona Domini Viti de Alidovis Episcopi Imolensis. Et prædicta intellige, quando tempore mortis defuncti, ille, de cujus exclusionem tractatur, erat Clericus in sacris constitutus, alia si post mortem Clericus esset effectus de jure remaneret exclusus, & ei non prodesset superveniens Clericatus, quia tempore delatæ successione jam erat per statutum ligatus, & exclusus. Unde Clericatus superveniens jus alteri jam quaesitum tollere non potest. Sed primò ego non video, quomodo & unde Salycetus colligat illam consequentiam, & ex his inferitur, cum sub eadem rubrica multos casus admiserit, in quibus Clerici ligantur legibus, ac statutis laicorum; ut quando statutum dat formam, & modum ædificandi porticum vel viam, de quo num. 12. aut quando terminat instantiam infra triginta, vel pauciores dies, aut de satisfactione præstanda, de quibus n. 10. & alios quosdam casus admittit num. 8. Sed neque ex Regula generali, quam sub finem num. 1. dederat ibi. Dico ergo, quod statutum tunc est contra libertatem Ecclesie, quando per ipsum directo, vel per indirectum, aliquid disponitur, propter quod Ecclesia, seu persona Ecclesiastica, timidiore officiat, quam libertas ex privilegiis validis eis concessa exigit, & requirit. Imò ex his potius deducitur statutum, quod quæ excludit laicas, ac Religiosas à successione, non fit contra libertatem Ecclesie, cum non reddat timidiore feminas ingredienti Religionem, nec ullum privilegium sit, quod Monialibus feminis concedat (successionem illam, quæ in jure civili denegatur feminis laicis.

Sed esto, quod Salycetus sibi non contradicat, contradicunt tamen illi innumerabiles Doctores, qui post eum ab anno 1382. usque ad hunc 1655. de hac materia scripserunt exceptis enim Alexandro, Cumanò, Decio, & Sperello nemo illi constanter, & absolute adhæsit. Qui verò doctrinam de vinculo injecto ab antiquiore statuto, & generaliter excludente à successione tam laicos, quam Ecclesiasticos asseruerunt expressè, sunt plures quam centum: imò qui Moniales excludi per hujusmodi statutum censuere, sunt saltem nonaginta, & inter hos, qui communem esse, ac receptissimam opinionem nostram ajunt, sunt ferè quadraginta. Qui denique expressè impugnant, vel improbant Salycetum, sunt Bursatus, Castrensis, Hodierna, Hondedeus, Mangilius, Merenda, Flavus Tortus, Redenascus, Rocbus Curtius, Sarayna, Tamburinus, Tiraquellus. Quare in judicando, & consulendo nullo modo debet his prævalere solitaria illa doctrina Salyceti.

Alexander Sperellus Episcopus Eugub. in decisionibus Fori Ecclesiastici decif. 11. num. 20. hæc habet: Quod autem dicebatur statuto excludente filias feminas à successione ab intestato, propter masculos comprehendit etiam Moniales, respondeo hanc opinionem Theauri esse falsam, & reprobata; nam imò totum oppositum, ut nempe Moniales non afficiantur dicto statuto, tenuit pulchre Salycetus, Alexander, latè Cephalus, Ruinus, Brucius, Marta, Duardus, Rolandus, & est communi, & magis vera opinio, non obstante quod statutum prædictum injecterit vinculum antequam mulier efficeretur Monialis. Et num. 23. approbat opinionem Salyceti de expectando tempore successione delatæ, & ob id Moniali non excludenda, quam dicit esse veram, & in praxi receptam.

Cæterum Sperelli auctoritas in hoc puncto multis de causis claudicat: Primò enim hanc opinionem Theauri appellat, quasi unus, vel primus Theaurus eam invenerit, ac propugnarit, cum tamen num. 5. ipsemet alios sex Doctores enumerarit; & si legisset Theaurum ipsum lib. 2. quæst. forens. quæst. 92. tota, agnovisset apud illum Doctores plures, quam quadraginta pro exclusionem Monialium allegatos, quibus si reliquos ex nostro catalogo adjungas, evadunt plures, quam 90. imò si addas reliquos suffragatores. sunt multò plures, quam centum. Secundò itaque miror, quomodo potuerit dicere opinionem Theauri esse falsam, ac reprobata, suam verò veram, & in praxi receptam, cum pro opinione Theauri stet non solum Centuria integra Doctores, sed ex illis ferè quadraginta numeraverim, qui asserunt eam esse veriorum, communem, receptam, constanti calculo probatam, sequendam in judicando, & consulendo, decisam in Tribunalibus, &c.

Conclufio. Si censura, & qualificatio opinionum attendatur, excludendæ item sunt in casu nostro Moniales: Nam non esse ab hac opinione in praxi recedendum, nec solere recedat consulendo, & judicando, expressè affirmant Cancarius, Carolus de Grassis, Diana, Flavus Tortus, Hondedeus, Mangilius, Merenda, Parisius, Rocbus Curtius, Cavalcanus, Tamburinus, Theaurus. Esse verò communem resolutionem, ut conclusionem, vel decisam ab omnibus, vel passim probatam ab omnibus, vel Traditionem quandam, vel Canonistarum communem theoriam, vel constantem multorum opinionem, dicunt in terminis Azorius, Blanchetius, Bursatus, Coira, Molina, Menochius, Ripa, Roch. de Curtius, Sfortia Oddus, Socinus senior. Et per totam Italiam vigere ajunt Cynus, Jacobus Philippus Portus, Laurus de Palatiis, & Tamburinus. Item hanc opinionem esse inixam ratione clara, certa, indubitata, evidentissima, patente ad sensum, solidissime affirmant Afflictus, Arnaldus Ferron, Flavus Tortus, Mangilius, Socinus senior, Socinus junior, Tamburinus, Redenascus, Ursillus. Nec unquam revocantam in dubium, & nephas esse in patria ab hac recedere, attestatur Redenascus. Esse verò communem & veriorum, magis communem præter prædictos Doctores asserunt, & alii illis addendi, videlicet Aretinus, Antonius de Butrio, Argelus, Azorius, Balthasar Tomaxius, Brunus Alessis, Carpanus, Cephalus, Decius ipse, Gabriel, Hodierna, Mandellus, Jo. Bapt. de S. Severinus, Mandosus, Marta, Merlinus, Puteus, Virius, Vegius. Contrariam autem opinionem, Communiter improbatam, periculosa, & perturbatricem familiarum, Intolerabilem, & iniquam laicis. Advertunt Cavalcanus, Laderchius, Mandosus, Merenda, Paulus de Castro, Redenascus: Imò esse sine ratione, pronuntiavit Tamburinus; postremò esse contra omne jus, & equitatis debitum, pronuntiavit Summus ipse, ac Max. Pontifex Gregorius XIII. Quorum joca, & verba supra in Catalogo retulimus.

II. Conclufio. Si censura, & qualificatio opinionum attendatur, excludendæ item sunt in casu nostro Moniales: Nam non esse ab hac opinione in praxi recedendum, nec solere recedat consulendo, & judicando, expressè affirmant Cancarius, Carolus de Grassis, Diana, Flavus Tortus, Hondedeus, Mangilius, Merenda, Parisius, Rocbus Curtius, Cavalcanus, Tamburinus, Theaurus. Esse verò communem resolutionem, ut conclusionem, vel decisam ab omnibus, vel passim probatam ab omnibus, vel Traditionem quandam, vel Canonistarum communem theoriam, vel constantem multorum opinionem, dicunt in terminis Azorius, Blanchetius, Bursatus, Coira, Molina, Menochius, Ripa, Roch. de Curtius, Sfortia Oddus, Socinus senior. Et per totam Italiam vigere ajunt Cynus, Jacobus Philippus Portus, Laurus de Palatiis, & Tamburinus. Item hanc opinionem esse inixam ratione clara, certa, indubitata, evidentissima, patente ad sensum, solidissime affirmant Afflictus, Arnaldus Ferron, Flavus Tortus, Mangilius, Socinus senior, Socinus junior, Tamburinus, Redenascus, Ursillus. Nec unquam revocantam in dubium, & nephas esse in patria ab hac recedere, attestatur Redenascus. Esse verò communem & veriorum, magis communem præter prædictos Doctores asserunt, & alii illis addendi, videlicet Aretinus, Antonius de Butrio, Argelus, Azorius, Balthasar Tomaxius, Brunus Alessis, Carpanus, Cephalus, Decius ipse, Gabriel, Hodierna, Mandellus, Jo. Bapt. de S. Severinus, Mandosus, Marta, Merlinus, Puteus, Virius, Vegius. Contrariam autem opinionem, Communiter improbatam, periculosa, & perturbatricem familiarum, Intolerabilem, & iniquam laicis. Advertunt Cavalcanus, Laderchius, Mandosus, Merenda, Paulus de Castro, Redenascus: Imò esse sine ratione, pronuntiavit Tamburinus; postremò esse contra omne jus, & equitatis debitum, pronuntiavit Summus ipse, ac Max. Pontifex Gregorius XIII. Quorum joca, & verba supra in Catalogo retulimus.

TUDERTINA SUCCESSIONIS PRO BEATRICE D' EODDIS CUM FRATRE.

Responsum pro veritate.

De Statuto Tudertino excludente feminas propter masculos, an procedat in successione Clerici, quamvis contentio sit inter solos laicos: Et de bonis extrâ territorium, an & quando veniant sub Statuto, ubi præsertim accedat mortis voluntas.

S U M M A R I U M.

- 1 Falsi series.
2 Quod Statuta exclusiva seminarum exigant copulativam subjectionem personarum, & bonorum juxta opinionem Curie Romanae.
3 Eadem opinio tenetur in Regno Neapolitano, ubi rarus est usus Statutorum, & consuetudinum particularium.
4 Loca monium, & similia jura circumscribuntur loco, & censentur Urbis, vel Civitatis Metropolis.
5 Declaratur conclusio, de qua num. 2. ut procedat ab intestato, secus autem condito testamento.
6 Quando statutum porrigatur extrâ territorium ratione voluntatis testatoris.
7 Ut declaratio, de qua n. 5. procedat etiam respectu legitime, & quod legitima possit tolli per Statuta.
8 An & quando femina exclusa, censentur per testatorem restituta sicuti, ut cesset statutum per testamentum.
9 De legitima filii naturalis legitimitati per rescriptum.
10 De dupliti questione cadente in materia exemptionis Ecclesiasticorum ab his statutis.
11 De concursu personæ Ecclesiasticæ aliàs per statutum exclusivè remissivè.
12 An successio Clerici defuncti inter laicos regulanda sit juxta Statutum, vel potius de jure communi.
13 De rationibus, ob quas attendi etiam debeat Statutum.
14 Et quando istud cesset.
15 Quod etiam Clericorum morientium voluntas reguletur à Statuto, & de ratione.
16 Quomodo Consules debeant se gerere.

Contraria verò ex parte stant solummodò Salycetus, Alexander, Cumanus, Decius (secum parum cohærens, & ut aliquid de jure nostro cedamus, Marta olim, sed postea pro nobis, Sperellus non omnino sibi contentiens.

CONCLUSIONES Pro exclusionem Monialium ab Auctoritate.

I. Conclufio. Si sola Auctoritas Doctorum, & qualitas attendatur, excludendæ sunt omnino Moniales à successione, de qua agitur. Quia ut ex Catholico præmissis manifestum est, pro exclusionem illarum stant plures, quam centum Doctores, & inter hoc præclarissimi Jurisconsulti, Abbas, Accursius, Albericus, Ancharanus, Baldus, Barrolus, Brunus, Bursatus, Butrius, Butrigar. Castrensis, Carpanus, Cavalcanus, Cephalus, Decianus, Felinus, Gail, Gualtherus de Benedicis, Hondedeus, Imola, Laderchius, Lapus, Laurus de Palatiis, Mandellus, Mandosus, Merenda, Merlinus, Molina, Natta, Parisius, Peregrinus, Raudensis, Redenascus, Riminaldus uterque, Rocbus Curtius, Ruinus tandem, Sarayna, Sfortia Oddus, Socinus uterque, Tuschus, Tiraquellus, Theaurus. Præterea acerrimi propugnatores Ecclesiasticæ Immunitatis Azorius, Belletrius, Bonacina, Carolus de Grassis, Diana, Duardus, Salas, Sanchez, Tamburinus, Thomas del Bene, Tomaxius, & ipse Gregorius XIII. Summ. Pont.

Condito per N. de Oddis clerico in minoribus testamento, scripto hæredem filio masculo, relicto Beatrici femina scutis 500. quibus, ac dote jam sibi nuptæ constituta, eam contentam esse voluit; Cum dictus testator bona notabilis valoris possideret, partim in territorio Tudertino ejus patriæ, partim verò alibi, præsertim plura loca montium in Urbe; Hinc dicta femina, præsentem excoercitavit super legitimæ supplemento, non obstante statuto Tudertino feminarum exclusivo propter masculos, illud etenim tripliciter non intrare prætendebatur, Primò nempe quia agebatur de successione clerici Statuto non subiecti; Secundò quia sub eo non cadebant bona extra territorium; Et tertio quia ob particularem institutionem de dicta femina factam in testamento pro omni, & toto eo, quod etiam ex causa legitimæ prætereunda posset, ita censebatur eam restituisse iurati, & consequenter quod cessante statutaria exclusione; subintraret jus commune, quod nulla data sexus discretionem, filiis legitimam defert; Neque super his ex parte ejusdem feminae pro veritate consultus fuit, ad effectum deliberandi, an deberet cum fratre litem persequi, vel potius quandam honestam oblationem concordiam amplecti.

Respondi quoad bona extra territorium; consentientia in toto, vel pro majori parte in locis montium Urbis, quod licet in dicitur ratione, non improbabili dicitur posset, ut etiam hæc sub statutaria dispositione, cui subiaceant tam defunctus, quam successores, venire debeant, ubi præsertim accidit expressè declarata voluntas morientis, ex iis, quæ ponderantur in *Januæ disc. 4.* Attamen cum agebatur de causa tractando in Statu Ecclesiastico coram Governatore dictæ Civitatis, atque in gradu appellationis in Curia, vanum erat hoc opus assumere, cum Rota, & Curia sequatur diversam opinionem per necessario copulativo concursu utriusque subiectionis, personarum, & bonorum sub eodem Statuto, adeo neque admittatur combinatio Statutorum utriusque loci idem disponendum, quia nempe tam in loco personarum, quam in loco bonorum idem admissum vigeret statutum, cum neque id sufficiat, ex iis, quæ cæteris relatis plenè habentur firmata per Rota apud Merl. *dec. 352. & 426. repetit. dec. 177. p. 5. & dec. 68. p. 6. rec. ac etiam dec. 144. & 290. p. 8.* Et in individuo hujus Statuti Tudertini dictum fuit in Tudertina successione coram Melio *dec. 256. p. 11. rec. & in aliis*, quoniam hoc jure passim vivitur in Curia, adeo ut sit conclusio, quæ hodiè præsupponatur, aliāque disputationem non admittat.

Eandemque recepisse videntur Tribunali Regni Neapolitani occasione agendi de consuetudinibus Neapolitanæ Civitatis cum aliis nulli, vel nimium rari sint hujusmodi quæstionum casus in aliis ejusdem Regni Civitatibus, & locis, dum ibi Statutorum usus non habetur, sed bene aliquis licet rarus usus consuetudinum, ut de illa Baren. in proposito successione filiorum in dote advertitur *sub tit. de dote disc. 104. & 105.*

Prout extra controversiam est hodiè, ut loca montium, vel similia jura cum Principe, circumscriptantur loco, ac censeantur de territorio Civitatis Metropolitanæ, sive illius, in qua eorum erectio facta est, atque destinata solutio ibique fiat contractatio, quamvis effectus destinati à Principe consistentes frequentius in gabellis, aliisque redditibus publicis, sparsi essent per universum Regnum, seu Principatum, ut firmatur per Rot. apud Merl. *d. disc. 352. n. 38. repetit. dec. 177. par. 5. rec. apud Burat. decis. 474. n. 1. dec. 144. n. 12. p. 8. rec. aliās apud Royas dec. 66. n. 10. & in aliis, & probat etiam Rovit. super pragmat. in rubr. seu pragmat. 1. de jurib. & exact. fiscal. num. 66. & 80. & infra disc. 40. ex n. 214.*

Dicebam tamen, ut retenta etiam ista opinione, super utraque copulativa subiectione personarum, & bonorum, à qua Curia temerarius esset hodiè recedere, sive illam sub disputationis trutinam reducere; Illa rectè procederet in casu mortis ab intestato, quo casu lex fingit, ut moriens censeatur suam voluntatem adaptare ad limites necessitatis, ac subiectionis, & consequenter cum lex particularis non obliget nisi intra suum territorium, dici potest quod extra illud censeatur moriens voluisse se regulare cum dispositione juris communis, cum qua ibi procedendum est, ad instar eorum, quæ habentur proximè infra super alio puncto ratione clericatus, personæ morientis.

Secus autem ubi hæc ratio cesset, quia nempe moriens

expressè ejus voluntatem in contrarium declarat, quod scilicet decedere voluerit, atque in ejus bonis succedi ad normam statutariæ dispositionis, ut in præsentem fecerat, dum ad formam Statuti, solum masculum hæredem scripserat, femina verò dote contentam esse voluit, solum benevolentia gratia quoddam particulare legatum relinquendo quod comparatione successione erat quid fati modicum; Iste etenim casu probabilis videtur, ut veniant omnia bona etiam extra territorium non in ratione auctoritativa, seu jurisdictionali ipsius Statuti quod extra proprii territorii vires porrigi non potest, sed in ratione voluntati ipsius morientis juxta ea, quæ cæteris relatis habentur firmata per Rot. apud Merl. *dec. 477. repetit. dec. 355. p. 5. rec. n. 13. cum seqq.* in proposito agendi de Statuto Urbis 142. per quod filii in conditione positi censeantur vocati, ut attendendum veniat etiam in testamento forensis, qui in Urbe testatur, sive in bonis extra territorium, ex dicta ratione ut id non proveniat à potentia, vel operatione Statuti, sed à voluntate morientis, ut in sua materia *sub tit. de fidei.*

Et quamvis in contrarium urgeret, ut id rectè procedat in iis, in quibus moriens liberam habeat testandi, ac disponendi facultatem, adeo nullo militante potestatis defectu, sola ejus explicita, vel implicita voluntas attendenda veniat; Secus autem isto casu, in quo agatur de legitima filiorum de necessitate debita, adeo neque volens pater possit eam minuire, vel alterare, cum tunc dicta ratio voluntatis in nihilo operativa videatur.

Adhuc tamen mihi probabilis videbatur ut id ob stare non deberet, quoniam statutum ita operatur circa personam, illam scilicet dispensando à dicta obligatione, quam altera lex positiva induxit, eamque constituendo in statu libertatis disponendi, cum tunc non sit disponere de bonis extra propriam Ditionem existentibus, sed fit qualificare personam disponentis, illique istud onus, sed vinculum adimere, quod de jure positivo fieri posse, non videtur amplius hodiè cadere sub quæstione, ut advertitur pluries *sub tit. de legitima, & de racionibus præsertim disc. 10.* ubi habetur quod licet aliqui DD. crediderunt, ut legitima utpotè de jure naturæ inducta per statutum tolli, vel minui non possit, attamen inter fabulas reponi meretur, cum id in jure civili dicatur per quemdam loquendi modum capiendum jus naturæ pro illo naturali instinctu, quo moventur homines ad filiorum educationem ejusque alimenta suppeditandum quorum loco legitima successit, quæ propterea ad summum juris naturæ dici posset in filiis aliunde non provisus, neque modum sibi comparandi vicium habentibus, adeo negando alimenta esset species necationis, secus autem erga filios qui cum bonis propriis, vel cum proprio labore, & industria hujusmodi provisionem habeant, ac etiam circa quotam, vel modum, cum id totum proveniat absque dubio à jure civili, cui derogare potest jus municipale, quoties legitima auctoritate conditum sit, ut in dicta sua sede latius habetur.

Fortius autem hæc procedere advertebam ex duplici circumstantia, Primò scilicet pluries insinuatæ rationis, quod hujusmodi Statuta nostris Italiæ moribus aptata sint, atque non contrigant jus commune civile, sed potius declarant quod illud ab initio in hac parte noluerint recipere; Et secundò quia etiam in loco bonorum idem viget jus, capiendum combinationem utriusque Statuti pariter in ratione auctoritativa, & jurisdictionali; quando morientis voluntas incerta sit, sed in ratione benignæ interpretationis pro dicta libertate tribuenda morienti, ut cum ejus filii qui Statuto patriæ quoque; subditi sint ad istius normam, etiam de bonis extra territorium disponere possent.

Quo verò ad alterum punctum agnitionis in suam, mediante dicta particulari institutione facta sub præcepto; ne aliud prætereunda posset, pariter contra ipsam femina re-quirentem Respondi ex eisdem rationibus, & fundamentis, de quibus *d. tit. de legit. & de racionibus disc. 4.* ubi habetur, ut conclusio quod hujusmodi Statuta procedant ab intestato, non autem contra testamentum, per quod potest parens cessare facere statutariam dispositionem, atque femina ad Statuto reputatam extraneam, restituere iurati, utpotè fundata in voluntate parentis, rectè procedit ad istius limites, & quatenus ista statutariæ dispositioni advertebatur, unde constat quod ab ea moriens recedere voluerit; Secus autem ubi cum illa se potius conformet, quamvis juxta Notariorum ineptas cautelas, legitime mentio fiat, cum id fieri soleat ad superabundantiam, atque ad majorem testamenti validitatem, ideoque inducta ad unum finem, operari

rari non debeant alterum omnino diversum, imò oppositum, neque voluntas trahenda est ultra id, quod ipsa sit.

Potissimè verò quoniam ista cautela in proposito non incongrua fuit, ob dictam existentiam bonorum extra territorium, quorum respectu dubium cadere poterat, an ad limites juris communis, ob filia præteritionem, testamentum corrumpere posset, necne, & consequenter legaliter, ac naturaliter omnino improbabile videtur, ut ista cautela talem effectum operari debeat, cum solum in iis, quæ pendunt à voluntate ejus, qui poterat nihil relinquere, voluntas attendenda sit ad ejus limites, & non ultra; Ad instar eorum, quæ eodem *tit. de legit. & de racionibus* habentur circa dispositiones, quæ sunt cum naturalibus legitimatis per rescriptum, cum clausula *sine præjudicio venientium ab intestato* quoniam ita pater habilitatus est sublato juris civilis obstaculo, aliquid eis relinquere ac etiam totum, quando filiorum legitimorum, & naturalium existentia non obstat, sed nolens non tenetur, nisi ad id, quod ex causa alimentorum non obligat æquitas canonica, quoniam si in aliquos eos instituat cum expressione pro consueta cautela *pro omni & toto eo &c. etiam pro legitima*, non per hoc in istius necessitate constitutus censeatur, ut ad supplementum actio competat, sive quod onera, & conditiones rejici valeant, quoniam qui potest nihil relinquere, multo magis potest relinquere minus, vel qualificare, ut *ead. tit. de legitima disc. 12.*

Denum quoad tertium punctum clericatus, an, & quando per illum cessent hujusmodi Statuta; Cum aliqui ex parte ejusdem feminae, vel ejus viri desuper consulti, multa cumulassent in hac materia non comprehensionis clericorum sub statutis laicalibus, & præsertim firmata in dicta alia Tudertina coram Melio *dec. 256. p. 11. rec. & in Bonon. de Zanis coram Bichio dec. 349. eadem p. 11. repetit. inter illas Bichii decis. 625. & decis. 18. post Zuff. de legitim. process. & similia*; Hinc proinde advertebam, quod in hoc proposito duæ cadunt diversæ quæstiones; Una est ubi persona exclusa per Statutum, contendat de successione sibi aliàs de jure commune debita, ut statutaria exclusio non obstante, adhuc sibi debeatur, vel clericatus, vel ecclesiasticam qualitate, ob quam statuto excludenti non subiaceat, ut frequentius in hujusmodi statutis exclusivis contingere solet in feminis, quæ reperiantur moniales; Et altera ubi successione quæstio, sit quidem inter laicos statuto subiectos, sed defunctus de cuius successione agitur sit clericus, vel aliàs à statuto exemptus.

De Prima agunt mox allegatæ decisiones, & aliæ similes, eique non cadebat in hac facti specie, à qua proinde erant extraneæ, atque de ea agitur *disc. præced. De altera verò in præsentem agebatur*; In qua dicebam, quod licet Rota apud Otthob. *dec. 149.* hodiè in Curia recepta, & cum qua post hæc scripta processum fuit in *Urbinate. successione 11. Maii 1668. deinde confirmata coram Taya*, & in aliis sequuta sit opinionem negativam *Imole*, & sequacium, ut scilicet in successione clericorum non intret hæc statuta, quamvis contentio sit inter laicos, ex illa unica ratione præsumptæ voluntatis morientis, quod scilicet censeatur voluisse ejus successione regulari juxta ordinem juris communis, cui ipse subiacebat, non autem statutarii, à quo exemptus erat.

Adhuc tamen ista opinione retenta, cessabat applicatio, stante diversa voluntate, ut supra per testatorem explicata; dum ita illa simplex juris præsumptio, quæ juxta dictam opinionem, personis à Statuto exclusis assistit, cessat per contrariam probationem, cui sine dubio præsumptio cedit, ut admittit idem Mantic. *de consuet. lib. 6. tit. 7. n. 10.* in cuius auctoritate potissimum in *d. dec. 149.* Otthobon. magnum sit fundamentum, atque advertitur in alia *Tudertina sub tit. de testam. disc. 25.* ubi quod etiam testamentum imperfectum, seu aliàs invalidum ad hanc probationem inducendam sufficit, ex regula quod etiam ex actu inutili voluntas probatur, multo verò magis illa ambigua declaratur; Unde propterea denuo reflectendo ad resolutionem de qua in dicta alia Tudertina, intellectus illi acquiescere non potest neque percipere ejus probabile fundamentum.

Verum ubi nullo condito testamento, nullaque alia facta animi declaratione, ageretur de successione morientis ab intestato, quamvis clerici, vel aliàs à Statuto exempti; Adhuc mihi semper probabilior visa est altera opinio, quæ eadem *dec. 149.* Otthob. fatetur esse magis communi DD. calculo receptam, multas ibi cumulando auctoritatis eâ firmantes; Tum ex deficienti ratione exemptionis; Tum clarior ex assistentia verisimilis voluntatis ejusdem morientis.

Quatenus enim ad deficientem rationem pertinet; Ponderabam quod potissimum fundamentum tenentium opinionem clericis, & ecclesiasticis favorabilem quando ipsi ad laici defuncti successione concurrunt, consistit in eo quod spectandum non sit initium seu status præcedens clerici vel ecclesiastici, in quo dum esset laicus in instanti natiuitatis lex laicalis exclusionem impressisset, ut DD. laici, seu Civilistæ tenent, sed attenditur præsens quando successio aperitur ex deductis *d. discurs. præced.* Ergo ex regula *quod quisque juris &c.* sive ex altera *secundum naturam &c.* idem dicendum est in præsentem, ut attendi non debeat status, seu qualitas antiqua bonorum, sed illa de præsentem quando successione quæstio agitur, de quo tempore, ob annihilationem prioris possessoris amplius in rerum natura non extantis, bona sunt in statu laicali, si laicis in simul contententibus eorum successio delata est.

Item quia si bona etiam defuncto clerico, delata laicis, in quorum dominio saltim habituali, vel in facultate esse dicuntur, quinimò etiam in actuali, post agnitionem, quæ illico hunc effectum operatur (dum Judicis declaratio super pertinentia nihil de novo inducit, sed quod à principio jam existeret declarat) prioris possessoris exemptionem retinerent, ita sequeretur quod deberent esse exempta etiam ab oneribus laicalibus, atque à Judicis laici jurisdictione, cujus contrarium verius est, atque quotidiana praxis omnium Tribunalium docet; Atque ita de manifesto errore convinci videtur ratio plenè expensa præsertim per *Surd. dec. 20. n. 10. & seqq.* quod scilicet ita esset per indirectum subicere, clericum legi laicali, cui subesse cogatur, quoniam eo defuncto, atque annihilatione, ejusque dominio resoluta, quoties ejus voluntas non resistat, nil defuncti interest, an una, vel altera lex in ejus successione fervetur.

Tunc etenim ista ratio considerabilis esset, (ut alibi quoque advertitur) quando Statutum ita personam exclusam inhabilitaret, ut neque ex testamento bona obtinere posset (ex. gr.) contingit in legibus & statutis forensium inhabilitativis, quoniam ita esset adimere clerico libertatem aliàs sibi competentem de ejus bonis disponendi, atque lex laicalis ita ligaret ipsum clericum adhuc viventem, illum privando dicta libertate, eumque cogendo ad disponendum cum personis à Statuto volitis, Cessante autem ista ratione, non videtur quæ probabilitas id suadere possit.

Urget etiam pro alia opinione probabilis voluntas morientis, quoniam ex deductis *sub tit. de dote disc. 32. & 143.* ac alibi, quamvis clerici non subiaceant statutis laicalibus subiectione passiva, non tamen eis prohibetur eorumdem Statutorum usus in ratione activa, & privilegiativa, qualis videtur iste, ut potius agnati succedant pro conservatione bonorum in familia, cum id (ex insinuat pluribus) magis adaptatum sit hujus regionis moribus naturalibus, qui per clericatum non amittuntur, nec mutantur; Atque notoria praxis docet, quod etiam clerici, quæ ac laici amat propriam agnationem, & familiam, ut advertitur per eundem *Surd. cons. 554. num. 14. & seqq.* (& utinam non magis) Et consequenter ista ratio præsumptæ voluntatis pariter corrumpit, imò retorquetur; Unde propterea extensor dictarum decisionum *Urbinate.* tenaciter hanc diversam tenet opinionem, dum in eisdem ita proprium testamentum ordinat; Atque de me ipso quoque fateor, quod ubi agnatos in gradu successibili haberem potius istos vellem successores, quam proprias sorores moniales, vel cognatas in gradu longè proximiori, ita generaliter impellente natura ex Italiæ moribus, ut in dies docet fideicommissorum, ac majoratum ordinatio præsertim in casu, de quo *sub tit. de fidei. disc. 25. cum ejus annotatione in supplemento*, quoniam si quæ ratio favore proximiorum de sanguine adaptabilis est, eatenus intrat, quatenus fictè, seu artificialiter cognati proximiores sunt agnati, & non aliàs, ut ibi ponderatur, ideoque opinio, quam Rota tenet, plausum alibi non habuit, neque retineri potest, sed ab ea recedi debere sperandum est, cum ipse naturalis discursus atque communis usus nimium advertebatur: Neque ecclesiastica immunitas in hoc aliquid commune habet, nisi quatenus lex laicalis, clericis morientis voluntatem prohibeat, ut supra.

Ex his autem patet, quod in omnibus respondi contra eum qui meam operam requisierat, quamvis in contrarium urgerent pecunia per eam tradita, magis verò nimia benevolentia erga virum, ut ita facilis redderet concordiam cum fratre atque acerrimæ preparatæ liti occurreret, ut sequutum fuit; Utinam verò frequenter per hujus facultatis professores id practicaretur, quodque modici turpis lucri gratia ad lites etiam indebitas præsertim inter

conjunctos, non adhortarentur, atque provocarent eos, qui eorum consilium petunt.

TUDERTINA SUCCESSIONIS PRO CATHARINA DE PISENTIS.

Responsum pro veritate.

De eodem Statuto Tudertino, excludente matrem, ab intestata successione filii, ob remotiores agnatos, an valeat; Et an statuta disponentia de successione ab intestato, procedant in successione intestabilis, Et quid in hoc operetur voluntas patris pupilli, de cujus successione agitur.

S U M M A R I U M.

- 1 Adh series.
2 Statutum excludens matrem iniquum, & irrationale.
3 Loquens de successione intestata, non procedit in successione intestabilis.
4 Contrarium ejus de quo num. 2. & quod haec statuta non sint odiosa.
5 Et contrarium ejus de quo num. 3. ut procedant, etiam in successione intestabilis.
6 De usu loquendi in hac materia attendendo.
7 De rationibus, ob quas verior sit opinio de qua n. 5.
8 Magis legis praesidio digni sunt intestabiles, quam testabiles.
9 De provisionibus circa intestabiles.
10 De ratione ob quam in verborum sensu grammaticali immorandum non est.
11 An statuta disponentia favore agnationis prosint feminis agnatis.
12 Feminae agnatae veniunt ad fideicommissa etiam agnativa defectis masculis.
13 Quod conclusio de qua num. 5. cesset accedente voluntate patris defuncti.
14 An & quando a fideicommissis in casu delicti, inferatur ad casum mortis.

D I S C. VII.

Petrus, Instituto Angelo filio in pupillari aetate constituto, sub tutela, & educatione Catharinae uxoris, & matris respectivè, istam ei substituit in casu delicti, eamque ab initio usufructuariam reliquit; Cumque in eadem aetate pupillari, praefari Angeli obitus contraxisset, superstitibus dicta Catharina matre, & N. amita; Hinc inter istos orta est successione controversia, cui causam dedit Tudertinae civitatis Statutum distincti. 2. rubr. 56. per quod mater ab intestata filii successione excluditur per agnatos, & quorum appellatio, in eodem Statuto declaratur, venire forem, & amitam; Super qua controversia; Aliqui ex parte dictae Catharinae matris consulti, responderunt ejus uxore, ex duplici fundamento; Primo nempe ob dicti Statuti invaliditatem propter ejus iniquitatem, ac irrationabilitatem excludendi matrem à lucuosa filii successione ex individuali auctoritate Baldi cons. 58. lib. 5. Et secundò quod cum illud ita disponeret de successione morientis ab intestato, locum habere non deberet isto casu, in quo agebatur de successione intestabilis juxta opinionem Bald. cons. 232. n. 2. lib. 4. quam plures sequuntur plenè, ac elaboratè collecti per Andreol. contr. 330. ubi proficitur cum illo ordine litaniae, qui pro quodam moderno nunquam mihi placito stylo introductus est sexaginta tres Auctores referre hanc opinionem tenentes, quorum plures collecti habentur apud Gabr. de Statut. cons. 1. & in puncto hujus statuti Tudertini Bald. seu verius Jo. de Amelia apud eum cons. 133. n. 3. lib. 4. Desuper autem ex parte ejusdem Catharinae pro veritate consultus; Respondi, quod neutrum ex his fundamentis pro meo iudicio subsistentiam haberet: Bene tamen probabilis ei successio debita esset ex altero motivo voluntatis morientis, ut infra; Quatenus enim pertinet ad primum, illud dixi omninò improbabile; Tum ob contrarium usum hujus Statuti per plura saecula extra controversiam; Tum etiam ob falsum Baldi praesuppositum, circa illius iniquitatem vel irrationabilitatem, cum attentis hujus regionis moribus, tam antiquis, quam modernis, ac mediis; verius sit contrarium, ex rationibus pluries insinuat, praesertim in Perusina disc. 1. Undè propterea, quamvis Rota, atque moderni scriptores sequantur hanc parum probabilem antiquiorum credulitatem, seu traditionem, quod hujusmodi

statuta dicantur juris correctoria, atque ab ejus dispositione exorbitantia; Attamen fatentur quod non sint odiosa ut d. disc. 1. & alibi advertitur.

Quo verò ad alterum fundamentum (quod aliquam majorem soliditatem habebat) Advertebam, quod licet plures dictam opinionem teneant relati per Andreol. dicta controversia 330. quorum majorem partem referunt quoque Menoch. cons. 569. & Castill. lib. 6. contr. 154. ac illi, de quibus infra, ex quibus probabiliter dictus Auctor, cum improbo labore transcriptoris potius quam Doctoris, dictam litaniam composuit; Attamen, ut etiam attento numero, magis communis (quae antesignanus habet Bartol. in l. 1. ff. de suis & legit.) sit in contrarium, plenè probant Menoch. d. cons. 569. Gabr. dicta cons. 1. n. 1. & cons. 14. n. 15. lib. 1. Castill. dicta contr. 154. lib. 6. Thesaur. lib. 2. quae sit. forens. 18. Redenach. cons. 22. cum duobus seqq. atque hanc pluries sequuta est Rota praesertim dec. 349. n. 35. p. 6. rec. & apud Cels. dec. 125. n. 13. cum seq.

Clarius verò quia cum istius opinionis potissimum fundamentum consistat in communi usu loquendi, super quo alii tenentes contrariam, nimium certant, quod scilicet hic usus debeat formiter probari, ut appellatione intestati veniat intestabilis, ita cum consuetis Legistarum ineptiis, acriter immorando in formalitate verborum, quibus Statutum utatur, eorumque grammaticali significatione, ob quam aliqua ex eadem formalitate tres casus constituunt seu distinguunt, ut apud Cirocc. contr. 18. n. 10. Id probari dicebam, dum idem Bald. qui reputatur contrariae opinionis antesignanus, in cons. 4. lib. 2. agendo de hoc eodem Statuto individuali, (quamvis ad alium effectum) procedit cum praesupposito istius usus loquendi in hac Civitate, ut appellatione intestati veniat etiam intestabilis.

Quamvis autem haec deducere ut currenti inepto stylo satisfacerem, immorando in auctoritatibus, earumque majori calculo, ac etiam pondere, ob illam praesertim Rotae, cui potissimè in hoc Principatu magis deferendum est, & ne aliàs mihi objiceretur solitum objectum rationiorum, seu distinctionum de capite; Attamen post expletas istas, improbi, ac inepti laboris partes, assumendo partem rationativam genio magis adaptatam; Dicebam, quod pro meo iudicio, manifesta ineptia videtur huic puncto tantam disputationis dotem praebere in verborum formalitate, seu communi loquendi usu immorando, cum attenta verissima, semperque praeculis habenda à Judicantibus & Consulentiibus adeo frequenter insinuata propositio, in omnibus attendendi potius substantiam voluntatis, quam verborum formalitates, vel grammaticales significationes, punctus videretur planus tali disputatione indignus.

Ut enim in praecedentibus pluries advertitur, hujusmodi Statuta continere dicuntur testamentum legis ita ab eis ordinatum, supplendo partes ejus, qui non credendo se moriturum, vel ex improvi moriens, testatus non est, tanquam per speciem illius testamenti quod in aliquibus partibus Episcopi circa pias dispositiones pro morientibus ab intestato facere solent, ut habetur sub tit. de testam. disc. 24.

Si ergo lex ita occurrere voluit, atque commiserando eum, qui ex vi morbi; vel alio casu, testari non potuit, quamvis casum preveniendo potuisset, pro eo testari voluit, multò magis, & absque dubio dicendum est, ut id agere voluerit pro iis, qui neque volentes potuissent id agere ob aetatem, vel amentiam, seu ob aliud impedimentum naturale, dum istis obijci non potest ea negligentia, de qua illi redargui possunt; Et consequenter absque dubio, majori legis praesidio, ac assistentia digni sunt; Ut in proposito hypothecae legalis non competentis adversus voluntarios administratores bonorum ejus, qui poterat per se ipsum ejus bona administrare, bene tamen competentis adversus administratores legales, ac necessarios eorum, qui non possunt, ideoque legis praesidio magis dignos, habetur in Anticiana sub tit. de credito disc. 39. cum similibus.

Idque rectè comprobari dicebam ex pluribus Italiae Statutis, vel consuetudinibus praesertim ex Neapolitan. & Baren. enunciatis sub tit. de dote disc. 103. & seqq. & pluries etiam hoc eodem titulo, quod scilicet ubi filii ex aliquo matrimonio supersites decedant in aetate non apta ad testandum, habeantur pro non extantibus, adeo, non ex ipsorum, sed ex praedefuncti parentis persona, successio regularitur; Et claris comprobatur ipsum jus commune, quod facultatem praebet patri testamentum condere pro filio pupillo, vel amentiente mediante substitutione pupillari, vel exemplari cum similibus; Ergo planum est, ut Statuta potius intestabilis, quam intestati casum cogitaverint.

Et

Et quid istam praeteris inter Legistarum ineptias observare consuevi; Tum ob claram fallaciam praesuppositi odibilis hujusmodi Statutorum in qua ipsi magnum fundamentum constituere solent; Tum etiam ob verborum formalitatem, & criticismem à Consulentiis subtilitate proditam, (ut mercenario more causae inservirent,) non solum ob dictam propositionem, ut substantia veritatis potius, quam formalitas verborum attendi debeat; Sed etiam reflectendo quod hujusmodi Statuta, ut plurimum in Italia, ordinata fuerunt de tempore quo illa adhuc rudis erat, atque linguae Latinae notitiam adhuc non bene recuperaverat; Undè propterea videmus quod Accursius, & Bartolus, alique primi nostri in hac facultate parentes, & magistri, quos adeo, & merito veneramus, in gravissimos errores linguae inciderunt, circa captoriam, sive circa usuras centesimas, & similia; Igitur proflus incongruum est, leges, quae rudi, & grossolano more; juxta illorum saeculorum conditionem compositae fuerunt, interpretari cum verborum grammaticae criticisme, dum potius eadem grossolano modo, substantia verisimilis statuentium voluntatis attendenda est, eodem modo quo in testamentis pluries advertitur sub tit. de fideic. & alibi; Et propterea in hac materia, omninò in judicando, & consulendo, cavendum videtur à Consulentiis, qui ut corum conductam operam ad conducendum oportunitatem praebent hujusmodi subtilitates excitare, atque ut vulgò dicitur solent cum Legistarum aureo organo, leges ad suum sensum trahere, seu extendere studuerunt.

Aliqua dubitandi ratio cadere videbatur in hac facti specie super Statuti odibilitate, vel stricta intelligentia, ex eo quod non ageretur de concursu matris cum agnatis masculis, in quibus actu, & habitu urgeret ratio, seu favor conservacionis agnationis, & familiae, dum agebatur de concursu cum femina, quae licet esset agnata, non tamen apta erat agnationem conservare, quinimò, neque actu de facto conservabat ob Italiae mores, quod feminae nupte transerunt in familiam virorum, eamque assumunt, juxta ea quae in proposito Statuti Urb. 141. late habentur per Rot. decis. 267. p. 9. recen. Verum quamvis id esset aliqua consideratione dignum, quando ageretur de interpretatione magis, vel minus benignè faciendae de lege ambigua; Id non intrabat in praesenti, quoniam punctus erat, an Statutum indefinitè loquens de successione intestati, locum haberet in successione intestabilis favore agnatorum in genere, & sic etiam masculorum. Isto autem puncto generaliter, ac indefinitè in quaestione, an sub nomine agnatorum, veniant feminae de familia, quatenus id non exprimitur; Sed quia in verbis ita disponitur, limitatè tamen favore fororis, & amicae, hinc ita intrat vulgaris regula textus in l. ille aut ille ff. de legat. 3. quod in claris, & expressis non intrant praesumptiones, & argumenta, vel interpretationes.

Ac etiam quia (ut pluries habetur in sua materia sub tit. de fideic.) quidquid aliqui contradicant, verius, magisque receptum est, ut etiam in fideicommissis, & primogenituris expressè agnatis, defectis masculis, feminae veniant, quoniam verè agnatae sunt; quamvis nuptae, quinimò quamvis moniales ex ibi deductis, idque in specie favore feminae decisum habetur apud Cels. d. decis. 125. atque difficultas cadit contra aliam feminam agnatam, de qua dicta dec. 267. p. 6. rec.

Adhuc tamen, his non obstantibus, in hac facti specie pro matre respondendum esse censui, ex fundamento, de quo in alia Tudertina disc. praecedenti, & alibi, quod scilicet cum hujusmodi statuta contineant fictam supplementationem voluntatis ejus, qui intestatus, vel intestabilis obiit, dum lex praesumit, ut ita ejus successione regulari voluerit, hinc proinde cum perpetuò cedat praesumptio veritati, hujusmodi Statuta cessant, ubi de contraria morientis voluntate constat, ut etiam pluries advertitur sub tit. de legitim. & detraction. ubi pariter de hujusmodi statutis saecularum exclusivis propter masculos, vel agnatos, quod cum in hac facti specie constaret de voluntate patris pupilli, (quae etiam in ipsius pupilli successione attendenda est) de uxoris, ac respectivè matris praedilectione, non solum illam relinquendo usufructuariam, ac filii tutricem, & educatricem, sed etiam eam illi substituendo in casu delicti, hinc proinde ita ejus voluntas clara favore matris defumit videbatur.

Quamvis enim regulariter, substituto in casu delicti, strictè ad ejus limites intelligenda veniat, neque ab illa inferri possit substitutionem in casu mortis, ut pluries habetur in dicta sua materia sub tit. de fideic. ideoque inferri non possit ad compendiosam, quae sub se contineret pupil-

larem; Attamen id nimium considerabile mihi videbatur; Vel ex recepta propositione pluries in dicta sua materia insinuata, ut haec substitutio in casu delicti nimium sit considerabilis etiam pro casu mortis, tanquam una ex coniecturis voluntatis testatoris; Vel quod ita admitrenda esset ea suppletio, de qua praesertim in alia Tudertina eodem tit. de fideicom. disc. 115. quasi quod minus dictum, quam voluit; Vel demum quod ista sit circumstantia, ob quam ex duplici assistentia legis, & voluntatis defuncti, quam mater habeat, ita per quamdam speciem limitationis, recipienda potius veniat dicta prima opinio Baldi, his omnibus simul, ac unitim ponderatis.

FLORENTINA SUCCESSIONIS PRO ELISABETHA DE MARUSCELLIS

CUM PETRO FRANCISCO DE CASTELLIS.

Casus decisus per Magistratum Florentiam pro Petro Francisco.

De Statuto Florentino excludente sorores, vel aliàs feminas proximiores propter agnatos remotiores, etiam usque ad sextum, vel respectivè octavum gradum; An intelligendum veniat de agnatis lineae inferioris; vel etiam de illis lineae superioris; Et de aliis ad ejusdem Statuti materiam; Et praesertim an sit favorabile, vel odiosum. Et de aliquibus differentiis inter collaterales lineae superioris, & illos lineae inferioris, sive inter patruum, & nepotem ex fratre.

S U M M A R I U M.

- 1 Adh series.
2 De haerede putativo non bene consciente inventarium remissum.
3 Quod super notoriis, & certis non debeant fieri allegationes.
4 Interpretatio Statutorum pendet ex eo an sint favorabilia, vel odiosa.
5 De ista quaestione an sint favorabilia, vel odiosa, de variis opinionibus.
6 Statuta debent intelligi ad litteram, & non admittunt extensionem.
7 De verbo cippus quid significet.
8 De differentia inter collaterales lineae superioris, & inferioris.
9 Patruus, vel avunculus non succedit cum nepote ex fratre, vel sorore.
10 Inter plures nepotes ex fratre praedefuncti non intrat representatio, sed omnes succedunt in capita etiam si alii amita à statuto exclusa.
11 Nepotes ex fratre defuncto succedunt, cum patre, vel matre.
12 Patruus, vel avunculus non succedit cum patre, vel matre.
13 Nepotes ex fratre usque excludunt nepotes ex fratre consanguineo, vel uterino.
14 In feudis Regni Neapolitani succedit nepos ex fratre, sed est sub quaestione in patruo.
15 Gratia extendens successionem ad quartum gradum intelligitur de linea inferiori.
16 Statutum favore fratrum suffragatur filiis fratrum, sed non patruis.
17 De consuetudine Neapolis super collateralibus remotioribus.
18 Ubi lex est clara non curantur ratiocinia, & absurda.
19 Idem de voluntate testatoris.
20 De novis reformationibus Statutorum Florentiae.
21 Exclusa sorore, censetur exclusae filii, & ulteriores.
22 Femina est agnata, & succedit in agnatis.
23 Quod quaedam subtilitates à ratione deviantes non debent attendi.
24 Statuta vocantia agnatos, sunt potius favorabilia.

D I S C. VIII.

Defuncto ab intestato Octavio de Castellis, cujus nimum pinguem haereditatem adivit Elisabetta ex germana sorore nepis; Petrus Franciscus agnatus sexto gradu aequali, utpote ab Antonio communi proavo descendens, ex dispositione Statuti Florentini, hanc successionem sibi potius debitam petiit; Introductaque causa coram ejusdem

dem Civitatis quodam Magistratu per M. Ducem deputato, eaq; pendente, ex parte dictæ Elisabethæ (ita causæ gravitate merito exigente) per universam Italiam alicujus nominis Scribentes consulti fuerunt, præsertim verò in Urbe expetitum fuit consilium quatuor Advocatorum, median- te eorum congressu, iuxta laudabilem stylium habito præviis discursibus qui in scriptis à singulis editi fuerunt, in hoc autem congressu scissa fuerunt vota; Duo etenim crederunt poriores esse partes dictæ Elisabethæ, dictamque statuta- riam dispositionem non obstat; Alter autem senior, ma- gisque Advocatus, & ego tunc omnium junior, in contra- rio fuimus voto, nimiam difficultatem contra eam habentes, Adhuc tamen agentes pro dicta Elisabetha, ex pruden- ti consilio petierunt, ut omnes pro ea singulariter ad causæ oportunitatem scribere deberemus, ne aliàs quorum absen- tio à scribendo, malam impressionem causæ præjudicialem produceret, cumque iusta esset petitio, deneganda non erat.

Duo igitur Responfa desuper à me data fuerunt; Unum pro veritate in forina discursiva pro congressu ut supra; Et alterum more Advocati ad causæ oportunitatem, ultra aliud Responsum pro eadem post decisam causam datum, quod fuit puncto non bene confecti inventarii, de quo sub tit. de hæred. & hæreditate disc. 17.

Quatenus igitur pertinet ad secundum Responsum ad causæ oportunitatem, postquam (ut ignaro vulgo, atque pragmatico mori satisfaceret) inanis chartarum repletio facta fuit cum allegationum cumulo, super notoria, & præ- supponenda conclusionem, quod attentata dispositione juris communis novissimi, per quod sublata sexus, ac agnationis, seu cognationis differentia sola gradus proximitas atten- denda est successio debita esset Elisabethæ in tertio non autem adori in quarto gradu existenti; Ut Statuti obstaculum removeretur, ad quod difficultas restringebatur, assumpsi quæstionem super hujusmodi Statutorum natura, seu quali- tate, an scilicet favorabilia, vel odiosa censenda sint, cum ex hoc pendeat eorum interpretatio; in ea stricta, & rigoro- sa, vel potius lata, & benigna esse debeat.

In hoc autem, DD. de more nimium variant, pluresque habentur opiniones relatæ per Soccin. jun. cons. 1. n. 46. lib. 1. & Rot. dec. 53. p. 3. recent. Prima scilicet, ut censenda sint favorabilia, vel saltem non odiosa odio irrationabili, ut- potè ordinata favore agnationis, quam sequitur Rota ex relatis per adden. ad Buratt. dec. 6. & 288. & dicta dec. 53. p. 3. Altera est de directo contraria, ut sint omnino odiosa, & exorbitantia, quam sequuntur plures relati per Rotam dict. dec. 53. p. 3. recent. n. 2. Tertia distinguens, ut cen- senda sint odiosa, quoad caput exclusivum ex relatis eadem dec. 53. nu. 3. Quarta demum distinguens inter masculos æquales gradu, & alios inæquales; Sive inter fœminas, qui- bus debita sit legitima, & aliis, quibus non sit debita, ut primo casu dicenda sint favorabilia, secus autem in altero cum exorbitans videatur, ut remotior, ac inæqualis, pro- ximiorum excludere debeat, ex deductis per Merlin. de primogen. lib. 3. c. 4. n. 15. cum seqq. Giovagnon. cons. 62. n. 12. lib. 1. & dicta dec. 53. n. 4. apud quos concordantes; Quinta distinguens inter fœminas agnatas, & non agnatas ut eadem dec. 53. nu. 5. Et sexta an Statutum exprimat, necne rationem agnationis ut eadem dec. 53. n. 6.

Secundam igitur, seu quartam opinionem distinguen- tem, dicendo veriorum, ac probabiliorum, ita inferebam, quod versaremur in Statuto omnino odioso, ac exorbitan- ti, ut adeo proxima neptis ex sorore, per nimium remotum, peneque extraneum transversalem excludi deberet; Atque hoc posito inferebam ad conclusionem, de qua plene Gio- vagnon. dicto cons. 66. lib. 1. Rot. dec. 68. n. 3. & 4. p. 6. rec. cum aliis infra in Fanen. disc. 15. quod scilicet hujusmodi Statuta intelligenda sint ad litteram, ac de personis, de qui- bus loquuntur in verbis, denegata extensione, etiam ex identitate, vel majoritate rationis; Ideoque dum loquitur de sorore morientis, extendendum non esset ad casum con- troversiam, in quo agebatur de nepte ex sorore jam defuncta.

Irem quod idem Statutum intelligendum esset de colla- teralibus lineæ inferioris, non autem superioris, ex duplici ponderatione; Primò quod Statutum in parte inclusiva agnatorum vocat eos, qui sint ejusdem cippi, qualis dicitur ille, qui sit communis excludenti, & exclusio utpotè ab utriusque patre, vel avo, ex his, quæ super hujus vocabuli si- gnificatione habentur sub tit. de fideic. præsertim disc. 3. ubi de subdistinctione familiaræ contentivæ in proximam, & re- motam; Et secundò ob magnam differentiam, quam lex con- stituit inter transversales lineæ superioris, & illos lineæ infe- rioris, istos magis diligendo, ac privilegiando in hac materia

successionis; Siquidem jus commune admittit nepotes ex fratre, quamvis tertio gradu distantes una cum parentibus, ac etiam cum germanis fratribus ad intestatam successio- nem, & tamen non admittit patruos, quamvis in eodem ter- tio gradu constituti sint, ex relatis per Cyriac. contr. 405. n. 34.

Neque vim argumenti tollere potest responsio, ut id pro- veniat ex beneficio repræsentationis, cuius ratione nepotes qui sunt in tertio gradu occupare dicuntur secundum eor- um patris, quoniam istud quoque beneficium denotat ma- jus privilegium; Ac etiam quia, etiam eo non intrante, ad- huc eadem prælatio conceditur, quoniam si moriente ali- quo ab intestato, nullius extantibus parentibus, vel germa- nis fratribus, unde propterea cesset hæc fictio, ob quam re- motior fiat proximior æqualis, adhuc ex magis communi, & recepta opinione, successio debetur solum nepoti, non autem patruo, iuxta opinionem quam tenent Bart. Bald. Nicol. de Ubald. Marta, & alii relati per Cyriacum dicta contr. 405. n. 34. & seq. & latius per Ursin. de feud. p. 2. q. 8. art. 1. n. 2. rejecta contraria opinione Salyceti, & aliorum, quos refert, & sequitur Mant. de tact. lib. 23. tit. 30. n. 45. & tit. 32. n. 17. & seq.

Atque ubi nulli supersunt fratres, sed solum nepotes ex pluribus fratribus prædefunctis, (quidquid antiquiores ac- cesserim certaverint, adeout ista fuerit una ex magis invo- luntis quæstionibus, quæ in jure habentur,) hodie forsitan ubi- que, præsertim verò in Rota, & Curia Romana, ac etiam in Tribunalibus Regni Neapolitani, receptum est, ut non in- traret fictio repræsentationis, sed omnes succedant in capita ex plene relatis per Theaur. dec. 162. Franc. dec. 24. n. 10. Prat. observ. 11. Buratt. & Adden. dec. 352. dec. 600. par. 5 recent. dec. 180. & 278. p. 6. & dec. 178. p. 7. recent. & sequit; Idq; Rota amplia vit quamvis adesset amita per Statutum exclusivum ut in Romana de Marescottiis 27. Februarii 1637. coram Buccabella, & 18. Junii 1646. coram Verolpio, & in aliis.

Et tamen si isto casu supersint parentes, adhuc isti nepo- tes ex fratribus cum parentibus admittuntur ad successio- nem iuxta magis communiter receptam opinionem, super qua Martin. in addit. ad Reverter. dec. 418. multos refert, atq; ita in fine refert decisum per S. Consilium, & tamen sine du- bio patris, vel avunculi non admittuntur ad successio- nem cum patre vel matre, etiam si sint ejusdem lateris, quamvis eadem sit gradus proximitas, ergo magna differentia est in- ter collaterales lineæ superioris, & illos lineæ inferioris.

Prout nullis extantibus germanis fratribus, unde propte- rea dicta fictio repræsentationis cesset; adhuc in patris, vel avunculis non intrat distinctio unicatitatis, vel duplicitatit vinculi, an scilicet ex uno, vel utroque latere conjuncti sint, cum istam differentiam lex consideraverit solum in fratri- bus, & fratrum filii, quamvis cesset necessitas repræsentationis ut supra, quia nempe supersint nepotes ex fratre utriusque, & nepotes ex altero fratre consanguineo iuxta casum, de quo in Romana hæreditatis de Spatis sub tit. de fi- deicom. disc. 57. quoniam ex magis communi, & recepta opinione potior est conditio nepotum ex fratre germano, cum quibus alii nepotes non concurrunt iuxta auctoritates relatas dicto disc. 57. de fideicom. n. 7.

In successione item feudorum Regni Neapolitani, quæ restricta est per illius Constitutiones ad tertium gradum, extra controversiam veniunt nepotes ex fratre, & tamen in patruo, qui eodem grada attinet; & sub quæstione, ut patet ex deductis per Ursin. de feud. dicta par. 2. q. 7. art. 1. Bilott. cons. feud. 23. Rovit. dec. 94. Et quamvis hodie ex moder- na gratia, successio extensa sit ad quartum gradum civilem, intelligitur tamen in linea inferiori, non autem superiori, ut in sua sede, cum similibus.

Et in ipsamet materia statutaria, exclusio fœminarum propter fratres iuxta sententiam Bart. in l. liberorum ff. de verbor. signific. canonizataam plene per Rotam in Romana suc- cessionis de Girona 23. Januarii 1574. coram Robustero, sus- fragatur etiam nepotibus ex fratre, quamvis id non sit extra aliquam dubitationem ex deductis infra in Viterbien. disc. 16. Sed extra quæstionem est, ut patruus non veniat ex de- ductis per Gabriel. de statutis concl. 7. & communiter. Idem- que habemus in materia consuetudinum Neapolis de qui- bus mentio habetur infra in Beneventana disc. 26. quod sci- licet data gradus inæqualiter inter masculos & fœminas, intrat conclusio solum favore masculorum lineæ inferio- ris, non autem superioris cum similibus.

Quamvis autem cum his, ac similibus floribus, aliisque generalibus propositionibus atque cum superflua copiosa allegationum congerie, ignaro vulgo grata, curassem, mo- re Consulentiū conductio jure scribentium, Respon- sum

FLORENTINA SUCCESSIONIS DE FRANCESCHIS PRO MARIA LUCRETIA, ET MARIA MAGDALENA CUM PHILIPPO FRATRE,

Responsum seu Discursus.

De Statuto Florentino exclusivum fœminarum propter masculos, ac continetur sola subiectione persona- rum, non curata illa bonorum, sive an utriusque Statuti combinationem admittat.

Et ubi successio complectatur bona in diversis Prin- cipatibus existentia, qualis dicitur hujusmodi succes- sionis forus competens, etiam respectu bonorum alibi existentium; Et incidenter de legibus, scriptis, vel non scriptis, quæ in Civitate, ac Regno Neapo- litano habeantur super fœminarum exclusionem, ab intestata successione.

S U M M A R I U M.

- 1 Fides scriptis.
- 2 De fructibus an veniant in iudicio petitionis hæredita- tis remissive.
- 3 Ad materiam tex. in l. hæres absens.
- 4 De foro absentis, cui dandus sit curator.
- 5 De foro rei sitæ, & an hæres conveniatur in loco imple- menti.
- 6 Ubi de successione sit quæstio, atque bona sint in pluribus Principatibus vel locis, qui sit forus magis compe- tens.
- 7 De eodem ut attendatur caput hæreditatis, & quomodo.
- 8 Paganus non habet duplex patrimonium neque hæ- reditatem.
- 9 Declaratur quomodo, & quando procedat, & de plu- ralitate successionum.
- 10 De frequentia Statutorum, & præxi dictæ conclusionis super diverso modo succedendi.
- 11 Fortius ubi sunt plures Principatus diversi.
- 12 An quilibet faciat confiscationem in suo.
- 13 Observantia est deferendum in interpretatione Statuto- rum.
- 14 De ratione ob quam non placeat opinio, exigens subiectio- nem bonorum.
- 15 Quid in hoc Statuto Florentino.
- 16 Præscriptio nunquam datur cum mala fide.
- 17 De legibus Civitatis, & Regni Neapolis super exclu- sione fœminarum.
- 18 Constitutiones, & pragmaticæ Regni dicuntur jus commune.
- 19 Dos ubi succedit loco legitime.
- 20 De consuetudine Neapolis super exclusionem fœminarum.

D I S C. IX.

Juxta seriem in hac eadem causa recensitam sub tit. de Hæred. & Hæred. disc. 9. Defunctis ab intestato in ci- vitate Florentina patria originaria, prius Francisco patre, deindeque Julio filio, superstitibus Philippo filio, ac fra- tre respectivè, ac Maria Lucretia, & Maria Magdalena filiabus, & respectivè fororibus; Cum Philippus, ad nor- mam Statuti Florentini fœminarum exclusivi, ne dum per fratres, sed etiam per ultiores agnatos ex deductis in alia Florentina disc. præced. hæreditaria bona in ipsa patria, ejusque ditione existentia, extra omnem controversiam obtinisset, pleraque verò alia ad eandem hæreditates per- tinentia existerent in Urbe, vel Statuto Ecclesiastico, ac etiam in Civitate seu Regno Neapolitano, nec non in Ci- vitate seu Dominio Veneto, eorumque possessionem, ac fructum de facto, tacita fororem existentia, obtinisset; Certiorque factus de pluries insinuata opinione, quam Ur- bis, ac etiam Neapolis Tribunalia retinent super copulati- vo concursu utriusq; subiectionis personarum, & bonorum, in hujusmodi Statuti exclusivis necessario, quodque pro- pterea respectu bonorum in his Principatibus existentium, ad limites Juris communis æqualis fororum conditio esset; Hinc proinde, cum præsupposito quod Rota Florentina, aliaque illius Civitatis Tribunalia diversam sequantur opi- nionem, ut sola personarum subiectione ad id sufficiat etiam

sum sive informationem exornare, adeout ob dictas simili- tudines, ea forte aliquem habuerit plausum.

Attamen reflectendo ad veritatem (liberè ut dictum est, tam oretenus in congressu, quam in scriptis in discursu in- sinuatam) ego contrarium credebam probabilius, unde propterea resolutio iuxta visa fuit ex vulgari regula textus in l. ille aut ille ff. de leg. quod scilicet in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta; Ac etiam ex propo- sitione desumpta ex textu in l. omnium ff. de leg. quod ubi lex est clara, non curantur absurda, & an ratio naturalis resistat, nec ne, cū ista sit præcipua legis prerogativa, ut quamvis dura, servari debet, nimium attendendo rationem etiam su- pra doctrinas, ubi agatur de interpretatione legis dubiæ.

Quod etiam habemus in materia fideicommissorum aliarumque ultimarum voluntatum, quod scilicet magnum reputatur absurdum argumentum pro conjectura seu in- terpretatione ambiguae voluntatis, ubi verò ea est clara, istud argumentum negligitur ut præsertim advertitur sub tit. de fideic. disc. 30. & in illius causæ decisionibus ibi re- latis cum similibus.

Cum igitur in novis reformationibus editis, tam ad ma- jorem declarationem antiqui Statuti, quam etiam respecti- ve pro extensione favoris agnatorum ulque ad octavum gradum S. & nulla mulier, vel ejus filii, & S. sequen. inci- pien. alii vero omnes, generaliter disponatur ut sorores per agnatos transversales intra sextum, & omnes alia fœminæ, alique per eas conjuncti excludantur per agnatos ulque ad octavum gradum, neque cum eis concurrunt præterende possint, quod clarius explicatum habetur in earumdem re- formationum publicatione, quæ materna lingua populo facta fuerat; Hinc proinde, (pro meo iudicio) contempribi- les remanent Juristarum subtilitates, atque, ut vulgo dicitur sturaturæ, quæ per scribentes pro hac parte, pro ingenio- rum varietate deducebantur, cum id in verbis claris deci- sum esset, non solum de fororibus, sed etiam de omnibus aliis mulieribus, ac descendentibus per eas.

Et nihilominus, ubi etiam id explicatum non esset, idem quomocumque dicendum veniret ex regula, quod in- secta primitiva, infecta dicitur derivativa, & conse- quenter quod exclusio fœminæ proximioris secum tra- hat exclusionem ejus filiorum, ac descendentium jux- ta magis communem, ac probabilem opinionem, de qua alii relatis apud Sard. cons. 85. Rota dec. 405. p. 5. rec. & habetur infra in Interamnen. disc. 14.

Prorsus enim improbabile, ac humano discursui contra- rium videtur, ut remoti agnati excludere deberent per ma- nam sororem, quæ non solum habet prerogativam majoris proximitatis primi gradus, sed etiam alteram agnationis, quoniam fœminæ licet non prorogent familiam, attamen donec vivunt, illam conservant; Ideoque cessante concursu masculorum, ex magis communi, & recepta sententia suc- cedunt etiam in fideicommissis, ac majoritatibus agnatiis, ut pluries habetur in sua materia sub tit. de fideic. & tamen, quod non debeat excludi fœminæ ex fœmina, quæ sunt gradu remotiores, & extraneæ à familia, & agnatione; Ideoque hujusmodi simplicitates à naturali ratione, ac humano dis- cursu adeo aberrantes, irrisione dignæ videntur; Multo ve- ro magis eadem irrisioni digni sunt, non quidem ipsi Con- sultentes, qui eas deducunt, utpote excusabiles, ut sibi com- missas partes, ingenium acuendo, explicent eo quo possunt modo, sed Judices qui Consulentiū auctoritate in cæca fide sequuntur, quoniam repugnantia est nimis clara; Potissimè quia, licet in quadam physica possibilitate dari possint collaterales lineæ inferioris usque ad octavum gra- dum, attamen ex magis communi, & frequentè contingen- tia id moraliter est impossibile; Ideoque dictæ ponderatio- nes de linea inferiori vel superiori percipientes gradus magis proximis, in quibus sint verificabiles, non videbantur ad rem adaptabiles in gradibus adeo remotis.

Clarius verò dum (pro meo pluries insinuato sensu) ex ratione ponderata præsertim in Perusina disc. 1. & in aliis, magis efficax argumentum, quod in ista statutaria materia favore fœminarum deduci soleat super hujusmodi Statuto- rum exorbitantia, & odibilibitate, corruit, nullamque habet probabilitatem, cum potius, nostri moribus attentis, con- trarium dicendum sit, adeoque sit potius favorabile, ut for- miter discusso articulo, relatisque omnibus opinionibus, ac singulis respondendo, firmatur dicta dec. 53. p. 3. recent. cum qua processum est in aliis relatis per Adden. ad Buratt. dicta dec. 6. & 228.

pro bonis extra territorium, multo verò magis ubi in bonorum loco eadem lex vigeret; In iudicio *l. diffamari* quod vulgo *jadationis*, & *jadationum* dicimus, eadem foreores super universæ successione iudicio etiam respectu bonorum in dictis aliis Principatibus existentium coram Iudice qui ibi *Quartariorum*, aliique dictæ patriæ Tribunalibus provocavit; Quare ex eorundem foreorem parte super quatuor consultus fui; Primò nempe super fori competentia, & an iustè petere possent remissionem causæ ad Tribunalia Principatum, in quibus respectivè bona posita sunt; Secundo in meritis negotii principalis, an scilicet dictum patrium Statutum afficiat respectu dictorum bonorum in diversis Principatibus existentium; Tertiò quid de fructibus hoc medio tempore à fratre perceptis, Et quartò, an eisdem ex aliquibus prudentialibus motivis huiusmodi liti prosecutionem negligens, obitare posset aliqua præscriptio; Itaque occasione requisitus fui de notitia legum Civitatis, ac Regni Neapolitani super fœminarum exclusione.

De tertio puncto fructuum habetur actum *dicto disc. 9. de hæred. & hæred. Quatenus verò pertinet ad primum super competentia fori; Cum aliqua Responso, quæ super hincindè data erant communicata essent, in quibus deducebatur universa fere materia competentia fori super facultate conveniendi hæredem, cum aliqua tamen confusione casuum, seu quæstionum, ut hodiernum stylus frequenter docet; Hinc proinde, ad veritatem eruendam, tollendaque æquivoca, cum quibus mihi videbatur quod procederet; Pro genio, & consuetudine advertebam ad plurimum casuum, seu quæstionum distinctionem.*

Primus enim casus est ubi agatur de terminis, ac materia *textus in l. hæres absens ff. de iudic. quia nempe quæstio non sit super hæreditate vel successione, sed creditor hæreditarius, vel alter qui aliquod jus habere pretendat in bonis alias, quam iure hæreditario, conveniat eum, quem non dubitatur esse hæredem, in foro defuncti, quamvis ipse alibi moretur, diversumque forum habeat juxta casum de quo *sub tit. de iurisdict. & foro competens. disc. 86.* ubi de materia; Id autem nimium extraneum erat à præsentis controversia, ideoque extrà propositum deducebantur auctoritates istum percutientes.*

Alter casus est ubi agatur contra debitorem absentem à Civitate, vel Provincia, seu Principatus, conveniendum in loco contractus destinatæ solutionis, sive habentem plures foros, an, & ubi conveniri debeat, sive ad quem Iudicem pertineat dare curatorem absentem ex deductis per *Virgil. de legit. personarum c. 14. nu. 30.* & alios relatos per *Amat. res. Jul. 33. n. 6. & seq. & per satum*, qui allegabatur, sed pariter id extra casum controversiæ, & consequenter doctrinæ erant extra propositum.

Quales erant quoque aliæ, cum magna congerie deductæ super tertio casu ad materiam *textus in l. fin. C. ubi in rem actio*, de qua post antiquiores *Barbof. in dicta l. hæres absens §. proinde num. 1. 5. & 16. Carleval. de iudic. tom. 1. disput. 2. n. 149. & seqq. Amat. dicta resolut. 33. n. 18. & seqq.* ubi scilicet agatur de foro rei sitæ, an sit competens etiam contra absentem, qui alibi forum originis, vel domicilii fortiaur; Arque de hoc tertio casu agitur *eodem tit. de iurisdict. & foro. compet. disc. 75.* ubi in specie de hærede originario, ac domiciliario Urbis, an conveniri possit in Civitate Senarum pro adimplemento voluntatis testatoris ibi faciendo; Omnia verò prædicta utpote extranea à casu quæstionis, inanem chartarum repletionem continebat, ut in die hanc miseriam experimur.

Casus igitur proprius, ac præcisus quæstionis erat, (de quo tamen minus agebatur, quàm de aliis,) ubi contentio sit de ipsa successione, vel hæreditate, quæ habeat bona in diversis locis, vel diversis provinciis, ubi scilicet ista tanquam individua tractari debeat, ne continentia causæ dividatur, ob unicum, ac individuum punctum successione directæ vel obliquæ, & quis sit forus, vel Iudex magis competens ad notata per *Bart. Dec. Curt. & alios in l. fin. Cod. de edict. div. Adr. de quibus Peregr. de fideic. art. 53. n. 1. & seq. Molina de primog. lib. 2. cap. 13. n. 73. Salgad. in labyr. par. 1. cap. 4. nu. 27.* cum aliis de quibus *eodem tit. de iurisdict. & foro. compet. disc. 74.*

Verùm pariter quæstio tractata per DD. ubi supra, non omninò percutiebat casum præcisum, cum ipsi contententes ità inter se, diversi fori supponantur, undè quilibet præterendat trahere causam ad forum suum, sive impugnat gesta in foro electo per æmulum in alio foro, quem oppositor dicat quoad se incompetentem; Et nihilominus etiam isto casu magis communiter concluditur, ac probabilius est, il-

lum dici dignorem, magnisque competentem forum, ubi (ut Hispani dicunt) est caput hæreditatis ex deductis *dicto disc. 86. de iurisdict. for. compet.*

Atque his stantibus, multo magis, ac extrà controversiam ponderabam pro ratione dubitandi, quod iste forus Florentinus quoad omnes videretur magis competens, non solum ob dictam rationem, quod ibi defunctus tanquam in patria originaria vixisset, ac obiisset, ibique adessent bona stabilia antiqua constituenta caput hæreditatis, (cum alia in diversis Principatibus sparsa, accidentaliter quæstia essent occasione industriæ, & negotiationis,) sed etiam quia omnes contententes; tam origine, quàm domicilio ejusdem fori, undè propterea casus remanere videbatur planus quod iste forus, potissimè præventus, declinari non posset, cum ità cessaret ea ratio dubitandi, quæ cadit quando contententes diversum respectivè forum fortiantur.

Posita verò dicta competentia nil obitare videbatur diversitas Principatum, in quibus bona hæreditaria sparsa erant, quoniam cum in pagano non detur pluralitas hæreditatum, ac patrimoniorum, quæ solum in militibus concessa est, ut habetur pluries deductum *sub tit. de hæred. & hæred. & in auctoritatibus de quibus proximè infra, hinc proinde in unica successione, vel hæreditate, diversis Iudice dandi non sunt, sed unus inter plures alios trahere debet, atque inter plures est magis competens ille, qui habeat circumstantias isto casu concurrentes.*

His tamen non obstantibus, contrarium dixi mihi probabilius videri, quoniam dicta regula exclusiva pluralitatis hæreditatum, vel patrimoniorum in pagano (quidquid sit ad alios effectus, & præsertim concursus creditorum, de quo in sua materia *sub tit. de credito,*) ad hunc effectum successione, rectè intrat, quando illa eodem jure communi, quod ubique pariformiter servetur, veniat regulanda, ut continebat sub antiquo Romano Imperio, quod non existente tanta Principatum, ac jurium municipalium diversitate, ubique una, & eadem erat lex; Secùs autem ubi etiam in eodem Principatu diversa vigeant Statuta, juxta quæ, attenta opinione, quam sequitur Rota, & Curia, quolibet Statutum operativum solum remanet in bonis intra proprium territorium existentibus, non autem extra, quoniam tunc moriens reputatur multiplex homo, atque tot dicuntur successiones, quot sunt loca, seu territoria, in quibus respectivè Statuta vigeant, ut cæteris plenè relatis habetur apud *Capyc. Latr. decis. 173. n. 49. apud Merlin. decis. 353. n. 35. & decis. 828. num. fin. apud Rojas decis. 157. n. 8. decis. 228. n. 38. cum seqq. p. 8. & decis. 131. num. 21. & seq. p. 9. rec. & in aliis, ex quibus patet, quod in eodem Statu Ecclesiastico, in quo potissimum nimium frequens est hic Statutorum usus, diversa est successio bonorum in uno, vel altero loco existentium; Quod etiam in dies praxis docet in Civitate Neapolis, quod alius est succedendi modus in bonis existentibus intra Civitatem, ejusque territorium; Alius verò in bonis existentibus intra Regnum, quoniam prima species regulatur juxta consuetudinem Civitatis, & altera juxta Constitutionem Regni ut infra, quod etiam frequenter contingit præsertim in Hetruria, ubi pariter fortè frequentius, quàm in reliquis Italiæ partibus quilibet etiam parvus locus habet propria Statuta.*

Multò agitur magis ubi agatur de Principatibus omninò diversis, ac independentibus quorum unus ab altero dependentiam non habet, adeout dici non possit quod sint diversa membra ejusdem corporis divisa operationem habentia, quoniam quilibet Principatus in se ipso reputatur integer Orbis stans de per se, sive integrum Imperium cum proprio Imperatore, cum eadem proportione, cum qua jus commune intra limites Romani Imperii disponit; Et consequenter multò magis unus, & idem reputatur multiplex homo, qui in uno Imperio possit esse servus, & in altero ingenuus, atque in uno capax, & altero incapax, ut pluries advertitur præsertim in *Romana conscriptione sub tit. de Regalibus in supplemento occasione agendi de quæstione, an sub conscriptione sequuta ex delicto in uno Principatu, cadant bona extantia in altero; Ideoque cum fingendæ veniant tot diversæ hæreditates, quot sunt patrimonialia in diversis territoriis, vel Principatibus existentia, cessat ratio connexionis, atque quilibet forus cognoscit de proprio patrimonio, undè contentio solum cadit inter plures Iudices, vel foros ejusdem Principatus, eo modo quo de jure communi inter plures Iudices ejusdem Imperii.*

Ea quoque consideratione accedente, quod cum Statutorum, ac jurium municipalium interpretatio nimium pendeat ab observantia, quæ dicitur omnium humanorum actuum,

ANCONITANA SUCCESSIONIS
PRO MARIA NEROTTA
CUM THOMASIIIS.

Casus disputatus coram A. C. postea concordatus.

De Statuto Anconitano excludente cognatos propter agnatos intrà quartum gradum, an suffragetur fœminis agnatis.

Et de activa, & passiva successione naturalium tantum, seu eorundem legitimatorum per rescriptum; an in istis intrent jura agnationis activè, & passivè.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**œlis sives.
- 2 Quando se gerere debeant Advocati.
- 3 Statutum non egreditur gradus expressos.
- 4 Quando Statutum debeat stricte, & quando largè interpretari.
- 5 An, & quando fœminæ dicantur agnatae in Statutis, vel fideicommissis.
- 6 Quod sub hoc Statuto non veniant, & de ratione.
- 7 De Statuto Asculano remissivè.
- 8 Quod generaliter masculinum non concipiat fœmininum.
- 9 Naturales tantum habent jus agnationis non autem agnationis.
- 10 Jus successione est reciprocum, seu vicissitudinarium.
- 11 Cum cognatis datur successio indefinita.
- 12 Procreati ex damnato coitu, neque habent jus agnationis.
- 13 Sed uxor eis succedit.
- 14 Quod in motivis adhibenda sit prudentia.
- 15 An procreati ex uxorato, & soluta, dicantur ex damnato coitu.
- 16 An legitimati habeant jura agnationis.
- 17 De distinctione inter bona ante, & post legitimatorem.
- 18 An legitimatio tribuat jus agnationis successione passiva, non pro activa.
- 19 De materia successione superiorum, & naturalium, seu legitimatorum remissivè.

D I S C. X.

AD intestatam successione Cyriaci Thomasi filii naturalis Nicolai, concurrebat, Joanna consobrina ex latere materno, & altera Joanna etiam consobrina ex latere paterno, cujus jura repræsentabant Franciscus, & Thomas de Thomasiis agnati sexto gradu attinentes, ipsique etiam ex propria persona ex Statuti Antonitani dispositione (successione præterdebant; Quare introducta causa coram A. C. inter dictos Thomasiis duplici titulo ut supra venientes, & Mariam defuncti uxorem, tam ex persona propria, quàm ex illa dictæ Joannæ consobrinae ex latere materno, plures desuper habitæ fuerunt disputationes, absque determinatione, ob subsequutam concordiam, quam dictæ Mariæ (pro qua scribebam) consului; Tum ob aliquam difficultatem in parte ut infra; Tum etiam, quia pauperi viduæ non expediebat cum viris potentibus litem in iudicio ordinario tractandam sustinere; Ad quod ex debito charitatis, cum prudentialibus motivis Advocati reflectere debet, non autem cogitando ad solum punctum juris in abstracto semper ignorando factum, sive ad portum turpe lucrum, mordicis litem sustinere, cum supplantatione clientium.

In disputationibus autem prædictis duo fuerunt puncti, sive inspectiones; Primò nempe regulando successione cum jure statutario; Et secundò quatenus Statutum non intraret, undè propterea procedendum esset cum dispositione juris communis, cui, & quomodo ista successio debita esset.

Quoad primum; Exclusio dictorum de Thomasiis erat plana, cum Statutum exclusivum cognatorum propter agnatos restrictum esset intrà quartum gradum, ultrà quem extrà omnem quæstionem est, ut illud non operetur, neque ejus extensio admittatur, undè propterea, tanquam extrà casum Statuti, perindè, ac si istud in rerum natura non existisset, subintrat jus commune, cujus dispositione, sed ordine attento, absolutum pariter est, ut in concursu dictarum mulierum existentium in quarto gradu, venire non possent dicti agnati existentes in sexto, dum hodiè atten-

13 actuum, ac etiam legum optima interpret ex generaliter deductis per Rotam *dec. 199. nu. 12. & 13. dec. 258. n. fin. p. 10. dec. 323. n. 13. p. 11. recent.* Et in specie hujus Statuti Florentini exclusivi fœminarum Monach. *dec. Florent. 46. n. 2. cum seqq.* Sive pendeat à moribus locorum, & populorum, omninò incongruit, ut alibi hæc interpretatio fieri debeat ubi ignota est observantia illius legis, ignotique sunt illius populi, vel loci mores.

14 Atque hinc magis me confirmo in proprio sensu (quamvis juxta hodiernum rerum statum præsertim in Urbe, & Statu Ecclesiastico, ac etiam in Regno Neapolitano minus receptum) ut locus defuncti ubi caput est hæreditatis, universam successione regulare deberet, quodque persona trahat omnia bona eo modo quo trahit mobilia, vel jura, & actiones juxta deducta *hoc eod. tit. disc. 19.* cum ità ex hujusmodi leguleicis distinctionibus, & subtilitatibus, ab humana ratione, humanoque discernu extraneis, magnæ refulent confusiones.

15 Et his stantibus non respondi ad secundum punctum, an scilicet Statutum Florentinum contentum sola subjectione personæ capiat omnia bona ubique existentia, quamvis extra ejus Ditionem, juxta testimonium Salycet. *in l. cunctos populos Cod. de Summa Trinit. nu. 14.* cujus autem contrarium, agendo de eodem Statuto, dicit *Thufc. lit. 5. concl. 658. nu. 26.* sed super eo me referendam ad versatos in regione, quibus in his materiis deferri debet.

Alter punctus præscriptio erat planus pro negativa ob veram malam fidem resultantem à lite, stante dispositione juris canonici *in cap. fin. de præscript. ubique etiam in laicibus principatibus, atque ut nostri dicere solent, etiam in tertis Imperii recepta, ut sub tit. de credito.*

17 Quo verò ad particulare quæsitum, quænam leges peculiares in Civitate, ac Regno Neapolitano vigerent in hac materia inestatae successione super exclusione fœminarum propter masculos; Respondi quod ubi hinc masculo non obstat objectum deficientis alterius subjectionis personæ, cujus requisitum quoque est magis necessarium in excludente, quamvis non in excluso, ut in aliis *hoc eod. tit. pluries advertitur, tunc quoque debita esse successio universalis, cum obligatione tamen dandi fororibus dotem; Distinguendo siquidem Regnum à Civitate; Quatenus pertinet ad Regnum, in quo usus non habetur particularium Statutorum, sed solum aliquis nimium rarus adest Consuetudinem, vivitur eodem jure Constitutionum, & Capitularum, & Pragmaticarum constituentium jus, quod ibi, & meritò, dicendum non est municipale, sed commune, ut præsertim advertit *Rovit. dec. 78. n. 5.* Istoque jure attento, stantibus masculis æqualis gradus, fœminas excluduntur per Constitutionem Regni, quæ incipit *In aliquibus;* Et quamvis illa in verbis loquatur de successione paterna; At tamen ex recepta Sapientium Regni interpretatione, capit etiam maternam, non autem fraternam ex deductis apud *Franch. dec. 171. Fab. de Ann. cons. 45. & communiter;* Debent tamen fœminæ dotari de paragio, quod succedit loco legitimæ, quæ per dictam Constitutionem sublata non est, ideoque dos etiam ante matrimonium, & quatenus istud neque sequatur, mortuo parente, non potest esse minus legitima, eaque transmittitur, atque producit fructus sicut legitima ex deductis in sua materia *sub tit. de dote, & etiam sub altero de legitim. & detraçt. & insinuat quoque sub tit. de feud. disc. 108.* ubi de paragio debito in bonis feudilibus.*

18 In Civitate autem adfunt Consuetudines in scripturam redactæ cum diversitate, de qua *hoc eod. tit. in Beneventana disc. 26. & sub tit. de dote disc. 103.* eandem continentem exclusionem imò latiore, nam etiam excludunt à successione fraternam; Remanente quæstione, an dotatio requiratur ex qualibet hæreditate, vel successione ut requiritur attenta dicta Constitutione Regni; Vel sufficiat unica, super quo variæ habentur opiniones, quoniam negativam, ut unica non sufficiat, sustinet *Ann. allegat. 70. 81. & 117. Affirmativam autem esse magis communem, & receptam patet ex deductis per Franch. & Aden. dec. 87. Molfes. ad consuet. p. 4. q. 2. n. 16. Hodiern. consuet. 24. in princ. & alios.*

ro jure novissimo, sublata sexus, ac agnationis antiqua prerogativa, illa gradus tantum attenditur.

Et quamvis in meo pluribus insinuatō sensu, qui in regionis moribus fundatur hujusmodi Statuta potius nostro juri Romanorum conformia, quam correctoria sint, ideoque favorabilia censenda veniant; Nihilominus id recte procedit pro benigna eorum interpretatione, & ne admittantur ille merè leguleici irrationabiles rigores, de quibus infra *disc. 15.* cum similibus, non tamen, ut extendi possunt ultra gradus, intra quos statuentes fuit agere voluerunt, quoniam aliud est interpretari, vel agere de comprehensione casus minus dubitabilis, Et aliud est extendere ultra casus, & gradus expressos; Idque ubi etiam ageretur de successione personæ verè legitime, & naturali, quæ jus agnationis habeat, multo magis dum agebatur de naturali, & legitimo per scripturam, in quo dictum jus agnationis, vel non intrat, vel est ambiguum ut infra casus erat planus.

Hinc proinde Scribentes pro eisdem (cedendo præsentioni ex persona propria,) eam restringebat ad illam Joannæ agnatæ, intra quartum gradum existentis, ideoque ad formam Statuti excludentis dictam alteram Joannam cognatam; Non obstante quod esset fœmina, quoniam transcribendo penè ad litteram (juxta modernam ineptiam) deducta per Rotam in *Romana supplementi legitime 22. Junii 1643. coram Cerro impressæ dec. 491. p. 9. rec. dicebant*, quod etiam fœminæ de familia dicuntur agnatæ, in quibus verificetur dispositio statutaria, ex firmatis in dicta decisione occasione Statuti Urbis 141.

Et quamvis notæ essent decisiones posteriores revocatorie coram eodem Cerro impressæ eadem p. 9. rec. dec. 267. & 287. in quibus firmatur, ut dictum Statutum intelligendum sit de masculis, non autem de fœminis; Attamen præveniendorepōsitionem, replicabant, casum esse diversum, cum ibi contentio esset inter duas germanas sorores, in quarum utraque eadem agnatio qualitas concurrebat, & consequenter cessante ratione successivæ conservationis, quæ non intrat nisi in sexu masculino, admittebant quod probabiliter à dicta priori resolutione fuisset recessum; Secus autem in hac facti specie, in qua agebatur de excludendo cognatam, ideoque sufficere debeat, ut verificaretur casus Statuti etiam attenda littera; Cum pariter extra controversiam hodiè receptum sit, ut subsidiarè, atque cessante concursu masculorum de agnatione, fœminæ dicantur agnatæ succedentes in fideicommissis, & primogenituris, quamvis agnatis, & his, quæ cæteris relatis habentur apud Duno. *dec. 853. dec. 133. p. 9. rec. decis. 40. post Censal. ad Peregr. & pluribus in sua materia sub titulo de fideicommissis.*

His tamen non obstantibus (etiam cum sensu veritatis, qualem ab initio quoque Juxta agnovit, & declaravit,) contrarium dicebam verius, quamvis ageretur de successione verè legitime, & naturalis adeo non intraret difficultas, de qua infra super jure agnationis, multo magis ea urgente; Siquidem absque necessitate alicujus ratiocinii super generalibus, dicebam quod idem Statutum in specie decidit quæstionem, ut sub nomine agnatorum, fœminæ quamvis agnatæ non veniant, dum postquam vocavit patruos, eorumque filios, vocantur amice, quæ sunt agnatæ, atque filii patruorum absque dubio proximiores, dum tertium illæ occupant gradum, confobrini autem quartum, ut in proposito arguunt Alex. *conf. 45. n. 8. lib. 7. Soccin. jun. conf. 23. n. 55. lib. 1. & alii relati per Rub. tom. 2. sing. fol. 35. occasione agendi de Statuto Asculano.*

Verum ubi, (ista particulari circumstantia cessante,) agendum esset de generica dispositione Statuti intra certum gradum excludentis cognatos propter agnatos; Adhuc omnino verius esse dicebam, ut id intelligendum esset favore masculorum, per quos agnatio conservatur, quoniam in hac statutaria materia, in qua non intrat illa præsumpta morientis voluntas, ob quam ex benigna interpretatione, in ultimis voluntatibus masculinum concipit fœmininum, ista conceptio admittenda non est, tanquam ex cessante voluntate statuentium fundata in ratione conservationis agnationis ex auctoritatibus relatis in *dictis decis. 267. & 383. p. 9. rec.* Ideoque potius intrat conclusio opposita, quam habemus in contractibus correlative strictè intelligendis, ut masculinum non concipiat fœmininum ex deductis sub *tit. de emphy. disc. 15. & in annotationibus ad eundem in supplemento*, ac admittitur in sua materia sub *tit. de fideicommissis*; Declarando tamen istam conclusionem ut procedat, ubi agatur de contractu oneroso, & correlative

strictè intelligendo, secus autem, ubi ageretur de simplici voluntario fideicommissio, quod non expectato casu mortis, per actum inter vivos ordinatū esset ex ibi deductis.

Et fortius quia potissima ratio, ob quam in dicto meo pluribus insinuatō sensu, hujusmodi Statuta favorabilia censenda sint, atque late, & benignè interpretanda, consistit in eo, quod ita restituant illud jus, quo Romanum Imperium regebatur, quando in Italia sedem habebat, & cum quo in ista regione ob leges Longobardorum, ac alias vivi continuatum fuit, imitando etiam in hoc legem Sacre scripturæ Testamenti veteris, & consequenter ad dicti antiqui juris limites favore agnationis junctæ cum sexu; Undè propterea dicta ratione cessante, de plano intrat ea propositio, quæ generaliter apud pragmaticos magis recepta est, ut in hujusmodi Statutis, stricta, & rigorosa interpretatio facienda sit, ideoque incongrui remanent dicti termini ultimorum voluntatum.

His autem sic stantibus, atque per Judicem in ipsa prima disputatione sine dubio admissis, restricta fuit difficultas ad ordinem succedendi juxta dispositionem juris communis; Ista verò attenda, ubi de successione legitimi, & naturalis ageretur, tunc planum erat quod utriusque confobriniæ æqualis esse deberet concursus ob gradus æqualitatem, non curata diversitate lateris, utpotè hodiè jam sublata; Verum scribens pro Maria habente jura Joannæ cognatæ, dicebam quod huic tantum successio debita esset non autem alteri Joannæ conjunctæ ex latere paterno, ex regula quod naturales tantum, habent solum jura agnationis, non autem agnationis, ideoque sicuti naturales non concurrunt in successione agnatorum, ita neque isti in eorum successione concurrere debent ratione juris vicissitudinarii ad textum in *l. si spuris ff. unde cognati §. vulgo questus Insti. de success. cognat. DD. communiter plenè congesti per Matheslan. de success. ab intest. membr. 2. artic. primo in princ. Paleot. de nob. & spur. c. 39. nu. 4. Peregr. de jur. fisci lib. 3. tit. 16. n. 26. Lup. de illegit. commentar. 1. §. 2. nu. 4. & cæteri collecti per Lucidor. in tract. de illegit. c. 13. n. 5. ubi dicit hanc regulam certissimam; Quodque jus successione sit vicissitudinarium, ut cui non succedimus, neque ille nobis succedat, & contra Covarr. *de success. ab intest. post n. 13. vers. decimatercia conclusio*, Peregr. de jur. fisci lib. 3. tit. 18. n. 29. Surd. *dec. 293. n. 1. cum seqq. Burfat. dec. 520. n. 1. & 7. ubi concordantes.**

Pro ista difficultate evitanda Scribentes in contrarium dicebant; primò quod littera supra allegatorum jurium tollentium in naturalibus tantum jus agnationis, procedit in matre, & fratribus tantum, ideoque id trahendum non est ad ulteriores, de quibus lex non loquitur, ut motivare videtur Capra *conf. 1. n. 21.* ideoque post mortem, & fratres; Vel quod tanquam in casu omisso, omnium æque conjunctorum æqualis esset conditio; Vel quod potius nulli succederent; Verum hæc responsio frivola erat, quoniam verius est, ut cognatorum indefinita sit successio cum naturalibus per Matheslan *ubi supra n. 10. Paleot. dicto c. 39. num. 4. Peregr. de jur. fisci dicto lib. 3. tit. 18. num. 25. & de fideicom. art. 22. nu. 85. Lup. de illegit. commentar. 1. §. 2. num. 14.*

Replicabant tamen ut id procederet in naturalibus tantum, vel etiam in spuris simplicibus, non autem in illis, quæ ex damnato coitu procreati sunt, quoniam isti neque jura agnationis habent, ut ex professo probant Capr. *conf. 108. n. 105. & seqq. & conf. 136. n. 19. Cepoll. conf. civil. 1. num. 6. lib. 1.* ac admittitur alii proximè supra allegati, & in his terminis versari dicebant, dum agebatur de adulterino utpotè procreato per virum uxoratum, quamvis ex muliere soluta.

Motivum, ubi etiam esset verum, non tamen suffragatur Patri, pro qua deducebatur, sed potius ei nocet, atque confirmabat intentionem hujus Patris, quoniam tali casu, sublatis tam agnatis, quam cognatis, prima successione causa fuisset ipsius uxoris juxta doctrinam Bald. in *l. si qua illustris C. ad Orficiannus n. 6. Lup. de illegit. commentar. 1. §. 2. n. 15. & 17.* Ideoque id arguebat iudicii imbecillitatem; Idque in his, qui magis ingeniosi sunt, vel conclusionum, ac doctrinarum copiam præstentur, frequentius contingit quoniam ut ingenii, vel doctrinarum ostentationem faciant, non reflectunt, an expedit, necne motivum deducere; Ideoque in Advocatis potissima pars est illa iudicii, eligendo motiva, quæ expedit, non autem totum id, quod in mentem venit.

Et nihilominus, neque de jure motivum subsistebat, quoniam licet apud DD. non levis quæstio sit, an procreatus ex

tus ex conjugato, & soluta, adeo obset solum macula adulterii ex parte viri, dicendus veniat ex damnato coitu, ut patet ex plenè relatis per Peregr. *de jur. fisci lib. 3. tit. 18. n. 35. & seq.* ubi varias adhibet distinctiones, & conciliationes; Nihilominus quia de consuetudine violatio thori maritalis per accidentalem concubitus cum fœmina soluta, ubi non accedat qualitas concubitus, non est punibilis, hinc proinde filii ita procreati dicendi non sunt ex damnato coitu, adeo jure agnationis, quoque privati remaneant ut Paleot. *dicto tract. de illegit. c. 42. Lup. dicto commentar. 1. §. 50. n. 152.* ubi procedit cum dicta distinctione inter formalem concubitus, & accidentalem seu casualem concubitus, idque in praxi, & communi usu receptum videtur.

Major autem difficultas pro æquali concursu dictæ fœminæ agnatæ, resultare videbatur ex legitimatione, per quam natalium macula abluta erat, dum ita cum ordine legitimum procedendum videtur ex regula, quod legitimitati pro legitimo habendi veniunt; Verum dicebam quod difficultas esset considerabilis, quando præsupposita sufficienti probatione filiationis quoad patrem, legitimitati fuisset pura, & plenaria, secus autem ubi (ut in præsententi) ad normam Constitutio Pii IV. qualificata per clausulam sine præjudicio venientium ab intestato; Quamvis enim ex veriori, magisque recepta sententia, ista non sit simplex dispensatio, ut alia opinio credit, sed vera legitimitas ex plenè firmatis per Rotam *disc. 35. part. 8. recent.* quæ reputatur in materia magistralis læpibus canonizata, ut advertitur in *Novation. discurs. 28. & pluries sub tit. de testament. & de fideicom.* Attamen habet hanc restrictionem seu qualificationem, intra cujus limites operativa est quoties agatur de successione ab intestato, secus autem de testamentaria ex deductis *dicta dec. 35. part. 8. & apud Rojas dec. 316.* cum aliis de quibus locis proximè citatis, & consequenter legitimitas non obstat Joannæ cognatæ, cui eadem legitimatione seclusa, integra successio debita esset.

Motivabat Juxta, an id procedere solum deberet in bonis quæstis ante legitimationem, in quibus cognatis ab intestato venientibus aliquid jus in spe quæstum dici posset, secus autem in obventis post legitimationem; Sed quamvis cum diligentibus tunc per Scribentes hinc inde adhibitis, non reperti essent DD. ad hanc reflexionem descendentes, undè propterea punctus visus est novus, attamen non videbatur intrare, cum hæc distinctio inter bona provenientia ante, vel post legitimationem, de qua apud Lup. *d. comment. 1. §. 2. n. 17.* percutiat solum bona obventa à patre pro excludione uxoris, ac etiam ad effectum successione testamentarie, attamen dicebam, quod in proposito distinctio non intraret, dum ob dictam clausulam indefinitè adjectam in hac parte exceptuata, legitimitas habetur pro non extante, perinde ac si concessa non esset.

Dicta etenim distinctio inter bona, quæ ante vel post legitimationem delata sunt, de qua Lup. *comment. 3. §. 1. nu. 58.* non percutit ea bona, quæ per ipsum naturalem legitimum quæstis sunt, atque remanserit in hæreditate, super qua sit controversia, sed percutit ea bona, quæ ex parentum, vel conjunctorum successione obveniunt, ubi naturalis tantum per puram, & amplam legitimationem etiam in præjudicium venientium ab intestato fuerit legitimitas, ut scilicet hæc habitatio non habeat oculos retrò, neque suffragatur pro successione jam apertis, & delatis ante legitimationem ob jus tertio quæstum, cui in dubio non censetur quod Princeps derogare voluerit, nisi dicatur, juxta distinctiones de quibus præsertim *disc. 148. sub tit. de Regalibus* ad materiam potestatis tollendi jus tertii, & alibi, ideoque motivum non intrabat.

Ponderabam ego potuisse motivari ex parte dictæ agnatæ, quamvis motivatum non esset, ut dicta clausula præservativa jurium venientium ab intestato rectè procederet in successione activa ipsius legitimitati, non autem in passiva; & sic quod ipse legitimatus in præjudicium legitimum, parenti, & aliis non succederet, non autem è converso, quoniam quoad ipsum legitimitas habetur, ac si esset pura, ut advertunt Angel. *conf. 250. nu. 8. Alciat. conf. 14. lib. 9. Honded. eum referens dicto conf. 83. n. 46. lib. 2. Martin. Laud. de legitimat. uu. 106. inter tract. magn. tom. 8. par. 2. fol. 95. Carpan. ad statut. Mediol. tom. 1. c. 456. nu. 131. & seq. Paschal. de patr. potest. p. 2. cap. 4. n. 262. in fin.* Idque ex pluribus rationibus confirmari videtur; Primò nempe ut inducta ad favorem retorqueri non debeant in obdium; Secundò ut adjectio hujus clausulæ proveniens

Card. de Luca Lib. XI.

ex dicta Constitutione Pii V. regulatur à Regula Cancellariæ respiciente dictum effectum; Et tertio melius ex voluntate ipsiusmet naturalis, qui curavit legitimationem obtinere, sive eadem ab alio obtenta usus est, dum ita voluit de ea agnatione se facere, atque agnatos etiam ad successione admittere; E converso autem obstat dicta regula vicissitudinis & inæqualitatis, quoniam justum non est ut nobis succedant illis, quibus nos non succedimus; Adhuc tamen ista difficultas tolli videbatur ex quadam speciali natura hujus successione illegitimorum, in quibus ista clausulatio, seu inæqualitas dignoscitur in parentibus, & sic quod ista non esset successio jure quasi contractus reciproci, & correlative, sed esset potius jure solius voluntatis ipsius naturalis jure eujusdam impliciti testamenti à lege subintellecti, quod faciendo legem legitimum, voluerit agnoscere agnatos in suos successores, quamvis è converso ipsi eum non agnoscerent; Non tamen desuper maturum iudicium efformari potuit, cum formalis dispositio desuper habita non fuerit; Verum hæc difficultas ultra alias considerationes prudentiales me impulit ad consulendum, & facilitandum concordiam.

De aliis autem ad bastardorum successione, vel capacitate succedendi pertinentibus haberetur actum sub *tit. de 17 testam. disc. 52. & seq. & disc. 74.* ubi etiam de legitimatis, & sub *tit. de fideicommissis disc. 67. & 69.*

MASSANEN. SUCCESSIONIS I N T E R

LAURENTIUM, ET NICOLAUM DE ZORA-

Responsum pro veritate.

De Statuto Plumbini excludente fœminas propter masculos, an procedat in bonis in defunctum obventis à matre, in exclusionem sororis utrinque conjunctæ, si masculus sit consanguineus tantum.

Et de successione morientis in captivitate, an in ea attendi debeat tempus mortis naturalis, vel potius illud captivitatis, juxta fictionem *l. Cornelia.*

S U M M A R I U M.

- 1 *F*acti series.
- 2 *A*n statutum excludens sorores propter fratres procedat in bonis obventibus à matre.
- 3 *D*e successione parentum, & an detur distinctio bonorum obventium ab utroque latere.
- 4 *Q*uod causa immediata attendatur, dantur exempla.
- 5 *Q*uomodo dicenda sit questio de qua n. 2.
- 6 *Q*uod statuta aliorum locorum attendi debeant pro interpretatione.
- 7 & 8 *D*e fisione *l. Cornelia*, ut moriens apud hostes censetur mortuus præambula hora captivitatis.
- 9 *D*e dispositione *l. fœminæ*, ut procedat etiam in patre

D I S C. XI.

Vivente Pasqualino patre, Jacobus in Turcarum servitutem redactus est, eoque ob mortem patris interim sequens, in dicto statu naturaliter defuncto; Stante Statuto Plumbini excludente fœminas propter masculos, nedum à parentum, sed etiam à fratrum successione; Hinc orta est controversia inter defuncti fratrem consanguineum ex secunda uxore susceptum, ac sororem utrinque conjunctam super ejus successione in ejusdem Jacobi bonis maternis, quæ liti causam dabat (cum paterna, vel aliunde quæstis non adesset); Quare desuper per naturamque partem concorditer meo voto pro veritate expetito.

Ad favorem sororis utrinque conjunctæ, in exclusionem fratris consanguinei ex secunda uxore suscepti, probabilius respondendum esse censui, quoniam Statutum non explicat, an fratres ex uno tantum latere conjuncti excludant, nec ne sorores quamvis germanas, & ex utroque latere, ut faciunt Statutum 146. Urbis, & alia consimilia, & quo casu intrat quæstio de qua præsertim apud Rojas *dec. 399. & 413.* ubi refert opiniones hinc inde super æquitate ponderata per Castren. in *Authentica itaque moriens sub n. 2. C. communia de success. de qua Gabr. conf. 6. lib. 1. nu. 5. & seqq.* & alii relati in dictis decisionibus; coram Rojas; Ex quibus patet fortè magis communiem, ac veram esse in contrarium, quam tenent alii ibidem deducti, ex ea probabilis ratione, quod in materia successione non attenditur causa, seu persona mediata, sed immediata, ut præsertim habemus in celebri quæstione, an inter patrem, & matrem filio

succedentes facienda veniat ista separatio bonorum, spectata origine, quod scilicet pater succedat in iis, quæ obveniunt ex ejus latere, & mater è converso in illis lateris proprii juxta opinionem Bart. quam plures sequuntur relati per Thefaur. *dec. 27.* quoniam contraria opinio magis communis, ac verior reputatur, atque præsertim in Rota, & Curia recepta est juxta plene firmata per Rotam apud Merl. *dec. 126.* & 218. quatum prima, quæ in materia reputatur magis generalis, plene reasumunt addent. ad Buratt. *dec. 433.* quidquid parum maturè innuat de Marin. *resol. 162. lib. 1. in fine.* Ac etiam ut infra habetur ad materiam textus in *l. fœminæ* cum concordant. & *sub tit. de renunc.* in proposito renunciationis factæ bonis paternis, seu maternis, ut non excludat renunciantem à fraterna successione, quamvis ejus bona à dictis parentibus obvenierint, quoniam non dicuntur amplius paterna, sed fraterna, cum similibus.

Atamen quidquid sit de dicto articulo, super quo adhuc occasio non dedit formalem in foro habere disputationem, ideoque omnino maturum judicium pro veritate efformari non potuit, potissimè quia pro meo sensu verius videtur istam esse questionem interpretationis voluntatis statuentium, ideoque potius facti, quàm juris pro singulorum Statutorum tenore, vel interpretativa observantia decidendam.

Advertebatur quod juxta ponderationes, de quibus in proposito Statuti Bononien. habetur *decis. 167. & 206. p. 5. rec.* quæ sunt eadem apud Merlin. *dec. 564. & 581.* quod dicta æquitativa consideratio Castrens. & sequacium, rectè intrat, atque recipienda est pro hujusmodi Statutorum interpretatione, quando ad hanc speciem non descendatur, quia nempe simpliciter Statutum disponat ut in successione fratris, frater superstes excludat sororem, ut passivam interpretationem recipiat à jure communi, & consequenter intelligendum veniat data æqualitate vinculorum eodem modo, quo regulariter hujusmodi Statuta intelligenda veniunt, data æqualitate gradus, non autem quod conjunctus ex latere paterno tantum excludat germanam sororem, in iis, quæ à matre obveniunt, quoniam nimis asperum, atque ab humana ratione alienum videtur, ut filius secundi matrimonii qui primæ uxori exosus est, in istius bonis, excludere debeat filiam ex ea superstitem; Ideoque consideratio causæ mediatæ rectè intrat pro interpretatione, quando Statutum simpliciter disponat, ad hanc speciem non descendendo; Potissimè quia istam æquitatem agnoscunt aliqua Statuta ad dictam speciem descendente ut præsertim patet ex dicto Statuto 146. Urbis, quoniam licet fratrem consanguineum tantum præferat etiam germanis sororibus utriusque conjunctis; Atamen excipit bona obvenientia à matre, vel ejus latere; Ideoque licet istud Statutum in auctoritativa legatis attendendum non veniat, nisi in suo territorio; Atamen etiam alibi considerabile est pro interpretatione tanquam doctrina magistralis, ut de quadam consuetudine Neapolitana advertitur *sub tit. de legatis & demerit. disc. 3.* & alibi pluries, ex ibi insinuata conclusione de legibus aliorum locorum pro interpretatione casus dubij attendendis.

Motivabatur ex parte fratris consanguinei, quod in omnem eventum, sibi medietas bonorum maternorum debita esset tanquam jam effecta de bonis, ac patrimonio Pasqualini patris, à cuius hereditate, & successione non dubitabatur quod ipse tanquam masculis sororem excluderet, dum respectu ejusdem parentis ista discretio non intrat, eo quia ob fictionem *l. Corneliæ*, dictus Jacobus, qui naturaliter post patrem obierat, sorgebatur mortuus præambula hora captivitatis ex claris juribus, de quibus *sub titulo de benef. disc. 16.* occasione agendi an beneficii vocatio ad effectum reservationis ratione mensis, regulanda sit ex tempore mortis naturalis; Licet enim ibi probabilis firmetur, ut id non procedat in beneficiis, ac spiritualibus, utpotè nullam juris civilis subjectionem patientibus; Secus tamen est in materia successione in qua cum jure civili proceditur, Ideoque cum attento eo tempore, pater superesset una cum dicta sorore utriusque conjuncta, juris communis dispositione attendenda, æqualis fuit eorum successio; Verum absque necessitate subtilis examinandi hunc punctum, & an dicta fictio *l. Corneliæ* operativa sit, ubi extrema non sint habilia, quibus cessantibus retroractio regulariter non intrat, (quod pariter in specie practicè, ac in foro disputare adhuc occasio non dedit;) Cessabat omnis difficultas ex dispositione textus in *l. fœminæ Cod. de secund. nupt.* quod scilicet dum pater erat binubus, posita etiam ejus æquali successione, adhuc istam portio-

nem reservare tenebatur ad favorem dictæ unicæ filiae ex primo matrimonio superstitis, dum hodiè extrà controversiam, præsertim in Rota, & Curia frequentius, ac etiam in aliis Tribunalibus recepta est opinio, ut dispositio dicti text. in *l. fœminæ*, & concordantium, quamvis matrem binubus in verbis percipiat, attamen locum quoque habeat in patre, in quo tamen quandoque aliqua major excusationis ratio dari solet de facili in matre admittenda, ut infra pluries ad hanc materiam secundarum nuptiarum advertitur.

RE ATINA SUCCESSIONIS PRO CHRISTOPHORO, ET ALIIS DE LEONIS.

CUM LVDOVICO, ET ALIIS DE TOSTIS.

Casus variè decisus per Rotam.

De Statuto Reatino vocante proximiores consanguineos, an intelligendum sit solum de agnatis, qui sub hoc vocabulo veniant; Et quatenus sic, quid de bonis obvenientibus à matre, vel à latere materno.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **R**esolutiones causæ.
- 3 **D**e verbo consanguineos cui conveniat, & de duplici significatione.
- 4 **Q**uod regula est, ut conveniat solum agnatis in sensu civili.
- 5 **I**n materia successione attendendum est jus civile.
- 6 **D**efertur usus loquendi, & quod istud Statutum utatur hoc verbo in sensu canonico, seu naturali.
- 7 **D**e distinctione patrimoniorum utriusque lateris paterni, & materni.
- 8 **D**e alio casu controversiæ.
- 9 **D**e casu mixto ob existentiam matris, vel avi.
- 10 **T**ransversales præter fratres, & fratrum filios, non concurrunt cum ascendentibus.

D I S C. XII.

O mortem Hieronymi de Tostis ab intestato, orta est controversia inter illos de Leonis avunculos, & illos de Tostis consobrinos, super successione, stante Statuto Reatino *lib. 2. de successione ab intestato. Rubr. 19.* vocante consanguineos, sub quorum nomine prætendebant agnati; quamvis uno gradu remotiores, quod ipsi solum venirent, ideoque ita cessaret ordo juris communis, quo attentio non dubitabatur de potioritate avunculorum; Introducitur causa in Rota *coram Celfo sub die 15. Februarii 1658.* pro agnatis prodit resolutio, postmodum revocata *sub diebus 21. Junii & 10. Decembris 1660. coram eodem*, in quibus pro avunculis responsum fuit ut pater inter *decisiones Celfi. dec. 248. 327. & 336.* incertumque est an causa ulteriorem progressum habuerit, cum ego in ea solum scripserim post aditam primam resolutionem super illius impugnatione tanquam aliis defensoribus adjunctus juxta frequentem stylum.

Disputationis igitur punctus erat super significatione dicti vocabuli *consanguineos*; an accipiendum esset in civili, & propria significatione pro solis agnatis juxta opinionem Baldi *consil. 269. n. 2. lib. 2.* de qua apud Peguer. *de fideicommissis. art. 22. n. 35.* Marta *de success. p. 2. art. 6. n. 25. & seqq.* Fusar. *q. 364. n. 7. & cons. 49. in princ. & sub tit. de præeminent. disc. 13.* Et in terminis Statuti Rot. *dec. 349. p. 6. & dec. 102. p. 7. rec.* Vel potius recipiendum esset in sensu canonico, & naturali, significante omnes conjunctos, juxta opinionem Bart. in *l. cum quidam ff. de acquir. hered. cum concordantibus* apud Buratt. & Add. *dec. 750. Rota dec. 76. n. 3. p. 1. dross.* *dec. 616. n. 1. & seqq. p. 4. rec.* cum aliis pro utraque opinione insinuatis in hujus causæ decisionibus, & dicto *disc. 13. de præeminent.*

Quando Statutum; ita simpliciter consanguineos ad intestatam successione vocaret, absque circumstantiis, quæ limitationem inducerent, adeo ut ageretur de statuendo regulam generalem, ac in abstracto, tunc ego admittebam quod regula esset in sensu civili juxta opinionem Baldi, quodque propterea prima resolutio jam edita probabilis esset, ut etiam admittitur dicto titulo de præeminent. *disc. 13. & sub tit. de fideicommissis. disc. 34.*

Potissimum verò ubi agitur de interpretandis hujusmodi Sta-

di Statutis, ex triplici ratione; Primò nempe quod in materia successione receptum est ut procedi debet cum dispositione juris civilis, quoties de contraria statuentium voluntate non constet, ut occasione computationis gradum advertitur infra in *Firmana successione disc. 17.* Secundò quod ita Statutum inane, ac fatuum remaneret, si aliquam juris communis alterationem non induceret; Et terciò fortius, quoniam, ex pluries insinuatis, hujusmodi Statuta in Italia prodierunt favore agnationis, atque ad conservandum regionis mores, cum quibus etiam sub Romano Imperio, quando in Italia sedem habebat, ac etiam postea sub Longobardis, & aliis ita vivebatur; Nimium hujusmodi mores comprobante adeo frequenti agnationis fideicommissorum usu, ut etiam advertit Rota *decis. 53. par. 3. recent.* quæ videtur in hac materia magistralis super puncto, quod hujusmodi Statuta potius favorabilia, quàm odiosa censenda sint.

Verum in hac facti specie, contrarium probabilis mihi videri respondi, post editam primam decisionem, quam in hac parte parum probabilem credidi, ideoque probabiliores vias sunt posteriores resolutiones; Tum ob præsuppositum, ac etiam in facto postea justificatum loquendi usum particularem loci, quem non dubitatur attendi debere, ac prævalere usui generali, juxta auctoritates deductas in duabus posterioribus *decis. 327. & 366.* Tum etiam clarius, quia ipsummet Statutum in pluribus partibus in eisdem proximè allegatis decisionibus ponderatis, pro synonimis habet, seu pariformiter explicat agnatos, & cognatos sub isto consanguineorum vocabulo; Ac etiam quia in ipsonem speciali puncto intestatæ successione denotat, quod statuentes verè nimium consulo, & grossolano modo hujusmodi Statuta ordinantes, rationem non habuerunt agnationis, dum fœminas etiam, ac attinentes per eas pluries interfecant, ideoque cessat tertia ratio superius ponderata, quæ in hac materia videtur potissima.

Hinc proinde aliqua major dubitandi ratio ex ejusdem Statuti contextu resultabat super distinctione patrimoniorum, an scilicet Statutum ita distinguere voluerit bona lineæ paternæ, ac maternæ, perinde ac si essent due diversæ hereditates, ad quas respectivè vocarentur conjuncti de quolibet latere tanquam duos diversæ genera; Unde propterea inter personas ipsorum generum non intraret proximatis, vel gradus concursus, qui solum attendendus esset discretivè inter personas cujuslibet generis, juxta ea, quæ de pluribus lineis ab initio vocatis habentur *sub tit. de fideicommissis. disc. 17. & 18.* ac etiam pluries *sub tit. de jure patr. & alibi;* Et de hac patrimoniorum distinctione pro utriusque paterni, ac materni lateris diversitate habetur apud Blad. *cons. 104. lib. 2. & apud Rot. dicta decis. 349. par. 6. & decis. 102. par. 7. recent.* ubi concordantes, & insinuatur alibi *hoc eodem titulo.*

Verum probabiliter ista distinctio in duabus posterioribus decisionibus neglecta fuit, quoniam, benè pensato Statuti tenore, videbatur, quod in hac parte solum percuteret casum exclusionis fœminarum in concursu maculorum æqualis gradus, & nè masculi unius lateris tantum, excluderent fœminas in bonis provenientibus ab altero latere, in quo ipsi masculi extranei essent, & earum portiones, quatenus masculi ex eodem latere non adessent, ad limites juris communis præservatæ remanerent, vel masculis ejusdem lateris accrescerent, ut alibi super hujusmodi patrimoniorum, seu laterum distinctione *hoc eodem titulo* advertitur, istoque terminos percutere videntur auctoritates in prima decisione super ista distinctione deductæ præsertim Baldi in *l. unica Cod. quando non potent. par. n. 26.* & aliorum de quibus apud Bellon. *Jun. de jur. accrescen. cap. 7. q. 16. nu. 19. cum seqq.*

Isto autem medio tempore, inter primam, & posteriores resolutiones, super hoc eodem Statuto Reatino, aliam habuit disputationem coram A. C. inter Gabrielem Omegaum, & Joan. Baptistam Ciocchium, cum etenim Gabriel nupti tradidisset Catharinam Carole dicti Jo. Baptistæ fratri, sequuta utriusque conjugis morte de tempore epidemice, ac paulò post, illa duorum filiorum superstitum in infantili ætate, unde propterea Gabriel pulsaret Jo. Baptistam in solidum obligatum pro restitutione dotis, excipiebatur ipse quod dos prædicta effecta fuerat proprium patrimonium dictorum infantium, qui matri supervixerant, quodque propterea regulando successione ex persona illorum, non curata bonorum origine, ex pluries insinuata regula attendendi causam immediatam, non autem mediatam, sibi tanquam consanguineo successio debita esset.

Card. de Luca Lib. XI.

set, juxta firmata in dicta prima jam edita decisione, cum qua procedendum esse dicebant Scribentes pro reo convento.

Verum hujusmodi exceptione rejecta, contrarium judicatum fuit cum relaxatione mandati exequuti, canonizati etiam per signaturam Justitiæ cum solita clausula, *sine prejudicio executionis;* Et quidem meritò, non solum ob dictas difficultates urgentes contra dictam decisionem, quas ego scribens pro Actore deducebam, (cum donec revocatio decisionis sequatur, pro inferiorum Tribunalium stylo, sit labor inanis,) sed potissimum ob mixturam casus, dum Statutum agit de consanguineis collateralibus cum præsupposito quod non adessent ascendentes, ideoque intraret conclusio, de qua in *Sutrina seu Nepefina disc. 3.* Ac etiam quia, ubi etiam cum dicta jam edita decisione procedi debuisset ob distinctionem patrimoniorum, seu laterum, de qua supra, adhuc pro Gabriele avo materno contra Jo. Baptistam patrum responderi debuisset, dum agebatur de bonis, ab isto latere, seu linea obventis.

Fortius autem quia non urgebat sola consideratio obventionis bonorum ex eo latere, sed agebatur de dote constituta filiae ab eodem Gabriele, ad quem de jure revertere debuisset, juxta expressam dispositionem textus in *l. dos à patre Cod. de jure dot.* cujus dispositio ita cessabat ob brevem superviventiã viri cum filiis ex consuetudine Martini pluries insinuata in sua materia *sub tit. de dote*, quæ exorbitans reputatur, ideoque facilius dicta separatio admittenda veniret.

Cessante autem Statuto, ac procedendo cum terminis juris communis, patrum ex veriori sententia, de qua apud Honded. *cons. 12. lib. 2. nu. 13.* Thefaur. *decis. 5.* ubi in specie, cum aliis concordantibus apud Rotam in *Perusina successione 23. Januarii 1654. coram Verospio* concursum prætere non poterat cum avo, quoniam collateralium concursus cum ascendentibus non datur, nisi fratribus, vel eorum filiis, non autem aliis; Atque iste est unus ex casibus, in quibus intrat prærogativa lineæ inferioris, quod licet nepos ex fratre, & patruus eodem tertio gradu attineant, attamen id, quod uni conceditur, alteri denegatur, ut advertitur infra in *Florentina disc. 8.*

BONONIEN. SUCCESSIONIS DE MAZZOCHINIS. PRO PETRONIO MAZZOCHINO CUM DOMINICO DE NIGRIS.

Responsum pro veritate.

De Statuto Bononiæ præferente agnatos cognatis, an intelligatur indefinitè de omnibus agnatis, vel potius de solis existentibus intra quartum gradum, ad quos in præcedenti capitulo restricta est exclusio fœminarum.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series, & de dispositione Statutorum Bononiæ.
- 2 **D**e Doctoribus tractantibus in specie de hoc Statuto.
- 3 **C**onsultentibus in oppositum in eodem casu non est deferendum.
- 4 **D**e intellectu Statuti restringendi ad quartum gradum.
- 5 **E**t quod censentur repetitæ qualitates Statuti præcedentis.
- 6 **Q**uod non sit standum in formalitate verborum.
- 7 **Q**uod hæc Statuta sint potius favorabilia.
- 8 **D**e moribus Bononiensium in fideicommissis.
- 9 **Q**uomodo Statuta, & leges populorum debeant interpretari.
- 10 **D**e distinctione patrimoniorum utriusque lateris.
- 11 **Q**uando repetitio intret, necne.
- 12 **D**ispositio favore agnatorum intelligitur de masculis.
- 13 **D**e conclusione, ut Statuta intelligenda veniant data æqualitate gradus.
- 14 **I**n hac materia deferendum est observantia.

D I S C. XIII.

Disponente Statuto Bononiæ *lib. 4. Rubr. de success. ab intestato §. Agnati navaque*, ut in intestata successione, agnati intra quartum gradum, secundum jus civile computandum, omnibus fœminis, quamvis agnatis præferantur; Cum in alio *§. sequenti* incipiente, *Et etiam prædicti*

agnati, indefinite disponatur agnatos præferri cognatis transverfalibus; Hinc factò casu intestatæ successione Niccolai Mazzochini, orta est controversia inter Petronium agnatum in sexto, & Jo: Dominicum cognatum tertio gradu atinentes, cui nam successio debita esset, præcedente Jo: Dominico cognato proximior; qui sine dubio attentata ovissimi juris communis dispositione potiora jura habebat, quod jus statutarium, cui innitebatur agnatus, non progredere ultra quartum gradum; Quare desuper consultus; Cum pro mea notitia casus non esset adhuc particulariter decifus per Rotam Romanam, sed de illo, in obiectum agerent Decian. *conf. 17. lib. 1.* qui tenet partes agnati in quocumque gradu existentis, & Giovagnon. *conf. 66. lib. 1.* qui nominatim respondendo ad Decian. *diso. conf. 17.* contrarium plene sustinet, atque in fine refert, quod licet illa controversia per concordiam sopita fuerit, attamen id provenit ex aliis punctis; Super hoc autem modicam rationem habitam fuisse puter de dicta auctoritate Deciani.

Respondi quod, ubi cum dictis auctoritatibus procedendum esset, neiri deferri deberet, cum ambo essent Consultes ad causæ oportunitatem, ideoque utriusque auctoritas est suspecta, Adinstar duorum testium invicem pugnantium, quorum quilibet de directo affectatè deponat ad oportunitatem sui inductoris respectivè, ut uterque poni mereatur ad partes, & consequenter quod punctus examinandus esset ex integro, perinde ac si isti Auctores non adessent.

Procedendo autem hoc modo, attentivè pariter auctoritatibus, probabilior dici posse videbatur ea pars, quam sustinet Giovagnon. eo quia super intellectu consimilium Statutorum, idem tenuerunt plures relati per eundem Giovagnon. *diso. conf. 66. n. 18.* Ac etiam quia super hoc idem sentire videntur Alex. Grat. Monterent. & alii relati ab eodem Giovagnon. *post n. 19. vers. sexto hac opinio*, ut scilicet dictum Statuti capitulum subsequens, utpotè continens verba dupliciter reputativa; Primo scilicet verbum *etiam*; Et secundo verbum *prædicti*, intelligendum sit ad limites capituli præcedentis, cujus restrictio intra quartum gradum repetita censeretur.

Magis autem stringere videbatur auctoritas Rotæ in Bonon. *hereditatis de Beroaldis 10. Martii 1597. coram Litta impress.* post eundem Giovagnon. *conf. 1. eodem lib. 1. n. 59.* ubi in §. *Nec potest prætendi n. 66.* considerando dictum verbum *prædicti*, firmat, quod sit repetitivum orationis præcedentis cum suis qualitatibus; Quamvis enim dicta decisio malè per Giovagn. dicatur punctualis, quodque decidat casum præcisum, dum percutit terminos diversos, an scilicet sub nomine agnatorum veniat fœminæ de familia, atque decidatur negative, stante quod in capitulo præcedenti agitur de agnatis masculis, qui repetiti censentur; Attamen dum indefinitè firmatur, ut dictum verbum causet repetitionem cum omnibus ejus qualitatibus, ita posita generali repetitione, ea in omnibus danda videtur.

E conversò autem, negligendo ea, quæ per utrumque Consultentem hinc inde plene ducuntur super explicatione sed grammaticali significatione dictionis *etiam*, ac alterius dictionis *prædicti*, cum nunquam intellectus adaptari potuerit naturæ verborum formalitati, eorumque grammaticali significationi, atque pro genio, ac sensu verius videatur, ut in hujusmodi quæstionibus interpretationis perferuntur debeat substantia verisimilis voluntatis; Mihi magis placebat sensus Deciani, ex generali propositione pluries insinuata, quam per Decianum deductam Giovagnon. acriter impugnat, magnum fundamentum constituen- do in propositione opposita; Quod scilicet hujusmodi Statuta tanquam restituentia illud jus antiquum, vel medium, ac novum; cum quo in Romana Republica vivebatur quando Imperium in Italia sedem habebat, favorabilia potius dicenda sint, quam odiosa, atque latè, & benignè, non autem strictè, & rigorosè interpretanda, spectando principaliter finem Statuti, qui est juxta nostros Italos mores, ut bona conserventur in agnationibus, & familiis, ut frequenter in aliis insinuatur.

Id autem, si per universam Italiam æquè procedit, multo magis ac potissimum recipiendum videtur in hac Civitate Bononiæ, quæ videtur fideicommissorum agnitionem fecundissima mater, ac magistra, adeo ut (per quemdam modum loquendi) majores producat causas fideicommissarias ista Civitas, quam reliquæ Italiæ partes, ut patet ex tot Rotæ decisionibus, & Consultentium Responsis, quæ super hac fideicommissaria materia in causis Bononiensibus habentur, Atque agendo de me ipso digno-

scitur in titulo de fideicommissis, ejusque supplemento, ubi patet, quod adeo per Bononienses instituitur in conser- vatione agnationis, & familiæ, ut præter aliarum partium morem, defectus legitimis vocentur illegitimi, qui privativè ad aliorum Italiæ partium usum, in aliqua majori estimatione habentur, atque illegitimi quoque deficientibus, ita cordi est agnatio, quod ea facta seu artificialis renovatio, quæ demandatur in masculis descendentibus ex fœminis, restringi solet ad immediatè procreatos à fœminis agnatis, negligenter cognatas, adeo ut spreto proprio sanguine etiam decensivo per cognationem, vocentur cognati mediati ex fœmina agnata, imò etiam extranei agnationem renovari juxta casus, de quibus dicto tit. de fideicom. *disc. 29. & seq.* alioque similes.

Id autem pro meo iudicio principaliter considerandum venit pro congrua intelligentia, sed interpretatione Statutorum, quoniam ut alibi hoc eodem tit. advertitur ac etiam pluries ponderatur *lib. 14. miscell. rerum ecclesiastic. sub tit. de matrim.* & in aliis, in proposito interpretationis Sac. Conc. Tridentini, quando leges per consilium, vel populum, sed aliam universitatem, ac adunantiam ordinantur, explicatur sensus omnium in compendio, sed in substantia, deindeque uni solum committitur, qui sit illius universitatis secretarius, vel minister, ut extendat, idque sequi solet juxta diversas eloqueutiones, ac phrasas, quæ pro ingenii, vel styli diversitate diversimodè concipiuntur, ideoque manifesta ineptia videtur, judaico more, mordicus insistere in formalitate verborum, eorumque rigorosa grammaticali significatione, quoniam probabilius indagandus est sensus universi populi, ex ejusdem usu, ac moribus, sive ex ratione, quæ omnes movere potuit, aliisque facti circumstantiis in idem tendentibus, istique mores detumendi veniunt ex communi usu, vel stylo disponendi.

In idem nimium conferre advertabam eandem ponderationem de qua supra in *Perusina disc. 1. & infra in Reatina disc. 12.* quod scilicet statuentes separare voluerunt patrimonialia, seu bona distinguere obvientiæ à linea paterna ab aliis obvientiibus à materna, atque reservare favore cognatorum ea, quæ obvieniunt ab eorum materno latere, agnatis autem id, quod provenit à latere paterno agnatio, ideoque unum, & alterum genus ita invitatum dicitur generaliter, ac pro regula, quod casu non curatur de gradibus, ut ex Baldo, & aliis ibidem allegatis firmatur per Rotam *dec. 349. p. 6. recen. n. 15. cum seqq.*

Et quoad repetitionem resultantem à dictis verbis repetitivis; Advertebam ad propositionem pluries insinuatam *sub tit. de fideicom.* super ejus regulari exclusione, ubi potissimum aliqua diversitatis ratio dignosci valeat, quod ad rem bene conferre dicebam, dum in præcedenti capitulo agitur de excludendis fœminis etiam agnatis, atque in casu fortiori diversam rationem habente.

Exinde etiam observabam ad rem non facere dictam decisionem in *Romana hereditatis de Beroaldis coram Litta*, in qua tanquam punctuali apud Giovagn. *d. conf. 66.* magnum fundamentum constituitur, utpotè in casu diverso, atque ad diversum effectum ut scilicet in sequenti capitulo subintelligenda esset repetitio qualitatis masculinæ, de qua in capitulo præcedenti, & merito, quoniam ita, & non aliàs verificatur finis, vel intentio statuentium pro conservati- one familiarum; Licet enim fœminæ de familia sint agnatæ, non tamen conservat agnationem; quæ in eis finem recipit, dum filii ab eis procreati paternam, non autem maternam familiam assumuntur; Undè propterea in terminis Statuti Urbis 141. quamvis in *Romana supplementi legitime coram Cerro* ex dicta generalitate, quod fœminæ de familia sint etiam agnatæ, firmatum esset, ut in gratiam minus filiarum fœminæ, altera fœmina in vim dicti Statuti dote provisa, excludi posset, ut patet ex *decis. 191. part. 9. recen.* Attamen à dicta decisione recessum fuit, firmando (& melius) ut spectato sine habito per Statutum, illius dispositio convenire non debeat nisi agnatis masculis, ut patet ex *decis. 267. & 383. eadem parte 9. rec.* atque hoc jurè vivitur; Ideoque magna differentia videtur inter eam speciem repetitionis masculinæ qualitatis, de qua agitur in dicta *decis. de Beroaldis*, & istam super restrictione gradus, cum in prima specie urgeat ratio Statuti, ejusque finis, vel effectus, quod non verificatur in altera.

Observabam etiam convinci de errore Giovagnonum super altero assumpto, ut Statutum intelligendum sit, data gradus æqualitate, cujus contrarium in proposito est verius, quoniam licet in Statuto simpliciter exclusive fœminarum propter masculos, ista sit regula, attamen ea cessat, ubi

ubi accedit contemplatio agnationis, ut alibi advertitur præsertim supra *disc. 3.*

Hæc deducebam in discursiva ratione, insinuando meum sensum inclinantem pro agnato, nihil tamen præcisè determinando, nisi prius haberetur notitia observantiæ, cui tanquam optimæ interpreti deferendum veniret; Verùm non audivi amplius actum de controversia.

INTERAMNEN. SUCCESSIONIS PRO JOSEHO BERARDUCCIO CUM FILIIS FRANCISCÆ SORORIS.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Josepho.

De Statuto Interamnen. excludente fœminas propter masculos, an excludat etiam nepotes masculos ex fœmina prædefuncta; Et de differentia inter exclusionem resultantem à renunciatione, & istam resultantem à Statuto, Et an attentò isto Statuto, unica dotatio sufficiat pro omnimoda exclusione ab omnibus successioneibus.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Statutum excludit solum à successione dotantis.
- 3 Non obstat exclusio matris filio venienti ex persona propria.
- 4 Idem in renunciatione.
- 5 Testamentum facit cessare Statutum.
- 6 Contrarium ejus de quo n. 2. in hoc Statuto.
- 7 Contrarium ejus de quo n. 2. est verius.
- 8 De differentia inter exclusionem Statuti, & illam ex renunciatione.
- 9 Declinatur conclusio de qua n. 5.

D I S C. XIV.

Superstitibus ex Catharina Josepho filio, ac duobus nepotibus masculis ex Francisca filia prædefuncta; Cum mater, Josepho hærede instituto, quædam bona jure particularis institutionis pro omni, & toto eo, quod ratione legitime seu aliàs præcedendi posset, reliquisset dictis nepotibus, isti autem avivè iudicio non acquiescentes, iudicium coram A. C. super legitime supplemento instituerint contra avuncululum; Hinc assumpta disputatione, Joseph, (me pro se scribente,) sententiam absolutoriam cum justitiæ fundamentum reportavit, cui puto quod actores acquieverint, dum amplius de causa actum non audivi.

Tria verò erant eorumdem Actorum fundamenta pro evitanda statutaria dispositionem, qua cessante de plano eorum intentio ad limites juris communis fundata remaneat pro legitime supplemento; Primò nempe quod cum Statutum excludat fœminas propter dotem, ista discretivè debita esset de qualibet successione juxta *decisiones 390. & 429. Merlin. repetit. dec. 247. p. 5. rec. & dec. 329. p. 6.* Secundo quod cum prædefuncta matre, id nepotes non jure repræsentationis, sed subingressione primum gradum jure proprio occuparent, materna exclusio eis obstat non deberet, deducendo ad id probandum ea, quæ pro ratione dubitandi habentur deducta per Rotam *dec. 405. n. 2. cum seq. p. 5. rec.* ac etiam conclusionem, de qua *sub tit. de renunciat. præsertim disc. 15.* ut scilicet renunciatio matris prædefunctæ non impediat successionem nepotum ex persona propria in bonis, vel avunculi; Et tertio in idem, quod ubi etiam Statutum intraret, attamen illud utpotè operativum ab intestato, cessaret in casu testamenti, per quod aliàs cum dicta specialia mentione legitime eos sicuti restituerat juxta firmata per Gabr. *conf. 190. n. 8. & 9. Rot. d. 266. p. 1. divers. in Romana legitime 5. Dec. 1659 coram Priolo impress.* post Michalor. *de frat. dec. 60.* & in aliis insinuat sub *tit. de legitima, & de rat. ac etiam in aliis hoc eod. tit.*

His tamen non obstantibus, (cum sensu etiam veritatis, qualem Juxex quoque agnovit,) contrarium dicebam probabilium, dictaque fundamenta singulariter expendendo; Quatenus pertinet ad primum, illud ferè nullam disputationem exegit, quoniam quidquid sit de conclusione firmata in allegatis *decisionibus* Merlini, de qua præsertim in *Syrina & Nepefina disc. 3.* In specialibus terminis istius Statuti Interamnen. de *Paradisus coram Pamphilio*, (qui postmodum fuit Pontifex Innocentius X.) firmavit, quod unica dotatio sufficeret ab exclusionem omnium; Idemque

firmatum fuit de anno 1649. in alia *Interamnen. coram Cerro impress. dec. 339. p. 10. rec. & repetit. dec. 202.* post Merlin. de *legitima*, adeo ut super hoc non videatur amplius cadere dubitatio.

Alterum fundamentum pariter de facili sublatum fuit ex plene firmatis per Rotam *disc. 405. p. 5. rec.* quæ in hoc articulo est magistralis, utpotè solida deducens fundamenta, deducta etiam per *Surd. conf. 85. & alios ibi relatos*, ob nimium congruam, & probabilem rationem, alibi quoque hoc eodem titulo insinuaram præsertim in *Florentina disc. 8.* quod ubi excluditur causa, multo magis excludi debet causatum, ideoque infecta primitiva, infecta quoque remanere debet derivativa; Cum etenim nepotes avo, vel avivè conjugantur per medium eorum matris, utique habito illo medio pro impertinente seu extraneo, nulla remanet conjunctio ex defectu extremorum; Et consequenter proferus improprium est, ut exclusa remanere debeat filia primi gradus, si viveret, & inclusi remaneant remotiores contra omnem juris scripti, ac naturalis rationem.

Neque dicta conclusio in materia renunciationis ad rem adaptabilis est, ob notabilem differentiam rationem inter unum casum, & alterum; Ubi enim agitur de exclusione fœminæ ob renunciationem, tunc illa supponitur capax, & habilis ad successionem, à qua solam ex-ejus voluntate reddit ex extraneam, eo modo, quo faciat ille, qui sibi delatam successionem agnoscere nolit, id autem non tollit vinculum sanguinis, atque pertinentiam, seu habilitatem medi, ob quod ipsius fœminæ filii remaneant sui, vel habiles, tanquam ex cessante illo accidentali impedimento personali, quod ipsi renuncianti solum obstat; Non sic autem est in casu statuti, quoniam istud reddit illum medium impertinens, vel extraneum, & consequenter cessat habitus extremorum seu cessat habitus illius medi naturalis, ob quod nepos avo, vel patruo, seu avunculo conjugatur; Itaque est potissima ratio, ultra plures alias ponderata apud *Surd. d. conf. 85. & per Rot. d. dec. 405. par. 5. recen.* ubi concordantes.

Ad tertium demum obiectum, deducebam eandem resolutionem, de qua pluries in præcedentibus præsertim *disc. 6. & dicto tit. de legitima, & de rat. disc. 4.* Quod scilicet, tunc testamentaria dispositio statutariam cessare facit, quando inter utramque incompatibilitas urgeat, ideoque pateat, de morientis voluntate recedendi à Statuto, atque sicuti, vel sanguini restituendi eam personam, quam Statutum extraneam efficit; Secus autem, ubi idem moriens, Statuto voluntatem accommodando, atque ad ejus limites disponendo, aliquam benevolentiam exercere voluit cum persona exclusa, cum nunquam actus merè voluntarii ultra ipsam voluntatem operari valeant; Itaque semper mihi visa est una ex Legistarum ineptiis, ex hujusmodi dispositionibus deducendi effectum oppositum dispositioni voluntati, quo nil absurdius; ut advertitur, *d. tit. de legit. & de rat.*

FANEN. SUCCESSIONIS PRO ALEXANDRO MARIOTTO CUM ANNA BARTOLELLA.

Casus variè decifus per Rotam, ut infra.

De Statuto Fani excludente matrem ob agnatos transverfales, an procedat favore patris, vel avi paterni.

De materia text. *l. si infanti C. de jur. deliber.* favore patris, ut bona filii occupet jure peculii, an hodiè locum habeat.

Et de materia transmissionis successione non agnitæ, delatæ ex jure communi, vel statutario.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Resolutiones causæ.
- 3 De punctis, ve. inspectiombus disputatis.
- 4 Quod hodiè filius familias habeat hæredem, & pater non occupet bona jure peculii, sed veniat jure successorio in concursu.
- 5 Statut. *stricte*, & in verbis intelligi debent prohibita extensione.
- 6 Quomodo debeant se gerere Advocati, & quando liceat colere motiva minus solida.
- 7 Potentior est causa, quam causatum, ideoque statutum, quod excludit matrem vel alios ob transverfales, for.

- 8 *fortius præcedit ob patrem, vel avum.*
- 8 *Ubi Statutum expressam habet rationem, ista prævalet verbis.*
- 9 *De propositionibus tendentibus in idem super interpretatione Statutorum.*
- 10 *Quod voluntas statuentis vel alias disponentis, regulanda sit juxta opinionem, quam ipse habebat, vel tunc vigebat.*
- 11 *Quare hoc Statutum non faciat mentionem de patre, vel avo.*
- 12 *Interpretatio facienda est juxta sensum prudentium, & rationalium.*
- 13 *De additione hereditatis maternæ ob retentionem dotium à patre.*
- 14 *Statutum non excludit feminam nisi à successione dotantis.*
- 15 *Potest masculus non uti Statuto exclusivo, ideoque requiritur ut constet de animo utendi.*
- 16 *De questione transmissionis successione Statutariæ, distinguuntur plures casus, an intret, necne.*
- 17 *De altera questione transmissionis hereditatis non aditæ de jure communi.*
- 18 *Quid ad hunc effectum operetur Statutum excludens matrem.*

DISC. XV.

DEspecta Lavinia uxore Francisci ab intestato, superstitibus Jo. Andrea, Victoira, & Maria filiis, obiit postmodum Joannes Andreas, superstiti Andrea filio infante, quo in pupillari ætate defuncto; Cum Statutum Civitatis Fani Rubrica 66. excludat matrem propter fratrem patrum, patrualem, & alios ibi expressos ex latere patrum approximantes; Hinc super ejus successione, (quæ in tot. o. vel majori parte in dote dictæ Lavinie consistebat,) orta controversia inter Annam pupilli matrem, & Franciscum avum paternum, introductaque causa in Rota coram Albergato sub diebus 6. Aprilis 1663. & 23. Januarii 1664. 26. Junii 1665. & 15. Martii 1666. pro Anna matre prodierunt resolutiones, à quibus sub die 11. Februarii 1669. respectu bonorum dictæ Lavinie tantum, recessum fuit, eis firmis remanentibus in aliis bonis, atque resolutum pro Francisco avo, seu Andrea representante ejus jura, ac etiam prædictarum Victorie, & Mariæ, atque in hoc statu causa adhuc pendet.

In his autem disputationibus tres fuerunt puncti; Primò scilicet, an ad favorem avi paterni, in cuius potestate pupillus erat, intraret dispositio textus in l. si infanti C. de bon. qua liber. ut omnia jure peculii occuparet, ex eo quod existens in aliena potestate, hæredem non haberet; Secundò quatenus id non subsisteret, an eadem avo suffragaretur Statutum matris exclusivum; Et tertio quatenus non ex persona dictarum Victorie, & Mariæ filiarum Lavinie detrahi posset materna dos, quæ in dicti pupilli, vel Jo. Andrea ejus patris hereditate non veniret, dum de additione hereditatis dictæ Lavinie non constabat, ideoque hereditas non adita ad præfatam Annam extraneam transmitti non poterit.

Primum motivum quod ab aliis, antequam ego ad causæ defensionem assumptus essem, excitatum fuit, meritò rejectum semper fuit, adeo ut ego scribens pro eodem avo seu ab eo causam habente, illud semper neglexerim, quoniam quidquid ex dispositione dicti textus in l. si infanti teneant plures relati per Fab. de Anna cons. 1. & alios de quibus infra, omninò verior, magisque recepta est contraria opinio, ut iste textus correctus remaneat per jus novissimum, introductivum peculii adventitii, contradistincti à profectio, per quam introductionem, filius familias in adventitii, patriæ potestatis defectu non obstantem, est capax domini, ac hæredem, & hereditatem habet, ideoque in ejus successione servatur ordo præscriptus à novissimo jure Authentico, nulla patriæ potestatis ratione habita, adeo ut pater, vel respectivè avus, si morientem habeat in potestate, vincatur per ejusdem morientis filios, vel parentes magis proximos, & consequenter, ut avus vincatur per matrem, ac etiam per concursum ejusdem matris, & fratrum utrinque pati reapeatur ex relatis per Apont. & Martam infra allegan. Fab. de Ann. d. cons. 1. & per alios.

Quo verò ad secundum punctum juris statutarii, Rota processit eam vulgari regula text. in l. commodissime ff. de liberis & posthum. ut Statuta juris correctoria, atque ab ejus

dispositione exorbitantia tanquam odiosa strictissime intelligenda sint in solis personis, & casibus ibi expressis, atque (ut nostri dicunt) in iis, quæ oculis corporeis legi possunt; In omnis autem intrat dispositio juris communis, nullatenus admittitur extensio de casu ad casum, ac de persona ad personam, quamvis rationis identitas vel majoritas accederet, juxta firmata per Alex. cons. 97. n. 9. Dec. cons. 688. n. 2. Honded. cons. 95. n. 65. lib. 1. Giovag. cons. 66. n. 19. lib. 1. Rot. apud Seraph. dec. 496. n. 2. dec. 329. num. 12. par. 6. rec. & in aliis, & in decisionibus habentur.

Quamvis autem, ex tertio motivo, de quo infra per ultimam resolutionem 11. Februarii 1669. ex hac parte victoria reportata fuit, atque ita præcedentes resolutiones super dispositione statutaria inanes remanserunt, prudentisque consilium sit Advocatorum, inhærendo vestigiis Judicium, proponere motiva, quæ illis magis placent, quamvis ipsis Advocatis parum fundata videantur, quoties ex aliis credant justitiam fovere, ut pluries insinuat præsertim in casu de quo sub tit. de feud. disc. 11. juxta vulgare dictæ, habeatur intentum, & non curatur de modo; Attamen dictæ resolutiones non plauerunt, nimiumque displicuit quod in hac parte firmæ remanerent; Non quidem ex motivo affectionis causæ, vel clientis, qui ita obtinebat intentum, sed ex altero motivo justitiæ pro casibus futuris, cum id pro meo judicio, ad solam veritatem reflectendo, omninò improbabile videretur, ut etiam aliquibus ex

Judicibus videbatur, quorum tamen votum non prævaluit. Contrarium etenim verius videbatur, ut statutaria dispositio intraret, ex ea viva, & convincenti ratione, de qua disc. præced. quod omnes jus, semper potentius est in causa, quam in causato, ac etiam ex alia regula: Si vinco vincentem te &c. Ideoque si frater, patruus, & patruelis à patre, vel avo respectivè geniti gradu remotiores, atque in jure successorio longè minus jus habentes, excludunt matrem, multò magis eam excludere debent pater, vel avus, ut ex his rationibus firmant in specie Castri. cons. 175. nu. 3. vers. tunc ad partem lib. 1. Abb. cons. 73. n. 6. vers. non enim est lib. 1. qui agunt de consimili Statuto Senen. Dec. cons. 332. n. 3. in fin. Gabr. cons. 14. nu. 32. & cons. 15. nu. 2. lib. 1. Brun. de Statut. artic. 12. qu. 15. sub n. 198. vers. & hanc opinionem, & qu. 16. sub n. 216. vers. secundus casus, Phanut. de Statut. n. 183. & seqq. Mart. Medic. decif. 77. n. 21.

Clarius verò ubi ratio agnationis, quæ in hujusmodi Statutis, quamvis non explicata implicitè adesse dicitur, in eo expressa sit, ut in præsentibus, cum tunc casus nullum dubium habere videatur, ut in specie advertit Castrensi ubi supra; Atque ad evidentiam comprobare videtur ipse naturalis discursus; Ubi etenim Statutum expressam habet causam, seu rationem, tunc ista principaliter attendenda est, non curato eorice verborum; Et modo, quo attenditur anima in corpore, cum tunc non dicatur extensio, sed intentio, seu enucleatio ejus, quod jam sub ratione inest, quamvis apparetur lateat, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Mascard. de Statutorum interpret. conclus. 4. n. 167. cum seqq.

Ad quod conferre dicebam plures enunciata propositionem, à Judicantibus, & Consulentibus principaliter, ac perpetuò præ oculis habendam, ut non cortex, & figura verborum, sed substantia veritatis, seu verisimilis voluntatis disponentis attendi debeat, cum etiam in Statutis procedatur eo modo, quo in testamentis, aliisque morientium, seu viventium dispositionibus proceditur; Ac etiam quia, ut pluries insinuat præsertim latius, ac particulatè in Perusina disc. 1. pro meo sensu, profus erroneum est assumptum, ut hæc Statuta juris correctoria, & exorbitantia dicenda veniant, quoties conervationi bonorum in agnatione prospiciant, utpotè regionis usus, nostrisque moribus magis adaptata.

Quia verò per Scribentes in contrarium, ac etiam in decisionibus, magnum constituebatur fundamentum in eo, quod Statutum, patris, vel avi nullam faciat mentionem, nec in parte dispositiva, neque saltem in conditionalibus, ut facit Statutum Senen. de quo agunt Abb. & Castri. ubi supra, quodque ab eodem Statuto disponatur, ut in casibus omisissis servari debeat jus commune.

Hinc proinde adhibendo eam genialem partem ratiocinativam, quæ tamen ineptis pragmaticis adeò exosa est, advertebam quod, ut pluries habetur. sub tit. de fideicom. & alibi; Ad regulandam, vel interpretandam aliquam dispositionem, attendendum est quid verisimiliter disponens crediderit, vel opinatus sit, quamvis ejus opinio, vel credulitas erronea sit, unde propterea habemus, quod ad regul-

gulandam transactionem, an ex justa causa, & cum probabili dubietate sequuta sit, attendi debet illa opinio, quæ tunc retinebatur, quamvis deinde illa reprobata fuerit, passim; de præsentibus contraria retineatur, ut apud Otthob. dec. 18. ex n. 11. & advertitur præsertim in casu de quo sub tit. de fideicom. disc. 173. cum similibus.

Cum igitur, attento jure antiquo, & medio Digestorum, & Codicis, filius familias non haberet hæredem, sed omnia, pater, vel avus occuparet jure peculii, atque usque ad jus novissimum Authentico, sub ipso Justiniano conditum mater in successione filii extranea reputaretur in concursu patris, vel avi ad textum in l. 2. §. objicitur ff. ad Tertullian. §. sed & filie, & §. pater vero insit. eodem, cum concordantibus bene præsertim ponderatis per Barbof. in l. que dotis n. 67. & 68. ff. solat. matrim. Quinimò non de jure volentes, ut etiam hodiè, dicto novissimo jure non obstante, infantis successio non datur, sed omnia pater, vel avus occupet jure peculii, dum contraria opinio, de qua supra magis recepta est ex sensu modernorum, qui materiam magis explanarunt; Hinc proinde nimium probabile videtur, quod statuentes iis antiquis temporibus legum civilium proximis, quando illæ adeo (ut de præsentibus) explanatæ non erant; cum isto sensu, istaque credulitate processerint ut scilicet existentibus patre, vel avo, opus non esset ita statueri super exclusionem matris à successione filii, dum iste successione casus non daretur, cum aliàs nulla probabilis ratio suadere valeat, cur statuentes ob remotiores agnatos matrem excludere voluerint, atque patrem, vel avum, quorum in jure antiquo, & novo, longè melior causa erat, ita negligere.

Si enim in testamentis, & contractibus, aliisque humanis dispositionibus habemus, quod oportet interpretationem facere eo modo, quo viri sapientes, ac rationales interpretarentur, cum disponentes præsupponendi non sint homines bestiales, ac irrationabiles, multò magis id dicendum est in Legislatoribus; ideoque hujusmodi improbabiles, ac leguleici rigores, qui in ista statutaria materia adhiberi solent, perpetuò naufragam mihi fecerunt, ubi præsertim humana ratio, atque communis usus regionis in contrarium urgeat; Potissimè autem ubi jus statutarium non sit omninò novum, sed importet reversionem ad jus antiquum, cum quo ista regio vivebat de tempore, quo Romanum Imperium in Italia sedem habebat, ita corrigendo, seu verius declarando animo non acceptandi jus novissimum in Græcia editum pro illis Græcorum moribus, seu verius, (ut aliàs advertere consuevi,) pro adulatione, quam facagissimus Tribonianus facere voluit erga seculum muliebrem in gratiam Theodoræ dominantis, & quæ in sensu Historicorum magis, quam Justinianus imperabat.

Quo verò ad tertium punctum restrictum ad hereditatem Lavinie ultimi morientis avie; Ille tres habebat inspectiones; Unam scilicet potius facti, quam juris, an constaret, quod Jo. Andreas filius maternam hereditatem adjuvisset, & quatenus de expressa additione non constaret, an ea resultaret ex retentione dotium facta per dictum Franciscum virum, ac patrem respectivè; Altera erat super tertia portione, quæ secluso Statuto ad limites juris communis novissimi ad dictum Jo. Andream, & successivè ad Andream ejus filium spectabat, cum aliæ duæ spectarent ad dictas Victoriam, & Mariam filias feminas; Et tertio super istarum feminarum portionibus præfato Jo. Andrea masculo debitæ ex eodem statuto feminarum exclusivo propter masculos.

Super prima inspectione, cum de explicita additione non constaret, undè propterea punctus restringeretur ad alteram additionem resultantem à retentione dotium facta per patrem, & virum respectivè, deducebantur eadem, quæ habentur deducta sub tit. de hæred. & hæred. disc. 12. pro additionis exclusionem, dum actus retentionis ad jus, vel titulum proprium ipsius viri referri poterat; Aliis etiam facti circumstantiis concurrentibus, quæ nimium pro ista exclusionem cooperabantur.

Quo verò ad tertiam inspectionem super transmissione dictarum duarum portionum de jure ad feminas pertinentium, & quæ in vim Statuti exclusivi masculo delatæ erant ultima decisio huic parti favorabilis, principale fundamentum constituere videtur in eo, quod statutaria dispositio non intraret, cum ea intelligenda veniat quoad solam successione dotantis, & quatenus femina dotata sit ab eo, de cuius hereditate agitur, juxta firmata decif. 175. & 179. post Merlin. de legit. & habetur supra disc. 3. & in aliis; Verum istud fundamentum mihi debile videba-

tur ex eisdem considerationibus, de quibus disc. disc. 3. Solidus autem erat alterum motivum, quod cum Statutaria exclusio pendeat ab animo masculi, qui potest nolle hoc beneficio uti, atque feminas quamvis exclusas admittere ad æqualem successione juxta terminos juris communis, ut decif. 146. n. 6. & 8. par. 10. recent. & in Urbinate. successione 28. Junii 1647. coram Bichio inter suas dec. 320. n. 32. Otthobon. dec. 173. n. 4. in quibus concordantes, idcirco requiritur talis aditio per actum positivum, ut per eam declaretur animus utendi hoc Statuto ex relatis per Altograd. cons. 82. n. 25. lib. 1. cum aliis, de quibus infra.

Dicta verò declaratio non accedente, undè propterea intret inspectio transmissionis; Advertebam quod licet Moderni pro consueto stylo, unum casum cum altero confundendo, materiam involvere videantur, at tamen tres casus distinguendi veniunt, cum quorum distinctione, congrua congruis applicando, bene conciliantur ea, quæ invicem pugnant videntur.

Primus enim casus est, ubi ex masculo, cui Statutum in successione adversus feminas prælationem concedit, superfit alter æquè masculus, undè propterea viget eadem ratio exclusionis, atque verificetur utrumque extremum à quo, & ad quod ob eandem qualitatem æquè militentem in transmittente, ac in transmissario, & tunc concursus videtur opinio pro transmissione.

Alter casus est, ubi ex masculo superfit etiam hæredes sanguinis, sed diversæ qualitatatis, quia nempe filie, vel nepotes feminæ, & tunc intrat major difficultas ob varietatem opinionum quarum una tribuitur Cyno, & altera Salyce, juxta casum disputatum apud Franch. decif. 32. ubi modernus additionator de Luca, plura colligit super utriusque opinionis sectatoribus, magisque fortè recepta videtur opinio pro transmissione, dum urget ratio sanguinis, ac fuitatis ex iis, quæ in terminis fortioribus successione feudalibus habentur sub tit. de feud. disc. 13. Verum de hoc formaliter agere non oportuit, cum non versaremur in casu, ideoque desuper nullum iudicium efformari potuit.

Tertius demùm est casus, ubi masculus decedat superstiti hærede, qui extraneus sit ei, de cuius successione agitur, & tunc licet non desint tenentes partes transmissarii, ex deductis apud Surd. decif. 138. & Gait. in addit. ad decif. 235. Attamen magis communis, ac rationabilis videtur contraria opinio ex relatis per Altograd. d. cons. 82. n. 19. & seq. lib. 1. Bottiglier. de success. theor. 2. n. 44. & seq. Ciroch. con. 1100. 42. n. 26. cum seq. atque sentire visa est Rota apud Cavaler. dec. 504. n. 10. & in dicta Urbinate. coram Bichio inter suas dec. 320. in fine; Itaque opinio videtur omninò probabilior, neglecta præsertim dicta dec. 138. Surdi, quæ in ejus casu ob aliquas circumstantias à probabilitate aliena non videtur, dum commodum transmissionis redundabat ad favorem agnatorum, ideoque verificabatur Statuti ratio, sive implebatur ejus finis, sed ista circumstantia cessante, nulla suppetere videtur congrua ratio cui hæc opinio innitatur, ideoque dicebam quod decisio est bona, sed mala est ratio per Extensorem assignata.

Quare major difficultas residere videbatur in tertia portione, quæ ad limites juris communis masculo debebatur ex persona propria; Circa quam advertebam quod quidquid sit de terminis generalibus transmissionis, quando ista sit unica, à primo scilicet transmittente in primum transmissarium, super quo multa habentur deducta in d. decif. 320. Bichii, quæ videtur in materia magistralis; Inhærendo commendabili Curie stylo, immorandi strictè super puncto præcisæ controversiæ, quatenus scilicet primus hæres non agnita successione, eam transmittat in ejus filium, qui deinde infans, seu aliàs decedat, undè intret questio secundæ transmissionis ad ejus matrem, quæ morienti, de cuius successione agitur, extranea est, superstiti avo paterno juxta materiam text. in d. l. si infanti.

Et tunc licet Apont. consil. 19. cum ejus auctoritate simpliciter non examinata materia, neque habita notitia contrariæ decisionis, petrahit Marta de success. part. 1. q. 24. art. 4. n. 2. cum seq. & decif. 21. teneat pro matre; Attamen in eodem individuo casu, in quo scripsit Aponte, in oppositum magisque nervosè scripsit Fab. de Anna cons. 1. qui consil. testatur ita fuisse decisum; Ideoque rectè intrat propositio Franch. dec. 260. n. 5. quod ubi allegantur Consilia, oportet videre decisiones; Atque, quidquid sit de puncto juris in abstracto, & in ratione disputativa, ista videtur longè æquior, juxta quam Tribunalia procedere consueverunt contra transmissionem, contra quam etiam decisum fuit apud Theaur. decif. 8. & per Rotam in d. decif. 320.

320. Bichii, quoniam ubi cessat motivum æquitatis, nullatenus hæc aspera opinio pro transmissione recipienda est, ut potè fundata in quodam irrationabili legalico rigore, ut latè profequitur Altograd. *conf. 81. & 82. lib. 1.* & conferunt deducta per Altograd. *jun. controv. 13. n. penult.* quoniam esset dare fictionem fictionis cum repugnantia æquitatis; Licet enim fallax dignoscatur fundamentum deductum ex *dicta l. infantis*, cui plures innituntur, Attamen Aliud est ut filius familias habeat hæredem, atque in ejus hæreditate attendatur ordo successorius; Aliud verò an intret hæc transmissio, ubi æquitas repugnet.

Et quamvis urgere videretur decisio Rotæ in *Hortana successione s. Novembris 1601.* coram Pamphilio, in qua pro transmissione ad favorem matris contra patrem responsum fuit, & quæ decisio majorem in hoc proposito difficultatem inferebat; Attamen ea particularem habebat circumstantiam, ob quam probabilis dici potest, quod scilicet de culpa redargui poterat pater tanquam legitimus administrator filii, quod fraudolenter hæreditatis additionem non fecerit, ut facere tenebatur; Id autem in præsentis dici non poterat, dum Jo. Andreas filius per plures annos ætate major, uxoratus, ac Juris utriusque Doctor super-vixerat, & quamvis, non in formali statu patrisfamilias, in ejus tamen figura.

Clarius autem combinando dictam statutariam dispositionem, ob quam dicebam omninò de plano intrare, ac recipiendam esse opinionem, de qua Fab. de Ann. *d. conf. 1. & 2.* cum aliis allegatis cum ita constaret quod causa maris non esset ita favorabilis, ut est, attenda tamen sola juris communis dispositione, in cuius terminis hinc inde allegati loquuntur, quodque propterea Statutum, ad hunc effectum nimium considerabile, ac operativum esset; Ideoque licet de stricto juris rigore fallaciam contineret dictum argumentum duplicis transmissionis nimium ponderatum apud Fab. de Ann. *conf. 1.* quod scilicet ita esset dare transmissionem transmissionis, dum data etiam non agnitione Joannis Andree filii, per istius mortem nepos effectus est primus; Attamen æquitas ac statutaria dispositio hunc rigorem omninò suffocare debent, ac propterea probabilis visa est resolutio.

Verum in meo sensu ea in totum debuisse esse talis ad formam Statuti, quoniam, ut supra, omninò improbabilis videtur intellectus illi datus.

VITERBIEN. HÆREDITATIS PRO CARDINALI GUALTERIO CUM LAURENTIO CHISIO.

Casus decisus per Rotam, ut infra, postea concordatus.

De Statuto Viterbii excludente fœminas propter masculos, & cognatos propter agnatos, an procedat solum data gradus æqualitate, & an ista admittatur fidei ratione representationis, vel subingressiois; Et de casu mixto faciente cessare Statutum, ob existentiam personæ non exclusæ.

Et incidenter de alio Statuto Viterbien. prohibente mulieri disponere extra filios;

SUMMARYUM.

- 1 **F**abri series.
- 2 Resoluciones causæ.
- 3 Renunciatio paternis, & maternis non capit fraternam.
- 4 De reciproca non attendenda de linea ad lineam.
- 5 De Statuto ut pater non possit disponere extra filios.
- 6 De motris excludentibus Statutum exclusivum.
- 7 Quomodo debeant se gerere Advocati.
- 8 De linea masculina, cui data sit prælatio quomodo attendi debeat, & qui dicantur de eadem linea.
- 9 Statutum exclusivum intelligitur data gradus æqualitate.
- 10 De representatione, vel subingressione, an detur ad hunc effectum.
- 11 Expenditur decisio in Romana successione de Girona coram Robustero, & de unica, vel duplici fictione.
- 12 De eodem, & quare illa nunquam controversa fuerit.
- 13 Expenduntur auctoritates in ea deductæ circa representationem.
- 14 De eodem, & de differentia casuum.
- 15 De auctoritate Consulentiæ suspecta.
- 16 Nepos ex fratre primogenito excludit patrui in primogenituris, & feudis individuis.

- 17 Quid in successione droiduis.
- 18 De favorabili, vel odiosa intelligentia Statutorum.
- 19 De casu mixto, qui faciat cessare Statutum in totum.
- 20 & 21 De eodem.
- 22 Ponderatur ratio an persona omittatur, quæ facit cessare Statutum, & inducit mixturam, sit etiam fœmina collateralis.

D I S C. XVI.

Poggio Chisio ab intestato defuncto, superstitibus, Francisco, & Laurentio ex altero Laurentio germano fratre nepotibus, Victoria germana sorore, ac Hieronyma ex Ludovico altero fratre prædefuncto nepte; Contra Franciscum, & Laurentium possessores bonorum patrui, cum quo pro communi vivebant, iudicium super successione instituit Hieronyma ex fratre neptis; Et introducta causa in Rota coram Buccabella *sub die 27. Novembris 1638.* restricta disputatione ad bona extra territorium, ad favorem actricis prodit resolutio, quæ habetur impressa *dec. 290. p. 8. recent.* quæ reputatur magistralis super puncto, ut census circumscriptibantur loco fundi censiti, quoties ibi destinata etiam sit solutio, ac etiam de locis montium; Assumptaque postea disputatione quoad bona etiam intra territorium coram Rojas subrogato, pariter pro actrice responsum fuit *sub die 26. Aprilis 1641. ut ex decis. 291. eadem p. 8.* repetit. inter illas Rojas *dec. 135.* neque respectu dictæ Hieronymæ, causa ulteriorem progressum habuit, quia forsitan concordia ei finem dedit; Cumque ad causam admittæ quoque fuisset Victoria soror, ejus favore quoque sub diebus 10. Junii 1639. & 29. Maii 1643. prodierunt resolutiones, quæ habentur inter illas Rojas *dec. 66. & 206.* Postmodum verò causa diu siluit, usque quò Cardinalis Gualterius hæres instituitur à Julio Gualterio Victoris prædefunctæ filio, causam reassumpfit coram Taja subrogato, datoque dubio super immisione ex interdicto quorum bonorum *sub die 2. Maii 1664.* affirmativa prodit resolutio, quæ aniam dedit honestæ concordie litem terminari.

In hac igitur ultima disputatione, in qua solum scripsi pro Cardinali actore (cum de tempore præcedentium adhuc scholaris essem in Neapolitano gymnasio,) tres fuerunt puncti, quamvis non de omnibus agat decisio desuper edita; Primò nempe super dictæ Victoris renunciatione; Secundò super detractionibus, inter quas potissima erat illa bonorum maternorum, ob fideicommissum ab ipsa ordinatum; Et tertio Statuti exclusivi fœminarum propter masculos, respectu bonorum existentium in territorio cum in illis extra territorium Scribentes pro Reo darent manus victas.

Super primo puncto, satis modica fuit difficultas, ob hodie planam conclusionem, de qua in sua materia *sub tit. de renunciat.* ut renunciatio facta bonis paternis, & maternis, non comprehendat fraternam, quamvis à parentibus obvenientia, ob regulam attendendi causam immediatam, ut in ultima decisione.

De altero puncto detractionum, super quo decisio nimium se diffundit, habetur actum *sub tit. de legat. & detrac. disc. 16.* Et quoad fideicommissum à matre ordinatum, illud evitabatur; Tum ex regula quod reciproca ordinata inter filios intelligenda est discretivè in qualibet linea *juxta decis. 1023.* Seraph. & in sua materia *sub tit. de fideic.* Tum etiam ob alterum ejusdem Civitatis Statutum, quod prohibet matri (excepta decima parte) disponere de bonis extra territorium, & de quo Statuto agit Castren. *conf. 247. lib. 1.* atque mentionem faciunt *Dec. in c. Ecclesia de constitution. n. 252.* & Zabarell. *conf. 144.* Ideoque inferebatur quod fideicommissum desuper ordinari non potuerit, ex iis, quæ occasione consimilis Statuti Urbevitanæ vel Consuetudinis Neapolitanæ, ac Bituntinæ habentur *sub tit. de dole disc. 103. cum segg.*

Quo verò ad tertium punctum Statuti exclusivi fœminarum propter masculos, de tribus ex hac parte replicabatur ad ejus dispositionem evitandum; Primò quod, cum Statutum excludat sorores propter fratres, vel alios de linea masculina, intelligendum veniat de eadem linea, de qua non erat Laurentius reus conventus utpotè de linea Laurentii ejus patris, & sic diversa ab altera, de qua erat Victoria de linea Francisci ejus patris, cum linea constituitur ex proprio stirpe cuiuslibet; Secundò quod hujusmodi Statuta intelligenda veniunt data gradus æqualitate, ideoque fœmina proximior in secundo gradu excludenda non est per masculum remotiorem in tertio gradu existentem; Et tertio quod cum superesset dicta Hieronyma neptis ex fratre prædefuncto, de qua Statutum non loquitur, ideoque

ex-

exclusa non erat, ut jam firmatum fuerat in *dicta dec. 135.* coram Rojas *repetita dec. 291. p. 8. recent.* ejusdem Hieronymæ favore edita, & quæ de stylo Tribunalis erat præsupponenda, ita intraret casus mixtus; cuius ratione, Statutum in totum cessaret, etiam respectu personæ exclusæ.

De primo, & secundo motivo agit decisio, non autem de tertio, quia fortè satisfacta Rota de duobus primis, non creditur necessarium agere de altero; De omnibus autem magis disputatum fuit inter ejusdem Cardinalis actoris Advocatos post editam decisionem in congressibus habitis, tam pro nova disputatione habenda super jam demandata decisionis revisione; quam pro consilio, an expeditet amplecti concordiam, cuius magna causa fuerunt excitate difficultates juxta nimium verè commendabilem Romanæ Curie professorum ingenuitatem promovendi difficultates contra clientem, summoque studio procurandi litium terminationes contra propria commoda; Quare dicta tria motiva singulariter expendendo.

Quatenus pertinet ad primum diversitatis lineæ; Quamvis illud firmatum esset ad favorem Hieronymæ neptis in *dicta dec. 125.* Rojas *n. 21.* cum qua favore Victoris quoque processio est in aliis decisionibus coram eodem Rojas, ex propositione quod ubi fit mentio lineæ, intelligitur de effectiva, non autem de contentiva, atque cum eodem sensu processum fuerit in ultima resolutione coram Taja; Nihilominus ego, (reflectendo ad veritatem,) non modicam desuper habebam difficultatem ex defectu applicationis dictæ propositionis, quæ vera est in suis casibus, in quibus loquuntur auctoritates ad id desuper inductæ nempe Soccin. *conf. 33. lib. 3.* & Rota *dec. 417. par. 1. rec.* quoniam Soccin. loquitur de patre excludere volente defuncti germanam sororem, ideoque in ea diversitas rectè verificabatur, cum lineæ patrui stirpes non esset ille, qui erat stirpes lineæ defuncti, ac sororis, ideoque diversitas alienarum erat certa; Idemque in casu, de quo agitur *d. dec. 417. p. 1. rec.* ubi de linea masculorum descendentiæ per fœminam quæ non facit lineam, sed dicitur finis lineæ, cum ista constituitur per patrem, non autem per matrem, ideoque dictæ auctoritates percipiunt casus diversos.

In casu autem de quo agitur, Laurentius senior pater Laurentii junioris Rei conventi, ac Poggii defunctus, ipsaque Victoria soror, ex cuius persona actor veniebat, omnes erant ex eadem linea effectiva Francisci communis patris, quæ per necessitatem attendenda est in Statuto disponente de successione fratris mortentis abque propria prole, & consequenter Laurentius junior dicti Laurentii filius erat de eadem linea effectiva dicti Francisci communis stirpis, ideoque istud motivum apud me magnam habebat difficultatem.

Quo verò ad secundum, super gradus inæqualitate; Scribentes pro reo convento non negabant regulam pluries *doc. eodem tit.* & in aliis insinuatam, ut hujusmodi Statuta quoties non habeant amplitudinem verborum, vel rationem aliquam unde limitatio resultet, intelligenda veniant data gradus æqualitate, non autem per masculos inæquales, ut præsertim advertitur *disc. 3.* Dicebant tamen quod cum ageretur de filio superstiti ex fratre prædefuncto, iste occupabat locum patris ex beneficio representationis, quæ de plano intrat favore nepotum ex fratre in successione intestatis, cum difficultas verteretur in successione fideicommissaria, vel ex eo pinguiori beneficio subingressiois, ob quod etiam in fideicommissaria successione remotior sit proximiori æqualis ex pluries deductis *sub tit. de fideicommiss. præsertim disc. 17. & 18.* atque ita cessabat inæqualitatis obiectum.

Ad id autem probandum, ultra generalia, quæ locis proximè citatis, ac alibi pluries habentur, super hac utraque representationis, & subingressiois legali fictione; In specie hujusmodi Statutorum deducebam firmata per Rotam in Romana successione de Girona *23. Januarii 1574.* coram Robustero, & in Urbevitanæ hereditatis *28. Maii 1599.* coram Litta; Ideoque in dictis congressibus, qui occasione revisionis ut supra habiti fuerunt, principaliter examinata fuerunt istæ decisiones, quæ majorem timorem inferebant, ob stylum nimium deferendi decisionibus præsertim antiquis.

Posterior decisio Urbevitanæ, de facili evitabatur ex facto, dum præcipuum ejus fundamentum consistit in littera clara Statuti, per quod soror tam per fratres, quam per fratrum filios excluditur, ideoque ad rem non faciebat, unde propterea difficultas restringebatur ad alteram decisionem in Romana de Girona coram Robustero, pro qua autem

evitanda ponderabam, quod inter Statutum antiquum Urbis, de quo ipsa loquitur, & istud Viterbiense; aliqua possit assignari ratio differentie; Illud enim vocat fratres dispositivè; Istud autem loquitur conditionaliter; Itaque differentia notabilis esse videtur, quoniam in primo casu, una tantum fictio intrat representationis vel subingressiois; In altero autem duplicem fictionem admittere oportet contra juris regulas, Unam scilicet fingendo, ut masculi in conditione positi censeantur vocati; Et alteram, ut remotiores ex dicto representationis vel subingressiois beneficio, efficiantur proximiores; Istud autem inconveniens duplicis fictionis in specie observat Faber de *error. pragmat. dec. 29. error. 1.* cum quo pertransit Robles de *represent. lib. 3. c. 1. n. 20. cum segg. & n. 30.* ut in causâ decisione.

Præterea advertebam mirandum non fuisse, quod dicta decisio successivis temporibus impugnata non fuerit, neque de ea amplius actum sit, quamvis aliquo æquivoce ut infra laboraret, dum paulò post illam editam prodierit sub Gregorio XIII. Statuta nova, per quæ hujusmodi quæstio litteraliter tollitur, disponendo in fratrum filios idem, quod Statutum antiquum de fratribus disponebat; Ubi etenim id non contigisset, non improbabilius ea impugnari potuisset; Siquidem principaliter se fundat in doctrina Bart. in *l. liberorum ff. de verborum signif. n. 12.* ubi loquitur de nepote directo succedente in locum patris, atque ita primum locum occupante in successione avi, ad exclusionem filiarum, & sic de representatione in linea descendiva in quibus terminis loquuntur Fulgos. *conf. 77.* & cæteri sequentes Bart. in eadem decisione allegati; Atque in eodem sensu loquuntur Faber & Robles *ubi supra*, procedentes cum eadem doctrina Bart. in eisdemque terminis disputat quæstionem Brun. dictæ doctrine impugnator *de Statuto exclusivo art. 12. n. 202. cum seg.* (licet paucos habeat sequaces;) Nemo autem ex allegatis in eadem decisione descendit ad istam distinctionem inter lineam descendivam, & collateralem, quam individualiter excitat Brunus *ubi supra n. 206.* quamvis istam omitendo, atque terminos quodammodo confundendo, pertransiant ad alteram quæstionem, an sub nomine fratrum veniat patruelis.

Et quamvis in eadem decisione allegentur Aretin. *conf. 162. Alex. conf. 88. lib. 1. & conf. 36. lib. 6. Dec. conf. 484. Soccin. conf. 252. lib. 2. Roland. conf. 68. lib. 1. & alii*, qui loquuntur in his terminis concursus nepotis, ex fratre prædefuncto cum patruo pro successione defuncti fratris vel patrui respectivè, & sic in propriis terminis representationis in linea collateralis, Attamen omnes percipiunt terminos diversos, nemo autem percipit illos præsentis quæstionis excepto Gabr. *conf. 1. lib. 2.* scribendo in eadem causa in qua decisio prodit; Siquidem Alex. & Decius, ac alii loquuntur in terminis quæstionis inter nepotem, & patruum de qua Bald. *conf. 30. lib. 1.* ut scilicet vocato per Statutum fratre vel proximior, frater superflus, denegando beneficium representationis, ac proximitatem fictam, præterdat succedere in totum private ad nepotem ex altero fratre prædefuncto juxta Baldi sententiam, quam ipsi negant, & sic ac diversum effectum, quoniam; Aliud est admittere representationem, ut remotior ejus beneficio admittatur ad equaliter succedendum cum proximior; Aliud verò ut ex eodem beneficio, remotior proximior excludat, in quibus terminis loquuntur Aretin. *dicto conf. 162.* & Soccin. *d. conf. 252. lib. 2.* Scribentes pro nepote in duabus famosis successioneibus feudibus, in Regnis Siciliæ ultra, & citra; Verum de istis auctoritatibus dicebam nullam in proposito habendam esse rationem; Tum quia ipsi succubuerunt atque contrarium pro patruo judicatum fuit, ut testantur Milanen. *dec. 7. n. 224. & 269.* Rauden. *conf. 1. n. 66. & segg.* Urfin. *de feud. part. 2. q. 4. art. 1. n. 9.* dum tunc magis recepta erat opinio ut representatio, quæ per Feudistas datur in linea directa, non procedat in collateralis, unde propterea rectè quoad istas auctoritates intrat consideratio Franch. *dec. 260. n. 5.* & canonizata per Rotam in *Lauden. Censu 23. Junii 1666.* coram Taja *in fine*, quod quando allegantur Consilia, oportet videre decisiones super eis editas; Tum etiam quia ibi agitur de successione feudorum juris Francorum, quæ sunt individua, & non conveniunt nisi uni personæ cum ordine primogenituræ, itatut difficultas intret ratione individualitatis, ob quam, atque ob peculiarem primogenituræ naturam, primum locum obtinet linea non curato gradu; Atque ex hac ratione provenit apud modernos, ut magis communis opinio sit pro nepote ex fratre primogenito ex deductis per Rovit. *dec. 51.* Urfin. *d. art. 1. per tot. plenè & elaboratè Marcian. jun. disp. 1.*

sum

rum *seq.* qui licet extra causæ necessitatem evagando, ingeniosè curetur probare, ut etiam ex sola dispositione juris communis, beneficium repræsentationis operativum, sit nedum quoad exclusionem nepotis insimul cum patruo, sed etiam quoad ejusdem patris exclusionem, Nihilominus si bene ponerentur Novellæ Justiniani, ac auctoritates Mantici. & aliorum per ipsum deductæ, contrarium videtur verius, quoniam cum hoc beneficium introductum sit ex quadam æquitate, ista semper exerceri debet sine alterius detrimento, eum aliàs iniquitatem potius contineret; Ideoque vera ratio dictæ opinionis consistere videtur in individuitate, ac in natura primogenituræ, in qua primum locum occupat linea ex iis, quæ deducta habentur *sub tit. de feud. disc. 13.* & latius in *decisione Siciliae* ibidem registrata, & *sub tit. de fideicom. disc. 16.* & aliis.

Ubi verò agitur de materia dividua, tunc juridica, ac rationabilis videtur *decis. 21.* Capicii, quæ indebitè impugnetur in *dicta decis. de Girona*, cum eam à Sac. Consilio canonizatam esse etiam in temporibus, quibus hæc posterior opinio ad favorem nepotis retinebatur, observet in specie Ursini *dicta p. 2. q. 4. art. 5. & 6.* ubi multas ponderat differentias inter repræsentationem in linea descendiva, & alteram in linea collateralis; Ac etiam quia magna differentia est inter repræsentationem ad solum effectum includendi cumulatè, & ad alterum effectum excludendi, ut observat etiam Rotam *dec. 417. p. 5. rec.* ubi admittitur, ut etiam in Statutis intret prima species, quoties Statutum non esset ita conceptum, quod ex verbis vel aliis circumstantiis ejus ambigua dispositio diversam mereretur interpretationem, eam non minus in ambiguis statuentium dispositionibus, quam in illis testantium vel contrahentium, conjecturata voluntas inquirenda sit.

Hæc super isto puncto discurrebam, deduci posse, loquendo more Advocati, cum probabili spe, quod admittenda essent, stante opinione, cum qua communiter proceditur super stricta intelligentia hujusmodi Statutorum, utpotè exorbitantium; Verum quia in propria sensu, hæc Statuta potius favorabilia reputanda videntur, utpotè ad antiquum jus Romanorum reverſiva, nostrisque Italis moribus adaptata, ex iis, quæ habentur in *Perusina successiois disc. 1.* & in aliis; Hinc proinde magis placebat opinio Rotæ firmata in *allegata Romana de Girona*, ideoque tam ob affectionem erga propriam opinionem, quam etiam ob auctoritatem dictæ decisionis, libenter consului concordiam, quodque suscipi non deberet futuræ disputationis alea, ut sequitur fuit.

Et quoad tertium motivum in decisione desuper edita non tactum, eo quia Rota satisfacta de motivis in prioribus decisionibus canonizati, de illo non curavit; Quod scilicet cum superesset dicta Hieronyma femina ex masculo prædefuncto, de qua Statutum nullam habet mentionem, & quæ propterea tanquam in casu omisso, atque per Statutum non considerato, admissa fuit in *allegatis decisionibus 291. p. 8. rec. & 135.* apud Rojas, ita resultaret quod versaremur in casu mixto, ideoque ista mixtura personæ non exclusæ faceret in totum cessare Statutum, etiam respectu personæ exclusæ juxta *conf. Collegii Perusini inter conf. Angeli 210.* cum quo cæteri transeunt, ut omnium latius, & melius Gabr. *de success. conclus. 4. n. 10. cum sequen. Marca de success. legal. par. 2. q. 3. art. 2.* atque hanc opinionem tenuit Rota in *Bonon. de Beroaldis* apud Giovagn. *conf. 1. lib. 1. doc. 59. p. 1. rec. & dec. 43. p. 7.* & habetur in *Nepesina seu Sutrina successiois disc. 3.*

In discussu autem, qui super hoc motivo in congressibus habitus fuit, Collegæ non negabant veritatem conclusionis, sed dubitabant de effectu ob auctoritates Ruini *conf. 39. n. 2. lib. 3. Brun. in trad. extantibus masculis art. 6. nu. 136.* & aliorum, de quibus plenè Giovagn. *conf. 2. n. 28. & seq. & conf. 3. lib. 1.* quod scilicet ubi persona excludens est in pari gradu cum exclusâ, & cum altera non exclusâ, unde resultet mixtura, tunc vel exclusâ non admittatur, vel si admittatur, faciat partem ad favorem excludentis; Ponendo exemplum de fratre excludente sororem dotatam, quod si admittatur etiam soror indotata, ista quidem succederet, sed non per hoc aperit locum forori dotatæ, & exclusæ facienti partem ad favorem masculi; Et de quo etiam in terminis Consuetudinum Neapolis habetur apud Rovit. *conf. 28. & 29. lib. 2.* Apont. *conf. 61.* Capyc. *Latr. dec. 61.* Montan. *contro. 1.* Bottiglier. *de success. ab intest. theorem. 16. num. 9. & 10.*

Pro isto objecto evitando, (quatenus in prosecutione causæ, illud esset deductum;) Dicebam in congressu, quod

dupliciter responderi posset; Primò juxta stylum simplicium pragmaticorum, quod allegatæ auctoritates non percuterent casum contrariæ, cum loquantur ubi persona excludens est in pari gradu cum exclusâ, non defendentes ad casum ubi duo obstacula concurrant, unum mixturæ, & alterum inæqualitatis gradus, supplendum cum fictione repræsentationis.

Et secundò neoterice, assumendo provinciam probandi, quod hæc Ruini. & sequacium opinio non videatur tuta, cum ipsi moveantur ex eo quod conclusio desumpta ex *dicto conf. Collegii Perusini* fundetur solum in ea ratione, quod eatenus persona exclusâ non admittitur, quatenus excludens admittatur, itaut ista exclusâ ab alia persona per Statutum omiſsa, cesset dicta ratio, quam ipsi unicam præsupponunt.

Istud autem præsuppositum detegitur fallax, cum non sit ista vera ratio conclusionis, sed potius altera, quod Statutum loquens in casu simplici, non habeat locum in mixto utpotè omisso, in quo proinde, ipso Statuto de medio sublato, ac si non adesset, intrat indefinitè dispositio juris communis, eum eadem sit ratio totius quoad totum, ac partis quoad partem, ut bene ratiocinatur Rovit. *conf. 29. n. 6. & per tot. lib. 2. ex Ann. alleg. 117.* & aliis quos allegat, istaque est ratio, quam probavit Rota in *supra allegatis decisionibus 59. p. 1. & clarius decis. 43. p. 1. rec.* Ideoque cum causa disputanda esset in eodem Tribunali, dicebam quod procedendum esset cum ratione per ipsum Tribunal canonizata, non autem cum subtilitatibus Consulentium, quorum, utpotè ad pecuniam, vel affectionem scribentium, auctoritas semper est suspecta; Verùm defuit occasio id disputandi; atque maturius examinandi, ob subsequitam ut supra concordiam, quæ stantibus prædictis difficultatibus, ab omnibus concorditer consultata fuit.

Ponderabam quoque quod facilis hæc admittenda essent ob particulares facti circumstantias, quod scilicet persona non exclusâ, & à Statuto admissa, esset etiam femina, & remotior; Durum enim, atque ab humana ratione alienum esse videtur, ut soror excludi debeat à successione fratris, ad effectum ut ejus exclusio impugnetur portionem alterius feminae remotioris; Verùm videbatur, quod in sensu supra allegatorum, hoc absurdum cessaret, quoniam dicta neptis non exclusâ contenta esse debeat sua portione, soror verò exclusâ faceret partem ad favorem excludentis.

Ad hoc tamen non cessabat durities, quod soror primi gradus excluderetur per masculos remotiores in secundo gradu existentes, & quod femina remotior succederet, undè posita istius remotioris admissione (in sensu etiam veritatis) credebam justas dicta resolutiones pro sorore; Difficultas tamen mea erat contra utramque ne ex benigna in meo sensu; hujusmodi Statutorum interpretatione æqualiter excludi deberent, ex iis quæ super hoc puncto habentur in *dicta Nepesina disc. 3.* diversaque ratio est in matre, cujus causa in hoc est proximior, ac favorabilior.

FIRMANA SUCCESSIONIS PRO MANARDIS CUM PICCUCIIS.

Casus parè decisus per Rotam.

De Statuto Amandulæ excludente cognatos propter agnatos usque ad secundum gradum, an requiratur, ut cognatorum mater sit dotata per eum, de cujus successione agitur; Et de graduum computatione, an faciendâ sit de jure civili, vel danonico.

SUMMARIUM.

- 1 *Acti series.*
- 2 *Resolutiones causæ.*
- 3 *De punctis controversis.*
- 4 *Quid disponat hoc Statutum.*
- 5 *Quod debeat sufficere una dotatio.*
- 6 *Ut secunda pars Statuti esset independens à prima.*
- 7 *In testamentis non est immovandum in formula verborum, vel superficie scripturæ, sed in substantia voluntatis.*
- 8 *Idem in Statutis, & de ratione.*
- 9 *De aliis Statutis interpretationibus.*
- 10 *Rubrica habet vim legis, vel deservit pro interpretatione.*
- 11 *Observantia nimium est deferendum pro interpretatione.*
- 12 *In computatione graduum attenditur dispositio juris civilis.*
- 13 *Quando secus; ut attendatur jus canonicum.*

DIS-

Cum Mandricardus Manardus, scriptis hæreditibus tribus filiis, unicæ filia dotem in certa summa reliquisset, atque fratres, dicta fore nupta, & dotata, pro communi viverent, defunctoque uno eorum superstitibus Cæsare, & aliis filiis, isti convixerint cum patruis, eisque uno post alterum ab intestato absque prole defunctis, dicti nepotes possessionem antiquam pro communi continuantes, totum possederint pacificè continuato spatio annorum viginti circiter; Postmodum Piccucci filii Mariæ Joannæ prædefunctæ Raphaeli ultimo defuncto, prætendentes ut ipsi ad formam juris communis intestata successio tanquam nepotibus ex sorore æque debita esset, ac nepotibus ex fratre, iudicium immisionis in interdictione *quorum bonorum* instituerunt coram A. C. à quo prodiit reorum conventorum abolitoria; Introducta per appellationem causa in Rota coram Bevilacqua, datoque dubio, an actoribus danda esset immisio *sub die 14. Martii 1664.* negativè responsum fuit: Repposita verò causa *13. Junii 1668.* recedendo à decis. affirmativa prodiit resolutio, adversus quam concessa nova audientia, pendet disputatio soliti dubii, an standum sit in primo, vel in secundo loco decis.

Quamvis autem Rei conventi cum tribus motivis actores repellere curarent, de quibus omnibus disputatum fuit coram A. C. Primò nempe de renunciatione; Secundò de fideicommissio à dicto Mandricardo ordinato (ut supponebatur) omnia controversa bona absorbente; Et tertio de Statuto loci cognatorum exclusivo propter agnato; Atamen Rota suspensis duobus primis, iisque aliis disputationibus reservatis, de solo puncto intestatæ successiois, ac Statuti respectivè disputare voluit, de dicto autem alio puncto fideicommissi habetur *sub tit. de fideicommiss. disc. 105.*

In his autem disputationibus; Cum Statutum duo capitula, unum post alterum contineret, quorum primum excludit feminas propter masculos sub conditione dotis, etiam in modica summa, de bonis ejus, de cujus successione agitur; In altero autem subsequenti demandatur exclusio cognatorum propter agnatos usque ad secundum gradum; Hinc proinde unicuique questionis punctus, super quo Rota variavit, erat an ista posterior pars Statuti esset dependens, & consecutiva à præcedenti, ita ut intelligenda veniret eodem themate retento, quod scilicet femina, à qua cognati descendunt, dotata esset de bonis ejus, de cujus successione agitur, vel potius esset independens, adeo ut dicta dotatio repetita non censetur.

Credebant actores evitare difficultatem cum solo facto, in quo supponebatur, quod fratres, ultra summam dictæ sorori à patre relictam, aliam de proprio dedissent pro dote; ideoque satisfactum esset Statuto, quod non exigit integram dotacionem, sed aliquam partem etiam modicam; In hujus autem facti verificatione, certamen erat causæ Patronorum, cum de his Advocati non se ingerant.

Ubi verò dictum factum non assisteret, Quatenus pertinet ad Advocatorum partes super dicti statuti interpretatione, mihi pro reis conventis scribenti (etiam in sensu veritatis) probabilior videbatur prima resolutio, quoniam, ut dictum est, Statutum duas habet partes, in quarum prima agitur de exclusione feminarum propter masculos, & tunc cum Statutum exigat illarum dotacionem saltem in parte, oportet illius formam implere, quatenus explicitè id exigat; Secus autem ubi verba sint ambigua, adeo ut intret questio, an unica dotatio pro exclusione ab omnibus successioibus sufficiat, vel requiratur, ut sequatur de bonis, de quibus in specie est questio, & sic de quilibet successione, cum tunc, quidquid distinguendo super verborum formulis, & an per alternativam, vel copulativam, habeatur in sepius enunciatas *dec. 390. & 429.* Merlini, & in aliis, pro meo sensu omnino verius videtur oppositum, ut unica dotatio sufficere debeat, ut advertitur in *Sutrina, & Nepesina disc. 3.* & in aliis, quoniam lex civilis in mulieribus, unicam semper considerat dotem in numero singulari; Idemque comprobatur communis usus, ac etiam naturalis discursus, ideoque dicta opinio nullam probabilitatem habere videtur, cum ita eisdem feminis, quando in familia numerosa multarum successiois casus daretur, oporteret multas dotes constituere, ut alibi advertitur.

Verum quidquid sit de hoc, inane opus videbatur punctum disputare, quoniam ob prædecessum sororis, ac etiam ob non existentiam patris, adeo ut juxta receptam opinionem Azonis, nepotes, exclusis fratribus, vel sororibus, venissent in capita, non autem intraret repræsentatio, idcirco

dictæ feminae persona extranea erat à questione, dum actores veniebant tanquam cognati ex persona propria in concursu agnatorum, & consequenter non agebatur de prima parte Statuti, in qua fit mentio de feminis, quibus dos congruit, ita seculi exigente pro conservanda honestate, ac pro publico bono, sed de secunda parte, in qua generaliter, ac indefinitè agitur de utroque agnatorum, & cognatorum genere complexivo masculorum, quibus terminis dotacionis incongruit, ideoque omnino improbabilis videbatur posterior intellectus in secunda decisione præstitus, quod scilicet hæc secunda pars Statuti esset dependens, & consecutiva præcedenti, ac propterea intelligenda veniret eodem dotacionis themate, seu præsupposito retento, cum isto secundo casu cesset illa ratio, ob quam Statuta facientia feminas à successione extraneas, illas de dote providere curant, dum etiam lex antiqua, vel nova, quæ eandem exclusionem demandabat, de dotacione sollicita erat, ac etiam quia inhumanum esset, ut feminae à successione excluderentur, eisque non daretur provisio.

Pro ista vero interpretatione, uno, vel altero modo faciendâ, plura per Scribentes hinc inde dicebantur; ac in utraque decisione ponderantur, attenda verborum formalitate, & an una pars ab altera distincta esset per separatam periodum, seu orationem, necne; Et ad quem effectum considerabatur illæ frigiditates Juristarum, de quibus habetur pluries *sub tit. de fideicommiss.* super puncto, an & quando oratio adjecta prohibitioni alienationis, vel exclusioni delinquentium, stet, dependenter, vel independenter, seu principaliter, vel famulativè, ponderando, an adit punctus, vel littera majuscula, quæ unam orationem ab altera distinguat, cum similibus consideracionibus, quas pro meo sensu semper pueriles censui, congruas Ludi magistris cum pueris grammaticam addiscentibus, quoniam in testamentis, quæ scribuntur, vel per ipsosmet testatores litterarum ignaros, vel per Notarios, sive alios eandem imperitiam habentes, sive ad id non advertentes, insistunt in substantia dispositionis, ut etiam litterati experiuntur, quando scribunt negoria, ideoque prorsus improprium est ex hujusmodi formalitatibus, voluntatem, uno vel altero modo regulare.

Fortius verò idem dicendum est in Statutis, quæ retroactis barbaris, ac indoctis sæculis ordinata fuere, quando etiam in magnis Civitatibus, loquendi, ac scribendi modus, ad modernam politiorum formam redactus non erat, multò magis in hujusmodi parvis oppidis, & locis, in quibus etiam hodiernis temporibus stylus grossolanus connumerari videtur, ideoque prorsus improprium est, cum hujusmodi verborum formalitatibus, & grammaticorum rigoribus procedi debere, cum omnino verius procedendum sit cum sæpius insinuata propositione, ut neglecto verborum cortice, attendi debeat substantia voluntatis, quæ stantibus pluries insinuatis Italiæ moribus, ea est, conferendi bona in agnatione; ac regulandi successiones in ea forma, cum qua in hac regione regulabantur, priusquam juris novissimi inventio, ac usus sequeretur, præferretur do agnatos cognatis.

Ac etiam quia, dum in parte præcedenti, excluduntur non solum feminae dotatæ, sed etiam earum filii, ista secunda pars omnino superflua, seu fatua esset, cum soli filii primi gradus feminarum sint illi, qui veniunt sub nomine cognatorum excludendorum intra secundum gradum, ideoque non videbatur ad quid oporteret repetere hanc secundam partem, nisi ut ea esset omnino discreta à præcedenti, magisque ampla, & complexiva totius generis cognatorum, quam discretionem clarè comprobare videntur pleraque argumenta etiam ex sensu litterali desumpta, & præsertim ampliora verba denotantia etiam intestabilium successioem ob illa verba *proprè, vel impropriè*; Potissimè verò attenda Rubrica dictam discretionem clarè ostendentem, dum profertur de quatuor diversis disponere, nempe de Testamentis, de Substitutionibus, de Successioibus ab intestato; Et quod mulier dotata non succedat; Ergo discretus est casus successiois ab intestato generalis, à casu particulari successiois feminarum propter dotem; Receptaque propositio est, quod Rubrica ubi habet orationem perfectam, pro lege habenda est, multò verò magis illa attendi debet pro legis, seu nigri interpretatione, ex deductis per Fenzone. *ad Stat. Urbis 115. n. 8. & 9.* Rota apud Gregor. *dec. 5. n. 2.* apud Rojas *dec. 359. n. 14.* & frequenter.

Quia verò ubi agitur de materia interpretationis legis, vel alterius dispositionis ambiguae, optima, omniumque melior interpretatio est observantia, in qua in secunda decisione magnum constituitur fundamentum; E converso autem agnati

agnati rei conventi acriter infestebant, quod ista inconcussa esse in contrarium; Hinc proinde eidem Reis consului, ut curando questionem dirimeret cum facto, cujus motiva semper meliora, & solidiora sunt; Quatenus hæc præsupposita justificatio sequatur; pro certo sperandus videtur recessus à secunda resolutione, cum ita observantia accedente, omnis difficultas cesset.

In prima disputatione Rotali, ac etiam coram A. C. predebant Scribentes pro actoribus, quod data etiam dictæ secundæ partis Statuti dependentia, adeo ut motum donationis non intraret, adhuc tamen, non erant in gradu, de quo Statutum loquitur utpotè restrictum ad secundum gradum, ex recepta regula de qua ex Baldo in l. si avia C. de successor. edit. Mareicor. lib. 2. var. cap. 8. n. 23. Honded. conf. 4. n. 3. lib. Grat. discept. 67. n. 1. Altogr. conf. 47. lib. 2. ut etiam in terris Ecclesiæ in materia successoria, graduum computatio fieri debeat juxta ordinem juris civilis, cum ordo præscriptus à jure canonico percutiat solum materiam matrimonialem; Atque hoc posito, resultabat quod attendenda persona defuncti, actores erant in tertio gradu, ipsique contententes tanquam consobrini inter se erant in quarto.

Verùm istud motivum nullam penitus probabilitatem habebat; Tum quia idem Statutum in alia parte disponit, quod ubi sit mentio graduum, intelligendum veniat juxta ordinem juris canonici, ideoque verbebatur in claris, & expressis, in quibus cessant omnes quæstiones, & argumenta: Tum etiam quia receptum est, ut etiam præsumpta seu adinstructiva diversæ voluntatis statuentium probatio in hoc proposito sufficiat ex doctrina ejusdem Bald. in l. fin. vers. Sed si statutum C. de successor. edit. cum concordantibus per Honded. dicto conf. 4. n. 48. plenè Altograd. dicto conf. 47. lib. 2. Itaque voluntas videbatur non solum adinstructiva, sed clara, quoniam juxta dispositionem juris civilis, sufficiebat dicere, quod fratres excludant sorores, dum intra istos restringuntur duo gradus de jure civili, ideoque non esset verificabilis alter casus magis genericus concursus cognatorum, & agnatorum nisi inter consobrinos, vel nepotes, & avunculos, & sic attento ordine, seu computatione juris canonici.

NUCERINA SUCCESSIONIS PRO FRANCISCO MORONO. CUM N.

Casus disputatus coram Prælati Judice commissario, incertus est exitus.

De Statuto Gualdi vocante fratres, & fratrum filios ad successionem fratris, exclusis feminis; An attendenda veniat inter ipsos fratres distinctio unitatis, vel duplicitatis vinculi; Et an sub generica exclusione feminarum, veniat etiam mater.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
2 De Doctoribus tractantibus quæstionem hinc inde.
3 Ita sufficit eos indicare absque superfluo cumulo allegationum.
4 Quomodo ista quæstio decidi debeat, & n. 12.
5 De Statuto Urbis vocante fratres per copulativam.
6 Secus ubi vocat per alternativam, quæ denotat prælationem.
7 Concurrunt omnes ubi contemplata est agnatio.
8 De eodem consensu in fideicommissis.
9 Ubi latus maternum non est exclusum utrinque conjuncti præferuntur.
10 De ratione, cui innititur opinio favorabilis consanguineis.
11 De historia legali in materia successionis.
12 De eodem, de quo n. 4. quomodo quæstio debeat decidi.
13 Declaratur conclusio, de qua n. 7. circa copulativam, vel alternativam.
14 Mater non venit sub generica exclusione feminarum, sed indiget nota speciali.
15 De hoc Statuto particulari ejusque dispositione, & interpretatione.
16 De reduplicacione conjunctionis utrinque, an vincant unicam conjunctionem.

Equata morte ejus, qui fratres utrinque conjunctos, & consanguineos tantum habebat, stante Statuto Gualdi, seu alterius loci istius Nucerinæ diocesis ad intestatam fratris successionem vocante fratre, eorumque filios cum exclusione feminarum; Hinc orta est controversia, an ex hac statutaria dispositione resultaret æqualis concursus fratrum consanguineorum, qui de jure sine dubio non intrat cum utrinque conjunctis, pro quibus in causa pendente coram Prælati in gradu appellationis ego semel scripsi, incertumque est quid in causa sequutum sit, forsitan concordia ei finem dedit dum amplius de illa actum non audivi, neque jurium alterius partis communicatio sequuta est; Undè propterea judicium maturum desuper efformari non potuit.

In dicta igitur unica informatione desuper edita, duas efformabam inspectiones; Unam generalem, seu in abstracto, an ille ordo, qui per jus commune statutus est inter fratres utrinque, ac illos ex uno tantum latere, procedat etiam in hujusmodi Statutis, vel potius sola conjunctio ex eodem paterno latere sufficiat; Et alteram in concreto, quid scilicet in casu istius Statuti dicendum esset.

Quatenus pertinet ad primum; Quamvis DD. in hoc nimium certare videantur, atque per classes dividi, adeo ut præ cæteris inter modernos, doctus, nimiumque elaboratus. Cyriac. contr. 353. relatis Mandel. conf. 5. Mart. conf. 84. Menoch. conf. 187. Surd. decis. 239. & alias quæstionem tractantibus pro opinione præferente fratres utrinque ad normam juris communis, quadraginta duo Doctores colligat, quibus addi possunt deducta pro eadem opinione per Michalor. de fratr. p. 3. c. 14. n. 16. E converso autem, pro altera admittente æqualem concursum etiam consanguineorum, quam ipse in terminis Statuti Mantuani veriorum firmat, & juxta quam decisum testatur, referat majorem numerum quinquaginta octo Doctorum, pluraque deducat fundamenta præsertim n. 26 & seq. reasummat legalem historiam in hac materia successoria insinuatam supra in Perusina disc. 1.

Attamen, loco omnium, dicta auctoritate Ciriac. insinuata, ut ita ostenderetur notitia agentum de materia, quodque nimium facile esset, transcriptoris partes gerendo, chartas allegationibus implere, (genio, tamen ac stylo id nimium prohibentibus;) Advertendam, pro meo sensu errorem videri, cum hujusmodi generalitatibus, vel cum arithmetico DD. numero, in ista quæstione procedere, atque cuicumque casui applicare auctoritates, uni, vel respectivè alteri opinioni assistentes, cum verius videatur, istam esse pariter quæstionem facti, ac voluntatis potius, quam juris, ad instar ferè omnium quæstionum, quas in ultimis voluntatibus, & præsertim in materia fideicommissaria habemus, quodque propterea cum eadem methodo procedendum sit, desumendi scilicet decisionem ex singulorum Statutorum tenore, ac particularium casuum qualitate, sed circumstantiis, cum ita auctoritates, quæ saltim pro notabili parte pugnant videntur, potius diversæ, quam contrariæ remaneant, cum congrua earum applicatione, super qua totus est punctus, bene reflectendo ad circumstantias, de quibus singuli agunt; Undè propterea Cyriac. Surd. & alii ut supra bene loquantur in terminis illius Statuti Mantuani, vel similis, non tamen generaliter cuicumque Statuto applicari debent, & e contra; Quare plures casus, ut decet, distinguendo.

Aut enim Statutum utramque fratrum speciem explicitè distinguit, ut facit Statutum 146. Urbis, ac etiam illud præsentis controversiæ, & tunc subdistinguenndum est; Aut eos copulat, undè propterea omnimodam æqualitatem inter eos denotat, ut facit Statutum Urbis, & tenenda sit opinio, quam subtenent Cyriac. ubi supra, & alii per eum relati, ut advertit Rota dec. 118. post Fenzon. ad Statut. ubi allegantur Gabr. conf. 6. lib. 1. & alii; Aut verò loquitur per alternativam, & tunc diversa opinio tenenda sit, cum alternativa denotet prælationem, seu ordinem per prius, & per posterius ut in his terminis Ruin. conf. 28. n. 4. lib. 3. Et generaliter de hac operatione alternativæ habetur pluries sub tit. de fideicommissis, ac etiam sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc. 89. & alibi.

Aut verò dictas species non distinguit, nullumque alium discretivum loquendi modum inter eos tenet, & tunc principaliter inspicendum sit, an maternum latus extraneum a successione efficiatur, nec ne, quia nempe habita explicita, vel implicita contemplatione agnationis, mater, ac alii per ejus latus atinentes, excluduntur, & pro concursu æquali consanguineorum cum utrumque conjunctis respon-

pondendum venit; Ad instar eorum, quæ in fideicommissis agnatiis in hac eadem quæstione habentur in magistrali decis. 91. Orthobon. & in aliis relatis sub tit. de fideicommissis. disc. 20. Cum enim Statuta dicantur continere testamentum legis, hinc proinde merito hæc materia, cum fideicommissaria regulanda videtur.

Aut verò maternum latus extraneum effectum non est, & tunc probabilior altera opinio videatur, quoniam ut pluries advertitur dicto tit. de fideicommissis. cognatorum inclusio seu mixtura, destruit agnationis contemplationem, & consequenter cessat potissima ratio, cui innititur opinio admittentium hunc æqualem concursum, neglecta vinculi inæqualitate, quod scilicet maternum latus tanquam extraneum seu impertinens in consideratione non habetur, ac si non esset, ideoque istius vinculi prærogativa nullatenus remaneat considerabilis.

Historia vero legalis, quæ ex Valent. Foraster. & aliis in his terminis expenditur per Cyriac. ubi supra, & insinuat dicto disc. 1. bene considerabilis est pro Statuti interpretatione in casu dubio, ut scilicet facilius reversio fiat ad nostros Italos mores, atque ad illud jus, quo Romanum Imperium regebatur, dum erat in Italia, neglecto altero novissimo condito in Græcia, quod (nescitur quo spiritu) primi interpretes, primique in hac facultate nostri parentes ita mordicus receperunt; Sed ubi ista ratio cessat, non videtur subesse probabile fundamentum, ob quod à jam recepto successione ordine recedere teneamur, cum plerique ex tenentibus dictam opinionem pro concursu equali, procedant, vel cum terminis feudilibus, vel cum illis fideicommissi agnatiis, ita præsupponendo extraneum, ac impertinens latus maternum, prout in utraque feudali, & fideicommissaria successione extraneum remanet.

Et in summa, ut procedendo cum pluries insinuata regula in hujusmodi quæstionibus voluntatis necessaria, quod principaliter immorandum sit in substantia verisimilis voluntatis, (inspicendum veniat finis, sed effectus à Statuto volutus, quoniam si ille est (ut frequentius esse solet,) juxta nostros mores pro conservatione bonorum in agnatione seu familia, ita sufficiat impleri hunc finem, qui æquè habetur in consanguineis tantum, ac in utrinque conjunctis, secus autem è converso; Adeo ut ista voluntate assistente, pro meo judicio, negligenda veniat dicta distinctio inter copulativam, & alternativam; Ea erenim considerabilis videtur in ambiguo, secus autem ubi de contraria expressa, vel conjecturali voluntate probabiliter constat, quoniam ex pluries deductis sub dicto tit. de fideicommissis. ac etiam sub tit. de credito disc. 55. & alibi frequenter, copulativæ tribuitur virtus alternativæ, & è converso, alternativa vim copulativæ habet, firma semper remanente dicta propositione attendendi potius substantiam voluntatis, quam corticem seu figuram verborum.

His autem ita generaliter prænotatis, atque descendendo ad alteram inspectionem super applicatione in concreto; Dicebam probabilius videri, ut servari deberet ordo juris communis ad favorem fratrum utrinque conjunctorum, dum nullibi legebatur exclusio mater, quæ sub generica exclusione feminarum, ex magis communi, & recepta opinione non venit, utpotè indigens nota speciali, ex his, quæ post Bald. conf. 187. lib. 4. & alios habentur relata per Menoch. lib. 4. præsumpt. 39. n. 21. & conf. 197. n. 4. & 958. num. 2. Mart. de success. par. 2. q. 3. art. 10. num. 7. & 10. cum seq. Molfes. ad consuet. par. 14. quæst. 44. nu. 1. cum seq. & conferunt, quæ habentur in Sutrina, seu Nepefina disc. 3. de matre existente in medio, ut cessare facit statutariam dispositionem.

Clarius verò attento ipsius Statuti tenore, dum specialim mentionem facit de matre, quam certis, ibi expressis casibus excludit, ideoque facilius intrat dicta conclusio, quod ea sub generali feminarum exclusione non veniat; Ac etiam quia Statutum loquitur de feminis ejusdem cippi, de quo sine dubio mater dici non potest; Et quod magis, discretivè agendo de fratribus utrinque conjunctis, propter istos, explicitè mater excluditur à successione reservata sola legitima, in concursu autem consanguineorum relinquatur sub silentio, atque inter eosdem fratres adhibetur alternativa, quæ his alijs circumstantiis accedentibus, bene considerabilis remanet, pro constituta operatione prædicta, inducendi inter alternatos ordinem per prius, & per posterius, ideoque probabilius videbatur, ut in hac facti specie, juxta ordinem juris communis, pro fratribus utrinque respondendum esset.

De notabili autem casu in Italia nimium raro, in Lusitania verò, aliisque regionibus, in quibus magis in usu est matrimonia contrahere cum conjunctis, frequentiori an scilicet conjunctio utrinque reduplicata, vincat unicam, agit in specie Souta decis. 11.

tania verò, aliisque regionibus, in quibus magis in usu est matrimonia contrahere cum conjunctis, frequentiori an scilicet conjunctio utrinque reduplicata, vincat unicam, agit in specie Souta decis. 11.

A N C O N I T A N A SEU BERGOMEN. SUCCESSIONIS, PRO CÆCILIA JOANELLA.

Responsum pro veritate.

De Statuto Bergomi excludente sorores ob agnatos; Et an civilitas, vel subjectio Statuti retineatur per eos, qui decedunt extra patriam, seu territorium, à qua diu absentes fuerunt: Et an mobilia, & nomina debitorum existentia extra territorium, sequantur personam defuncti, necne ad hunc effectum comprehensionis sub Statuto.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
2 De Statutis Bergomi, & Brixie.
3 Sufficit subjectio bonorum, & personæ excludentis, non curata subjectio personæ exclusæ.
4 Per absentiam occasionalem non amittitur civilitas naturalis, neque contrahitur domiciliaria.
5 Potest haberi duplex civilitas, & an attendatur subjectio morientis.
6 Quod statutum non operetur in bonis extra territorium.
7 Referuntur agentes de quæstione an mobilia, jura, & nomina debitorum circumscribantur loco, & quomodo.
8 Distinguntur species bonorum ad effectum hujus quæstionis.
9 Universitas mercimonii reputatur jure stabilium, ut circumscribitur loco, & de ratione.
10 Rationes negotiationis videndæ sunt in loco, in quo gesta est.
11 Quæ bona mobilia circumscribantur loco, & quæ non.
12 Quid de pecunia numerata.
13 Et quid de juribus, & actionibus.
14 De nominibus debitorum.
15 Quod ista sit quæstio facti, & quomodo decidenda.
16 An sub confiscacione veniant bona extra territorium.
17 Quomodo decidi debeat quæstio de qua n. 7. & 15.

D I S C. XIX.

Cum Silvester Joannellus Bergomensis, qui diturno spatio annorum 40. circiter vixerat in Civitate Anconæ, mercaturam exercendo, atque testamentum condiderat, in quo in quadam ejusdem Civitatis Ecclesiæ sepulturam elegerat, obisset in Civitate Recanaten. occasione nundinarum, ab intestato (ob testamenti caducationem per hæredis in eo scripti prædecessum,) superstitibus Cæcilia germana sorore, & duobus consobrini; In Civitate autem Bergomi ad sit Statutum, seu Pragmatica excludens ab intestato successionem fratris sororum ob agnatos intra quintum gradum, præterquam in tertia parte, quæ illi præferatur, juxta consimile Statutum Brixie de quo loquitur Fulgos. conf. 84. Hinc proinde, inter sororem, & patruales, orta controversia, super ea pro veritate consultus fui.

Cumque testator, tam in patria (de qua erant contententes) quam in dicta Civitate Anconæ, aliisque pluribus locis, bona possideret, præsertim verò quam plura sparsa in variis locis nomina debitorum ex causa mercimonii quod exercebat; Hinc proinde Respondendo distinguebam causam in plures inspectiones juxta dictorum bonorum qualitatem; Primò nempe quoad bona stabilia existentia in territorio Bergomen. in quo dictum Statutum viget; Secundo quoad bona stabilia vel æquipollentia, ut sunt census, & loca montium existentia in dicta Civitate Anconæ, vel in Urbe, & alibi; Et tertio circa mercas, & bona mobilia ac etiam nomina debitorum.

Quatenus pertinet ad primam; Respondi favore agnatorum contra sororem, cum ita de plano utraque subjectio verificaretur, dum tam defunctus, quam omnes de successione contententes, ac etiam bona subiacebant Statuto; Et nihilominus advertendam ut sufficeret quod concurreret civilitas agnatorum excludere volentium, ac subjectio bonorum, quamvis deficeret civilitas feminarum excludendæ, quoniam ubi feminarum exemptio non provenit ratione eccle-

ecclesiasticæ qualitatis, undè intrent difficultates de quibus supra in *Bonon. disc. 5.* non curatur an ipsæ sint Statuto subditæ, necne, dum sufficit subjectio masculorum excludentium, in quorum gratiam, ac favorem principaliter Statuti prodit, quamvis feminæ, vel aliæ personæ exclusæ sint forenses, ut reprobata contraria sententia, quam tenent *Calderin. conf. 34. de testam. & Ancharan. conf. 157. n. 4.* & alij; Sequendo alteram magis communem, cujus sequaces plenè referunt *Thefaur. lib. 2. g. 4. & Surd. conf. 343.* & in locis proximè citandis firmavit pluries Rota, & præsertim bene *dec. 581. n. 11. cum seqq. p. 5. rec. & dec. 364. n. 9. & seqq. ead. p. 5.* Add ad *Gregor. dec. 255. lit. B. in fin. & fuit dictum in Senogallien. successions 28. Junii 1669.* coram Albergato edita in casu de quo *hoc cod. tit. disc. 23.* ex ea congrua ratione quod potestas adest ratione bonorum, ac adest favor familiarum subditarum, & quia si excluduntur feminæ de loco magis dilectæ, multo magis aliæ minus dilectæ.

Neque dubitandum erat de subjectiōne, seu civilitate defuncti, cum pariter esset de territorio Statuti ratione originariæ civilitatis, quam semper retinere, ibi possidendo plura bona, & supportando publica onera, non obstante diuturna absentia ab ipsa cum animo, & credulitate decedendi extra patriam, & in loco, in quo diu vixerat, ut electio sepulture in testamento contenta, aliæque dispositiones denotabant, quoniam cum dicta mora fuisset occasio- nalis ex causa mercaturæ, ob quam ista industris natio Bergomensis per Italiam, aliisque partes, nimum sparsa vivere solet, idcirco id non tollit naturalem, veramque civilitatem, nedum respectu eorum, qui nati in patria ab ea descendendo, ex ista vel altera occasione, alibi vitam ducant, sed etiam respectu filiorum, qui extra patriam originariam nascuntur, ex iis, quæ habentur *sub tit. de Regalibus in alia Anconitana disc. 104.* ac etiam pluries *sub tit. de præminentiis* ubi de hac materia civilitatis, Quinimò etiam si defunctus verum domicilium in dicta civitate Anconæ contraxisset, undè propterea illius civis factus esset, quoniam non implicat reventio duarum civilitatum, quarum una sit ratione originis, & altera ratione domicilii ex deductis *ditto tit. de Regal. disc. 104.* cum tamen posita subjectiōne concurrentium, & bonorum, de non subjectiōne defuncti ratio haberi non solet, nisi pro ejus voluntate regulanda juxta ea, quæ habentur in *Tudertina disc. 6.* Unde propterea istorum bonorum respectu nulla cadere videbatur probabilis ratio dubitandi.

Quo verò ad bona stabilia, vel equipollentia, ut sunt census, & loca montium existentia in dicta civitate Anconæ, ac in Urbe, aliisque Status Ecclesiastici partibus; Pro sorore respondi, non quia in puncto juris ego ita sentirem, cum probabilius mihi videatur, ut universa successio ex persona defuncti, & ex capite hæreditatis pariformiter pro omnibus bonis regulanda sit juxta motivata in *Januen. disc. 4.* Sed cum controversia tractanda esset coram Governatore Anconæ & successivè per appellationem in Curia, manifestè imprudens consilium esset cum dicta diversâ opinione procedere, dum nimum recepta est alia opinio eodem *discursu 4.* insinuata super copulativo concursu utriusque subjectiōnis personarum, & bonorum, adeo ut ubi ego (quamvis diversum habeam sensum) in Urbe, vel Statu Ecclesiastico judicare deberem, ita quoque judicarem.

Difficultas igitur restringebatur ad bona mobilia, & nomina debitorum, an scilicet circumscriberentur loco, vel potius sequeretur personam defuncti, unde propterea cadere sub Statuto; In hoc autem, ut patet ex deductis per *Tiraquell. de primog. quest. 48. & 49. Franch. decis. 93. ubi adden. Rovit. pragmat. 1. de jurib. & exad. fiscal. num. 74. & seqq. Michalor. de frat. par. 3. c. 7. Bellon. jun. de jure accresc. c. 10. g. 2. ex n. 115. Merlin. de legit. lib. 3. tit. 1. qu. 18. num. 95. & seqq. Buratt. disc. 474.* cum aliis apud eos, videtur quod DD. in varias abierint sententias unde propterea reputatur involuta quæstio, ob magnam opinionum varietatem; Hinc proinde ut planius procedi posset, hanc inspectionem subdistinguebam in plures bonorum, & jurium species; Primo nempe in ipsam tabernam seu fundam mercium cum ejus annexis, & dependentibus, sub quibus veniunt nomina debitorum ex causa mercium minutatim venditarum, habita fide de pretio, ut vulgò dicitur ad credentiam, sive ex causa pecuniarum anticipatè solutarum pro mercium vendendarum pretio; Secundò in alia nomina debitorum stantia de per se independentè à fundaco; Tertio jura, & actiones; Quarto mobilia domi rentia; Et quinto circa pecunias, quæ domi, vel in bancis vel depositis publicis, aut privatis retinebantur.

Quoad fundacum, seu mercionium cum annexis ut supra, dixi probabilius videri, ut circumscriberetur loco, & consequenter non cadere sub Statuto; Tum ex hujus Anconitanæ Civitatis usu reputandi hujusmodi negotia inter stabilia occasione æstimari, seu collectarum; Tum etiam, quia ut pluries alibi advertitur, præsertim *sub tit. de usur. disc. 15. & 16.* hujusmodi mercionia constituunt universitatem, quæ jure stabilitum fructiferorum reputari solet etiam ad effectum fructuum recompenfatorum, juxta terminos textus in *l. curabit. C. de act. empti*; Ac etiam, quia pro eodem negotio retinentur libri, qui pro jure, & interesse plurium ita contractantium, non possunt, nec debent à loco removeri, adeo ut id prohiberi possit, ibique videndæ sint rationes, ex iis, quæ habentur *sub tit. de jurisdict. & foro compet. disc. 73.* Et consequenter situatio, seu circumscriptio loci videtur certa, secum trahens exigentias, quæ reputantur partes, ac membra ipsius universitatis, ut advertitur præsertim *sub tit. de empt. & vendit. discurs. 34.* unde si in aliis, quamvis remotis partibus adest mercis destinata pro hoc negotio, istius loci censerentur; Tum ratione universitatis, seu corporis universalis ad se trahentis omnia membra; Tum etiam ratione destinationis, quæ in hac materia totum facit, ut habetur *sub tit. de legatis disc. 7.*

Quo verò ad bona mobilia independentia à præfato mercionio, cujus pars, vel membra dici non possunt; Subdistinguebam inter illa, quæ de sui natura destinata sunt, ut in eo loco permaneant, & quæ non sequuntur personam domini, & possessoris, ut sunt mobilia lapidea, ænea, lignea, ac etiam mobilia grossa, lanæ, lini, vel serici, tanquam supellectilia domus, in qua ita fixè habitetur, ut tunc pariter pro circumscriptiōne loci respondendum sit; Potissimè verò in hac facti specie, quod tam attentis præfata diuturna habitatiōne, quam electione sepulture, aliisque dispositionibus, excluderetur animus discedendi, potiusque includebatur animus diversus continuandi habitatiōnem in loco, ibique decedendi; Secus autem in altera specie mobiliū, quæ personam potius sequuntur, ut sunt, gemmæ, aurum, argentum, & similia.

Quo verò ad pecuniam numeratam pariter distinguebam; Aut est jure peculii, seu præfidii, ut in loco certo perpetuò manet; Vel sit destinata in emptione stabilitum, vel censuum; Sive sit membrum mercionii, & tunc circumscribitur loco, aut est usualis, & sequatur personam juxta distinctionem, quæ habetur *cod. tit. de legatis, præsertim disc. 5. & 6.* in quæstione, an & quando sub legato mobiliū veniat, necne pecunia numerata, quæ domi, vel in bancis retineatur.

Circa jura, & actiones, dicebam videndum esse, ad quid competant; Si enim ad bona stabilia, istorum jure censentur, ideoque si ad feudalia, feudorū jure censenda veniunt, ut in sua materia *sub tit. de feud. & est. conclusio plana.*

Demum quoad nomina debitorum, in quibus major opinionum discrepantia dignosci videtur; Advertēbam, quod licet magis communis opinio videatur, ut attendi debeat locus contracti debiti, ac destinata solutionis, vel saltem iste secundus; At tamen, cum frequentius adijci soleant pacta, ut debitores ubique desuper conveniri valeant, quod implicitum est sub formula obligationis cameralis, ob quam receptum est, ut electio fori competat, quodque etiam de jure localitas præcisè non attendatur, ubi creditor offerat deducere id, quod interest, ex deductis *sub tit. de credit. disc. 92.* sive quod mora incurfa per debitorem hunc effectum operetur; Hinc proinde his circumstantiis accedentibus, probabilius mihi videbatur, ut certi loci circumscriptio non intraret, sed quod personam creditoris potius sequi deberent, utpotè animo potius, quam corpore, seu localiter possessa.

Considerabam præterea, ut ista quæstio, in qua DD. adeò discordant, atque pro consueto mihi exolo stylo aliquas ponderant formalitates, ex legum dispositione, sive inductione, vel antiquorum traditionibus desumptas, potius facti, & voluntatis, quam juris dicenda veniat, ideoque decidenda sit cum regulis, vel distinctionibus insinuat *ditto disc. 5. & 6. de legatis*, occasione agendi, an & quando pecunia, vasa aurea, & argentea, gemmæ, merces, & similia veniant sub legato mobiliū; Sive juxta eas ponderationes, quæ habentur in Romana confiscationis *sub tit. de Regal. in supplemento, vel sub tit. de iudicis*, occasione agendi de materia confiscationis, quæ in uno territorio, vel Principatu sequatur, an capiat bona, & jura in alio territorio, vel Principatu existentia.

Si enim casualiter, ita exigente negotiatiōne, vel alia occa-

occasione habeat quis in diversis locis pecunias in bancis, vel penes campores ad usum, vel merces, aliæque mobilia, seu etiam nomina debitorum in dies exigenda, absque certo fine, vel particulari destinatione; Et tunc probabilius ista sequi debeant personam potius, quam locum, quidquid nostri varient, cum revera hæc personæ cohærere videantur; Secus autem, ubi studiosè, ac appensatè, ad certum finem, seu effectum, pecuniæ deponantur in bancis aliarum Civitatum, vel Principatum, ibique studeatur habere etiam aurum, argentum, gemmas, & alia mobilia pretiosa, necnon, ut pecunia non remaneat omninò oriosa, quod ibi ea traficetur super cambiis, vel aliàs ad aliquod honestum, sive honestum lucrum detur, animo ibi habendi quoddam separationem peculium pro præsidio in casu infortuniū, quæ in propria patria, vel in loco domicilii contingere possent, ut consideratur in dicta confiscationis materia; Cum enim animus, vel destinatio in his totum faciat; Hinc proinde circumscribuntur eo loco, in quo possessor esse voluit, ut ibi existant; Ideoque erroneum semper censui procedere cum generalitatibus, sed quod sit quæstio facti, ac propterea in singulis casibus circumstantiis, & facti qualitate, ut supra decidenda.

ROMANA, SEU SPOLETANA
SUCCESSIONIS
PRO PAULO MORICONO
CUM ALPINIA, SEU FRANCISCA.
Responsum pro veritate.

De civilitate, quæ requiritur in persona excludente, ad effectum, ut statutum exclusivum ei suffragari valeat, quando adesse dicatur, necne; Et in specie Statuti Urbis excludentis matrem, & sororem propter fratres.

S U M M A R I U M.

- 1 Ad series.
- 2 Ad effectum statuti requiritur civilitas excludentis.
- 3 Qualis debeat esse civilitas.
- 4 De acquisitione civilitatis domiciliaria.
- 5 Possunt haberi due civilitates.
- 6 Mora occasionalis non inducit domicilium.
- 7 Aliud est acquirere civilitatem, aliud verò acquiram amittere.
- 8 De eodem.
- 9 Quando facilius, vel difficilius intret retentio duarum civilitatum.
- 10 De alio casu super eadem conclusione, de qua nu. 5. & 8.

D I S C. XX.

Super intestata successione Fabii Moriconi de Monte Leone Spoletanæ digressis indubitati domicilii Urbis, ubi totus, vel major ejus assis consistebat, orta est controversia extrajudicialis inter Paulum germanum fratrem, & Alpiniam matrem, sive Franciscam istius interim defunctæ filium, & hæredem; Præterente enim Paulo ad normam Statuti Urbis 146. sibi exclusa matre, & sororibus, successiōnem debitam esse; Replicabatur quod statutum non intrabat ex defectu subjectiōnis, quæ copulativè requiritur tam bonorū, quam personæ excludentis, licet non adesset illa personæ exclusæ, ut pluries in aliis advertitur præsertim in *Januen. disc. 4.* ex eo, quod dict. Paulus origine esset pariter de dicto oppido Montis Leonis, quodque licet diuturnum incolatum in Urbe habuisset spatio annorum viginti circiter, ac etiam ex privilegio Populi Romani civilitate potiretur; Attamen eam, sive ex privilegio, sive ex domicilio quæsitam amiserat, dum per plures annos antequàm istius successiōnis casus contingeret, uxore ducta in patria, ibi vivebat, & consequenter, quod civilitas facta, seu accidentalitatis Urbis non suffragaretur ad hunc effectum, pro quo necessaria est civitas effectiva, cum domicilio vero, & personali, vel saltem interpretativo, retinendo domum apertam, & familiam, ac etiam supportando onera publicæ more aliorum civium, & subditorum, ex deductis per *Barbol. de Episcopo alleg. 4. Giurba observat. 75. & 76.* cum concordantibus per Rotam apud *Rojas decis. 332. & 333. decis. 293. nu. 8. par. 6. recent.*

Super hoc autem, ex parte dicti Pauli, vel ejus interim defuncti hæredum pro veritate consulens, pro eo probabilius respondendum esse censui, duas Responfi constituen-

Card. de Luca Lib. XI.

do partes; Primò scilicet super requisito veræ domiciliaritatis civilitatis, quam admittebam ad hunc effectum necessariam esse; Et secundò, an ea posita, seu quæsitæ, per dictum discessum cessasset, seu amissa esset.

Quatenus pertinet ad primum; Civilitatis probatio videbatur plana, non solum ob initium certum resultans ex dicto privilegio, per quod ita declaratus fuit animus, cujus declaratione accedente, cessat quæstio, in qua DD. adeò se involvere videntur, tam super requisito temporis decennalis, quam super aliis signis, vel argumentis in proposito ponderari solitis, cum hæc procedat in ambiguo, non autem in claris, ex iis, quæ habentur deducta *sub tit. de præminenti. disc. 36. & seqq.* ubi habetur actum de ista materia civilitatis; Sed etiam accedebant, longæva habitatio per duplicatum decennium, aliæque probationes, ea præsertim, quod in quodam Urbis Collegio, in quo ex fundatiōne, nonnisi cives Romani admitti possunt, ipse admittis fuerat, plurimque annorum spatio vixerat; Ideoque dubitandi ratio solum cadebat, an eadem jam contracta, & quæsitæ civilitas, amissa fuisset per dictum discessum.

In hoc autem dicebam, quod nisi efficacia hujusmodi desertiōnis argumenta in facto concurrerent, verius pro non desertiōne respondendum erat, ex vera, & recepta conclusione, de qua apud *Buratt. & Adden. dec. 811. & pluries d. tit. de præminenti.* ubi est sedes hujus materiæ civilitatis, præsertim *disc. 37.* quod scilicet duæ civilitates etiam veræ, una scilicet originis, & altera domicilii, sunt invicem compatibles, recteque potest eadem persona esse duorum locorum civis, tam ad effectum onerum, quam etiam bonorum, ac privilegiorum, aliorumque proficuum effectuum; Idque præsertim in exteris Romanam Curiam sequentibus, quotidiana praxis docet, quoniam curant civilitate Romana donari, etiam cum effectiva adeptiōne publicorum officiorum, & munerum Civitatis, & tamen retinent alteram propriæ patriæ; Quamvis etenim, ut pluries in eodem propria sede advertitur, mora in Urbe occasionalis ratione Curialitatis, quamvis per longissimum tempus, civilitatem non inducat juxta notissimas decisiones in Firmana codicillorum coram *Orthobono decis. 89. n. 9. & 145. n. 31. & decis. 312. n. 17. par. 9. recent.* cum aliis in dicta sua sede, attamen id procedit in dubio, secus autem contraria probatiōne accedente.

Posita verò civilitate jam legitime contracta, & quæsitæ, Dicebam non obitare moram alicujus temporis extra Urbem in patria originaria, ducendo ibi uxorem, atque acquirendo aliqua bona, quoniam hujusmodi, ac similia argumenta ponderantur per DD. beneque conferunt, ad effectum probandi incolatum, atque ita acquirendi factam, seu artificialem civilitatem domiciliariam, non autem, ut exinde inferri posset ad desertiōnem civilitatis jam contractæ, præsertim ubi hujusmodi actus sint potius connaturales, novum, ac diversum animum non redolentes, utpotè gesti in patria originaria, cujus civilitas rectè compatibilis est cum domiciliaria, utramque eodem tempore retinendo, juxta casum prædictum, de quo habetur actum in *Britanorien. disc. vit. de præminenti. disc. 37.* ubi de originario Florentino, qui domiciliariam civilitatem in Statu Ecclesiastico bene contraxerat, deinde occasione Senatoriæ dignitatis in patriam reversus fuerat; Quamvis enim in eo casu aliqua haberetur difficultas, unde propterea ad omnem bonum finem obtenta fuit Apostolica dispensatio; Attamen id provenit ex rigore Constitutionum Apostolicarum cum verbis nimum effrœnatis requirentibus verum, ac effectivum domicilium, atque excludentibus quamcumque factam civilitatem, secus autem ad alios effectus, in quibus ista particularis ratio non urgeat.

Et consequenter, (ut mox allegato discursu advertitur;) Aliud est ponderare hujusmodi adminicula ad effectum acquirendi novum domicilium; Aliud verò ad effectum inducendi illius desertiōnem, atque civilitatis jam contractæ amissionem; Potissimè verò, dum in facto supponebatur, quod idem Paulus singulis annis ad Urbem accedere solitus erat, ibique morari per aliquod tempus, atque domum apertam retinere, ut de factis in eadem vivendo cum uxore, & filiis obit.

Facilius autem dicta præsumptio retentionis, seu non desertiōnis domicilii Urbis admittebatur, cum sit merè favorabilis, ac privilegiativa nullum præferens onus, cui subiaceant cives, non autem forenses, ut contingit in parvis Civitatibus, & locis, in quibus solvantur collectæ, aliæque civica onera supportantur, quo casu facilius intrat præsumptio desertiōnis retinere inver-

similitudinis, quod quis duplicia onera civica in duobus locis velit supportare.

Hinc proinde, in plerisque consimilibus controversis, & præsertim in una Faventina pro Augustino Majolo cum Theresia etiam Majola, in qua occasione cujusdam renunciationis, cujus mentio habetur in sua materia sub tit. de renuntiat. disc. 14. incidenter actum fuit de Statuto Faventino excludente sorores propter agnatos, an scilicet Dominicus patruus, qui neprem, ac respectivè forem excludere volebat, esset, necne civis Faventinus, ad effectum, ut ei statutum suffragari possit; Cum objiceretur, quod dicti Majoli origine Mediolanenses, occasione mercaturæ effecti essent cives Faventini ex civitate eorum patri donata per civilitatem, sub expressa conditione domicilii, ideoque suffragari non possent, stante domicilio desertione, aliud habendo in Civitate Ravenne; Replicabam de eisdem, de quibus supra, quod scilicet incolatus in dicta Civitate Ravenne effectus accidentalis, seu occasionalis ratione mercaturæ, ac etiam ob dictam civilitatis dupliciter rectè compatibilem, præsertim, dum in filiis ejus, qui hanc civilitatem ex privilegio obtinuerat, ea erat potius naturalis, seu originaria, quam accidentalis, & acquisita.

PARMEN. HÆREDITATIS PRO CATHARINA SPANA CUM N.

Responsum pro veritate.

De Statuto Parmensi excludente fœminas propter masculos, sub conditione dotis, qua non data, vel non oblata, fœminæ ad successionem reintegrentur; An dotatio, seu oblatio fieri possit per masculorum creditores, vel hæredes extraneos.

S U M M A R I U M.

- 1 Adh series.
2 De statuto continuante possessionem defuncti in hæredem.
3 An statum reintegrans fœminam intra certum tempus non dotatam, exigat interpellationem, & moram.
4 Non sunt adhibendæ diligentia non profutura.
5 Jus excludendi fœminas à successione non transmittitur ad extraneos.
6 Quod negatur hæredibus, multo magis creditoribus.
7 Quando jus statutarie exclusionis transmittitur.
8 Quando dicatur pœna, vel conditio.
9 An creditoribus competat purgatio moræ, ne debitor incurrat pœnam, & privetur bonis.

D I S C. XXI.

Retenta eadem facti serie enunciata sub tit. de hærede, & hæredit. disc. 26. occasione agendi de statuto continuativo possessionis defuncti in hæredem; Disponente Statuto Parmen. exclusivè fœminarum propter masculos, ut fœminis dos dari, vel offerri debeat intra sex menses à die interpellationis, sin minus ad successionem reintegrentur; Cum in hac facti specie Cesar, antequam Catharina soror nubilis efficeretur, plura contraxisset debita, ob quæ bona hæreditaria patris distracta fuerunt, ipseque à sorore interpellatus, respondisset non habere modum dandi, vel offerendi dotem ex carentia bonorum, ideoque elapso termino, ad formam statuti, fœmina prætenderet se ad successionem reintegratam esse, atque tanquam cohæres vindicare vellet à tertii possessoribus bona pro sua virili, ac etiam juvari beneficio alterius statuti continuativi in possessorio; Rei conventi, qui bona emerant, ac etiam eis ad hærentes creditores tanquam necessarij defensores, ac principales interestati prætendebant ipsos admittendos esse ad mor7 purgationem mediante congruè dotis oblatione; Quare introducta desuper causa, (ut credo,) in Consilio Parmen. duo erant puncti; Unus ordinis circa beneficium statuti continuativi possessionis; Et alter in meritis negotii principalis, atque de primo habetur disc. 26. de hæred. & hæredit.

Quatenus igitur pertinet ad alterum punctum negotii principalis, ac scilicet factus esset locus reintegrations fœminæ tanquam per restitutionem fuitati, vel juri communi ob non impletam in termino conditionem, sub qua statutum eam excludere voluit, & non aliàs; Non oportebat assumere quæstionem; de qua supra in Perusina de Benincasa disc. 2. an scilicet terminus à statuto præfinitus curreret

ipso jure, adeo ut dies interpellat pro homine, & sufficiat ad inducendam moram, vel potius necessaria sit formalis interpellatio judicialis, quoniam quæstio cessabat ex facto tripliciter; Primò, quia statutum (ut supponebatur) expressè demandat interpellationem; Secundò quia illa jam sequuta erat in forma judicii, ac ser. fer. Et tertio, quia non oportet spectare fictionem, ubi habetur veritas, dum masculus interpellatus ad damna, vel offerendam dotem, declaraverat neutrum implere posse ex carentia bonorum, ideoque intrabat recepta propositio pluries insinuat sub diversis materiis; & de qua cæteris relatis habetur apud Bich. dec. 484. n. 1. quod non oportet adhibere, vel expectare illas diligencias, quas jam certò constat esse inanes, & non profuturas.

Hinc proinde, unicus disputationis punctus erat, an masculi excludentis creditores, sub quorum nomine veniebant etiam emptores, ac possessores bonorum, Vel quia successerint in jura creditorum cum pretio dimissorum; Vel quia essent evictionis creditores, moram nomine debitoris purgare possent, atque dotem congruam ad formam statuti dare, vel offerre etiam post lapsum termini.

In hoc autem, scribendo pro fœmina, atque sustinendo negativam, Quamvis occasio non dederit invenire tractantes, qui ad hos præcisos terminos descendant; Attamen arguendo à fortiori, juxta legale argumentum deductum ab Autent. multo magis, &c. Dicebam planam videri dictam negativam, dum ex firmatis apud Ruinum conf. 74. lib. 2. istud jus personale non transmittitur ad hæredem extraneum, in quo cessat statuti ratio, seu finis, vel effectus ab eo contemplatus, ut etiam in proposito transmissionis hujus prelativæ successione statutarie non admittendæ, quando in transmissario non concurrat eadem qualitas, vel ratio, quæ in transmittente, vel saltem ratio sanguinis, habetur supra in Fanen. disc. 15. quoniam ut alio advertitur, hæc est facultas in animo latens, quæ ab alio explicari non potest, masculus potest nolle hoc beneficio uti, atque fœminam ad cœqualem successionem admittere.

Multo igitur magis, ubi id, quod negatur hæredi, negandum est creditori, qui longè minus jus in hujusmodi bonorum, ac jurium acquirendorum agnitione habet, quoniam fideicommissum, vel legatum purificatum, ac delatum, quamvis non agnitus, transmittitur ad hæredes; Prout etiam transmittitur jus petendi legitimam, vel ejus supplementum; Atque in plerisque; casibus rationis, vel anni ad deliberandum, sive ex capite restitutionis in integrum, est transmissibile jus hæreditarium, & tamen hæc denegantur creditoribus, quibus jus non datur, nisi ad bona jam effecta de dominio debitoris, qui potest in eorum præjudicium non agnoscere ex iis, quæ ad materiam textus in l. qui autem, ff. que in fraudem creditor. habentur pluries sub tit. de credit. præsertim disc. 137.

Quamvis autem, quando hoc Responsum dedi, ex præmissis conclusionibus, ac rationibus in jure veris, hæc deducerem, etiam cum aliquo sensu veritatis (super qua tamen in hujusmodi controversiis, seu causis extra Curiam ad instantiam unius ex partibus absq; formali disputationis trutinam non de facili maturum judicium efformari potest,) Attamen ex aliquo intervallo, ad hæc reflectendo, aliqua exorta fuit difficultas considerabilis; Præmissa, siquidem rectè procederent, quado masculus, nec verbis, nec factis ejus animum declarasset, adeo ut ambiguum remaneret an voluisset forem ad æqualem successionem admittere, atque non uti beneficio statuti, juxta casu, de quo in dict. Fanen. disc. 15. Secus autem in hac facti specie, dum successionem masculus in totum agnoverat, distrahendo omnia bona, etiam pro virili fœminæ, unde propterea, ex hoc actu, qui in ista portione geri non poterat citrà jus, & nomen hæredis, resultavit aditio juxta terminos text. in l. gerit, & l. pro hærede, ff. de acquirend. hæred. de quibus pluries in sua materia sub tit. de hæred. Et consequenter, data acquisitione non intrant amplius termini dicti text. in l. qui autem, ff. que in fraudem creditorum, cum in jam quæsitis locis creditoribus præjudicare non possit, ex deductis in dicit citatis sub tit. de credito, adeo ut ista reintegratio, quæ fœminæ conceditur redolere videretur potius speciem pœnæ, & caducitatis juris jam quæsitæ propter moram in non adimplendo, & consequenter, ut intraret conclusio, de qua sub tit. de emph. ut creditor admittatur ad moræ purgationem.

Et quamvis, ut advertit in specie Ruin. d. conf. 74. lib. 2. & habetur in hac eadem causa d. disc. 26. sub tit. de hærede, verè, ac propriè ista non dicatur caducitas formalis, seu pœnalis, qualis dicitur illa, quæ consistat in amissione rei propriæ, sed potius detectio non implementi conditionis potius

tius suspensivæ, quàm resolutivæ cum retrotractione ad suum initium, ut etiam plenè comprobatur Camerat. respons. 5 & seqq. l. 1. occasione agendi de eodem statuto continuativo, atque advertitur sub tit. de testam. disc. 73. ubi de distinctione conditionis suspensivæ, & resolutivæ, ac etiam sub tit. de matrim. disc. 14. ad materiam conf. 116. Oldradi, & an contraventio causet impedimentum juris quærendi, vel amissionem juris quæsitæ, quasi quod ista sit conditio suspensiva, quæ in substantia inficit ab initio, ac se opponat principio acquisitionis, quamvis ex intervallo ejus purificatio detegatur, dum non est facere de novo, sed detegere; Atramque inspecta veritate naturali, ac de facto, ista dicitur fictio, vel subtilitas legalis, operativa quidem ad effectum, ut excludatur illa rejectio, quæ in iis, quæ sunt formaliter pœnalis de jure intrat, non autem impedit, quin verè dicatur tolli id, quod jam obtineatur, juxta deducta in Venusina coram Coccino dec. 493. par. 4. sec. tom. 2. cum aliis, de quibus d. disc. 73. de testam. & sub tit. de matrim. disc. 14.

Hinc propterea, nullaque purgatio moræ admittenda videtur, quando æquitas suadeat, quoniam aliud est agere de sustinendo validitatem dispositionis, & ne tanquam formaliter pœnalis improba dici valeat, atque pro non scripta habenda sit; Aliud verò agere ad effectum impediendi amissionem lucri jam quæsitæ, atque privationem illorum bonorum quæ naturaliter, & de facto acquisita, & possessa fuerunt, præsertim favore contententium ex causa onerosa, adeo ut congruere videantur ea, quæ favore creditorum habentur in Fanen. sub tit. de emph. disc. 8. cum similibus; Desuit tamen occasio hucquæ hunc punctum præcisum disputare, ideoque maturum judicium desuper efformari non potuit, incertusque est hujus causæ exitus, dum post unicum responsum, de illa amplius actum non audiivi, quod in causis, quæ extra Curiam disputantur, ut plurimum contingit.

BONONIEN. SUCCESSIONIS DE MARESGOTTIS.

PRO CORRADINO, ET NICOLAO CUM CATHARINA DE PAZIIS.

Responsum.

De statuto Bononiæ excludente matrem etiam à legitima propter fratres, an locum habeat, ubi defunctus, condito testamento, instituat, fratrem, cui substituat extraneum, qui succedat adhuc viva matre.

S U M M A R I U M.

- 1 Adh series.
2 Quod statutum tollat legitimam parentum, vel filiorum in totum.
3 Referuntur agentes de hoc statuto in specie.
4 Statutum cessat in casu testamenti.
5 Declaratur quando id procedat.
6 De intelligentia statutorum, eorumque extensione.
7 Non sufficit existentia personæ excludentis, nisi ea succedat.
8 De congrua interpretatione hujus Statuti Bononiæ.
9 Declaratur conclusio, de qua num. 7.
10 De regula, cessante causa, &c. quando procedat.
11 Quod fideicommissarius habeatur etiam ad effectum statuti tanquam primus hæres.
12 An fideicommissarius succedat testatori, vel gravato, distinguatur.
13 Quando statutum non suffragatur extraneo substituto.

D I S C. XXII.

Alexander Maria de Maregottis, scripta hærede usufructuaria matre, hæredem instituit Clementem Marianum, cui sine liberis decedenti, substituit Corradinum, & Nicolaum agnatos; Cumque factus esset substitutionis casus, adhuc superstiti matre, ista præsentionem excitavit, ea postmodum defuncta prosecutam per Catharinam filiam, super legitima sibi de jure debita, ex triplici fundamento; Primò quod Statutum Bononiæ rubric. de success. ab intestat. §. ipsi quidem fratres, exclusivè matris propter fratres, non possit tollere legitimam de jure naturæ debitam; Secundò quod, cum loquatur de successione ab intestato, locum non habeat condito testamento; Et tertio, quod in omnem eventum, defecto fratre, tanquam ex cessante ratione statuti, in concursu remotorum transverfalium, ad legitimam reintegrari deberet.

Card. de Luca Lib. XI.

Quare desuper ex parte substitutorum consultus, pro ipfis probabilis de jure respondendum esse censui; Siquidem statutaria dispositio super exclusionem matris etiam à legitima, est litteraliter; Et quamvis aliqui crediderint statutis hanc potestatem denegari, ex eo quod legitima sit de jure naturæ; Attamen in foro, id inter fabulas reponi mereatur, etiam circa legitimam filiorum, quorum aliquod majus esse videtur, dum quoad eos, concursus est DD. sensus, ut ea sit de jure naturæ; Multò magis quoad illam parentum, in quibus id est sub quæstione, ut patet, ex deductis in sua materia sub tit. de legit. & de testam. disc. 10. & in specie istius statuti agunt Grat. conf. 21. lib. 1. Bero. conf. 133. in fine, & conf. 177. n. 1. lib. 2. Rota Bonon. decis. 11. & Rot. Romana decis. 272. n. 10. par. 5. sec. Multò verò magis, dum istud statutum, neque tollit legitimam in totum, sed ejus loco subrogat usufructum, ideoque ita satisfacit illi juri naturæ, quod improprie à DD. in hoc proposito ponderatur, cum circa quotam, vel modum, extra omne dubium sit, ut totum pendeat à mero jure positivo; Ideoque primum fundamentum verè levissimum, nullaque ponderatione dignum erat.

Minus subsistere dixi alterum, ut Statutum procedat ab intestato, ideoque cesset condito testamento, & super qua propositione, juxta consuetam ineptiam, allegationis columnæ implebantur per aliquos ex parte matris consultos, quoniam conclusio est vera, sed fallacia clara est in applicatione; Ut enim alibi hoc eod. tit. advertitur, & in specie hujus statuti in dict. decis. 11. Bonon. & dicta dec. 272. n. 11. par. 5. sec. id procedit, quando testator recedendo à statutaria dispositione, facit suam, & successibilem illam personam, quam statutum extraneam, ac insuccessibilem fecerat, ita recedendo à statutaria dispositione; Secus autem, ubi cum ista se conformet, quoniam tunc ea facilius procedit.

Ut enim pluries in aliis habetur, hujusmodi statuta continere dicuntur fictum, seu præsumptum testamentum ejus, qui testari noluit, vel non potuit, quasi quod ita ejus successorem regulari voluerit; Cumque sine dubio, nedum in legali, sed etiam naturali sensu, ac ratione, major sit virtus, ac operatio, expressæ, & veri, quam taciti, & præsumpti; Hinc proinde proprius fabulosus esse dicebam, hoc motivum fundatum in ea (pro meo sensu) inepta propositione, quæ per ora pragmaticorum volitare solet, ut hujusmodi statuta intelligi debeant in verbis, quodque tantum disponant, quantum sonent, neque admittenda sit extensio ab identitate, vel majoritate rationis, sed solum attendenda veniant in iis, quæ oculis corporeis legi possunt, ut præsertim patet, ex adductis in Fanen. disc. 15. ac in decisionibus in ea causa editis.

Allicujus autem considerationis videbatur tertium notivum cessantis rationis statuti, stante conclusionem, de qua in aliis hoc eod. tit. præsertim in Sutrina disc. 3. & disc. tit. de legitim. pluries præsertim disc. 4. ut non sufficit existentia personæ excludentis de facto, nisi exclusionis effectus ad ejus commodum cedat, non autem alterius extranei, vel remotioris à statuto non contemplati, (quidquid in contrarium teneant plures locis supracitatis relati,) quoniam spectanda est ratio statuti, seu finis, vel effectus ab eo consideratus; Unde propterea Monterent. ad hoc statut. Bonon. eod. tit. §. filius lit. A; vers. universa, bene observat; quod si moriens pro parte instituat personam excludentem à statuto contemplatam, & pro parte extraneam, in hac rata fœmina exclusâ, cui de jure debita sit legitima, istius supplementum petet; Atque his Scribentes pro matre addebant vulgarem regulam cum eodem inepro stylo copiosissime exornatam, quod cessante causa, cessare debet effectus.

Verum pariter dixi fallaciam consistere in applicatione conclusionis in suo casu veræ, male autem applicatæ; Procedit enim, quando persona excludens non vult, vel non potest successionem obtinere, adeo ut statuti ratio, vel finis non impleatur; Tunc etenim admittebam verius esse, ut illud non intret; Secus autem, ubi persona à statuto prædicta, successionem obtinuit, quàm deinde amisit per mortem naturalem, vel civilem, ob quam eam amplius retinere non poterat, quoniam tunc successione effectus jam impletus, seu consumatus est; Et consequenter, ubi agatur de statuto simpliciter excludente absque illa reintegracione, de qua in dicta Perusina disc. 2. duæ intrant in proposito receptæ propositiones; Prima scilicet quod semel exclusus, perpetuò remanet exclusus ab eo tamen casu successione, in quo exclusio sequuta est; Et secunda, quod dicta regula, cessante causa, &c. non procedit, quando effectus est jam consumatus, juxta theoreticam Barr. in l. fin sub num. 2. ff. ad Tertullian. cum con-

cordantib. collectis, per Merlin. de legiti. lib. 3. tit. 1. q. 3. num. 1. & segg. & qu. 2. 3. num. 2. & passim.

Et quamvis in contrarium ponderaretur conclusio, de qua decis. 582. par. 5. rec. num. 2. 6. ut fideicommissarius reputetur verus, ac primus hæres morientis, ac si ab initio scriptus esset; Attamen pariter fallacia consistebat in applicatione, juxta aded frequens, & quotidianum vitium pragmaticorum immorandi in sola littera doctrinarum; Dicitur enim conclusio est vera, sed procedit in casu opposito, quando scilicet moriens heredem scribat ipsam personam exclusam, cui substituat excludentem, adversus quam factu casu restitutionis, detractionem prætere non poterit sub prætextu, quod recessum fuerit ab ordine statuti, quoniam si poterat directe, & ab initio in totum excludere eum, quem primò honoravit, ac vocare substitutum, manifestè ingratitudinis species esset, id obijcere, ideoque præsentio irrationabilis remaneret, quod nil commune habet cum casu controversiæ.

Licet enim substitutus, primo testatori, non autem gravato succedere dicatur, atque ex illius, non autem istius iudicio successorem obtinere; Attamen non exinde inferri posse dicebam ad effectum, de quo agebatur, quoniam si defunctus pure instituisset fratrem, qui deinde moriens, alterum sibi placitum heredem scripsisset, vel ab intestato de jure communi, vel statuario habuisset, nihil adversus eum persona jam exclufa prætere posse; Igitur multò minus adversus illum successorem, quem prudenter moriens destinavit, inhærendo eidem rationi per statutum considerata, dum ut pluries advertitur sub tit. de fideic. & alibi præsertim sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum, fideicommissarius, ex quodam ordine necessariò inducto per testatorem, succedere dicitur gravato, cujus proximitas attendenda est, dicitur autem primus, non autem secundus hæres, ad effectum operum, & ne teneantur servare factum gravati.

Tunc autem advertendam, quod probabilis dubitandi ratio cadere possit, quando substitutio facta esset in fraudem, quia nempe moriens instituisset personam à statuto vocatam, quam pure, seu aliàs ita gravasset, quòd in effectu commodum exclusionis non esset suum, sed extranei, ita eludendo legalem obligationem sub pallio Statuti; ejus sine, vel ratione non impleta; Secus autem, ubi sincerè, ac citrà fraudem, persona excludens instituta est, eiq; sine prole decedenti detur alter substitutus rationabilis, ac juxta mentem ejusdem Statuti, ita illius rationem, seu finem prosequendo, cum tunc nulla probabilis dubitandi ratio cadere videatur.

SENOGALLIEN. SUCCESSIONIS PRO LIVIO PISSIMO CUM CHRISTOPHORO, ET ALIIS DE FONTINIS.

Casus decisus per Rotam pro Livio.

De Statuto Oppidi Corinaldi excludente feminas, & conjunctos per eas, propter masculos, quomodo intelligatur, & quos casus comprehendat, Et an sufficiat subjectio personæ excludentis, quamvis non adfit subjectio personæ excludendæ.

SUMMARIUM.

- 1 Acti series.
2 Resolutiones causæ.
3 Planum est, ut proximiores excludant remotiores absque distinctione agnationis, & cognationis.
4 De duplici subjectioe requisita ad effectum Statutorum.
5 Declaratur, ut subjectio personæ intelligatur in excludente, non autem in exclusâ.
6 Quid disponat hoc statutum, & de distinctione inter descendentes, & transversales.
7 In Statutis non datur extensio.
8 Quod hæc Statuta sint potius favorabilia, & benignè interpretanda.
9 Declaratur, ad quos effectus hæc benigna interpretatio capienda sit.

DISC. XXIII.

Intestam successionem Hippolyti Fontini defuncti in Oppido Corinaldi patria originaria, ab eo iudice sibi decerni obtinuerunt agnati, octavo, ac respectivè nono gradu transversali attinentes; Habita verò de his notitia

per Livium IV. cognationis gradu attinentem, qui in patria diversa vivebat, iudicium petitionis hæreditatis contra eos instituit cum subsequuta sententia, à qua introducta per appellationem causa in Rota coram Vicecomite, sub die 27. Junii 1668. ejus favore resolutio prodidit, ad cuius normam expedita sententia, & commissâ causa in eadem Rota coram Albergato, conformes resolutiones prodierunt sub diebus 28. Junii 1669. & 27. Junii 1670. expeditaque tertia sententia, Signatura rescripsit cum solita clausula, sine præjudicio executionis trium conformium; unde propterea actor intentum obtinuit.

Non dubitabatur de bono jure actoris, attentis terminis juris communis novissimi, per quod sublata differentia agnationis, & cognationis, ac sexus, sola gradus proximitas attenditur, cum jura sint litteralia, ad quorum normam procedunt omnes DD. sine contradictione, adeo ut nimum displiceret, quod in aliquibus ex dictis decisionibus (dum in eis loquendum est magistrali stylo) super principio aded notorio, ac præsupponendo, jura, & auctoritates, ac decisiones allegarentur, quod etiam in ipsismet Advocatorum Responsis, vel Informationibus inuile, ac nauseatium videtur; Ideoque in effectu disputationes fuerunt super jure statuario loci indefinitè excludente propter masculos feminas, ac descendentes per eas absque ulla gradus restrictione.

In hoc autem, scribens pro Livio actore, duo deducebam fundamenta; Primò nempe, quod ipse non esset huic Statuto subjectus, ideoque sub eo non comprehensus, ex conclusione, quæ juxta opinionem in Rota, & Curia receptam hodie tanquam vulgaris præsupponenda etiam venit, pluries insinuata, ut ad effectum hujusmodi Statutorum duplex subjectio copulativè requiratur personarum, scilicet, ac bonorum; Et secundò, quod ubi etiam hæc subjectio concurreret, adeo inter cives, ac subditos contentio esset, adhuc Statutum non comprehenderet casum, utpotè ultrà personas, vel gradus ab eos consideratos.

Primum fundamentum, quamvis more Advocati à me comprobatum cum pluribus allegationibus desumptis ex decisionibus 353. & 390. Merlin. & aliis, quas in ista conclusione habemus; neglectum tamen fuit, & meritò, quoniam ut pluries in aliis hoc eodem titulo advertitur, præsertim disc. 19. requisitum subjectiois personæ, ex probabiliori sententia, in qua Rota, & Curia hodie resider, perque personam excludentem, non autem exclusam; Et consequenter, cum agnati, quatenus essent intra gradum à Statuto consideratum, essent cives, ac subditi, nil referebat, quòd cognatus esset forensis, cum inspectandus veniat effectus, seu finis Statuti, ut scilicet bona in eo territorio existentia conserventur in ejusdem loci agnatione, & familia, ut in eisdem decisionibus firmatur, concordantes pro stylo cumulando.

Alterum verò fundamentum erat solidum, ideoque (reflectendo ad solam veritatem) resolutiones justæ, beneque fundatæ visæ sunt, quoniam hoc Statutum duas habet partes; Unam nempe in linea descendiva, seu directa; Et alteram in transversali; In prima indefinitè disponit, atque propter masculos omnes feminas, & quoscunque per eas descendentes excludit, nulla data gradus restrictione, vel discretionem; In altera verò se continet intra fratres, eorumque filios masculos excludentes matrem, ac sorores, & descendentes ab eis, quos gradus non egreditur, unde propterea planum remanet, ut in omni intret dispositio juris communis, potissimè verò, ubi non urgeat identitas, vel majoritas rationis, cum longa differentia sit inter lineam directam, & transversam; Et nihilominus attenda magis communi opinione, quam Rota sequitur, etiam in casu identitatis, vel majoritatis rationis, non admittitur extensio ultrà personas, vel gradus expressos, ex pluries insinuatæ præsertim in Fanen. disc. 15.

Scribentes pro agnatis reis conventis transcribendo deducta in magistrali decis. 53. par. 3. recent. sæpius in aliis canonizata, cum longa allegationum congerie, insisterant in propositione mihi nimium grata, ut hujusmodi Statuta agnationis favore edita, censeri debeant potius favorabilia, quam odiosa, ideoque largè, ac benignè potius, quam strictè, ac rigorosè interpretari debeant.

Admittebam ego propositionem, quam negare, nec poteram, nec volebam, utpotè à me sæpius inculcatam, ac declamatam; Dicebam tamen fallaciam esse in applicatione, illa enim ad duplicem effectum rectè procedit; Primò scilicet ad illum validitatis statuti cum sola confirmatione in forma communi, vel cum sola confirmatione præsumpta ob longissimi temporis observantiam, quæ in forma

communi tantum reputatur, ad effectum, ut desideranda non veniat illa confirmatio in forma specifica, quæ necessaria est in statutis, verè à jure exorbitantibus, quæ odiosa censenda sunt.

Et secundò ad alterum effectum interpretationis, quando ista cadat, in casu scilicet ambiguo, ac etiam ad illum intentionis, seu comprehensionis juxta casum, de quo in dicta Fanen. disc. 15. non autem ad effectum omninò novæ, ac formalis extensionis, cum apud omnes extra controversiam sit, ut ista non detur eodem modo, quo in ultimis quoque voluntatibus receptum est, ex pluries deductis sub tit. de fideicom. Potissimè verò, ubi non urgeat rationis identitas, seu æquitas, sed potius ista etiam attenda communis usus resistit, ut in presenti, quod isti agnati erant in gradu aded remoto, quod tanquam cum extraneis matrimonio in iis præsertim, qui in nono gradu præsupponebantur, contrahi potuisset, adeo ut singulare in Italia videatur statutum Florentinum, de quo supra disc. 8. quod juxta novas reformationes præfert agnatos usque ad octavum gradum, fororibus, ac descendentes ex eis.

FOROLIVIEN. BONORUM PRO FRANCISCA SAXIA CUM ANTONIA SORORE.

Casus disputatus coram A.C. resolutus pro Francisca.

De Statuto Forolivien. deferente successionem filiorum patri in exclusionem sororum, an suffragari pari binubo; Vel potius intelligi debeat juxta dispositionem juris, ut moriens, proprietatem filii primi matrimonii, quamvis fœminis, reservare teneatur; Et incidenter de altero Statuto continuativo possessionis in heredem. Et an filii censentur veri proprietarii ab initio.

SUMMARIUM.

- 1 Acti series.
2 Proprietario finito usufructu debetur manutentio, & de ratione.
3 Statutum continuativum suffragatur venienti contra iudicium defuncti.
4 Declaratur conclusio, de qua num. 2.
5 De eodem Statuto; de quo num. 3.
6 Quod parens binubus non dicatur simplex usufructuarius.
7 In idem, & de rationibus id comprobantibus.
8 An Statutum deferens successionem parenti binubo, intelligendum veniat ad limites text. in l. fœminæ.
9 De hoc Statuto Forolivii, ejusq; dispositione intelligentia.
10 De differentia inter patrem, & matrem ex eodem Statuto.

DISC. XXIV.

Defuncto Carolo Saxio, duabus superstitibus filiabus, Antonia scilicet ex prima, & Francisca ex secunda uxore, cum secundam filiam heredem universalem instituisset, primè verò ab ipso vivente, nuptæ, & dotatæ quædam bona reliquisset; Hinc ista præsentionem excitavit super præcipua, & necessaria successione in bonis ejus matris obventis in patrem per mortem alterius filie ex Statuto Forolivien. lib. 5. rubr. 32. deferente filiorum successionem patri, vel alteri descendenti masculo, quia nempe illud non tolleret dispositionem text. in l. fœminæ, C. de 2. nupt. ut bona in parentem binubum obventa ex successione filiorum primi matrimonii, sint præcipua filiorum ejusdem matrimonii absque participatione illorum secundi; Cumque in hac Civitate vigeat alterum Statutum continuativum possessionis defuncti in heredem, insinuatam etiam sub tit. de herede disc. 26. Hinc dicta Antonia instituit coram A. C. iudicium manutentionis, quæ tamen decreta fuit Francisce pro fe alleganti eamdem statutariam civilissimam possessionem, ac etiam naturalem, quam de facto habebat, idque canonizatum fuit per Signaturam Justitiæ, rescribendo de appellatione cum clausula, sine præjudicio executionis, commissâ causa in devolutivo in Rota, ubi pender; Atque in disputationibus desuper habitis, duæ fuerunt inspectiones; Una ordinis, super manutentionem hinc inde petita; Et altera justitiæ in meritis negotii principalis.

Quatenus pertinet ad primam: Per utramque partem deducebatur idem statutum continuativum possessionis defuncti in heredem, unde quæstio erat cui esset adaptabile; Dicebamus etenim Scribentes pro Antonia actrice, cum præ-

supposito, quod intraret dicta dispositio dicti textus in leg. fœminæ, quod cum parens binubus succedat in solo usufructu, reservata filii primi matrimonii proprietate, ita ab ipso instanti mortis alterius filie, illa portio, de qua erat controversia, delata fuit ipsi actrici, ac propterea in vim dicti Statuti, ex tunc, mortua sorore, etiam patre vivente, possessionem habuerat proprietatis, quæ defuncto usufructuario tanquam ex cessata servitate, jure consolidationis, ac per remotionem obstaculi, ad se trahit usufructum, ideoque manutentio ei competere, juxta firmata in Recanaten. coram Cerro decis. 120. & 172. par. 9. recent. & in sua materia sub tit. de servit. ad materiam usufructus.

Contrarium probabilius dicebam ego scribens pro Francisca (etiam in sensu veritatis per iudicem quoque agnosc.) quoniam Statutum continuativum possessionem defuncti in heredem venientem ex ejusdem defuncti iudicio, non autem in illum, qui ejusdem iudicium impugnat, atque jure fideicommissi, seu alio proprio independenter à defuncto veniat, ex deductis dec. 176. & 195. Ottob. & Leodien. domini 10. Januar. 1650. cor. Cerro, ubi de filio impugnante testamentum paternum ratione præteritionis, ut ei tanquam venienti contra defuncti iudicium hoc Statutum non suffragetur.

Admittebam igitur conclusionem supra deductam per Scribentes in contrarium super manutentione debita ei, qui esset hæres in proprietate ultimi defuncti, cui ultimus in solo usufructu successisset; Dicebam tamè id rectè procedere, quando certum esset, quod ultimo defunctus aliud jus in bonis non haberet, nisi illud simplicis, ac formalis usufructus, omninò contradistincti à proprietate, ideoque redolentis nudam servitatem, quæ supponit dominium, ac possessionem, nedum civilem, sed etiam naturalem penes proprietarium, quadam nuda detentatione facti remanente penes usufructuarius, qui transmittere non potest in ejus heredè possessionem, quam non habebat, ut in proposito hujus Statuti continuativi substitui in alia Forolivien. donationis pro fororibus de Numatis cum Pontrolis sub tit. de donationib. in supplemento, quod scilicet heres donatoris juvari non possit contra donatarium hujus Statuti beneficio in bonis donatis in vita, cum translatione possessionis mediante clausula constituti, ac reservatione usufructus, quoniam ita defunctus non possidebat, atque donatarius, contra ipsum, quamvis viventem obtinere deberet manutentionem, ideoque non potest plus operari fictio, quam veritas; Nisi ageretur de vitio intrinseco ipsius donationis, quod influeret in ipsas clausulas tanquam accessorias, super quibus dubietas cadat, an intrent, ac suffragentur, nec ne, ut pluries advertitur sub tit. de iudicis, ubi de his interditi possessoris.

Negabam verò dictæ conclusionis, seu theoreticæ applicationem ad factum, ex deficiente præsupposito existentie proprietatis penes filios primi matrimonii, adeo ut parens binubus habere dicatur eam nudam facti detentationem, quam importat ille formalis usufructus, qui merè personalem servitutem redolet; Tum quia, vel certum, ut infra, vel saltim nimium dubium, ac disputabile erat, in ordinario iudicio petitorii decidendum, an dispositio text. in l. fœminæ, intraret, necne, stante Statuto, ideoque erat præsupponere id, quod principaliter disputabatur.

Tum etiã, quia licet in jure dicatur, ut parens binubus hujusmodi bonorum proprietatem filii primi matrimonii reservare teneatur, ipseque solo usufructu contentus existat, atramen iste est modus loquendi, spectato effectu, eo modo, quo pro usu loquendi dicitur usufructuarius hæres gravatus restituere fideicommissum, quamvis verè sit dominus; Ac etiam dicitur mulier in lucris dotalibus, cum similibus, cum sit usufructus casualis redolens tam dominium, quam possessionem sub obligatione restituendi, seu referendi filii per quamdam speciem fideicommissi eventualis à lege inducti, ideoque dicitur dominus cum vero dominio, eventuali tamen resolutioni subjecto, dum possunt alii filii præmori, ipseque obtinere bona pleno jure, non ex nova affectatione, sed ex continuatione tanquam per remotionem obstaculi, dum ut pluries in aliis advertitur, præsertim infra disc. 34. ista dicitur successio necessaria favore filiorum, qui superint de tempore mortis patris binubi; Ac etiam, quia receptum est ex clara ejusdem textus dispositione, ut ipse parens possit inter ipsosmet filios gratificari, unum præeligendo, & alios excludendo; Et consequenter cum incertum sit, an ipsi filii supervivere debeant, & quatenus supervivant, quisnam eorum hanc proprietatem sit obventurus, implicat, quod interim penes eos esse possint dominium, ac possessio proprietatis; Ac etiam, quia ut alibi hoc eodem titulo advertitur, si ita esset, sequeretur, quod vivente etiam parente, possent fia

hanc proprietatem alienare, sive illa per eorum creditores exequi, ac subastari possit, ut etiam ponderatur in proposito lucrorum *sub tit. de dot. in Romana de Stortis disc. 140.* ideoque verius videtur, ut id remaneat in terminis spei, ac necessarii successione eventualis, ad instar vocati ad fideicommissum, vel ad feudum, seu emphyteusim ex pacto, & providentia, cum similibus.

Quo vero ad alteram inspectionem iustitiae in meritis negotii principalis; Quæstio est inter DD. an Statuto deferente parenti successione filii, aliquo pinguiori, ac speciali modo, ultra id, quos jus commune deserit, ita censetur derogatum dictæ dispositioni text. *in l. femine, c. de nupt. cum concordantibus*; Vel potius ad ejus limites intelligendum veniat, firma remanente obligatione reservandi proprietatem filiis primi matrimonii; In hoc autem variæ habentur opiniones, dum parte filiorum contra parentem subfinit Salycet. (qui bene loquitur) *in d. l. femine, c. illud*, quem refert, & loquitur Dec. *conf. 87. n. 3. & conf. 396.* E converso autem, partes parentis plene alii relatis subfinit Burfat. *conf. 12. n. 15. cum segg.* ubi septem fundamenta deducit.

Assumpta vero non fuit formalis disputatio hujus questionis, in solo puncto juris, ac in abstracto, ita inhærendo commendabili Curie stylo abhorrenti superfluas evagationes, ac strictè immoranti super casu, seu puncto præciso, qui disputatur, dum Statutum descendit ad hanc speciem, atque considerat casum transiens parentis ad secunda vota, ideoque punctus erat super hujus Statuti intelligentia; Credebam tamen, quod in dicta quæstione generali, seu in abstracto, probabilius esset prima opinio Salyceti, & Decii, quodque motiva Burfat. essent parum solida, quamvis adhuc occasio non præbuerit id formiter disputare, sed quod secus dicendum esset in isto casu.

Statutum siquidem dicta Rubr. 32. §. 4. incipien. *Si verò prædicti descendentes*, considerat casum patris, vel alterius ascendentes masculi succedentis filio, & transeuntis ad secunda vota, eumque gravat ad reservandam proprietatem fratribus tantum, non autem fororibus, non solum, quia agendo de fratribus adjicit taxativam, *tantum*, sed etiam, quia adjiciuntur alia verba negativa fororum, *ibi, non autem fororibus*.

Replicabant Scribentes in contrarium, id rectè procedere, ubi ex primo matrimonio superessent filii masculi, qui ita prælativè ad feminas à Statuto vocantur, non autem eis non extantibus, cum tunc tanquam in casu omisso subintret, dispositio juris communis; Verùm replicatio tollebat; Tum quia idem Statutum supponit non existentiam masculorum, quodque casus successione contingit in alia femina, dum utitur utroque genere masculino, & feminino, *ibi, non autem fororibus defuncti, vel defunctæ*, qui casus contingere non poterat, nisi cum præsupposito non existentia masculorum, quibus extantibus, nulla est feminarum successio, istudque motivum nimium captivavit intellectum Judicis; Tum etiam (& judicio meo clariss) ex altero Statuto Rubr. 34. ubi agendo de matre binuba succedente alicui ex filiis, mandatur eadem reservatio proprietatis, specificato ordine favore masculorum, quatenus adfint, sin minus favore feminarum, deinde agendo de patre, mandat servari Rubr. 32. Ista etenim discretiva clarè tollere videtur motivum casus omisso, dum statuente ad id cogitantur, atque ubi voluerunt, dixerunt, ergo noluerunt, ubi non dixerunt.

Ponderando probabilem differentiam rationem, quoniam pene secundò nubentium litteraliter impositæ sunt mulieribus, non autem viris, ideoque est sub quæstione, an quod de matre dicitur, locum habeat in patre, atque negativam subfinit Facchin. *l. 3. contr. c. 64.* Et quamvis in Rota, & Curia recepta sit opinio, ut etiam patrem comprehendant, ut infra disc. 33. & in aliis; Attamen negari non potest id esse in quæstione, quæ præsertim dubia erat de tempore Statuti, ideoque statuente quamdam mediam viam eligendo, ita magis benigne cum viro, quam cum muliere agere voluerunt, illum in uno, & non in altero casu gravando; Et sic quando generaliter, ac in abstracto probabilis esset opinio Salyceti, sed quod in casu istius Statuti verius esset contrarium.

FIRMANA SUCCESSIONIS PRO VINCENTIO, ET ALIIS DE MANCINIS

CUM FRATRIBUS UTERINIS EX PRIMO MATRIMONIO.

Responsum pro veritate.

De Statuto Firmano prohibente matrimonia cum forensibus, an attendendum sit in successione matris binubæ, quæ unum virum habuit civem, & alterum forenslem; Et an filii ex viro forensi procreati, ei succedant in bonis existentibus in territorio.

S U M M A R I U M.

- 1 *Facti series.*
- 2 *Qualem confirmationem habeat hoc Statutum.*
- 3 *Civitates subditæ Status Ecclesiastici non condunt Statuta.*
- 4 *Statutum inhabilitans forenses est favorabile.*
- 5 *In quibus sufficiat confirmatio in forma communis.*
- 6 *Declaratur, & de differentia inter Statuta exclusivæ fœminarum, & illa forensium.*
- 7 *De invalidis statutis prohibentibus, vel restringentibus matrimonii libertatem.*
- 8 *Quando lex laicalis in materia matrimonii manus opponat.*
- 9 *Quod conceditur privatis, conceditur statutentibus.*
- 10 *Aliud est pœna, aliud autem conditio, seu qualitas.*
- 11 *Lex pœnitiva potest tollere successiones, vel legitimam fructuam.*
- 12 *De prohibitione dandi feuda in dotem.*
- 13 *De impedita libertate matrimonii per legem laicalem.*
- 14 *De eadem conclusione, de qua num. 4.*

D I S C. XXV.

Claudia, primis nuptiis cum Alexandro Florensi, posterioribus autem cum Evandro cive contractis, eaque decedente ex utroque matrimonio relicto filio, inter istos orta est quæstio intestate successione in bonis in Territorio Firmano existentibus, controversiæ causam præbente ejusdem Civitatis Statuto *lib. 4. rubr. 88.* prohibente mulieribus matrimonia contrahere cum forensibus sub pœna amissionis bonorum illi communi applicandorum, ac etiam forenses ad intestatam, vel testatam successionem inhabilitante; istius etenim Statuti vigore, filii secundi matrimonij prætendebant, quod eis tantum in maternis bonis successio debita esset, exclusis fratribus uterinis ex primo matrimonio susceptis tanquam forensibus; Quare desuper pro veritate ex parte excludere volentium consultus.

Contra eos pro æquali omnium successione respondentium consensui, ex potissimo fundamento inefficaciæ Statuti, utpote in hoc non habentis (ut in facti novula supponebatur) puram, ac plenam confirmationem Apostolicam in forma specifica, dum confirmationes Eugenii IV. Pauli IV. & Sixti V. impressæ initio voluminis eorundem Statutorum, præservativam libertatis Ecclesiasticæ, aliasque clausulas continent, denotantes non in omnibus intentionis fuisse confirmandi hujusmodi statuta probabiliter edita de tempore, quo Sede Apostolica in Gallia existente, seu aliis temporum conditione exigente, illa Civitas quamdam libertatis imaginem habere videbatur, dum (ut alibi pluries advertitur) etiam juris communis dispositione attemptata, multò verò magis in Statu Ecclesiastico per Ægidianam Constitutionem per Summos Pontifices Sixtum IV. & Paulum III. confirmatam, atque ad universum Statum Ecclesiasticum extensam, subditis Civitatibus prohibendum est condere Statuta sine Apostolica licentia, vel confirmatione; Ubi verò ista in forma communis existat, non suffragatur in iis, quæ sint contra jus, ut generaliter apud Burat. *decif. 6. & 129. Gregor. dec. 267.* & in aliis pluries, & in individuo hujusmodi Statutorum forenses inhabilitantium, Gratian. *discep. 245. n. 37. cum segg.*

Quamvis enim, ut advertitur *sub tit. de alienation. & contrahib. prohib. disc. 39.* hujusmodi Statuta prohibentia alienationes in forenses potius rationabilia censenda veniant ex rationibus ibi ponderatis, ac etiam *sub tit. de Regal. disc. 77. & 78.* ac alibi; Atque conclusionem habeamus pluries in præcedentibus insinuatam, de qua per Adden. ad Burat. *disc. 6.* & in Spoletana Successione 19. Junii 1651. coram Celso inter suas *dec. 129.* & in aliis, ut in iis, quæ non sunt odiosa odio irrationabili, confirmatio in for-

forma communi sufficiat; Attamen id firmatur occasione Statutorum excludentium fœminas propter masculos, vel cognatos propter agnatos, in quibus non solum urget dicta ratio, quod censenda non sint odiosa odio irrationabili, sed potius favorabilia, ob favorem, ac probabile motivum conservationis bonorum in familiis, & agnationibus; Sed etiã, quia licet ad venturum juri novissimo, attamen assistentiam habent juris antiqui, & novi, ad quod dicto jure novissimo potius non acceptato; quàm destructo, redeunt, ideoque juri contraria verè dici non merentur; Secus autem in hac specie statutorum, quoniam licet irrationabilia dicenda non sint, sed rationis, & equitatis potius probabile motivum habentia, ex deductis *d. disc. 39. de alienat. & contrahib.* nullam tamen habent juris communis antiqui, quàm novi, vel novissimi assistentiam, dum omni jure attentio, quilibet vir ingenius, Romanique Imperii non hostis, absque locorum discretionem, habilis, & capax reputatur in universo Imperio bona acquirere, ac retinere, omnesque ejusdem Imperii subditi quadam mutua civilitate, ubique ad hunc effectum donati videbantur, cum hujusmodi prohibitiones, ac restrictiones post dicti Imperii scissuram ex tot Principatum divisione, magisque ex factionariis dissensionibus prodidisse videantur; Et consequenter dicebatur, quod dicta conclusio, quæ dictum diversum casum percutit, huic adaptabilis non esset.

Quatenus verò iste potestatis defectus non concurreret; Dum agebatur de Statuto Civitatis subditæ Sedis Apostolicæ, quoties istius pura, & simplex confirmatio in forma specifica accederet, etiam in ea parte, in qua matrimonia cum viris forensibus prohibentur, dixi quod attendi deberet; Licet enim juxta plene deducta per Cyriac. *contr. 449. n. 2. cum segg.* in his specialibus terminis hujusmodi laicalia statuta matrimonii libertatem prohibentia sub alia pena, invalida censentur, ut etiam advertitur *sub tit. de testam. disc. 73. & sub tit. de matrim. disc. 14.* Attamen ubi confirmatio Apostolica in forma specifica supponitur, per quam specialis approbatio resultare dicitur, cessat potestatis quæstio, quæ in laicis dignoscitur disponendi super spiritualibus.

Eatenus enim laicali potestati conceditur super hac materia statuire, quatenus dispositio versetur circa nudam temporalitatem, quæ tamen matrimonii libertati non adverteretur, minusque ipsam spiritualitatem tangat, quia nempe non simpliciter, ac indefinitè inhabilitet, vel priver bonis temporalibus contrahentes matrimonia sine certa solemnitate, cum tunc, tam ex sacrorum Canonum dispositione, quam clarius ex illa Sacri Concilii Tridentini, eorum invaliditas sit extra controversiam; Sed ubi indirectè, non per viam pene formalis, sed per viam denegationis lucri, sed inductionis certæ qualitatis ad acquirendum necessariæ, ita statuat, absque eo quod dicta libertas simpliciter impedita remaneat; Puta præscripta tali qualitate ratione loci, temporis, vel generis personarum, quæ intra ipsam qualitatem, seu permissionem, congrua libertas sit exercibilis, juxta distinctionem, de qua in proposito validitatis, vel invaliditatis conditionum, quæ ab homine adjectæ fuerint, habetur *d. disc. 73. de testam. & disc. 14. de matrim.*

Illud enim, quod privatis per actum inter vivos, vel per ultimam voluntatem disponentibus conceditur, viro publico, qualis est Princeps, vel alter, qui legis condendæ potestatem habeat, non est denegandum, quoniam hic omnium nomine, atque de omnium consensu ita disponere dicitur, testamenta, vel contractus pro omnibus ordinando, ex pluries insinuata conclusione, quod Statutum dicitur testamentum legis. Ideoque sicuti testatori, vel alias disponenti conceditur vocare solum innuptas, nuptas autem excludere, non in odium, vel penam matrimonii, sed ex altero probabili motivo, quod licet non expresse, in dubio præsumendum est, ita adijciendo qualitatè necessariam pro emolumento obtinendo, ex deductis *d. disc. 73. de testam. & disc. 14. de matrim.* ac etiam *disc. 44. de fideicom.* ita non videtur quid prohibeat, id à Statuto fieri posse, dum ita bene libertas exercibilis remanet intra omnium civium, ac subditorum genus.

Et quemadmodum lex positiva auferendo solum illud beneficium, quod ipsamet concessit, feminas generaliter, ac pro regula extraneas facere potest, atque ad successiones, ac bonorum acquisitiones inhabilitare, parentes quoque à legitimæ, vel alimentorum onere absolvendo, cum illud non à jure Divino, vel naturali præciso ex obligatione justitiæ naturalis, sed ab ipsa lege positiva manet, ex iis, quæ habentur in aliis *hoc tit.* ac pluries *sub altero de legitim. & de ratif.* ad materiam hujusmodi Statutorum, feminas etiam à legitima excludentium; Ita non videtur quid prohibeat eandem cum certa qualitate, & non aliàs habitare ad acquiren-

dum, ac retinendum, quoniam qui potest totum denegare, ac non concedere, multò magis dare potest diminutè, vel qualificatè; Ut etiam occasione prohibitionis legum laicalium dandi in dotem feuda sine Principis consensus, advertitur *sub tit. de feud. disc. 20. & sub tit. de dot. disc. 146.* ubi etiam *disc. 149.* habetur de hac materia dandi in dotem bonorum renubentibus; Ideoque punctus est, ne laicalis potestas ingrat in hujusmodi spiritualitate validitatis, scilicet vel invaliditatis matrimonii, sive in illius directæ, ac præcisæ prohibitione, ne illud absque ejus licentia contrahatur, aut aliàs prohibendo, vel impediendo, quoties provisio non sit circa temporalitatem libertatis consensus, & occurrendi coactionibus; Aut quod indirecta prohibitio mediante privatione, vel inhabilitatione bonorum temporalium, directæ, ac præcisæ coactionis vim habeat, eumdemque operetur effectum, quia nempe indefinita sit, secus autem, ubi discretè ad certum genus, locum, vel modum restricta, unde propterea libertas congruè exercibilis remaneat.

Clarius verò, data sufficienti potestate, quamvis laicali, Statutum istud servari debuisse, quoniam non agebatur de illa parte, in qua pœnaliter matrimonium cum forensi prohibetur, non per viam subtractionis lucri, & emolumentum, sed per viam pœnæ, quæ dupliciter talis remanet vera, & formalis; Primò nempe privando bonis jam quæsitis, & possessis; Et secundò illa fisco, seu communi applicando; Sed agebatur de altera parte excludendi (matrimonio jam soluto) filios ex eo procreatos, non quia ex illo matrimonio procreati sint, atque in ejusdem matrimonii odium, vel penam, sed quia generaliter forenses, ac inhabiles, cum de hujusmodi inhabilitatione, quoties cesset defectus juridictionis, juxta deducta apud Bichium *decif. 446.* hodie dubitandum non sit juxta magistralem *decif. in Lucana majoratus coram Cocchino decif. 251. par. 8. recent.* cum aliis dicto *disc. 39. de alien. & contract.*

ANNOT. AD DISC. XXV.

Videantur deducta *sub tit. de testam. disc. 73. & sub tit. de matrim. disc. 14.*

BENEVENTANA REINTEGRATIONIS PRO JO: DOMINICO, ET ALIIS DE MORRA

CUM N. GOFFREDO ETIAM DE MORRA

Casus disputatus coram A. C. postea concordatus.

De consuetudine Neapolitana Capuanæ, & Nidi, seu more nobilium, super successione in dote mulieris; Et de aliis consuetudinibus, vel Statutis in eadem successione dotis remissivè, præsertim de Barensi, Urbevetano, & Bononienti.

S U M M A R I U M.

- 1 *Facti series.*
- 2 *De prescriptione statutaria remissivè.*
- 3 *De consuetudine Neapolitana Capuanæ, & Nidi.*
- 4 *Etiã exteri possunt ex pacto eis se supponere.*
- 5 *De Statuto Beneventano conformi dictæ consuetudini.*
- 6 *De duplici limitatione dictæ consuetudinis.*
- 7 *Impugnatur limitatio in muliere vidua.*
- 8 *Prohibitio facta mulieri, ita capit uxoratam, ac viduam.*
- 9 *De quæstione, an mulier, quæ primas nuptias contraxit more nobilium, possit contrahere secundas more Magnatum.*
- 10 *De Magnatibus diversis à nobilibus.*
- 11 *Nobiles Civitatis magnæ præcedunt illos Civitatis parvæ.*
- 12 *De alia limitatione, ut prohibitio pœcutiat prohibitionem per ultimam voluntatem, non autem per contractum.*
- 13 *In Curia deferunt decisionibus.*
- 14 *Declaratur limitatio, de qua num. 12.*
- 15 *De aliis consuetudinibus, & Statutis, necessariam successionem inducentibus.*

D I S C. XXVI.

Amillus, & Julia conjuges, Lucretiæ filix in matrimonio collocatæ, dotem constituerunt scutor. 3500. cum pacto in ejus constitutione adjecto, ut matrimonium contractum conferret more nobilium, sive juxta consuetudines Sedillium Capuanæ, & Nidi Civitatis Neapolis; Lucre-

Lucretia verò sine prole decedens, postquam testamentum considerat, in quo Goffredum instituerat hæredem, morti proxima, per donationem inter vivos eidem donavit dictæ dotis residuum scutorum 1500. à dotantium, præsertim Juliam hæredibus, ac bonis assequendum, una cum fructibus decursis, notabilem summam importantibus, pro quibus omnibus mandatum ab A. C. obtinuit adversus quod per Signaturam commissa fuit causa in Rota cum clausula suspensiva coram Melcio, atque præcedente actore, ut ob appellationem non interpositam, vel non prosequutam, adesset res iudicata, super ea datum fuit dubium, ac præparatæ disputationes, quæ impeditæ fuerunt ex subsequente concordia super ista, & aliis controversiis emanata.

In disputationibus autem habitis, tam coram A. C. quam in Signatura, & præparatis etiam in Rota, plures erant puncti, quorum aliqui consistebant in facto, duo verò iuridici pertinebant ad Advocatos; Primò nempe respectu fructuum super præscriptione resultantem ex Beneventanæ Civitatis Statuto ob silentium 20. annorum, an scilicet præsumptio, quæ ex hoc Statuto resultat, sublata remaneat ex contrariis præsumptionibus, quæ ex parte actoris deducebantur, & de hoc habetur actum in sua materia sub tit. de credito disc. 129. & seq. ubi de præscriptione statutaria.

Quo verò ad formam ab eodem Statuto ad instar illius Urbis exceptuam; Punctus erat in Consuetudine prædicta registrata inter Consuetudines generales Neapolis cum commentariis Neapolitanis compilatas juxta compilationem Salerni post Consuetudinem, quæ incipit Si quis, vel si qua &c. pag. 132. per quam disponitur, ut mulier absque prole decedens disponendi facultatem non habeat, nisi de medietate dotis; In altera verò medietate, necessaria sit successio dotantium, vel ejus hæredum.

Et quamvis ista consuetudo, utpotè localis, non egrediatur Neapolitanam Civitatem, ejusque nimium breve territorium, & consequenter locum non habeat in aliis Regni civitatibus, & locis; Multo verò minus in hac Beneventana quæ est de pleno dominio Sedis Apostolicæ tanquam non comprehensa in Regni investitura, adeo neque Constitutiones, & Pragmaticæ, quæ sunt leges generales, seu jus commune Regni, ibi vigeant, juxta ea quæ habentur sub tit. de jurisd. disc. 60. At tamen Scribentes pro actore ejus obstantiam in genere non negabant, stante pacto adjecto; cum possint forenses ex conventionione, quæ in Regno nimium frequens est inter nobiles eis se subicere, quoniam tunc attendendæ veniunt, non in ratione auctoritativa tanquam leges, sed in ratione conventionali, & ex pacto inter Partes ita relative initio, ut in specie apud Theodor. alleg. 1. num. 43. Galeor. lib. 2. controv. 30. num. 59. Rovit. decis. 100. num. 5. Merlin. lib. 2. controv. 49. num. 8. Et generaliter de voluntaria subjectione alicui Statuto habetur sub tit. de cred. disc. 116. Omnique difficultas cessabat, quoniam in eadem civitate adeo statutum, quod idem disponit, ut cessantibus limitationibus, supponitur per Rotam in alia Beneventana Dotis decis. 876. part. 4. divers.

Verùm actoris fundamentum consistebat in duplici limitatione, quarum utraque firmatur in d. decis. 879. Prima nempe ut dicta Consuetudo procedat, quatenus mulier decedat superstiti viro, secus autem ubi eo defuncto in statu viduitatis; Et secundò ut procedat circa dispositiones per ultimam voluntatem, non autem per actum inter vivos, dum consuetudo utitur verbo *disponere* quod de sui regulari natura ad ultimas voluntates refertur.

Circa primam limitationem, (etiam cum sensu veritatis,) dicebam quod in dicta antiqua decisione procedente cum terminis generalibus Consuetudinis Martini processum fuerat cum æqui voco manifesto super illius interpretatione, dum in contrarium illam interpretati sunt sapientes ejus commentatores præsertim Ant. de Alex. & Frecc. relati sub tit. de dot. disc. 103. occasione agendi de eadem consuetudine prohibente mulieri morienti cum filiis disponere de dote, præterquam de decima parte, dum ibi quoque eadem difficultas excitata fuit, quæ reverà nullum habet probabile fundamentum, ex tribus rationibus, quas ponderabam; Prima nempe ob rationis identitatem, ut bona redeant unde venerunt, ut generaliter de Statuto adimente mulieri potestatem disponendi de dote, ut procedat tam in conjugata, quam in vidua ob paritatem rationis æquè vigentis in nuptiis, ac in viduis Rota in Fanen. nullitatis apocæ 13. Martii & 26. Junii 1648. coram Rojas inter suas dec. 359. & 378. Secundò attempta scaturigine hujus

particularis consuetudinis ab altera generali, quæ in eadem civitate habetur super adempta facultate generaliter omnibus tam viris, quam mulieribus disponendi de bonis antiquis aliàs, quam ex propria acquisitione obvenientibus, nisi de medietate, ex deductis eodem disc. 103. de dote, cum quos tradita à parentibus vel conjunctis inter bona antiqua recensenda veniat; Et tertio quia ut *eadem discurs. 103.* advertitur, manifesta fatuitas est tot insignium DD. adeo disputantium quæstionem ibi insinuatam, an mulier quæ primas nuptias contraxit juxta istas consuetudines Capuanæ, & Nidi, quæ vulgò dicuntur more nobilium *alla nova maniera*, possit in præjudicium filiorum primi matrimonii, vel dotantium, effecta vidua, contrahere secundas more magnatum, qui juxta probabiliorum opinionem à contradictionibus non immunem, idem importat, ac exemptionem, ab hujusmodi consuetudinibus ut fervetur jus commune.

Quasi quod magnates, tamquam nobiles totius Regni, atque constituentes seu repræsentantes Regni nobilitatem, diversi sint à nobilibus dictæ civitatis ejusque Sedilium, qui dicuntur solum nobiles ex nobilitate privata unius civitatis, eo modo quo discretive in omnibus aliis ejusdem Regni civitatibus sunt alii nobiles in propria parte absque aliqua differentia, nisi ea quam de jure tribuit qualitas residentie Regis, ejusque Tribunalium, quod operatur, ut Regiæ seu Metropolitanæ civitatis figuram faciat, quod prælationem inducit, ex propositione, quod quibus magnæ seu Regiæ civitatis præferuntur civibus aliarum civitatum ejusdem Principatus ex deductis apud Capyc. Latr. decis. 181. num. 17. & sub tit. de præminent. discurs. 35. num. 18. & 19. ubi in specie, semper tamen remanet nobilitas privata unius civitatis, non autem publica totius Regni, qualis est solum illa ordinis magnatitii, ideoque iste ordo noluit hujusmodi civis consuetudinibus agnoscere se subiectum.

Aliqua verò major difficultas residebat in altera limitatione, quæ ex eorundem Regnicolarum seu Commentariorum communi sensu est recepta, ut scilicet stante verbo *disponere*, intelligenda veniat per actus ultimæ voluntatis, non autem inter vivos juxta auctoritates relatas eod. disc. 103. de dote.

Adhuc tamen (eodem sensu veritatis retento,) dicebam ex facti qualitate, limitationem non intrare, idque jure primæ instantiæ rectè agnoscebat, tam super una, quam super altera limitatione, sed ob auctoritatem Rotæ in d. decis. 879. part. 4. divers. ausus non est, pro Curia stylo in contrarium judicare, ut probabiliter sperabam judicari debuisse ab eodem Tribunali non ligato à propriis resolutionibus, à quibus recedendi liberum habet adicum; Quoniam ut latius eodem disc. 103. de dote, advertitur (eandem ibi deducta, in ista causa prius disputata deducendo) ista facultas disponendi inter vivos non autem per ultimam voluntatem, intelligenda venit discretè inspecto sine seu ratione differentie inter unam disponendi speciem, & alteram, non autem in sola formalitate verborum, & sic ubi addit justa causa, quæ per illos DD. explicari solet, seu restringi ad quatuor species, nempe ut nupta vivat, ut casta vivat, ut libera vivat, & ut sana vivat, ex quibus patet quod disponendi facultas inter vivos, ad necessariam, vel saltem justam, & congruentiæ causam restricta est; Et quidem meritò; Tum ex eadem supra insinuata ratione fatuitatis, qua laboraret disputatio adeo acriter habita inter illos Sapientes, an contractis primis nuptiis juxta consuetudines, contrahi possint secundæ more magnatum; Tum etiam ex regula generali desumpta ex textu in l. fin. C. de usur. quod lex nunquam dicitur imposita verbis, sed rebus, quodque ut plures hoc eodem titulo advertitur, etiam in Statutis, & legibus procedendum est cum eadem propositione, quam habemus in ultimis voluntatibus, & contractibus, ut non cortex & figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat, cum alias diceretur lex de vento ita de facili cum hac formalitate eludibilis, ei fraudem faciendo, & quæ fraus in hac facti specie videbatur evidens; Tum ob statum morti proximum, in quo actus initus erat, ut advertitur d. disc. 103. de dote; Tum etiam quia, dum idem erat jam hæres universalis scriptus in testamento, incongruus remanebat iste novus actus, alium non habens finem, nisi illum fraudandi legem.

De similibus autem Statutis, & Consuetudinibus inducentibus in dote successionem necessariam, præsertim favore filiorum tamquam per speciem legitimæ adauctæ, ut propterea fideicommissi onere gravari non possint; Et præ-

sertim de Consuetudine Barenfi & Bituntina, ac de Statuto Urbevetano, & de altero Bonon. habetur actum eod. tit. de dote disc. 104. cum duob. seq. ubi de materia.

ANNOT. AD DISC. XXVI.

DE hujusmodi Consuetudinibus super successione in dote mulieris, habetur plenius actum in sua sede sub tit. de dote disc. 102. cum seq. & in Supplemento disc. 215. & in hoc tit. disc. 43.

ROMANA VEL
SENEŒ. SUCCESSIONIS
PRO ALEXANDRO DE BORSELLIS
CUM ARIADENO.

Responsum pro veritate.

An morientis ab intestato aversio ex juxta causa, & tali, quæ ad exheredationem sufficere, apta sit excludere ab intestata successionem personam alias ad eam vocatam, ut locus aperiatur remotiori, vel æquali; Et an voluntas ejusdem morientis desumpta ex ejus testamento, quod caducatum sit, vel alias inutile remaneat, pro eadem exclusione sufficiat.

S U M M A R I U M.

- 1 Adhuc series.
- 2 Collaterales ingrati excluduntur ab intestata successione.
- 3 Contrarium verius.
- 4 Frater occidens fratrem, non excluditur ab ejus successione, sed reputatur indignus.
- 5 De differentia inter capacem, & indignum.
- 6 Indignus in odiosis habetur pro succedente, dantur similia.
- 7 Devotione, ob quam ingratus excluditur, ob voluntatem scilicet morientis.
- 8 De testamento tempore pestis.
- 9 De differentia inter probationem voluntatis dispositivæ, & declarativæ.
- 10 De eadem de qua num. 7.
- 11 An exclusus ex testamento excludatur ab intestata successione ob caducationem testamenti.
- 12 De beneficio representationis quando competere non debeat.

D I S C. XXVII.

DEFuncto in Urbe ex modo epidemiali Petro de Borsellis Senen. superstitio Alexandro fratre, & Ariadeno ex altero fratre prædefuncto nepote, qui supponebatur defuncto nimium exosus ex parentibus causis in jure expressis, ex quibus licitum est alibi filios, & descendentes exheredare; Cum de jure æqualis esset frater, ac nepotis ex altero fratre successivo ex beneficio representationis; Hinc ex parte Alexandri fratris ad integram successionem aspirantis, consultus fui, an ex dicta causa præfata Ariadenum excludere posset, ut ita integram successionem obtineret.

Respondi distinguendo Responsum in duas inspectiones; Unam scilicet super puncto seu quæstione generali juris in abstracto; Et alteram in concreto, ob hujus casus particulares circumstantias ex parte requirentis præsuppositas.

Quatenus pertinet ad primam; Dixi quod regulariter contra ipsum requirentem potius responderi debuisset; Quamvis enim Angel. in s. ingratitude Aurb. de nupt. n. 64. & Salicet. in l. fratres C. de inoffic. testam. credant ut illæ causæ, quæ in jure sufficiunt ad filiorum exheredationem, sufficere quoque debeant ad exclusionem venientium ab intestato, ut etiam tenet Corsett. singular. 142. quod incipit *ingratitude*, ubi allegatur Jacob. de Aren. & Jo. Andr. & alii.

At tamen contrarium est verius magisque communiter receptum per textum in l. cognatis ff. unde cognat. ut tenent Gulielm. de Cun. in dicta l. fratres Cod. de inoffic. testam. ubi Bart. n. 6. Bald. n. 11. idem Angel. n. 6. in fin. Jas. nu. 9. (qui nominatim reprobatur Salicetum,) Aretin. in l. 3. s. ff. nu. 8. & 9. ff. de liber. & posthum. ac firmant Amanell. de clar. aquis singular. 147. Joannes Legier. de primog. lib. 3. qu. 6. nu. 9. Mandol. de ingratiud. cap. 113. Menoch. conf. 256.

nu. 12. Valquez de success. creat. lib. 3. §. 3. limit. 24. n. 179. Molin. de primog. lib. 1. cap. 9. n. 15. Gomez var. resol. tom. 1. de success. contra testam. cap. 11. n. 37. Palchal. de patr. poss. par. 2. cap. 5. n. 101. & seq. apud quos habetur responsio ad textum in dicto s. ingratitude.

Idque adeò verum, quod si frater occidat fratrem, de cujus successione agatur, non per hoc successione privetur tanquam incapax, sed bene reputetur illa indignus, ut ab eo tanquam indigno Filcus auferat, ex iis; quæ post Pe. regr. de jure fisci, & alios ibi relatos colligit Michalor. de frat. p. 3. c. 56. n. 29. & seq. & n. 54. & seq.

Ista etenim differentia dignoscitur inter incapacitatem, & indignitatem, ut primo casu intret omnimoda exclusio, perinde ac si ea persona non esset in rerum natura, unde propterea locus aperitur ulterioribus successoribus, eo modo, quo habemus de professis in Religione incapaci; tam in communi, quam in particulari, seu aliàs de jure ad succedendum inabilitatis, ac etiam in iis, qui voluntarie se faciunt tales per renunciationem, quæ dicitur merè realis, & extinctiva, juxta deducta in sua materia sub tit. de renunc. disc. 1. cum plurib. sequentibus; Indignitas autem est privatio, quæ supponit habitum, quoniam ille succedit, atque acquirit bona, quæ tamen ab eo fiscus auferat tanquam ab indigno, ipso indigno adhuc remanente hærede in partibus odiosis, ac præjudicialibus, eodem modo quo filius ingratus remanet suus, ac in potestate in præjudicialibus, quamvis in favorabilibus, ac privilegiativis omne jus patriæ potestatis amiserit; Et de converso in patre turpi, vel criminoso cum filio; Sive in Religioso professio expulso tanquam incorrigibili, cum similibus.

Quo verò ad alteram inspectionem facti, seu applicationis; Respondi, quod probabiliores viderentur ipsius fratris partes pro dicti nepotis ingrati, ac exosi exclusione, quoniam supponebatur justificari per tres testes, quod defunctus, dum à propria domo ad Lazarettum, juxta miseriam epidemialis calamitatis conditionem, ducebatur, expressè coram eis declaraverat, ut dictus Ariadenus nepos nullam participationem in ejus bonis habere deberet, tanquam sibi exosus, & ingratus; Quamvis enim dicti testes non sufficerent ad concludendum testamentum, seu ultimam voluntatem inclusivam, & ademptivam, cum etiam de eo tempore ex decreto Alexandri VII. edito ad omnem ambiguitatem tollendam, quinque testes requirentur; At tamen dicebam quod in hoc proposito, etiam duo, quinimò unus junctus cum adminiculis sufficere deberent, juxta distinctionem pluries insinuatam sub tit. de testam. & sub altero de fideicom. ac alibi, inter novam, ac dispositivam voluntatem, & inter declarationem voluntatis ambiguae, ut primo casu desiderandus veniat numerus sufficiens testium tanquam in testamento, seu nova ultima voluntate, secus autem in secundo.

In hoc autem posteriori casu versari credebam, quoniam sub quæstione est inter DD. ut supra, an solum odium, seu causa ingratitude ad hujusmodi exclusionem sufficeret plerisque affirmativam ut supra tenentibus ex sola ratione præsumptæ voluntatis morientis, quam alii diversam sententiam sequentes negant, ex eo quod ubi id in animo habuisset, curasset decedere cum testamento, in quo personam exosam excluderet, atque aliàs præsumptio est, quod decedere voluerit cum eo testamento, quod lex pro te ordinavit; Igitur est quæstio ambiguae voluntatis, quæ bene remanet capax declarationis, ideoque intret dicta secunda pars distinctionis.

In ea etenim quæstione, quam pluries disputavi præsertim in una Perusina plenè tractata apud Gabr. conf. 129. lib. 2. & per Rot. apud Carill. dec. 82. & 125. repetit. dec. 82. & 129. par. 8. rec. An scilicet testamentum, quod ratione caducationis, vel ex alio accidenti effectum non habuit, sufficiat, nec ne ad excludendum ab intestata successione illum conjunctum, quem constat, quod moriens noluit habere successorem; Quamvis reprobata opinione Angel. conf. 206. & sequacium, magis recepta sit altera pro venientibus ab intestato, quamvis in testamento exclusus, ut firmatur in dec. 82. & 125. Carilli canonizantibus firmata per Gabr. d. conf. 129. At tamen fundamentum constituitur in benigna interpretatione voluntatis; Vel quia exclusio venientis ab intestato non habeat causam odii, sed illam majoris benevolentie erga testamentarium, aut etiam illam modicæ benevolentie, non autem formalis aversionis, & odii positivi; Vel quod morti proximus, sequendo Christi præcepta, odia remittere voluerit, sive quod signa reconciliacionis accedant, cum similibus considerationibus circa præ-

sumptam voluntatem, quæ proinde benè declarationem admittit.

Fortius autem advertebam id recipiendum esse in hac facti specie, quod attento Jure Antiquo, cum cujus præsupposito procedit textus in d. l. sic cognati, successio soli fratri, attenta proximitate gradus per veritatem, seu naturam debita esset; Nepotes autem ex fratre prædefuncto, admittuntur ad cœqualem successione ex quadam æquativa fictione, quam Jus Novissimum introduxit mediante beneficio representationis, ideoque cum istud sit beneficium fundatum in quadam æquitate, ab ista quoque regulandum veniat, & consequenter admitti debeat opinio Salyceti magis quam altera communior, utpote fundata in dispositione textus in d. l. sic cognati, qua attenda, iste nepos etiam non exosus, nullum concursum cum fratre prætereundum potuisset.

ANNOT. AD DISC. XXVII.

De articulo principali contento in presenti disc. non suppetit occasio aliàs disputandi.

NOVARIEN. SUCCESSIONIS.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An legitimati per rescriptum ad instantiam, vel de consensu patris, cum clausula, sine præjudicio venientium ab intestato, habeant primam causam intestate successione, in exclusionem filiorum legitimorum fratrum, vel filiorum naturalium patris.

S U M M A R I U M.

- 1 Ad series.
- 2 Legitimati cum clausula, sine præjudicio &c. non excludunt venientes ab intestato.
- 3 De eodem, & de ratione, & n. 10.
- 4 Legitimatio cum dicta clausula est vera legitimatio, non autem dispensatio.
- 5 Non autem in parte excepta etiam si a patre sit obtenta.
- 6 Declaratur conclusio, de qua n. 2. & 3. quando procedat.
- 7 Ad quid adicitur, & operativa sit dicta clausula, sine præjudicio &c.
- 8 De eodem respectu ipsius patris.
- 9 Considerandum est an de voluntate ipsius patris adjecta sit.
- 10 Ponderatur ratio, de qua n. 3. quando procedat, & quomodo ista questio decidi debeat.

D I S C. XXVIII.

Facto casu mortis ab intestato cujusdam divitis viri in hac Civitate, vel diocesi, superstitibus quibusdam filiis naturalibus, qui ad instantiam ejusdem patris legitimati fuerunt per Collegium Scriptorum Archivi Urbis cum consuetâ clausula, sine præjud. venientium ab intestato, & germana sorore legitima & naturali; Orta est dubitatio, cui nam intestata successio debita esset; Quare ex parte filiorum legitimorum desuper pro veritate consultus fuit quidam hujus Curie in parte doctrinali doctissimus, ac verè insignis Advocatus enunciatus sub tit. de servit. disc. 74. (quo in hac parte doctrinali non cognovi majorem); Ipteque juxta ejus stylum in dicta sola parte, cum auctoritatibus tamen benè stringentibus, ac præcis, non autem vagis, respondit contra requirentes, cum magno, & accurato labore, cumulando plusquam quinquaginta DD. hanc opinionem tanquam veriore firmantes, quorum plures referent Merlin. de legit. lib. 1. tit. 2. q. 9. n. 3. cum seq. Rota dec. 572. p. 5. rec. & dec. 35. p. 8. atque ex eis multi descendunt ad istos præcisos terminos legitimacionis ab eodem patre procurata.

Cum autem habito hoc Responso, dicti filii legitimati, vel eorum defensores in partibus, non acquiescerent dicto Responso, atque alterius Advocati hujus Curie judicium audire cuperent; Hinc desuper ego, quamvis tunc junior, dictoque Respondente longè inferior, desuper consultus; respondi quod agendo de articulo in genere, sive in abstracto, absque alia facti circumstantia, idem dicendum venire mihi videbatur, quoniam hæc videtur opinio, nedum frequentiori DD. calculo recepta, sed etiam melioribus munita rationibus, in quibus progenio, ac stylo principalliter insistere consuevi, quoniam, ut advertitur sub tit. leg. & de tract. occasione agendi in filiis legitimatis debita sit legitima; Sive an illa, quam pater eis relinquit sub aliqua conditione, vel onere, consuetâ legitimæ privile-

gia habeat pro conditionum, vel onerum rejectione; Quamvis rejecta sententia volentium, ut hæc species legitimacionis ita qualificata importet solum simplicem dispensationem, verior, magisque recepta sit opinio ut importet veram legitimacionem, ut plene discussio articulo firmatur in d. dec. 35. p. 8. rec. ubi concordantes, pluries in aliis canonizata; Attamen id intelligitur in aliis, quam in expressis, seu exceptuatis, in quibus habetur pro non extante, & ac si concessa non esset.

Neque obitare dixi quod ad instantiam ejusdem patris legitimatio obtenta fuisset, quoniam cum ipse ita qualificatam obtinere curaverit, negligendo illam obtinere puram, & generalem à Principe supremo, vel altero, qui refrenatam non haberet potestatem à Constitutione Pii IV. ita censetur noluisse quod actus præjudicaret venientibus ab intestato, quos potius vocare voluerit; Ex ea ratione pluries hoc eadem titulo insinuata, quod moriens ab intestato censetur voluisse testari cum eo testamento, quod lex communis, vel municipalis pro eo fecit, ut in specie ratiocinatur præsertim Galvan. consil. 18. n. 28. & seqq.

Verùm advertebam, quod cum ex proximè insinuata ratione, in casu quo legitimatio ab ipso patre procurata esset, seu aliàs de ejus mandato, vel voluntate serio obtenta, punctus reducatur ad quæstionem ambiguarum voluntatis, ideoque potius ad factum, quam ad jus, idcirco reflectendum esset, ad facti circumstantiæ dictam præsumptam voluntatem tollere possent, atque contrarium suadere; Ut scilicet patris voluntas, obtinendo legitimacionem, ad id directa fuerit, ut tollendo legis obstaculum, filios haberet successores, ut est nimium probabile, cum etiam per eos dicta macula abluta, agnatio, & familia conservetur, ubi potissimum legitima proles desit, ut comprobatur frequens Italiae usus notorius, probando scilicet quod pater, sequuta legitimacione, notabiliter immutasset tractatus cum filiis, eos publicando suos, ac retinendo domi ad mensam, eosque tractando in vestitu, famulatu, ac aliis eo modo, quo veri legitimi tractari solent, diversimodè à bastardis, pro communi usu, atque procurando ut converterentur inter nobiles, vel civiles ejus spheræ, aliaque peragerent, legitimis, non autem naturalibus congrua, pro facti qualitate, ac regionis more; Potissimum verò ex discretivo modo ab eodem patre tento ante, & post legitimacionem respectivè; Multo verò magis ubi cum amicis animum habendi dictos filios in successores explicasset, seu alia gessisset hanc voluntatem probantia, vel adminiculantia.

Ista etenim legitimatio, quamvis ita qualificata, ex veriori, magisque recepta sententia, est verè talis, non autem simplex dispensatio ut supra; Clausula verò prædicta ex Constitutione Pii IV. potius adjici solita, principaliter operativa est in eis, quæ dependent à voluntate alterius, quam ipsius patris, qui filios legitimare voluit; Putà pro successione in fideicommissio majorum, vel feudo, seu niphyteusi pacti, & providentiæ, cum similibus; Et nihilominus, etiam in istis, quoties voluntas fideicommittentis, vel primi acquirentis non resistat, sed assistat, dicta clausula operativa non est, neque obstaculum præbet, ut advertitur pluries sub tit. de fideicommiss. præsertim disc. 68. Undè propterea isto casu, tam in patre, quam in ipso legitimante, qui sit Principi inferior, dictamque facultatem ita limitatam habeat, concurrere videtur etiam defectus potestatis.

In bonis autem liberis, atque ad liberam ipsius patris dispositionem, de alio non queritur, nisi de ejus voluntate, qua accedente ista clausula nullius operationis est; Adeo ut dicta voluntate assistente, legitima, quæ legitimatis relinquatur, consuetâ privilegia obtineat, eodem modo quo illa legitimorum, ut advertitur sub tit. de legit. & de tract. disc. 12. Atque in summa, aliud isto casu non operatur nisi quod præservet patrem ab ea necessitate, qua de jure premitur relinquendi filiis legitimis legitimam liberam, cum honorabili titulo institutionis, ut scilicet ad id invitatus cogi non possit; Sed ejus voluntate assistente, nil differre videtur isti legitimati à legitimis; Et consequenter congruere videtur ea, quæ habentur sub tit. de testam. disc. 26. 27. & 75. in materia testamenti patris inter filios, quod sufficit sola probatio naturalis, & non requiratur solemnitas.

Potissimè verò quia, ut plurimum præsertim personæ idiotæ, sive sint noxiales, sive populares, hujusmodi legalium subtilitatum ignaræ, ad hujusmodi qualitates, & clausulas advertere non solent; Quinimò ut sæpissimè ego expertus sum neque legere, vel audire curant quid in privile-

privilegio legitimacionis contineatur, sive an à Papa, vel ab Archivo, aut ab alio Magistratu inferiori obtineantur, quoniam cogitur solum ad substantiam faciendi actum legitimacionis; Atque ubi obtinetur à Curia Romana privilegium in charta pergamena, non distinguitur in partibus, an illud sit Papæ, vel alterius inferioris, sed quotquot vident hujusmodi chartas à Romana Curia venientes, reputant bullas, & Brevia Papalia etiam simplicia monitoria A. C. quæ Brevia vulgo dicuntur, ac reputantur; Quinimò non desunt Rabole forenses, qui istam eorum correspondentiam simpliciter confirmant, & fovent, magnas pecuniarum summas ita extorquendo, seu verius furtum, ac rapinam committendo, ex eo quod essent Brevia, vel Bullæ Apostolicæ, ut insinuatur sub tit. de iudicis in relatione, & praxi Curie.

Hinc proinde, ratio superius ponderata, quod quando pater non curat obtinere legitimacionem puram, sed obtinet ita qualificatam, ita ejus voluntatem explicare dicitur, non præjudicandi venientibus ab intestato, quodque ita decedendo, censetur condere testamentum eo modo quo lex communis, vel municipalis illud ordinavit, est vera in abstracto, sed punctus est in concreto, seu in applicatione, quoniam rectè procedit quando constat quod pater ita sciens, & volens hac speciem legitimacionis potius, quam alteram obtinere studuit, sive quod ea directè, ac principaliter per eum obtenta non sit, sed obtenta per ipsos filios naturales, vel alios eorum conjunctos, qui studiosè patris simplicem consentum obtinissent, absque eo quod ipse verisimiliter cogitasset ad effectus exinde resultantes; Vel quia habens filios legitimos, & naturales, constet hanc legitimacionem obtinuisse ad alios effectus, reddendi scilicet eos capaces illorum munerum; & officiorum, quorum alias essent incapaces, & cum quibus prudens pater ipsos providere posset, retenta de facto inferiori qualitate filiorum naturalium discretorum à verè legitimis; Secus autem ubi prolem legitimam non habens, obtenta legitimacione continentem hujusmodi restrictiones; potius ex stylo legitimantis, quam ex ejus voluntate; illos legitimatos declaraverit, ac tractaverit, atque ab aliis recognosci, & tractari curaverit, decedere verò intestatus potius à casu, quam electione proveniret; Et in summa ista est quæstio facti ex istius qualitate, & circumstantiis decidenda, non autem cum regulis, & doctrinis generalibus juxta consuetam pragmaticorum inceptam; Super his autem circumstantiis, an illæ assisterent, nec nò, judicium dari non potuit, cum consilium ita super quæstione in abstracto suppressis nominibus petitum fuerit.

ANNOT. AD DISC. XXVIII.

De legitimatis, videri poterunt concordantia, in Adnot. ad disc. 68. & 69. de Fideic. Et aliqua circa clausulam sine præjudicio, habentur deducta in hoc tit. disc. 53.

ROMANA HEREDITAS DE ARMANNIS

PRO ANNA,

CUM JOACHINO, JO: BAPTISTA, ET ALIIS DE ARMANNIS.

Causa disputata coram Prælo, credo, resolutus pro Anna.

De exclusionem matris à successione filii pupilli, eo quia non curavit infra annum illi provideri de tutore; Et an detur in hac materia purgatio moræ; Et ejusdem matris exclusionem ob transitum ad secunda vota, non redditus prius rationibus tutelæ, per eam administratæ, quando, & quomodo id procedat.

S U M M A R I U M.

- 1 Ad series.
- 2 Quando mater privetur successione filii ob non peti- tum tutorem.
- 3 De eadem privatione ob non redditas rationes.
- 4 Datur purgatio moræ super obligatione, & pena, de qua num. 2.
- 5 De conclusione, de qua num. 3.
- 6 Pœnæ secundo nubentium sunt abrogatæ propter favorem filiorum.
- 7 An filii religiosi in hoc proposito considerentur.

- 8 De eadem conclusione, de qua num. 6.
- 9 Quod purgatio, de qua n. 4. non procedat de jure civili.
- 10 Contrarium verius.
- 11 Quando jus canonicum admittatur etiam in terris Imperii.
- 12 De adimplemento post terminum, an sufficiat.
- 13 Quod pœnæ, de quibus nu. 2 & 3. procedant etiam favore extraneorum.
- 14 Declaratur, & de differentia inter unum, & alterum casum.

D I S C. XXIX.

Defuncto Joanne Baptista Lupo Annæ viro, superstiti Veronica unica filia pupilla, Anna mater, nullum actum judicialem gerendo circa tutelæ acceptationem, illam de facto per annum, & menses exercuit, tam circa pupillæ educationem, quam bonorum administrationem, deindeque formiter eandem tutelam in judicio acceptavit, adimplendo solemnitates cum interventu, & consensu Joachini, & Joannis Baptistæ ejus fratrum; Volensque postmodum ad secunda vota convolare, curavit eidem pupillæ de tutore provideri, rationes etiam suæ administrationis exhibendo, quamvis ob aliqua impedimenta, priusquam secundæ nuptiæ sequerentur dicta reddicio non omninò completa esset; In hoc autem statu sequuta morte dictæ Veronicæ in eadem pupillari ætate; Cum Anna tanquam mater hæreditatem peteret, se opposuerunt præfati Joachinus, & Joannes Baptista pupillæ avunculi, quibus aliàs tanquam proximioribus, matre de medio sublata, dicta intestata successio debita esset, prætereundo illam excludere ex duplici capite.

Primò ex quo infra annum non curaverit pupillæ de tutore provideri, undè propterea ipsius successione privatur, quatenus tamen illa in eadem ætate decedat, secus si post illam completam, quando testari potest ad text. in l. 2. §. si mater ff. ad Tertull. §. penult. Instit. eod. DD. communiter de quibus Cancr. part. 1. var. cap. 7. de tutelis num. 53. ubi de ampliatione, etiam de facto interim ipsam mater administrasset, quia non per hoc pupillæ consultum dicitur Guttier. de tutel. par. 1. cap. 16. & per alios, de quibus infra.

Et secundò ob transitum ad secunda vota non redditus prius rationibus tutelæ per eam triennio circiter administratæ ad text. in l. omnem C. ad Tertull. Auth. eisdem C. de secundis nuptiis, & in corpore undè sumitur; Undè introducta causa coram Vicario, seu Prælo deputato.

Scribens pro Anna (cum sensu etiam veritatis) improbabile dicebam hujusmodi præsentionem; Quatenus enim pertinet ad primam exclusionis causam, ob neglectam tutoris petitionem: Cum post tres vel quatuor mensis anni decursi eadem Anna re integra tutelam acceptaverit, omniaque adimplenda impleverit, hinc proinde quascunque mora per eam desuper contracta, purgata remansit, & quæ moræ purgato (quicquid de stricto rigore juris civilis in contrarium dixerint Salicet. in l. sciant n. 7. & 8. C. de legitimis tutoribus, & ceteri per Cancr. did. cap. 7. nu. 56. Montan. de tutel. cap. 18. n. 22. Merenda controuv. Jur. lib. 24. c. 4. n. 17.) Verius est ut de canonica æquitate intret ut per Alex. & Bart. in d. l. sciant, & ceteri per Gabr. de tutel. conclus. 1. n. 22. Guttier. de tutel. par. 1. c. 16. post nu. 68. ubi hanc dicit opinionem benignam, & veram, Galganett. eod. tract. lib. 3. quest. 28. nu. 38. Surd. decis. 48. nu. 8. benè Spada conf. 305. n. 8. cum seq. lib. 3. ubi quod contraria opinio Saliceti, & sequacium procedit de stricto jure civili, secus autem de equitate canonica in hac materia purgacionis moræ admittenda; Accedente præsertim justa causa simplicis, seu ignorantie mulieribus, ac etiam alia circumstantia, ut jus pupillæ interim effectum non sit deterius, stante bona administratione de facto per eandem matrem gesta, adeo ut adesse solum videretur quedam culpa juris in negligendis solemnitatibus, quarum ignorantia de facili in muliere admittenda est, ubi nulla concurrat culpa vera, seu malitia de facto, quæ ad hujusmodi pœnæ incursum attendenda videtur, ut per Spad. ubi supra, & Gratian. discept. 668. n. 7.

Quo verò ad alterum exclusionis caput, ob non redditas rationes, difficultas tollebat ex solo facto, in quo per causæ Patronum de redditione docebat; Scribentes autem pro oppositoribus replicabant, quod neque per hoc satisfactum esset, ob non sequutam reliquatur restitutionem, dum ista per allegata jura copulativè demandata, est; Verùm hoc objectum pariter de facili dupliciter tollebat; Pri-

Primò nempe ex motivo illiquiditatis causatæ ex eorum-
dem oppositorum culpa, & factò, dum per aliquas eorum
oppositiones malitiosè pertractas, peritus aliquas partitas
controverfias certificare non potuit, quas tutrix credebat
non debere, ideoque præterendi non poterat mora pœnæ in-
ductiva, à qua incertitudo, seu illiquiditas semper excu-
fat ad text. in l. 2. C. de usuris Afflict. & ibi Urfill. dec. 205.
Duran. dec. 346. in fi. & passim.

Et secundò quia hæc est una de pœnis per jus novissi-
mum secundò nubentibus inflitit; Istæ autem pœnæ gene-
raliter favore libertatis matrimonii abrogatæ sunt, illis
tantum firmis remanentibus, quæ concernant favorem fi-
liorum ex primo matrimonio superstitum Sanchez de ma-
trimon. lib. 7. disp. 87. n. 39. Capyc. Latr. dec. 22. n. 1. Rot.
dec. 479. n. 9. part. 1. recep. dec. 116. r. 18. 223. 267. & 503.
p. 5. rec. & in aliis frequenter, Idque adeò verum, quod
etiam si filii prioris matrimonii superstiti, sed sint Religio-
si de Religione incapaci in communi, & in particulari,
ad huc dictæ pœnæ cessant ob non existentiam filiorum
capacium, ad quorum commodum pœnæ prædictæ cede-
re possunt: Solaque difficultas est, ubi sint Religiosi de
Religione capaci, quo casu est aliqua inter Scribentes di-
screpantia, ut liquet ex deductis in Romana successio-
nis de Comitibus de qua disc. seq.

Et in terminis individualibus istius pœnæ amittendi filii
pupilli successioem ob transitum ad secunda vota, antè
redditionem rationum tutelæ administratæ, & restituti-
onem reliquas plenè Capyc. Latr. dec. 131. Ideoque cum
in præfenti nullus ex primo matrimonio superstes esset fi-
lius, ad cuius commodum cederet successio, à qua mater
excluderet, sed id opponeretur per collaterales quorum
nihil interest, an mater vidua permanferit, vel binuba effe-
cta sit, hinc proinde indebitè hujusmodi pœna objiciebatur.

Adversus istas responsiones replicabant Scribentes in
contrarium circa moræ purgationem, quod cum illa pro-
veniat ex æquitate canonica, attendenda non erat in Ur-
be, ubi ex Statuto servandum est jus civile, quo attento
dicta æquitas intrare non debet allegando in id Peregrin.
conf. 20. aliàs Aldovin. apud cum n. 15. lib. 4. Verùm lev-
is erat replicatio, quoniam ubi jus partis effectum non est
deterius, purgatio moræ re integra admittitur etiam ex
intentione juris civilis, ut bene Mant. dec. 270. nu. 4. ubi
concordantes; Et nihilominus ubi etiam ex sola æquitate
canonica resultaret, adhuc magis communis, & recepta
opinio est, ut etiam in Terris Imperii, & ubi vivitur
cum jure civili, ista æquitas admittenda veniat, ut rela-
tis opinionibus hinc inde, verus firmat Fulgin. de emphy-
teustit. de solutione canonis q. 6. nu. 7. ubi quod etiam Judex
admittitur ad moræ purgationem; Idque ultra rationes
per Fulgineum & alios deductas, ex ea probari videtur,
quod nullibi de jure civili hujusmodi purgatio prohibita re-
peritur; Ubi autem aliquid est dubium de jure civili seu
ab eo non est definitum, sed expressè definitum est à jure
canonico, tunc istud tanquam in casu omisso suppletivum
attendendum est, etiam ubi cum jure civili vivatur, ut
bene apud Metl. dec. 671. aliàs dec. 30. nu. 34. cum seq. p. 7.
rec. dec. 266. p. 6. & in aliis non curata dicta auctoritate
Aldovini apud Peregr. ubi supra, cum id solum deducatur
pro ratione dubitandi, & juxta illas superfluas, & inci-
dentes difficultates, quæ ex stylo Consulentiũ ad reddenda
Consilia copiosa, deduci solent.

Omneque difficultatem in proposito cessare dicebam,
quoniam quæstio de admittenda, necne, purgatione mo-
ræ, procedit ubi res essent in fieri, quia nempe morosus vo-
lit illam purgare, alter autem, cuius interest purgationem
non sequi, illi se opponat, atque impediat: Secus autem
ubi ille, cuius interest adimplementum in tempore sequi
vel non sequi esse post elapsum terminum scit &
patitur illud sequi, cum tunc videatur ita moram remisit-
se ad text. in l. post diem ff. de l. commissoria Mant. d. dec. 270.
n. 14. & 16. Greg. & Adden. dec. 75. & 148. Romana loca-
tionis 10. Junii 1661. coram Veraspio impress. post colluctat.
Bonden. dec. 88. & sæpius.

Replicabant idem Scribentes quoad alium punctum ces-
sationis pœnarum secundò nubentium favore extraneo-
rum de auctoritate Franch. dec. 167. Guttier. d. cap. 16. nu.
117. Surd. conf. 175. n. 15. Socc. conf. 39. n. 11. & seq. lib. 1.
ad probandum, quod hujusmodi pœna etiam hodie non sit
correcta dicendo præferti quod in d. dec. 479. n. 9. p. 1. rec.
id ex cursu calamit firmetur se fundando in cons. Aretini. 40.
communiter reprobato ex deductis per Guttier. ubi supra
n. 123. & seqq.

Verùm hæc replicatio laborabat æqui voco manifesto;
Allegati enim, & alii, non loquuntur de ista pœna priva-
tionis successioem ob non redditas rationes tutelares, & non
restitutum reliquatum ante transitum ad secunda vota, sed
loquuntur de alia pœna ob non petitum tutorem intra an-
num, ad quam pœnam incurrendam nil commune habent
secundæ nuptiæ, quoniam si illæ contrahantur sine non,
ea incurritur, cum jus Digestorum à quo id provenit, hu-
jusmodi distinctionem non dederit, neque super secundis
nuptiis aliquam fecerit provisionem, undè propterea non
bene ab uno casu ad alterum inferebatur; Præferti quia
eodem Digestorum Jure attento, dari non poterat casus
alterius pœnæ ob non redditas rationes tutelares ante tran-
situm ad secunda vota, cum tunc, etiam mater, & avia
comprehenderentur sub generali inhabilitatione mulierum
ad tutelæ munus publicum exercendum, utpotè habitate
solum per jus novissimum Authenticorum; Ideoque credo,
quod cum justitiæ fundamentum pro matre sententiarum fue-
rit, nisi aliqua concordia controversiam terminavit, dum
post binas disputationes, non audivi amplius de causa
actum.

ANNOT. AD DISC. XXIX. cum seqq.

De pœnis secundò nubentium ad eandem materiam
text. in l. feminae C. de secund. nupt. habetur in hoc tit.
disc. 44. conferunt deducta sub tit. de dote in disc. 194. E-
de materia text. in l. hac editali, habetur eod. tit. de Dote in
disc. 214. ubi expenditur Statutum Cremonæ.

ROMANA SUCCESSIONIS
DE COMITIBUS
PRO COM: MARCO ANTONIO
DE MARSCIANO.

Casus disputatus coram A. C. & in Rota, & concordatus.

An dispositio textus l. feminae, C. de secundis nuptiis,
super necessaria successione reservanda per matrem
binubam filiis primi matrimonii in bonis, obventis
à successione filii defuncti, locum habeat solum in
successione immediata, vel etiam in mediata.

Et an dicta necessaria successio procedat favore illorum
filiorum, qui sint religiosi professi.

S U M M A R I U M.

- 1 Adi series.
- 2 De primis decisionibus hujus cause in materia ren-
unciationis.
- 3 De lesione in transactione.
- 4 Quando transactio obligat successores.
- 5 De punctis disputatis.
- 6 Ascendentes secundi gradus succedunt cum fratribus.
- 7 Quod dispositio l. feminae, non procedat in successione
mediata.
- 8 De distinctione inter medium directum, & transversum.
- 9 Impugnatur conclusio de qua nu. 7. ac etiam distinctio de
qua n. 8.
- 10 Dispositio l. feminae procedit etiam favore nepotum, &
quando.
- 11 De ratione in qua fundata est l. feminae.
- 12 De eodem, & quare non subsistat distinctio de qua n. 8.
- 13 Filii religiosi professi habentur pro non extantibus ad ef-
fectum l. feminae.
- 14 Distinguitur inter Religionem capaceam, & incapaceam.
- 15 Impugnatur distinctio.
- 16 An Monasterium habeat jus vindictæ, & querelæ pro
injuria Monaci.
- 17 Monasterium succedit directè, & immediatè juxta opi-
nionem Canonistarum.
- 18 Quod vera sit distinctio de qua n. 14.
- 19 Quomodo dicatur pœna hæc successio ex l. feminae.
- 20 Declaratur conclusio de qua n. 17.
- 21 Si mater binuba de tempore successioem est vidua, an pro-
cedat l. feminae.
- 22 Aliud est considerare injustitiam in causa nova, aliud pro
informatione.
- 23 Quomodo Judices in hoc debeant ponderare conclusiones.

DISC.

D I S C. XXX.

Baldassare de Comitibus defuncto ab intestato, super-
stitibus Cornelia avia materna, alias binuba, tunc vi-
dua, Cleria germana sorore, ac Angela, & Hippolyta
amitis, omnibus monialibus professis in Monasterio San-
ctæ Catharinæ de Senis, orta dictæ successioem contro-
versa inter dictam Corneliam, & Monasterium ex per-
sona monialium, introductaque causa in Rota cor. Du-
nozetto, duæ prodierunt decisiones inter se variæ sub die-
bus 15. Januarii & 23. Junii 1642. impressæ inter illas ejus-
dem decis. 641. & 671. quarum prima est repetita post Ma-
rin. resol. 190. lib. 2. illæ quæ sunt celebres in materia renun-
ciationis, an esset realis, vel personalis, five an facta in-
tuitu ingressus in Religionem; requireret solemnitates sta-
tutarias, ut pluries insinuat in sua materia sub tit. de
renunciacionibus; Deindeque inter Partes eventum est ad
concordiam juxta seriem insinuatam quoque sub tit. de feud.
ad materiam Bullæ Baronum disc. 96. & sub tit. de servit.
ad materiam retractus disc. 85.

Post diuturnam autem pacificam observationem, Mo-
nasterium, præterendo ex dicta concordia se notabiliter
læsum, litem super rescissione insinuit coram A. C.
contra Marcum Antonium Corneliam defunctæ ex secundo
matrimonio filium ac hæredem, & donatarium, (cum-
que etiam dicta concordia inita fuerat,) atque post plures
disputationes habitas coram Judice ex parte Monasterii,
obtentum fuit rescriptum à Sanctissimo quod procedere de-
beret de voto Rotæ, ubi assumpta disputatione cor. Bi-
chio, nulla capta fuit resolutio, idque ansam dedit novæ
concordiæ, quæ litem terminavit.

In primis disputationibus de Anno 1624. habitis cor-
Dunozetto, ego non scripsi, utpotè tunc existens in pa-
tria, nec quidem cogitando de accessu ad Curiam; De
conclusionibus autem, seu punctis in decisionibus conten-
tis, actum fuit in hoc novo judicio ad effectum inspicien-
di, an adesset, nec ne læsio, cujus ratione Monasterium
transactionem impugnabat; Quamvis enim Curia Roma-
na constanter teneat opinionem, (ab aliquibus acriter)
negatam, ut in transactione locum habeat dispositio
textus in l. 2. C. de restitend. vend. ex deductis sub tit. de empr.
& vendit. præferti disc. 27. & alibi; Attamen ubi ibidem
habetur, pro lesione regulanda, attendendus non est va-
lor bonorum, seu jurium ex lite existentium, sed ille fu-
turi eventus probabilis, qui est nimium difficilis æstima-
tionis, unde propterea plures credunt id esse impracticabi-
le; Verùm Rota, & Curia in hoc nimium largè agit, at-
que ad id dignoscendum reassumit cognitionem meritorum,
seu justitiæ, vel injustitiæ, ut ita id dignoscatur, ut insi-
nuatur, etiam pluries in aliis materiis occasione agendi
de conclusionè, an transactio efficiat successores venien-
tes jure proprio independentè à transigente, ut præferti
sub tit. de feud. disc. 49. & sub illo de emphyt. disc. 52. & sub
illo de fideic. disc. 172. cum seq. & insinuat sub tit. de alien-
nat. & contract. prohib. disc. 50. ubi remissi vè de pluribus
ad materiam transactionis.

Quamvis autem in dictis decisionibus principaliter aga-
tur de materia renunciacionis, an esset realis, vel per-
sonalis, & an requireret solemnitates præscriptas à Statuto
Urbs, Attamen in novis disputationibus, isti puncti ex
parte Monasterii neglecti fuerunt, solumque actum de
duobus; Primò nempe an dispositio textus in l. feminae in
successione filii primi matrimonii in bonis in eum obven-
tis à primo viro, procedat solum in iis, quæ in defunctum,
de cujus successione agitur, immediatè obvenit à primo
viro, vel potius capiat etiam ea, quæ ex successione me-
diata obvenierunt, qualis erat casus controversiæ, quo-
niam primo viro successerat Evander filius, cui deinde
morienti successerat dictus Baldassar primi-viri nepos, ac
successor mediatus; Et secundò an eadem dispositio textus
in d. l. feminae favore filiorum primi matrimonii supersti-
tum de tempore mortis matris binubæ, procedat in filiis,
qui tunc essent Religiosi professi.

Non dubitabatur etenim de alia conclusione firmata in
dicta prima decis. 641. Dunozetti, ubi concordantes alle-
gantur, quod ex veriori magisque recepta opinione (quam-
vis à contradiccionibus non immuni) parentes posteriores
post patrem, vel matrem, istis de medio sublatis, æqua-
lem concursum habent in successione intestata cum fratri-
bus, vel sororibus utrinque conjunctis, quamvis primum
locum occupent.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum mediatae,
vel immediatæ obventionis; Cum Rota usq; ab anno 1616.
istam quæstionem formiter, & ex professo disputaverit
coram Martin. Andr. atque amplexa fuerit opinionem ut-
potè magis communem, ac melius fundatam, ut dispo-
sicio dicti textus procedat solum in bonis à primo viro im-
mediatè obventis, ad illum filium, de cujus successione
agitur, non autem de illis, quæ obvenierunt mediata ex
successione alterius, istamque opinionem, quam etiam firmam
latè tueret Castill. de usufruct. c. 1. num. 60. & seqq. etiam
tam apud Martin. Andr. inter suas dec. 73. repetit. dec. 771.
par. 2. rec. pluries deinde eadem Rota tenuit ut dec. 177.
par. 4. rec. tom. 2. num. 8. dec. 527. num. 14. eadem par. 4.
tom. 3. dec. 242. num. 17. par. 6. cum aliis apud Cels. dec.
72. num. 14. & seqq.

Hinc proinde, Scribentes pro Monasterio, non impu-
gnabant conclusionem, ubi ageretur de medio collateralis,
quia nempe defuncto prius uno ex filiis primi matrimonii,
alter ei successerit tanquam frater, qualis est casus, de
quo in dicta dec. agitur; Dicebant autem secus esse ubi aga-
tur de medio directo, quia nempe filio primi gradus, qui
primi viri hæres extitit, successerit ejus filius ita ejusdem
primi viri nepos juxta distinctionem traditam in d. secunda
dec. 676. Dunozet. fundamentum in cons. 547. Anchar. &
cons. 58. Ruini lib. 5.

Mihi scribenti pro Marco Antonio Reo convento, vi-
debat, quod si quæ probabilis dubitandi ratio cadere
posset, ea procederet super dicto articulo in genere, cum
in proprio sensu magis placaret, probabiliorque videretur
alia opinio, ut in distinctè dispositio dicti textus locum
habere debeat in mediatis, ac immediatis attenda origine,
dum pro genio, ac stylo semper visum est abhorreret debe-
re formalitates verborum, sive grammaticales significa-
tiones, & an dictio ex denotet causam mediatam præci-
sè, necnè, cum similibus frigiditatibus ex sola legum
littera desumi solitis; cum verius procedendum sit atten-
ta substantia veritatis, ac sine, seu effectu per legem con-
siderato, qui est, ne filii secundi matrimonii potiantur
bonis obventis à primo, ideoque filii vel descendentes pri-
mi viri videant eorum patris, vel avi bona occupata à
personis exosis, ipsis exclusis.

Præsupposita verò, seu retenta dicta diversa opinione
firmata in allegata dec. 74. Martin. Andr. & in aliis distin-
guente inter causam mediatam, & immediatam; Dice-
bam, etiam in sensu veritatis, improbableem videri præ-
fatam subdistinctionem inter medium transversum, ac di-
rectum, cum nulla dignosci videretur probabilis differen-
tiæ ratio, atque auctoritates Anchar. & Ruin. locis ci-
tatis, deductæ quoque in præfata disputatione habitæ de
anno 1616. coram Martin. Andr. nominatim reprobatæ
in dicta decis. 74. cum vis quæstionis consistat, an attendi
debeat hæc distinctio mediati, vel immediati in genere,
sive an spectari debeat origo, non autem circa qualitatem
medii.

Observando præferti quod hæc distinctio inter medium
directum, & transversum, originem habet ab æqui voco
claro desumpto ab aliquibus auctoritatibus firmantibus
quod dispositio dicti textus in l. feminae, procedit non solum
favore filiorum primi matrimonii, sed etiam nepotum,
ac ulteriorum descendencium, quamvis primum locum
non occupent ex deductis in eisdem decisionibus Dunozetti,
& apud Cels. dec. 72. n. 20. Id enim continet æquivocum
clarum, non circa veritatem conclusionis, sed circa ap-
plicationem; Procedit etenim in illis nepotibus, vel de-
scendentibus, qui prædefuncto patre, primum locum oc-
cupent de tempore quo fiat casus successioem, undè pro-
pterea agatur de nepote veniente jure activo ad successio-
nem, non autem quod congrua differentie ratio intret in-
ter unam (speciem medii, & alteram, quoties admittatur di-
cta distinctio causæ mediatae, & immediatæ in ordine ad
successioem passivam, quoniam vel talis distinctio in to-
tum neganda est; vel in totum acceptanda.

Quinimo observabam quod discurrendo materiam per
rationes, eadem distinctio inter causam mediatam, & im-
mediatam, potius reprobari deberet in dicto casu medii
transversi, de quo agitur in dicta decis. 74. Martin. Andr.
quoniam si dispositio dicti text. in l. feminae fundata est in
injuria, quæ fiat filiis primi matrimonii, aliisque descen-
dentibus, major est injuria eorum, qui sint primi, & im-
mediati, quam eorum qui sint posteriores, & consequenter
non videretur subesse congrua ratio, cur dicta pœna proce-
dere non debeat in filiis primi gradus, & debeat procedere
in nepotibus remotioribus, gradus ulterioris.

Et

Et secundo quoniam de jure Codicis fratri morienti, soli fratres in tota proprietate succedebant, parentes autem in solo usufructu ad i. ex. in l. fin. C. ad Terrull. nepoti vero succedebant soli ascendentes, exclusis amitis, solumque certa portione patris assignata, idedque potentius est jus alterius ascendentis in bonis nepotis, seu descendentis ulterioris gradus, quam sit illud filiorum primi gradus, ergo si in isto casu, in quo minus habent jus, intrat dicta distinctio causæ immediatæ, & mediatæ, juxta opinionem firmatam à Rota, quæ non impugnabatur, multo magis, & à fortiori in isto; Idedque quantum dignosci potuit in unica disputatione Rota inclinabat in hunc sensum, qualem quoque habeat Judex causæ, & consequenter Monasterium aliqua modica majori utilitate reposita, liti cessit.

Quò verò ad alterum punctum, an scilicet habenda sit ratio filiorum primi matrimonii, qui essent religiosi professi; Prima decisio coram Dunozerro 614. procedit cum propositione firmata dec. 223. & 267. p. 6. rec. & dec. 503. p. 5. ut filii religiosi professi, tanquam mortui Mundo, habeantur pro non extantibus.

In posteriori autem dec. 676. nova adhibetur distinctio recepta in materia intestatæ, vel fideicommissariæ successioneis de qua pluries sub tit. de fideic. inter capacitatem, & incapacitatem Religionis in communi, quasi quod habendi sint pro mortuis filii Religiosi professi in Religione inducente incapacitatem tam in particulari, quam in communi, secus autem ubi illam inducat in particulari tantum.

Scribens ego, impugnando hanc distinctionem more Advocati ad causæ oportunitatem, dicebam illam improbabilem esse, quoniam ratio conclusionis non consistit in capacitate, vel incapacitate, sed consistit in pena vindictæ, quæ filiis præstatur ob injuriam sibi illatam per transfutum ad secunda vota ex deductis d. dec. 267. nu. 19. par. 6. & dec. 503. n. 9. p. 5. ubi concordantes, & consequenter, quod cum hæc injuria jam illata esset antequam dictæ filii, vel nepotes ex primo matrimonio professionem emitterent, ita remissa erat per illam cujuscumque injuriæ remissionem, quæ sit in formula professionis.

Atque ad id deducebam ea quæ ceteris relatis plenè habentur apud Farin. quest. 13. n. 24. & seq. & Rovit. prag. 8. de comp. n. 19. & seq. super questione, an Monasterium habeat jus vindictæ pro injuria facta monacho, quoniam distinctio est, an agatur de injuria facta postquam erat Monachus, & tunc habeat; Secus autem, si antea.

In idem quoque ponderando deficientem rationem, cui dicta lex innititur, ut scilicet bona primi viri per transfutum ad secunda vota offensa, redeant ad ejus filios, & descendentes in dictæ injuriæ compensationem quæ ratio non intrat ubi agatur de professis, non solum ob rationem incapacitatis in particulari, sed etiam quia juxta opinionem Canonistarum, quam Rota, & Curia sequitur, Monasterium succedit immediatè, ac jure suo, non autem mediatè, idedque succedit extraneus, non autem filius.

Verùm reflectendo ad veritatem advertebam, quod ubi non extante transfectione, agendum esset de ipso puncto successioneis, adhuc indeciso, an scilicet intraret, nec ne dispositio dicti text. in d. l. fœminæ, distinctio esset vera, quodque filiis primi matrimonii quamvis religiosi in Religione capaci dicta successio debita esset, quoniam professio non tollit jura naturalia, & sanguinis, idedque si ceteri non tollit jus ordinariæ successioneis ab intestato, ac fortius non tollit jus successioneis necessariæ ex fideicommissis, nequæ puro, & restitutorio, in casu mortis, sed etiam illo, quod ex communi Juristarum loquendi usu dicitur pœnale ob alienationem, vel aliam contraventionem, ita non videtur subesse congrua ratio cur professio in Religione hanc fideicommissariam successioneis lege ordinatam impediatur.

Ea verò quæ dicuntur de remissione injuriæ, ac vindictæ, continere videntur consuetas ineptias eorum, qui in sola littera legum procedunt; Id enim dicitur per quemdam modum loquendi pro explicatione rationis, vel impulsus legis ad ita standum, non autem, ut dicatur formalis pœna criminalis illius vindictæ, cujus prosequutio viris religiosis prohibita est, quoniam esset dare absurdum per sacros Canones expressè damnatum, quod scilicet matrimonium redoleret delictum vindicta dignum, pro quo formalis pœna irroganda veniat, non pro refectione damni, sed loco vindictæ; Verius etenim est quod Jus novissimum benignè agendo cum parentibus, qui à filio-

rum successione in proprietate exclusi erant, voluit eos ad id admittere sub ista conditione, seu qualitate, adjiciendo implicitum onus fideicommissi, ac restitutionis filiis ex eo matrimonio superstitibus, eodem modo quo illud adjecit super lucris nuptialibus tanquam ex implicita, seu præsumpta voluntate primi conjugis, à cujus substantia in alterum binubum bona obveniunt immediatè, vel etiam mediante successione filiorum.

Pœna siquidem dicitur etiam per Juristas illa superius insinuata fideicommissi, quod ad differentiam puri in casu mortis, (quod restitutorium dicitur,) conservatorium appellatur, in casu scilicet alienationis vel contraventionis, & tamen fabulosum esset dicere, ut illi Religiosi, qui succederent in restitutorio, non deberent succedere in isto conservatorio redolente pœnam ob injuriam testatori illatam contravenienti ejus dispositioni, quod cum terminis delicti, & ingratitude explicari solet, quoniam non est pena formalis in bonis propriis in vindictam, ac punitionem, sed est subtractio lucris de alienis bonis ex voluntate domi ob non retentam qualitatem ab eo volitam.

Prout fallaciam continet dictum argumentum deductum ex opinione Canonistarum super directo, ac proprio jure Monasterii independentem à persona monaci, quoniam non alibi pluries advertitur, & præsertim d. tit. de fideic. istud est privilegium Religionis, & Monasterii, & nō in libito monaci, vel professi sit nolle acquirere, ad instar illius juris, quod habet dominus in successione delata servo, non autem ut dicatur succedere Monasterium tanquam extraneus, quoniam si religiosus non adesset in rerum natura, utique Monasterium non succederet, neque concursum cum aliis vocatis præterdere posset, cujus contrarium, non refragante testatoris voluntate, est verius.

Deducebam quoque tanquam Advocatus ad causæ oportunitatem, quod neque versarem in terminis dicti textus in l. fœminæ, stante quod de tempore apertæ controversiæ successioneis, avia erat in statu viduitatis ob secundum matrimonium jam dissolutum, & consequenter quod hic status attendendus veniret, non curato secundo matrimonio, sive præcesserit, sive post jam obtentam successioneis in statu habili subsequatur, ut per plura media probare conatur Cyriac. contro. 367. num. 44. & seq. ubi dicit hunc punctum esse novum à nemine tractatum nisi per Menoch. conf. 278. quem reprobare studet, quasi quid iste casus à dicta lege sit omissus, atque sub ea non comprehensus.

Pariter autem, reflectendo ad veritatem, istud motivum, aquando causæ esset integra, videbatur minus tutum; Tum ob auctoritatem Rotæ dec. 45. n. 8. & seq. par. 7. rec. ubi firmant idem quod dicit Menoch. d. conf. 278. (quamvis nequæ de illo, neque de Cyriaco mentio habetur;) Tum etiam quia probabiliora videntur Menochii fundamenta ob rationis identitatem, quæ rectè intrat, dum versamur in lege communi, non autem in Statuto, quod strictè, & rigorosè intelligendum sit, potissimè, dum est jus non exorbitans; & correctorium, sed potius reintegratorium juris antiqui, nimiumque rationale, & æquum.

Ambo tamen motiva, quamvis essent in meo sensu respectivè fallacia, oportune deducebantur, atque consideratione digna erant, quoniam ob diversitatem opinionum, negari non potest, quin essent quæstiones disputabiles, ac expressè in jure non decisæ, & propterea transactio, de cujus infirmatione agebatur, subsistendi deberet, idque minueret valorem juris, quod erat in controversiæ pro excludenda læsione; Atque in hoc consistere quoque debet advertentia Judicantis, vel Consulentis ad veritatem, quod scilicet in quæstionibus dubiis habentibus opiniones hinc inde; Aliud est considerare magis unius, quam alterius opinionis probabilitatem in causa nova, & integra; Aliud verò ad effectum judicandi super rescissione transfectionis, vel super ea injuria, quæ deducatur pro restitutione in integrum adversus rem judicatam, vel adversus tres conformes, cum similibus; Atque in hoc versatur clarum æquivoecum, quod quotidie experimur, quoniam examinatur in quæstionibus dubiis una, vel altera opinio pro hac injustitia vincenda perinde ac si esset causa nova, & integra, quod manifestum errorem continet.

ANCONITANA DOTIS.
PRO NICOLOSA
CUM PIERA DE BONANGELIS.

Causa disputata coram A. C. resoluta pro Nicolosa, postea, ut credo, concordata.

An bona primi conjugis obventa in alterum binubum, non ex successione, sed ex renunciacione filiorum primi matrimonii, subjaceant necessariæ successioni resultanti ex dispositione textus in l. fœminæ.

S U M M A R I U M.

- 1 Fœmi series.
- 2 De questione an renunciatio profit etiam filiis secundæ matrimonii, pro affirmativa.
- 3 Contrarium verius.
- 4 De differentia an tempore renunciacionis secundæ nuptiæ contractæ essent, necnè.
- 5 Declaratio ejus quæ renunciacionem fecit attendi debet.
- 6 De distinctione in questione, de qua n. 2. & 3.
- 7 In dubio juxta sensum, de quo n. 3.
- 8 De alia distinctione, an pater renunciarius decedat testatus, vel intestatus.
- 9 De distinctione pacti de non petendo.

D I S C. XXXI.

EX prima uxore Francisci Mariæ Bonangeli, superstitibus tribus filiabus; Cum duæ ex eis vitam spirituales eligendo Monasterium ingressæ, accepta dote dari solita Monasterio, aliisque consuetis appendiciis, patri renunciat de paternis, maternis, & sororis fecissent; Eo autem defuncto superstitibus Nicolosa tertia ex prima, & Piera unica filia ex secunda uxore, inter ista super paternam hæreditate orta est controversia, an scilicet Nicolosa præcipuam detrahere deberet integram dotem materiam, vel potius propria virili contenta, reliquæ duæ portiones sororum monialium, stante dicta renunciacione, spectarent ad paternam hæreditatem ad commune commodum; Hinc proinde introducta causa coram A. C. ad favorem filiarum primi matrimonii, me pro ea scribente, prodit resolutio, decernente scilicet mandatum contra hæreditatem pro integra dote, atque altera Parte de more recurrente ad Signaturam pro commissione appellacionis in Rota cum clausula translativa exequutionis, incertum est quid rescriptum fuerit, neque amplius de causa actum auditum; Vel quia (ut probabile est) concordata fuerit; Vel quia mutaverit defensores, ut frequenter contingit ex mutatione causæ Patroni, ex quo Advocatorum electio, ac respectivè mutatio pendere solet.

In disputationibus autem desuper habitis, tam coram A. C. quam in Signatura, punctus erat, an, & quæ opinio probabilior videretur, an scilicet illa Alex. conf. 149. lib. 7. & aliorum, de quibus plenè de stylo Surd. conf. 244. ut renunciatio acquireretur patri pleno jure; Vel potius illa quæ refertur Aretino conf. 901. ut cedere debeat commodo aliorum filiorum ejusdem primi matrimonii, qui superfunt, adeo ut ex identitate rationis in hujusmodi bonis ita renunciatis intret eadem necessaria successio, quæ resultat ex dispositione textus in l. fœminæ C. de secund. nupt. ut in eis præcipua sit successio filiorum primi matrimonii, denegata participacione illorum secundæ.

Atque ubi facti particularis circumstantiæ neutri Partium assisterent, adeo ut ageretur de questione in solo puncto juris, tunc scribens pro filia primi matrimonii etiam in sensu veritatis dicebam, quod adhuc probabilior videretur hæc posterior opinio Aretini, ut ex verisimili, tam renunciantis, quam renunciarii voluntate, renunciatio facta patri per aliquos filios primi matrimonii de juribus sibi competentibus in dote, aliisque bonis maternis regulariter, ubi aliud expressè dictum non sit, facta censetur, ut succedant alii filii ex eodem primo matrimonio superstitibus, absque participacione filiorum secundæ, quoniam, nec æquum, nec rationale videtur, ut isti, qui sunt minus in jure privilegiati, habeant integram dotem, allaque bonorum matris, absque eo quod aliquid communicent fratribus ex alia matre susceptis, & quod debeant participare de dote, ac bonis matris prædictorum; Idedque Aretini opinionem magis communiter sequuntur DD. de quibus apud Boer. dec. 148. n. 1. cum seq. Alvarad. de consuet. voluntate lib. 2. c. 3. §. 2. Niger. in cap. Regni mulier dotalium n. 56. Card. de Luc. Lib. XI.

Hodiern. in l. hac ad dist. q. 11. n. 12. cum seqq. Molin. de Ritu nupt. lib. 3. q. 85. n. 10. cum seq. Merlin. lib. 1. contro. 32. Bottillier. de success. ab intest. theorum. 51. per tot. apud quos concord.

Clarius verò in hac facti specie ex duplici circumstantia omnem difficultatem removente; Primò quia de tempore renunciacionis, pater non transtulerat ad secunda vota, sed solum habebat filios primi matrimonii verisimiliter a fororibus renunciacionibus contemplatos juxta ea quæ deducuntur infra disc. 33. & insinuantur in sua materia sub tit. de renunciacione. idedque difficultas cadere solet, quando, pater cui sit renunciatio, esset binubus, cum tunc renunciacionis casum cogitare poterint, ut habetur locis citatis.

Et secundo quod quæstio prædicta cadit, ubi omnino sumus in ambiguo, secus autem, ubi dictæ voluntatis inditæ, vel conjecturæ habeantur, vel ejusdem renunciacionis declaratio accedat, quod talis fuerat ejus voluntas, ut in specie observat Molin. d. q. 85. n. 50. Et generaliter de donatoris declaratione attendenda etiam ex intervallo non obstante revocabilitate actus ex regula, quod qui declarat, non disponit, sed adinstar excipientis grana à spicis, quid factum sit aperit, ubi præsertim declaratio sit verisimilis, ac juris assistentiam potius quam resistentiam habeat, neque suum commodum respiciat, Cyriac. contr. 259. n. 30. cum seqq. Otthobon. dec. 119. n. 8. & dec. 195. n. 18. & sæpius in sua materia sub tit. de donatione. Et hic erat casus, quoniam Moniales renunciaciones adhuc vivebant; atque declarabant quod talis fuerat earum voluntas.

Scribentes in contrarium, ultra auctoritates Alexandri, & Surdi locis citatis, ac aliorum apud eos, magnum fundamentum constituebant in Rotali decisione edita in Romana dote 30. Maii 1644. cor. Peutingerio, impress. dec. 290. p. 9. rec. in qua firmatur æqualis successio omnium filiorum tanquam in bonis jam effectis communis patris, qui de eis etiam in extraneos disponere potuisset; Verum, quidquid esset de illius decisionis substantia in suo casu (quod juxta Curiam stylium abhorrentem superflua examinatum non fuit;) Dicebam quod punctus erat in applicatione, ob quam decisio prædicta potius huic parti assistere videbatur, cum admittit distinctionem traditam per Molin. d. q. 85. n. 60. an scilicet renunciatio facta sit per verba expressè universalis, quia nempè dicatur pro hæredibus, & successoribus quibuscumque vel potius simpliciter pro se, & suis &c. ut primo casus ob expressam comprehensionem etiam hæredum extraneorum, filii aliarum nuptiarum istis deteriores non esse debeant, secus autem in secundo, in quo sub illis simplicibus verbis indefinitis, ex jam dicta probabiliori ratione, ac verisimili voluntate, in indefinita non æquipollet universalis, sed ratione subjactæ materiæ intelligenda est de hæredibus sanguinis ex primo solum matrimonio, de qua distinctione Montan. contr. 9. Hodiern. d. q. 11. n. 38. Bottillier. d. theor. 51. n. 9. apud quos habetur, quod licet regulariter renunciatio, seu donatio facta patri, & suis conveniat etiam hæredibus extraneis juxta dec. 230. Guid. Pap. nihilominus intelligitur in materia pœnitentis indifferenti, & ubi verisimilitudo aliud non exigat.

Ponderabam tamen quod difficultas tunc intraret, neque præmissa de facili recipienda essent, quando pater renunciarius decedendo testatus, animum declarasset super æquali omnium successione etiam in istis bonis, seu aliis de eis dispositis, ex propositione, de qua frequenter in dicta sua materia sub tit. de Renunc. quod istæ à filiabus per eos dotatis procurari solent ad effectum acquirendi, disponendi libertate; Secus autem ubi contrarium animum non declarat; decedendo intestatus, cum tunc, ratione dictæ verisimilitudinis ista renunciatio ad hunc effectum ceteri debeat personalis; atque in gratiam filiorum ejusdem matrimonii tantum.

ROMANA HÆREDITATIS
PRO MAURITIO DE ASTE
CUM DONATO PALAMOLLÆ.

Discursus arbitrariæ in congressu.

Ad materiam text. in l. ad dist. C. de secund. nupt. an sci licet secundus vir obtinere possit plus, quam quilibet ex filiis primi matrimonii; Et an in hujusmodi æquali successione regulanda, detrahi prius debeat tanquam præcipua legitima filiorum. Et an in amasio, seu concubino procedat idem, quod in secundo viro.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **D**iviso inter filios primi matrimonii, & secundum virum sit de toto asse, non detraha legitima.
- 3 **C**ontrarium verius.
- 4 **E**t non habentur ratio lucris dotalis.
- 5 **A**n dispositio l. hac ædificati, procedat in amafio, qui assimilatur secundo viro.
- 6 **Q**uid favore filiorum naturalium tantum cum alio amafio procreatorum.
- 7 **E**t quid respectu naturalium procreatorum cum eodem.

D I S C. XXXII.

Cum Aurelia habens ex primo matrimonio enunciato sub tit de dote disc. 24. Mauritium unicum filium, scripto hærede particulari filio in sola legitima, hæredem universalem instituit Donatum secundum virum, hinc orta inter eos, post mortem testatrix, controversia extrajudiciali, eaque benevole remissa in consensu contententium respectivè Advocatos, ille autem secundi viri in congressu desuper habito diceret, legem testamenti esse claram; idèdque Mauritio filio legitima, reliquum verò Donato hæredi universali; Vel ad summum, ubi dictæ testamentariæ dispositioni obstat textus in l. hac ædificati C. de secund. nupt. per quem disponitur, ut mulier binuba non possit plus dare, vel relinquere secundo viro, quam cuilibet ex filiis primi, quod tunc procedendo cum æqualitate in eodem textu præscripta hæreditas inter eos æqualiter dividenda esset.

Diversa fuit mea sententia, in quam traxi Collegam, ut scilicet Mauritio filio besis debitus esset, reliquum verò triens ad secundum virum pertinere deberet, & non ultra, atque ita sequutum fuit concorditer.

Quamvis enim plurium sententia sit, ut æqualitas per dictum textum demandata inter secundum virum, & quemlibet ex filiis primi matrimonii enunciata sub tit. de dote occasione lucris dotalis disc. 130. & seq. ac etiam sub tit. de donationibus disc. 30. indefinitè procedere debeat, habitata ratione totius assis, nulla fata præcipua deductione legitime per filios, ut tenent quamplures relati per Hodiern. ad l. hac ædificati q. 7. n. 1. & seq.

Attamen Rota, & Curia Romana inconcussè tenet diversam sententiam, quam veriore putant Hodiern. d. q. 7. n. 14. & seq. Marta de successione. part. 3. q. 11. art. 1. & alibi plures apud Hodiern. ibid. ut scilicet prius tanquam æs alienum detrahi debeat legitima favore filiorum, deinde que quos superest, æqualiter dividatur, ut planè cæteris relatis sequendo originalem dec. Crescent. 4. de testam. firmatur in Urbevetana restitutionis dotis 6. Februar. 1640. cor. Merlino inter suas dec. 82. 8. in Rom. success. 18. Maii 1646. & 14. Jun. 1647. cor. Corrado, impress. dec. 406. n. 4. p. 9. rec. dec. 236. n. 3. q. 10. & in aliis, ac etiam locis citatis advertitur, ut etiam lucrum statutarium veniat in portione viri.

Et consequenter dum verfabamur in Curia, dicebam, quod opus non erat examinare quæstionem per rationes, ac principia, & quænam opinio probabilior esset in puncto juris, cum id contineret inanem, ac superfluum laborem à Romane Curie commendabili stylo abhorritum, dum cum ista opinione passim proceditur.

In proposito autem hujus necessariæ successione resultat ex dispositione dicti text. in l. hac ædificati; in una Romana hæreditatis de Neris pro Catharina Cæcilia, cum Arigonis, pro veritate consultus fui, an eadem æqualitas procedere deberet inter filiam naturalem, & amafium, seu concubinum, quem mulier, præterita filia, hæredem universalem instituerat? Respondi, quod ubi ageretur de filia legitima, & naturali ex matrimonio suscepta, unde ageretur de amafio, vel concubino viduæ, tunc casus esset planus, ut dispositio d. l. hac ædificati à foriori intraret, ut in specie cæteri relatis probat Hodiern. in repetit. hujus in l. hac ædificati q. 20. ubi concordantes; Difficultas autem erat, quod ageretur de filia naturali tantum, suscepta per mulierem solutam, quæ licet respectu matris non illustris, cessante circumstantia coitus damnati, non differat à legitima, & naturali, adeòt æquale sit jus intestatæ successione, ac etiam necessariæ in legitima; Attamen non reperitur in jure privilegia, dum textus loquitur de filiis, ex primo matrimonio susceptis; Idèdque prohibitiones restringentes libertatem disponendi de bonis suis generaliter competentem, ampliandæ non videntur, ut de eadem lege non suffragante naturalibus tantum habetur apud eundem Hodiern. q. 17.

Extrà verò omnem dubitationem contrà ipsam filiam requirentem respondi, ex eo quod ipsa esset procreata ex eodem amafio, seu concubino, qui hæres à muliere institutus fuerat, idèdque cessabat quæstio in radice, dum sicuti uxor non prohibetur, relicta filiis legitima, virum, ac respectivè ipsorum filiorum patrem hæredem relinquere, ita (quoties ex alia ratione non intret prohibitio legis disponendi ad favorem amafii) ex eadem ratione, seu proportionem dicendum videtur; Adhuc tamen occasio non dedit id formiter in foro disputare, quoniam rari sunt isti casus.

ROMANA SUCCESSIONIS DE PELEGRIS,

PRO ANTONIO PELEGRO

CUM VERONICA FILIA.

Casus decisus per Rotam pro Antonio.

An dispositio textus in l. femina procedat etiam contrà virum contrahentem secundas nuptias; Et an excuset consensus filiorum, seu alia juxta causa; Et incidenter an renunciatio capiat hanc successione necessariam debitam ex dicto text. in l. femina.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **R**esolutio cause.
- 3 **D**e punctis disputatis.
- 4 **A**n pœna secundo nubentium procedant etiam in vivo.
- 5 **C**onsensus expressus, vel tacitus filiorum ex secundis nuptiis an suffragatur.
- 6 **D**e cautela desuper adhibenda.
- 7 **R**enunciatio non capiat hanc successione ex l. femina.
- 8 **Q**uid si renunciatio facta est post contractas secundas nuptias.
- 9 **Q**uod in hac facti specie renunciatio capiat istam successione.
- 10 **D**os congrua quæ dicatur.
- 11 **I**n hac materia attendi debet substantia voluntatis.
- 12 **E**x pretii quantitate deducitur voluntas.
- 13 **R**enunciatio quandoque est præventiva solutio ejus, quod deberit renunciatio.
- 14 **C**onsideratur circumstantia, de qua num. 8.
- 15 **D**e regula tenenda in mœtenda, seu in interpretanda renunciatio.

D I S C. XXXIII.

Dissoluto matrimonio per mortem mulieris superstitibus pluribus, masculis, & feminis, quorum aliqui in infantili, seu pupillari ætate constituti erant; Antonius, de consensu, ac etiam consilio filii majoris, in ordine presbyterali constituti, secundam duxit uxorem, deindeque Veronicam primi matrimonii filiam maritavit Stephano, cum dote scut. 3. m. cuius intuitu consecretum ab ea reportavit amplam renunciacionem, de quibuscumque successione bonis, & juribus paternis, maternis, & fraternis, quam tamen non obstante, occasione postmodum sublequuta mortis unius, vel plurium ejusdem primi matrimonii filiorum, Veronica præteritionem excitavit super integra successione in bonis maternis juxta dispositionem text. in l. femina C. de secund. nupt. stante transitu patris ad secunda vota, contrà quem adhuc viventem judicium instituit cor. A. C. à quo sententiam favorabilem reportavit; Sed introducta per appellationem causa in Rot. cor. Alberгато sub die 27. Maii 1638. contraria prodiit resolutio patri favorabilis, quæ est dec. 351. p. 12. rec. neque, quod sciam, causa ulteriore progressum habuit, vel quia aëtrix acquieverit, vel quia concordia sequuta sit.

In disputatione autem habita in Rota, in qua solum ego pro Antonio scripsi, plures erant puncti; Primò scilicet an dispositio dicti text. in l. femina, qui litteraliter loquitur muliere transeunte ad secunda vota, locum quoque habeat in viro; Secundò an quatenus in viro quoque procedat, in hac tamen facti specie cessare deberet, eo quia dictus transitus factus esset de consensu, imò etiam consilio unius ex filiis primi matrimonii ex justo motivo melioris educationis aliorum filiorum, quorum etiam consensu, seu approbatio accedere videbatur; dum pacificè convixerant cum patre, & noverca, istam diligendo, ac tractando tanquam matrem; Et tertio an in omnem eventum, quatenus neque id Antonio suffragaretur, renunciatio istam successione completèretur.

Qua-

Quatenus pertinet ad primum; Quamvis ego scribens pro Antonio ex fundamentis ponderatis per Fachineum lib. 3. contr. cap. 64. cum quo transire videtur Cyriac. contr. 137. nu. 9. dicerem quod cum textus in d. l. femina loquatur de muliere, non erat ejus dispositio tendenda ad virum; Tum ex regula generali prohibente extensionem penalem; Tum etiam ex diversitate rationis, quod scilicet in mulieribus vigeat quedam major verecundia, transeundo ad secunda vota, per quæ viro defuncto quedam injuria inferri dicitur, unde Juristæ dicunt quod ejus anima contristatur, quod è converso non reperitur scriptum in muliere, ubi vir secundam duceret uxorem, unde propterea DD. tam antiqui, quam medii de muliere nubiba, ac respectivè matre in hac materia agunt, non autem de viro, vel patre respectivè.

Attamen agnoscebam motivi fallaciam, ab initio pro stylo parti insinuatam, quoniam ex natura correlativorum magis communiter receptum est præsertim verò constanter in Rota, & Curia Romana, ut idem procedat in viro, ut cæteris relatis firmatur per Rotam decif. 45. n. 2. par. 7. rec. in Asculana hæreditatis 7. April. 1650. coram Celso inter suas decif. 87. in eadem 27. Januarii 1653. coram Duno. inter suas dec. 929. Add. ad Borat. dec. 82. & in aliis frequenter, cum sit propositio receptissima, quæ hodie abque aliqua disputatione præsupponenda venit, adeòt tirocinium, vel ineptam chartarum repetitionem importet allegationum cumulus, qui desuper fiat in Curia, idèdque meritò motivum neglectum fuit.

Quoverò ad alterum punctum deductum ex consensu, ac respectivè rati habitione filiorum primi matrimonii cum concursu iustæ causæ; Quamvis ego more Advocati, nimirum in eo insisterem, atque motivum amplificarem; Attamen reflectendo ad veritatem (pariter ab initio insinuatam, illud minus probabile reputabam, idèdque meritò de per se, ac in abstracto consideratum, neglectum fuit; Dicebam tamen illud esse nimia consideratione dignum ad effectum regulandi tertium motivum renunciacionis, quod fuit causa resolutionis.

Quamvis enim filiorum expresso consensu accedente, plures pro certo credant ut pœna secundo nubentium cessent, tanquam ex cessante ratione injuriæ, quæ inferri non dicitur volenti ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Menoch conf. 237. num. 19. Castill. de usufruct. cap. 2. nu. 111. Capyc. Latr. dec. 22. ibique add. Quinimò ut sufficiat etiam consensus tacitus, qui resultat à cohabitatione, potissimè accedente dicto justo motivo ducendi uxorem in gratiam filiorum pro eorum meliori educatione late probare conatur Cyriac. d. contr. 137. n. 20. cum seqq. Attamen verius, magis, & receptum est, ut consensus implicitus, vel præsumptus, deductus à cohabitatione cum patre, & noverca, quin imò etiam explicitus ad id non sufficiat, cum non audeant filii in hoc parentis voluntati se opponere, unde propterea non contradicatio, vel etiam approbatio referri debet modestiæ, ac reverentiæ, & consequenter tanquam actus virtutis hoc præjudicium causare non debet, ut cæteris relatis advertitur per Rot. decif. 88. 197. & 242. part. 6. rec. Romana Domus 10. Junii 1649. coram Carro Adde. ad Burat. dec. 82. Capyc. Latr. d. dec. 22. nu. 46. Unde propterea requiritur ut consensus ita positivè detur, quod filii bene certiorati, sciunt istud præjudicium exinde resultare; Idèdque cautela est, ut volens pater ad secunda vota convolare, adeat Judicem, atque deputato filiis minoribus, vel pupillis curatore, causa cognita, obtineat licentiam ducendi secundam uxorem sine incurso penarum, tanquam pro servitio, & utilitate eorumdem filiorum, pro eorum educatione, & custodia, præsertim si sint femina, dum aliàs simplex consensus approbativus non videtur aptus tollere hoc jus, quod; ut advertitur in Romana successione de Comitibus disc. 30. non importat pœnam formalem compensativam injuriæ, & vindictæ, sed potius quandam speciem fideicommissi rationaliter per legem ordinati.

Demum quoad tertium punctum renunciacionis, attendendo istam solam, & de per se cum solis terminis generalibus regulæ, quod renunciacionibus ad jura sua non datur amplius regressus, non videbatur motivum tutum, quoniam magis communiter receptum videtur, ut simplex renunciatio successione bonis paternis, & maternis, non capiat hanc speciem successione penali, nisi expressè, vel conjecturaliter constet de illa quoque actum esse, ut cæteris relatis probant Fontanell. de pact. cl. 5. glof. 8. par. 4. n. 40. cum seqq. Hodiern. in hac ædificati q. 11. n. 60. & seqq. de Marin. resol. 273. n. 8. lib. 1. Rota dec. 45. in fin. part. 7. rec. & de quo etiam agunt Merlin contr. 32. lib. 1. Altroz. Jun. contr. 27. Bot-

Card. de Luca Lib. XI.

tilier de success. ab intest. theorem 51. quorum aliqui præsertim Fontanell. ubi supra firmant id procedere etiam si renunciatio facta sit parenti jam binubo, & sic post jam contractas secundas nuptias, quo casu plurimum sententia est ab eodem Fontanell. relatorum, ut renunciatio etiam hanc speciem successione capiat tanquam jus jam apertè, seu delatè.

Benè verum quod in hac facti specie, quam vis renunciatio rudi modo concepta esset, atque attentò verballi contextu non haberet illam amplitudinem, quam aliqui credunt necessariam esse pro hujusmodi comprehensione, adhuc tamen, ex particularibus circumstantiis, verius omnino videbatur, eam comprehendere, idèdque (reflectendo etiam ad solam veritatem) resolutio iusta, beneque fundata visa est; Si quidem attentis illis circumstantiis, de quibus ad regulandam dotis congruitatem, habetur sub tit. de dote disc. generalit. 144. ac in aliquibus discursibus particularibus, nempe qualitate patris, quantitate ejus patrimonii, consuetudine particulari desumpta ex dote materna, aliarumque conjuncturæ, numero filiorum &c. ista dos in summa scutorum 3. mille, quam pater constituerat, verè excessiva erat, dum etiam medietas ad congruitatem sufficiebat, idèdque attenda ea saluberrima sæpius insinuata propositione, ut non cortex, & formula verborum, sed substantia verisimilis voluntatis attendi debeat; In idem quoque accedente altera pariter sæpius insinuata, recepta propositione, quod ex pretii quantitate desumitur quid partes in contractu deducere voluerint, istudque dicatur optimum voluntatis argumentum; Ita liquidd constare dicebam, quod pater benè sciens obligationem reservandi huic filia primæ matrimonii eam proprietatem, quam ex primæ uxoris substantia in manibus duplici titulo habebat; Uno scilicet successione aliorum filiorum; Et altero proprio lucris statutarii, quod vir uxore præmoriante de tota dote facit, cum obligatione eam in casu mortis restituendi filiis illius matrimonii, ad dirimendam omnem quæstionem, quæ post ejus mortem cum filiis secundæ matrimonii, ab hac filia primæ moveri posset, largius cum ea agendo, ita preventivè in vita dare voluit id, quod non nisi in morte dare tenebatur, ad hunc effectum renunciacionem procurando, quamvis ex Notarii impericia hæc voluntas viri idiotæ non benè explicata esset, dum adamussim dos materna, quam ad summum rigorem hæc filia post mortem patris ex hac necessaria successione sperare poterat, respondebat excessu ultra illam dotem congruam, quam pater constituit tenebatur; Quinimò plus attenda opinione, de qua in Romana successione de Comitibus disc. 30. ut dispositio textus in l. femina non procedat in iis, quæ obveniunt ex successione meditata, faciendo hanc detractionem, Idèdque aëtrix intus habebat quod petebat, dum pater ita præventivè etiam exuberanter, ut melius filiam collocaret, illi dedit in vita, quod præterendere poterat in morte, ut in proposito ponderant Rovit. conf. 46. n. 26. lib. 1. Montan. contr. 10. n. 24. & alii de quibus in causæ decisione.

Istaque circumstantia posita, benè in idem conferre dicebam alteram supra insinuatam, quod renunciatio sequuta erat post jam sequutas secundas nuptias, & sic istud jus delatum, & agnitum juxta distinctionem de qua ex Castr. conf. 254. in fin. lib. 1. & aliis, Galetat. de renunc. centur. 2. cap. 128. n. 11. Molfes. ad consuetud. 10. 1. de renunc. q. 9. n. 35. cum aliis per Fontanell. ubi sup. (quamvis ipse dubitet,) quoniam dubitatio rationabilis est, ubi ista circumstantia sola, & de per se consideretur ab aliis non vestita, secus autem ubi aliud accedat, quod id suadeat.

Hinc proinde, cum ista dicatur potius quæstio facti, & voluntatis, quam juris, ut pluries advertitur in sua materia sub tit. de renunc. occasione agendi de comprehensione bonorum, & successione five de benigna, & lata, vel è conversò stricta, & rigorosa interpretatione renunciacionis, aut de ejus natura, & qualitate metienda, an sit realis, vel personalis; Pro meo judicio erroneum est hanc materiam regulare ex dotrinis, vel propositionibus generalibus, vel ex decisionibus in aliquibus casibus editis, sive ex litterali sensu verborum, eorumque grammaticali significatione, quoniam principaliter spectandum est ad statum rerum, ipsius renunciacionis tempore attentò, aliaque circumstantiis suadentes tam renunciacionis, quam renunciacionis verisimilem, ac rationabilem, beneque regulatam voluntatem, non autem juxta consuetas inspiduras Collectorum, vel subtilitates Consulentiū pedagogico more insistere in rigoroso grammaticali sensu verborum, quæ frequentius manant, non à contrahentibus, sed à Notariis, qui etiam frequentius eorum significationem, vel sensum ignorant; Isteque videtur verus, ac rationabilis modus decidendi has controversias.

L 2 ROMA.

ROMANA SUCCESSIONIS DE AMBROSIIIS PRO FRANCISCA MORELLA, CUM JOSEPHO MAZZOCCHIO.

Casus disputatus cor. A.C. Sopiis per concordiam.

An illa proprietas, quæ per parentem binubum reservanda est filiis primi matrimonii, transmittatur per dictos filios, qui parenti binubo præcedant, in eos, quorum favore per testamentum, seu aliâs dispositum sit; Et de cessatione dispositionis textus in l. fœminæ in iis, quæ parens binubus, non ex intestata successione, sed ex voluntate filii morientis obtinet.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
2 Dispositio leg. fœminæ procedit favore filiorum, quatenus matri supervivunt.
3 Limitatur si filii præmortui decedant cum testamento.
4 Reprobatur limitatio.
5 Pœnæ secundo nubentium sunt correctæ quæ non concernant favorem filiorum.
6 Expenduntur doctrinæ super dictâ reprobata limitatione.
7 De questione an filius possit privare legitimam matrem binubam.
8 Quæ sit differentia inter filium morientem ab intestato vel cum testamento.
9 Expenduntur plura in hac materia.
10 Expenditur alter text. in hoc æquivocè ponderari solitus.
11 De rationibus, quibus inniuntur tenentes limitationem.
12 De iuribus pro regulæ limitatione ponderari solitis.
13 An promissa in dotem hæreditate simpliciter, consueatur de tota, vel de sola portione dotatæ.

D I S C. XXXIV.

Dominicus de Ambrosiis Francisca vir, hæredem instituit Julium filium, Annæ Fœlicis filia congrua dote relicta; Cum autem ad breve tempus sequuta esset mors Julii ab intestato, Francisca, Annam filiam maritavit Josepho: illi in dotem assignando hæreditatem Dominici patris, cum suis oneribus, ac iuribus activis, & passivis, talis qualis erat; Sequuta verò etiam morte dictæ Annæ Fœlicis absque prole, scriptis æqualiter hæredibus Francisca matre, & Josepho viro, orta est inter eos controversia coram A. C. super modo dividendi hæreditatem, quoniam Francisca mater prætendebat, ut ista consistere in sola medietate dictæ hæreditatis Dominici, testatrici delata ex intestata successione Julii Fratris, cum alia medietate delata esset ipsi matri ex persona propria; E converso autem Josephus prætendebat quod integra hæreditas prædicta data fuisset in dotem; ita matre se abstinente à portione sibi delata, ut in filia dotatione concurreret; Quodq; in omnem eventum, ubi etiam data esset in dotem sola portio proprii adhuc tamen altera portio obtinere debent; Eis enim inspectis evidenter liquet, Auctores prædictos solemniter æquivocasse; Siquidem differentia inter filium prioris matrimonii morientem ab intestato, vel cum testamento, ad illum solum effectum in jure consideratur, quod si condito testamento, filius matrem tunc vel postea binubam instituat, seu aliâs ad ejus favorem disponat, tunc illa succedit pleno jure, quamvis alii filii ejusdem matrimonii superstiti, ita ut non intret hæc pœna obligationis reservandi aliis filii proprietatem, cum tunc mater capere dicitur, non à provisione legis tanquam mater, sed ex testamento, sicut quilibet extraneus; Idemque si dispositio sequatur inter vivos, ut expressè habetur in autb. ex testam. Cod. de secundis nupt. & in corpore unde sumitur in §. cum igitur autb. de non eligen. secund. nuben. & in §. hinc nos autb. de nupt. Atque in hoc consistit æquivocum Bolognin. & Garroa. se fundantium in differentia, quam lex constituit inter casum successione testamentariæ, & ab intestato, quoniam vera quidem est differentia, sed ad diversum effectum ut supra; Ex ea rationis differentia quod quando mater succedit ab intestato, dicitur capere ex dispositione, & beneficio legis, à qua proinde privatur, quando verò capit ex testamento, dicitur capere ex voluntate hominis tanquam extraneus; ut est communis sententia Legistarum in d. Autb. ex testam. & Canonistarum in c. f. de secund. nupt. de quibus benè Gomez. ad leg. 14. Taur. v. 12. Sanch. de matr. d. lib. 7. disp. 89. n. 41. Altogr. conf. 49. num. 7.

Quatenus igitur ad hunc secundum motivum pertinet; Dicebam scribens pro matre, ut non intraret termini textus in l. fœminæ Cod. de secund. nupt. cum procedant ad favorem filiorum ex primo matrimonio superstitum, quatenus supervivunt ex deductis per Mart. dec. 22. n. 25. Fontanell. de passis claus. 4. glos. 9. p. 1. n. 16. cum seq. Fab. de Ann. conf. 74. n. 13. & seq. & communiter; Idque adeo verum, ut aliqui credant, ut sola mors civilis in proposito sufficiat ex deductis supra in Romana successione de Comitibus disc. 30. Non negabant Scribentes in contrarium veritatem conclusionis, ubi filii primi matrimonii præmortui ab intestato; Dicebant verò secus esse ubi moriantur cum testamento ex doctrina Bolognin. in addit. ad Matthesilan. de success. ab intest. art. 2. principali vers. Item dubitari potest n. 22. quem relatis ejus verbis sequitur Jo: de Garroib. in repet. Autb. ex testamento, C. de secund. nupt. num. 79. eodemque referunt, & sequi videntur Soccin. jun. conf. 97. lib. 4. & conf. 71. lib. 2. Gabr. de 2. nupt. conclus. 3. num. 31. Merlin. de legit. lib. 4. tit. 2. q. 2. num. 13. Rot. decis. 101.

n. 5. post eundem Merlin. de legitim. plenè Cammarat. respon. 46. ex n. 84. tom. 1.

Verum, etiam in sensu veritatis, dicebam id continere fallaciam manifestam, tamen attentis auctoritatibus, quàm rationibus; Attentis autem auctoritatibus juxta opinionem Matthesilan. in specie firmat Aretin. in §. præferuntur num. 8. vers. Item dubitari potest. Infit. ad Tertull. Guliel. de Bened. in cap. Raynuius verbo & Uxorem nu. 85. plenè Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 89. n. 37. ubi pluribus fundamentis, ac auctoritatibus hanc dicit veriorē, rejecta contraria per ipsum relata n. 39. atque omnium latius fortè melius Riminald. jun. conf. 305. num. 80. cum seq. ubi ex professo examinat articulum, ac reprobatur Bolognin. & Garron. quem dicit in gravem errorem incidisse, atq; hanc esse veriorē dicunt Guttier. de matrim. cap. 109. n. 46. & Sperell. dec. 33. num. 12. & seqq. ubi quod iniquum esset, ut mater privaretur hac proprietate, quam filii non essent habituri.

Idemque comprobant auctoritates generaliter firmantes ut omnes pœnæ secundo nubentium ista præsertim intelligi debeant, quatenus redundent ad favorem ipsorum filiorum primi matrimonii superstitum, quo favore cessante remanent correctæ per jus canonicum, ut per Bart. conf. 54. n. fin. lib. 1. & in autb. ex testam. C. de secundis nuptiis, ubi Salicet. & cæteri Aretin. conf. 40. n. 4. Sanchez. d. disp. 89. & alii per Castill. de usufructu cap. 2. n. 11. & 16. Boss. de matr. cap. 11. n. 370. ubi quod sufficit filios esse mortuos, antequam veniat casus restitutionis.

E converso superius relatæ auctoritates exceptis Bolognino, & Joanne de Garroibus habendæ non sunt in consideratione, ut potè non examinantur articulum, sed incidenter, seu relative loquentes; Siquidem Soccin. jun. conf. 71. lib. 1. n. 6. facit ad casum, dum ibi ex filio defuncto fuerat superstes filius, ac respectivè nepos, in quem dicta proprietas transmittitur, cum in proposito nepotes veniant sub nomine filiorum ex deductis per Burrat. & Add. dec. 82. Gratian. in addit. ad disc. 519. atque idem Soccin. conf. 97. lib. 4. nihil firmat, sed solum dicit, quod secundum unam opinionem id prætereundè potest, & Gabr. de secund. nupt. conclus. 3. n. 31. est simplex relator tanquam adnotans in repertorio non examinando articulum, neque propriam sententiam interponendo; Et Merlin. de legit. lib. 4. tit. 2. q. 2. n. 13. pariter loquitur incidenter, non examinato articulo, occasione tractandi de diversa quæstione, an ultimus filius primi matrimonii moriens testatus, excludere possit matrem binubam à legitima, in qua quæstione hic Auctor etiam satis æquivocavit, ut actum habetur in Bonon. sub tit. de legit. & detraç. disc. 1. Et Rota dec. 201. n. 5. post eundem Merlin. pariter id dicit incidenter ex auctoritate ejusdem Merlini, non examinato articulo, ut potè ab eo casu extraneo, dum ex filia prioris matrimonii, quæ matri binubæ superstes etiam fuerat, supererat filia, & sic durabat favor filiorum, ac successivè pœna, unde propterea remanet solum dictæ auctoritates Bolognin. & Garron. quæ suffocantur ab aliis ex professo contrarium tenentibus ut supra.

Clarius verò, attentis rationibus, seu juris principiis, quæ in judicando, vel consulendo primatum obtinere debent; Eis enim inspectis evidenter liquet, Auctores prædictos solemniter æquivocasse; Siquidem differentia inter filium prioris matrimonii morientem ab intestato, vel cum testamento, ad illum solum effectum in jure consideratur, quod si condito testamento, filius matrem tunc vel postea binubam instituat, seu aliâs ad ejus favorem disponat, tunc illa succedit pleno jure, quamvis alii filii ejusdem matrimonii superstiti, ita ut non intret hæc pœna obligationis reservandi aliis filii proprietatem, cum tunc mater capere dicitur, non à provisione legis tanquam mater, sed ex testamento, sicut quilibet extraneus; Idemque si dispositio sequatur inter vivos, ut expressè habetur in autb. ex testam. Cod. de secundis nupt. & in corpore unde sumitur in §. cum igitur autb. de non eligen. secund. nuben. & in §. hinc nos autb. de nupt. Atque in hoc consistit æquivocum Bolognin. & Garroa. se fundantium in differentia, quam lex constituit inter casum successione testamentariæ, & ab intestato, quoniam vera quidem est differentia, sed ad diversum effectum ut supra; Ex ea rationis differentia quod quando mater succedit ab intestato, dicitur capere ex dispositione, & beneficio legis, à qua proinde privatur, quando verò capit ex testamento, dicitur capere ex voluntate hominis tanquam extraneus; ut est communis sententia Legistarum in d. Autb. ex testam. & Canonistarum in c. f. de secund. nupt. de quibus benè Gomez. ad leg. 14. Taur. v. 12. Sanch. de matr. d. lib. 7. disp. 89. n. 41. Altogr. conf. 49. num. 7.

n. 7. lib. 2. Bottilier. de success. ab intestato theorem 61. n. 13. plenè Boss. de matr. cap. 11. n. 356. & seqq.

Prout æquivocavit etiam Jo: de Garroibus super intelligentia alicuorum jurium per ipsum ponderatorum etiam in casu successione ab intestato; Ut enim magistraliter advertit Bart. d. conf. 54. lib. 1. n. finali, & Aret. conf. 40. in hac materia successione matris binubæ filio morienti ab intestato, tria jura habemus; Unum est Cod. in d. l. fœminæ §. illud, & in l. f. C. ad Tertul. per quod disponitur matrem binubam succedere filio in solo usufructu cum obligatione reservandi proprietatem aliis filii ex eodem matrimonio superstitibus; Alterum est jus Autbent. in §. cum autem autb. de non eligend. secund. nuben. per quod corrigitur jus Cod. atque expressè disponitur, matrem binubam, sive ante, sive post successionem, secundas nuptias contraxerit, pleno jure succedere etiam in proprietate, abque aliqua obligatione illam reservandi aliis filii ejusdem matrimonii quamvis superstitibus; Et tertium demùm est jus novissimum pariter Autbent. in §. hinc nos autb. de nupt. per quod, correcto dicto jure medio, sit reversio ad primum jus Codicis ut supra, quod litteraliter dictam proprietatem præsertat aliis filii, quatenus essent matri superstites, ideòque dictum jus novissimum nil disponit de novo, sed solum reintegrat primum jus Codicis in suis terminis prout loquitur.

Et quamvis iidem Auctores profiteantur, ut eorum opinio clarè probet per text. in §. primo siquidem vers. si vero non habuerint autb. de nupt. ubi disponitur omnibus filii præmortuentibus, matrem istam habere suæ infelicitatis consolationem, ut bona rursus recipiat, si intestati moriantur, secus autem si condito testamento; Attamen hoc pariter est æquivocum magis solemnè, quoniam hic textus non loquitur de reversione illorum bonorum, in quibus mater filio prædefuncto successerat, sed loquitur de illa medietate bonorum ipsiusmèr mulieris, quam transire volens ad secundas nuptias, ad evitandam infamiam, aliasque pœnas, donare tenebatur filiiis primi matrimonii, & sic de rehabeto bona propria, quæ ex dicta causa jam perfectè, ac irrevocabiliter dictis filiiis postea ante ipsam morientibus donaverat; Undè propterea error remanet clarus; Coadjuvante etiam dicta convincenti ratione correctionis omnium pœnarum, quæ non concernant favorem ipsorum filiorum ut supra.

Inspiciam quoque dicebam rationem ab eisdem Bolognino, & Garron. ponderatam, quod scilicet hæres testamentariæ repræsentet personam filii, atque istius habeat voluntatem, quoniam etiam hæres ab intestato eandem personam pariformiter, ac in omnibus repræsentat, eandemque voluntatem habere dicitur, cum moriens ab intestato præsumatur voluisse ejus voluntatem accomodare dispositioni legis, atque testari eo modo quo lex testata fuit ut læpius hoc tit. occasione dispositionis statutariæ; Melior autem fuisset altera ratio favoris ita filio resultantis super facultate disponendi de hujusmodi bonis, atque personæ sibi vifas gratificandi, sed sufficit dicere, quod id lex habere noluit in consideratione, dum est favor remotus, qui in effectu respicit extraneum, unde propterea cessat ratio, cui hæc pœnæ adjectio innixa est.

Ponderabatur in contrarium, quod jura prædicta probent matri, nè istam proprietatem alienare, vel dissipare possit, attributa licentia filii bona alienata revocandi, unde inferebant illam censeri de hæreditate ultimi filii morientis; Sed hoc erat pariter æquivocum, quoniam quidquid alii (sed malè) dixerint, verius est filios hujusmodi bonorum alienationem revocare non posse, ipsa matre vivente, sed solum post mortem, quando factus sit casus conditionis, sub qua lex jure cuiusdam fideicommissi per ipsam ordinari, eos vocavit, interim verò tali conditione pendente, dicuntur solum habere illam spem, quam fideicommissarius habet vivente gravato; Aliâs enim si filii in hujusmodi proprietate jus formale haberent, ita ut de eorum hæreditate dici posset, plura sequerentur firmanda, quæ tamen in jure non subsistunt; Primò scilicet quod mater moriens non posset in hujusmodi bonis aliquos ex filiiis primi matrimonii gratificari, cujus contrarium est verius; Quodq; filii possent hujusmodi proprietatem in vita distrahere, seu illa caderet sub hypothecis per eos contractis, affectaq; remaneret eorum creditoribus, quorum respectu nil increasset antecederet testatus, vel intestatus, & sic verè ex pluribus, istud assumptum Bolognin. & Garron. detegitur erroneum.

Difficultas autem erat in altero motivo facti, cujus ratione consulti concordiam, dum eadem mater, integram hæreditatem simpliciter tanquam spectantem ad filiam, in do-

tem dederat, unde propterea si quod jus ipsi competebat, ita censetur remississe, præsertim pro jure, ac interesse viri foventis causam onerosam, & qui fortè aliâs abique tanta dote matrimonium non contraxisset; Quamvis etenim scribens tanquam Advocatus dicerem, quod dictæ filia integra Dominici patris hæreditas competeret, sed diversis titulis seu respectibus, pro medietate scilicet ex tunc, & pleno jure, & pro altera medietate in spe probabiliter eventura juxta naturæ ordinem, dum aliâs esset inducere in matre suæ portionis donationem adhuc invalidam ob non servatam formam Statutorum Urbis 149. & 150. Undè propterea deducebam receptas propositiones super donatione in dubio excludenda, quoties quicumque probabilis seu comparabilis intellectus dari potest; Nihilominus reflectendo ad veritatem id non satisfaciebatur, quoniam non constabat, quod mater dictam hæreditatem agnovisset, ita ut bona pro sua portione essent sibi quæsitæ, quo casu dicta motiva rectè intrassent, sed potius agebatur de non acquirendo, atque ita declarando animum non agnoscenti, ad quem effectum dictæ solemnitates statutariæ non requiruntur, neq; intrat dicta conclusio de donatione non præsumenda; & de capiendi quemcumque probabilem seu compatibilem intellectum pro ejus exclusione, cum sic faciens depauperari non dicitur, neq; suum patrimonium diminuere, unde propterea omnia ea, quæ in jure in materia donationis habentur etiam inter prohibitos, puta inter conjuges, istum casum non percutiunt; Ideoque ex hoc motivo, quod mihi solum inferebat difficultatem, libenter consului concordiam, quæ controversiæ finem dedit.

VOLATERANA SUCCESSIONIS,

PRO ILLIS DE BAVA.

Responsum pro veritate.

An parens binubus possit in bonis, quæ filiis à Statuto reservantur, gravamina apponere, & quæ: Et an possit nolle acquirere, ut ita faceret deteriori conditione filiorum primi matrimonii, ac meliorem illam secundi viri, seu filiorum secundi matrimonii; Et incidenter de uxore relicta per virum usufructuaria.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
2 Bona materna delata filiis à Statuto, habent naturam legitimam.
3 Ideò non minuitur per legata.
4 Neque per donationem inter vivos.
5 An hoc Statutum valeat supponè auferens facultatem testandi.
6 Factio testamenti est de jure positivo.
7 Potest mater non obstante Statuto non agnoscere.
8 Ususfructuarius potest agnoscere legatum in solo usu, vel alimentis.
9 Ususfructuarius non facit suos fructus nisi præstet cautionem.
10 An legatum ususfructus relictum uxori, resolvatur in alimenta.
11 Prohibitus disponere, est prohibitus consistere, secus si confesso sit adminiculata.
12 De adminiculis.
13 Matri succedunt æqualiter, & in capita filii ex diversis matrimoniis.
14 Gravatus non potest pervertere ordinem successionis.
15 Statutum inducendum ad favorem filiorum primi matrimonii, non debet operari odium.
16 Mater an possit plus dare filiis primi matrimonii.

D I S C. XXXV.

Dissoluto matrimonio per obitum Bavæ, superstite Michaeli Angelo unico filio, secundas nuptias contraxit Lucretia cum Gorto, qui etiam præmortuus, superstitibus Catharina, & Ludovica, (quas scripsit hæredes) uxorem usufructuariam reliquit, quæ cum filiabus convixit: Ea verò moriens cum testamento, utriusque matrimonii filios prædictos in stirpes pro numero matrimoniorum hæredes instituit, hoc est in semisse unicum ex primo, & in altero duas ex secundo, inter quas, & filios dicti Michaelis Angelii, etiam defuncti, exortis controversiis; Cum dicta Lucretia in testamento mandasset, ne filia secundi matrimonii ex causa dicti legati usufructus à primo molestari possent:

Hinc, stante loci Statuto disponente, ut mater binuba debeat equaliter tractare filios primi, & secundi matrimonii, neq; plus uni, quam aliis de ejus bonis dotalibus, ac extradotalibus habere possent, pro veritate consultus fui, an potuerit testatrix dictum præceptum etiam penale adijcere in præjudicium filii primi matrimonii, qui prætendebat cum dicto usufructu pinguius hæreditatis secundi viri, maternam hæreditatem nimium impugnare, ob plurimum annorum decursum.

Stante igitur dicto Statuto; Dicebam quod omnia bona hujus mulieris, pretendi poterant redacta ad naturam, ac terminos legitimæ, ita per Statutum impinguatæ, juxta ea, quæ in proposito hujusmodi Statutorum filiis deferentium successione in dote, aliisque bonis maternis, habentur sub tit. de dote disc. 103. cum duob. seqq. ubi concordantes.

Hoc autem posito, Punctus erat, an remissio usufructus in dicto præcepto contenta, importaret donationem, seu legatum juris jam quæsitum, & agniti, vel potius declarationem animi, non agnoscendi; Primo etenim casu, dixi certum videri, ut id fieri non poterit ideoque onus habendum esset pro non scripto, cum legitima debeatur, detracto quidem ære alieno, non autem detractis legatis, vel donationibus, quamvis inter vivos, adeo ut bona inter vivos donata, etiam cum subsequuta traditione habeantur pro extantibus, ac non donatis, ad effectum legitimæ ex deductis per Merlin. de legit. lib. 2. tit. 1. quæst. 18. num. 20. & 21. Rota post eundem decif. 86. Rovit. decif. 100. num. 26. & pluries in sua materia sub tit. de legit. & detract.

Et quamvis id durum videatur, cum ita matri auferatur potestas de aliquo disponendi, undè propterea intestabilis reddi dicitur; Attamen id in consideratione habitum non fuit in decisionibus æditis Urbeyana de qua dicto tit. de dote discurs. 106. Vel quia remaneat habilis testandi in bonis extra territorium, quæ Statuto subiecta non sunt, sed remanent sub dispositione juris communis; Vel quia rationabiliter pro muliere, seductioni subiecta, Statutum ita testari dicatur cum propriis filiis; Neglecta (& merito) legaleica dubitatione potestatis in statuentibus tollendi hanc facultatem testandi, quoniam posita potestate statuendi etiam contra jus, id fabulosum videretur, dum verius est, testamenti factionem, ac facultatem disponendi de bonis suis post mortem, provenire à jure positivo, non autem naturæ vel gentium, cui lex positiva dispensare non possit ex deductis sub tit. de fideicom. discurs. 141. & pluries sub tit. de legit. & detract. in proposito quæstionis, an Statutum descendentibus, vel ascendentibus legitimam, etiam in totum auferre possit.

E converso autem, ubi dicta dispositio importaret nudam declarationem animi non acquirendi; Tunc verius esse dixi, ut dicto Statuto non obstante, dispositio sustineri deberet, non in ratione precepti obligatorii redolentis legatum, sed in ratione declarationis animi, ita impediendis transmissionem, quæ aliis in legatis, & fideicommissis puris, vel jam purificatis de iure datur; Idq; sine dubio fieri posse dicebam; præfato Statuto non obstante, quoniam non possunt hujusmodi Statuta filiis tribuere majus jus, quam habeant creditores ex causa onerosa, & respectiva in bonis debitoris, & tamen iste potest hæreditates, ac legata in creditorum præjudicium nolle agnoscere, ad celebrem textum in l. qui autem ff. quæ in fraudem creditorum, ut pluries habetur in sua materia sub tit. de credito, & alibi.

Difficultas verò cadebat super applicatione hujus veræ, ac receptæ distinctionis inter jura agnita, & non agnita, seu quæsitæ, & quærenda, dum in facto supponebatur quod hæc mulier legatum prædictum in parte agnoverat, percipiendo in domo testatoris alimenta cum dominicali præminencia, juxta eam operationem, quam regulariter, juxta celebrem, ac vulgarem Bulgari consuetudinem, facere solent hujusmodi legata, quæ uxoris sunt, undè propterea ageretur de jure agnito, non autem agnoscendo, atque super hoc totam vim constituiebant aliqui J. C. de partibus scribentes pro dictis nepotibus ex primo matrimonio.

Verum quamvis per eisdem consultus, dixi quod difficultatem contra ipsos sentiebam, dicto motivo non obstante ex pluribus; Primò scilicet; quia in usufructu limitari videtur regula, seu proposito generalis, ut idem jus possit agnosci, & non agnosci, dum usufructuarius limitatè potest legatum agnoscere in solo usu ad textum in l. is quis usufructum ff. quibus mod. usufruct. amittat. de cujus textu intellectum agit apud Rovitum decif. 97. num. 19. & 20. & in sua materia usufructus sub tit. de servitut.

Secundò quia de stricto juris rigore dicta mulier, vel

ejus hæres neque fructus temporis decursi non perceptos, prætere posse, quamvis vellet ob non præstitam duplicem cautionem ab eo præstandam ex deductis per Castill. de usufruct. cap. 16. Capy. Latr. consult. 112. Rota decif. 259. part. 7. recent. decif. 290. par. 10. apud Rojas decif. 426. & 433. & pluries in aliis, cum sit conclusio certa, quoties agit de fructibus non perceptis; Difficultas etenim cadit in jam perceptis, an ab eis ex muliebri simplicitate excusanda veniat, ne restituere teneatur ex deductis pluries in dicta sua materia usufructus sub tit. de servit.

Et tertio clarius, quoniam, ut pluries habetur sub dicto tit. de servit. præsertim disc. 50. sub quæstione est, an, & quando hujusmodi legatum factum uxori importet formalem, ac plenum usufructum, vel potius resolvatur in alimenta juxta dictam consuetudinem Bulgari; Atque ut ibi advertitur, quamvis plures ex nostris in hujusmodi quæstione se involvant, pro consuetæ præsertim pragmaticorum ineptia, retexendo quæstiones super grammaticali sensu, vel significatione verborum, aliisque frigiditatibus, Attamen verius est, ut ista sit quæstio facti, ac voluntatis potius, quam juris, ex ipsius facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis decidenda; Et consequenter dictum præceptum potius agnitionem veritatis, ac bonæ fidei volentolere videbatur, quod scilicet, legataria conficia voluntatis viri, ita eam declaravit.

Et quamvis dicti Scribentes de partibus immorando in generalibus, cum copiosis superfluis allegationibus insisterent in regula, quod prohibitus alienare, vel disponere, est etiam prohibitus confiteri, né aliis lex verbis, & non rebus imposta diceretur, cum ita de facili fraus legi fieri posset, atque indirectè agi, quod directè prohibitum est; Dicebam tamen quod vis non erat in veritate hujus regulæ nimium receptæ, ac vulgaris, ideoque testimoniis non indigentis, sed erat in applicatione, super qua hodiè omnes fori quæstiones circumferuntur; Si quidem procedit in confessione simplici, & nuda, non autem in administrata, ex iis, quæ in hoc proposito prohibet confessionis habentur præsertim in materia dotis confessæ sub tit. de dote, ac etiam alibi pluries, etiam in tutore, vel Prælato, & quocumque alio administratore, ut ejus administrata confessio attendenda veniat, cum prohibenda non sit agnitio veritatis.

Plura verò adminicula hujusmodi agnationem coadjuvare observabam; Primò nempe illud deductum ex dicta generali consuetudine Bulgari; Secundò ex subsequuta observantia, quæ in omnibus dicitur optima interpretis; Et tertio ex nimia inverisimilitudine, ut testator voluerit, quod exuberantes fructus ejus bonorum ultra uxoris alimenta, quæ cum dominicali præminencia accipi voluit, ejus assem impinguare deberent ad commodum filiorum primi matrimonii juxta ea, quæ ad hanc materiam secundarum nuptiarum hoc eod. tit. habentur in proposito renunciationis, quam unus ex filiis primi matrimonii parenti binubo faciat; Sive illius augmenti dotis, quod pro secundo matrimonio fiat, cum similibus.

His autem sic stantibus consultui, ut ab hujusmodi prætenfionibus abstinendum potius esset, ne ita excitarentur dormientes, atque pro lucro dampnum reportaretur, quoniam cum mater melius filium primi matrimonii, tollendo illos secundi tractasset, pervertendo ordinem intestatæ successione, quo attentò æqualis debuisset esse filiorum successio, ita dubitari poterat, an stante Statuto deferente filiis successione necessaria tanquam per speciem legitimæ sic adauctæ, potuisset testatrix dictum ordinem revertere eodem modo quo in fideicommissis non licet, ut sub tit. de fideicom. disc. 55. & 57. & dicto disc. 104. de dote.

Quamvis enim mihi probabilis videretur, ut id fieri potuerit, cum in hac parte Statutum respicere videatur favorem, & gratiam filiorum primi matrimonii, tollendo scilicet potestatem matri binubæ faciendi id, quod, pro frequentiori usu fieri solet juxta proximum de qua sub tit. de legit. & detract. idcirco quod inductum est ad favorem, retorqueri non deberet in odium; Attamen est disputabile, ideoque ob ingeniorum varietatem periculosum est, ac incertum.

De jure autem, quidquid plerique dubitaverint, de quibus apud Theaur. decif. 170. & Rovit. decif. 12. Verius, magisque receptum est, ut (cessante fraude in dubio non præsumenda, ut sub nomine, vel pallio filiorum mater binuba favore secundi viri disponere voluerit,) possit mater magis gratificari filiis secundi matrimonii non obstantem

te dispositione textus in l. hac editali, ut bene omnia hinc inde examinanda Rovit. d. dec. 12. atque hanc opinionem sequitur Rota ut apud Gregor. decif. 137. & 443. decif. 406. num. 18. & seqq. par. 9. rec. & in aliis.

AUXIMANA SUCCESSIONIS PRO CAROLO CIMA CUM UBALDO FRATRE UTERINO.

Casus disputatus coram A. C. sub incerto exitu.

An in augmento dotis facto pro secundo matrimonio, cum pacto, ut filii primi in eo nil præterdere possent, præcipua sit successio filiorum secundi matrimonii; Vel potius etiam alii ex primo succedere debeant.

S U M M A R I U M.

- 1 Adi series.
- 2 De punctis, vel inspectionibus causæ.
- 3 An valeat pactum, ut in augmento dotis secundi matrimonii succedant solum ipsius filii.
- 4 De quæstione an mulier, quæ primo nupsit juxta Consuetudines more nobilitum, possit secundo nubere more Magnatum.
- 5 De distinctione inter augmentum voluntarium, & necessarium factum à patre femina.
- 6 Quod de augmento facto ab ipsamet muliere.
- 7 Donatio contemplatione matrimonii quomodo filiis acquiratur.
- 8 In ideis, & de argumentis contemplationis filiorum.
- 9 An de hujusmodi donatione participant omnes filii omnium matrimoniorum.
- 10 In concursu legis universali, & particulari, deferatur particulari in successione.

D I S C. XXXVI.

Post dissolutum matrimonium, à Catharina cum dote scuror. 4. m. initum cum Alexandro, superstitibus Ubaldo, & Faustina; Alterum eadem Catharina contraxit cum Carolo, constituto per Silvestrum Catharinæ patrem augmento aliorum scutorum bis mille post ejus mortem solvendorum, ea lege adjecta, ut filii primi matrimonii nihil in eo unquam præterdere possent; Sequuta verò morte Silvestri, instituta hærede dictæ Catharina filia, ac facta quodam legato particulari præfatis Ubaldo, & Faustinae nepotibus primi matrimonii; Eademque Catharina postmodum intestato defuncta superstitibus pluribus filiis ex secundo matrimonio inito cum Carolo; Hinc inter istos, & Ubaldum fratrem uterinum, orta est quæstio, coram A. C. super successione in dicto augmento; incertusque est causæ exitus, dum post aliquas disputationes, de illa amplius actum non audivi.

In disputationibus autem habitis, ac etiam in congressu Advocatorum pro causæ directione; Pro filiis secundi matrimonii scribens dicebam, tres in proposito cadere inspectiones; Unam super hujusmodi pactorum validitate, vel invaliditate, itaut intret, necne dispositio, vel ratio textus in l. hac editali Cod. de secund. nuptiis; Alteram, (posita validitate,) an dictum augmentum liberè acquiratur esset mulieri, adeo ut volens potuisset de illo disponere, seu aliquos ex filiis gratificari tanquam de re sua; Et tertiam, (posita hujusmodi potestate) qualis censenda esset voluntas, dum oberat ab intestato.

Quoad primam, disputatio major, quæ in hujusmodi quæstione cadit, percutit casum, in quo dictum augmentum cum tali pacto factum sit ab ipsa muliere de bonis suis; Istoque casu quæstionem post antiquiores ab eis relatos ex professo examinant Fontanell. de part. claus. 4. glof. 9. par. 5. num. 197. & claus. 5. glof. 8. p. 4. n. 5. Rovit. decif. 12. Hodiern. in l. hac editali C. de secund. nupt. quæst. 2. & de Marin. resol. 23. lib. 2. apud quos habentur tenentes pro invaliditate, quasi quod, cum tunc nulla affectio considerari possit erga filios secundi matrimonii utpotè adhuc non procreatos, ita id gestum sit in gratiam secundi viri, atque ad fraudandam dispositionem text. in l. hac editali C. de secund. nupt. Nisi necessitas, vel justa causa ad id impulisset, juxta ea, quæ insinuatæ habentur sub tit. de dote disc. 103. circa quæstionem per Regnicolas tractatam, an mulier, quæ primum matrimonium contraxerat more nobilitum, & juxta consuetudines Capuani, & Nidi, possit in præjudicium filiorum ejusdem matrimonii, contrahere secundum more Magnatum.

Card. de Luca Lib. XI.

Verum nulla suberat necessitas hujusmodi quæstionem formiter disputandi, atque indagandi, quænam opinio esset verior, dum non eramus in casu, quoniam augmentum, non ab ipsa muliere, sed à patre factum fuerat; Atque de hoc agit ex professo Surd. conf. 255. ac deducta per eum, latè, & bene examinantur per Hodiern. in d. l. hac editali. q. 26. ubi distinguit inter augmentum voluntarium & ex mera liberalitate factum tanquam ab extraneo, & necessarium, ad quod utpotè ad suppleendam dotem congruam, & de paragio patet compelli poterat. Primo enim casu, pro validitate pacti absque dubio respondendum est, cum pater consideretur tanquam merus extraneus, qui legem sibi bene visam ejus bonis adijcere potuit; Nisi urgentia concurrant fraudis indicia, quod scilicet ipsa mulier de bonis suis, vel alias sibi debitis, sub patris, vel alterius simulato nomine augmentum tali pacto fieri cura verit; In secundo autem, creditur pro invaliditate probabilis respondendum esse, quasi quod tunc esset idem, ac si ab ipsamet muliere augmentum prædictum constitutum esset.

Verum quicquid sit de substantia hujus ultimæ partis distinctionis; Pariter desuit necessitas illam disputandi, ejusque veritatem indagandi, quoniam cum in facto non dubitaretur quod dos scut. 4. m. occasio primi matrimonii constituta, esset congrua, ita ut amplius ab invito patre prætendi non posset, hinc de consequenti augmentum prædictum fuit mere voluntarium, & ex patris liberalitate, ideoque de validitate dubitandum non erat.

Quovèro ad alteram inspectionem potestatis ipsiusmet mulieris, an scilicet volens potuisset de dicto augmento, salva legitima, disponere ad favorem filiorum primi matrimonii, vel etiam extraneorum, eo modo quo de reliqua dote potuisset; Dicebam, quod ubi augmentum prædictum sit mere voluntarium, illud censetur sonare in quamdam donationem factam contemplatione illius secundi matrimonii, ut habetur apud Fontanell. & de Marin. locis citatis; Atque licet juxta magis communem, ac veram opinionem, regulariter in hujusmodi donationibus filii ex eo matrimonio procreandi habere dicantur solum illud jus, vel interesse, quod per nostros vocatur secundarium, non importans ad eorum favorem dominium, vel onus impeditivum sponsi primi donatarii, quin de bonis donatis in casu dissoluti matrimonii liberam habeat dispositionem, ut superius deductum habetur in sua materia sub tit. de donationibus præsertim disc. 1. & 2. Nihilominus recepta est limitatio, quoties, nedum verba expressa, sed etiam conjecturæ contrarium suadeant, ut locis citatis.

Plures autem conjecturæ in hac facti specie concurrere videbantur, quæ insimul unitæ cum regula in consuetudinibus perpetuo attendenda, ut singula quæ non profunt, unita juvent. &c. vocationem, ac jus, quod nostri dicunt primum, favore filiorum secundi matrimonii convincere videbantur. Prima enim erat conjectura generalis, quoniam viri volentes ducere mulieres viduas, aliosque filios jam habentes, solent hujusmodi augmenta procurare, tanquam peculiaria pro filiis ex illo matrimonio procreandis, ut in specie observat Jafon conf. 38. n. 1. lib. 3. & admittunt Surd. d. conf. 155. de Marin. d. resol. 23. n. 4. lib. 2. & Hodiern. loc. cit.

Alteram conjecturam deducebatur ex prægnantia, & efficacia verborum, ibi, Cbe per alcun tempo mai li figli del primo matrimonio possano pretendere &c. cum illa non sint operativa nisi in casu mortis, cum vivente matre nullum jus dicti filii haberent, nullamque prætenfionem habere possent; Tertia ex eo quod in instrumento stipulatio dicti augmenti ad favorem utriusque conjugis facta erat; Quarta magis proxima, atque speciem expressæ probationis redolens, resultabat ex attestacione mediatoris, cui nullum interesse haberent atque bene informato quamvis unico, ex adminiculis plenariè deferri solet, ut apud Merlin. decif. 608. n. 24. & habetur sub tit. de dote disc. 27. Quinta etiam proxima, imò expressa etiam probatio resultabat ex attestacione uxoris dicti Silvestri contententium aviæ, in qua penè mori proxima, & omnium equaliter conjuncta presumendum non erat mendacium; Et sexta precedentium satis corroborativa deducta ex testamento dicti Silvestri, dum cum legatis bene providere curavit filios primi matrimonii, ut ita equalitatem induceret cum illis secundi, quos ex eodè testamento constabat fuisse æqualiter, imò magis dilectos, & tamen nihil eis legavit, signum clarum, quod in eis præsupponit dictam peculiarem, seu præcipuam successione hujus augmenti.

Unde intrare dicebam firmata per Rotam in Melviana donationis 12. Decembris 1653. & 14. Maij 1657. coram Gerro, impress. decif. 428. & 230. par. 12. recent. & quarum

secunda est repetita post Cutellum de donat. disc. 13. quod scilicet facta donatione contemplatione certi, & determinati matrimonii, quoties non constat de vocatione filiorum ex eo procreandorum, in huiusmodi bonis aequaliter succedant omnes filii sponso donatarii tam ex illo, quam ex alio matrimonio procreati, juxta plenè firmata apud Otthobon. dec. 99. & 133. ubi concordantes; Attamen si ex verbis, vel conjecturis constat filios ex eo matrimonio procreatos, esse principaliter contemplatos, & vocatos, istis tantum debentur bona donata, denegata potestate sponso donatario ad eadem vocandi filios alterius matrimonii.

Hinc posito defectu potestatis, inanis remanebat altera inspectio voluntatis, quæ nullius est considerationis ubi potestas deficiat; Verum ubi etiam istam concurreret, adhuc dicebam tanquam Advocatus, quod voluntas in dubio ad limites pacti regulanda est, ducto argumento ab iis, quæ habemus in concursu duplicis legis, quæ in materia successione habeatur, universalis scilicet, & particularis, seu municipalis, quoniam morientis ab intestato voluntas, particulari potius, quam universali accommodata censetur, Caval. decif. 125. 296. & 504. in omnibus n. 4. & 5. & sæpius; Verum hoc fundamentum, inspecta veritate, videbatur leve ob præponderantiam præsumptionis militantis pro æqualitate inter filios servanda; Solidum autem videbatur primum motivum deficientis potestatis, à qua etiam voluntas regulari; Credo autem causæ exitum fuisse, vel juxta præmissa ad favorem filiorum secundi matrimonii, vel per concordiam, dum præter consuetudinem, post binam disputationem, non audi vi amplius de causæ tractatum.

ROMANA ADMINISTRATIONIS PRO CATHERINA PAULINA CUM JACOBO PELLE.

Casus decisus per Rotam pro Catharina.

De bonorum possessione concedenda proximiori in gradu ejus, cujus incerta sit vita, vel mors, quia nempe absentis, ac peregrinantis nullus habeatur certus nunciatus; Et quatenus ista decernatur matri, an huic in aliquo obstat transitus ad secunda vota.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series. Resolutio causæ. 2 De bonorum possessione danda proximio successori, & de administratione bonorum vacantium danda ei, qui speratur successor. 3 De alio casu, & de possessione bonorum emphyteuticorum danda Domino directo. 4 Quod in hac materia non intrent termini matris transiens ad secunda vota, si est tutrix filiorum.

D I S C. XXXVII.

Suscepta peregrinatione per Marcellum Pelle enunciatum sub tit. de donat. disc. 24. Cum certus nunciatus non haberetur ejus vitæ, vel mortis, quinimo istius potius fama, vel rumor irrepressisset; Catharina mater, ac proximior, qui in casu mortis, privative ad alios conjunctos, intestata successio debita erat, obtinuit ab A. C. sibi decerni bonorum possessionem sub immisionis vocabulo in Curia quoque explicari solitam, præstita cautione in casu vitæ, ac redditus dicti Marcelli; Cumque postmodum eadem ad secunda vota pertransisset; Hinc Jacobus agnatus transferralis, (in gradu tamen non successibili in concursu matris,) insetit pro istius remotione à dicta administratione, introducæque causa in Rota cor. Cerro, ac dato dubio, an remotioni locus esset, sub 1. Junii 1669. negativa prodiit resolutio, cui actor acquievit, neque causa ulteriorem progressum hucusque habuit.

In hac autem disputatione Scribentes pro oppositore insistebant in iis, quæ in jure disputata sunt contra matrem, quæ suscepta filiorum tutela, transitum fecerit ad secunda vota, non curando prius provideri de tutore, ac non reddendo rationes juxta ea, quæ habentur supra hoc eodem titulo disc. 29. atque super his nimium se distendebant pro consuetâ moderna ineptia, chartas allegationibus replendo.

Scribens ego pro Catharina matre rea conventa, dicebam (etiam in sensu veritatis, qualem Rota agnovit) quod huiusmodi actoris præsentio omni profus destituta esset

fundamento, ac omnino extranei esset dicti termini matris, quæ suscepta filiorum tutela, vel cura ad secundas nuptias transitum fecisset, dum ista mater, non ex titulo tutelæ, vel curæ filii pupilli, vel minoris, aut amicitis administrationem susceperat, sed eam obtinuerat, quæ in jure decernitur proximiori successuro in bonis ejus, cuius incerta sit vita; Non daretur enim verus titulus successoris, cum ad hunc effectum dare oporteat certificationem mortis, sed bene datur hæc bonorum possessio; cum nemini melius vacantium bonorum administratio decerni valeat, quam illi, cui debita est successio, cum ita proprium negotium potius gerere credat ad text. in l. 2. §. sed si sub conditione, & l. si demum, & l. si servus, ff. de bon. possess. secund. tab. & l. si quis instit. hæres ff. de hered. instit. utrobique communiter DD. de quibus apud Surdum cons. 125. nu. fin. Argel. de legit. contradiç. g. 11. art. 1. n. 17. cum seqq. cum concordantibus deductis sub tit. de fideicom. pluries præsertim disc. 7. ac etiam disc. 188. in proposito administrationis decernendæ hæreditatis, ad quam nasciturus vocatus est.

Hinc propterea in una Ravenaten. emphyteutis disputata cor. A. C. postea concordata, de qua habebitur sub tit. de emphyt. in supplemento; Cum in ea investitura, vocati essent solum masculi etiam ex feminis, atque sequuta esset mors ibi enunciati Andree, supersticibus duabus filiabus puellis, ex quibus suberat spes procreationis masculorum; Hinc orta fuit quæstio, quisnam deberet interiri bona possidere, & administrare; Atque (etiam in sensu veritatis) dicebam, ut pro domino directo respondendum esset ex pluribus fundamentis peculiaribus in materia feudali, vel emphyteutica cadentibus favore domini, ibi deductis; Ac etiam ex isto, ut huiusmodi administratio decerpenda sit ei, cui bona debentur, quatenus prior dominus mortuus esset, vel ille, qui nasci speratur, non nascatur; Isteque administrator ad aliud non teneatur nisi ad cautionem, quatenus contingat dominum absentem vivere, ac reverti, quod in præsentem jam impletum fuerat, sed concordia quæstionem terminavit.

Extranea verò erant ea, quæ (redeundo ad causam) de matre transeunte ad secunda vota dicebantur; Tum ex pluries insinuata conclusione, quod penæ secundo nubentium percutiunt solum favorem filiorum primi matrimonii, quatenus extent, non autem extraneorum, cum aliæ omnes per jus canonicum contrætæ fuerint; Tum etiam quia leges novissimæ ita disponunt in casu tutelæ, vel curæ, quam jus antiquum, vel novum non cognovit in matre, & avia, quæ veniebant sub genericâ exclusione feminarum à tutela, vel cura, solumque exceptuæ fuerunt à jure novissimo sub ista qualitate cælibatus; quod nil commune habet cum successione filiorum majorum sub matris tutela non viventium; Ideoque casus videbatur hac disputatione Rotali indignus.

ANNOT. AD DISC. XXXVII.

Conferunt ad materiam notata ad disc. 7. & seqq. de fideicom. in proposito suspensionis fideicommissi, donec duret spes, penes proximè successurum.

MELEVITANA SUCCESSIONIS SEU COMMUNIONIS PRO ILLIS DE MANGION, CUM ANGELICA.

Discursus pro veritate, seu directione super causa postea concordata.

De consuetudine Insulæ Melevitanæ super necessaria successione filiorum in quota bonorum per utrumque parentem, constante matrimonio quæsiturum: Et de alia consuetudine adjuvandi in pactis dotalibus pactum communionis inter conjuges bonorum constante matrimonio quærendorum, seu reciproce successione: Et si de dicto pacto expressa mentio non fiat, an adhuc, stante consuetudine subintelligatur.

S U M M A R I U M.

- 1 Insula Melevitana est membrum Regni Siciliae data in feudo M. Magistro. 2 Vivit cum dicti Regni legibus, præsertim de statuto continuativo possessionis. 3 De Regia Pragmatica 1. de censibus. 4 De consuetudine, ut bona sint communia conjugum, & filiorum. 5 De more Græcorum, seu Romano in matrimoniis, & pacto adjici solito. 6 Facti series in casu, &c. 7 Ex dicta consuetudine pater potest gratificari inter filios. 8 De validitate pacti, quia non est omnium bonorum, & quæ bona sub eo non cadant. 9 De consimili consuetudine, vel lege Cathalonæ. 10 Pactum hoc consuetum est subintelligendum, licet non exprimitur. 11 Idem de clausulis, & pactis apponi solitis in genere. 12 Societas etiam tacite inducitur, & probatur, & præsumptiones. 13 De adminiculis, & præsumptionibus probantibus adjunctionem pacti.

D I S C. XXXVIII.

Cum Insula Melevitana sit pars, vel membrum Regni Siciliae ultra pharum, per Regem Catholicum ejusdem Regem infensata M. Magistro Jerofolymitanæ Religionis, ut hæc ibi, post occupationem Turcarum, Insulæ Rhodi, sedem haberet juxta seriem, de qua in hac eadem causa sub tit. de jurisd. & for. comp. disc. 69. ubi de puncto, an in causis secularibus Curia Romana eligi possit, necne tanquam forus Principis, ex privilegio textus leg. unic. Cod. quand. Imper. inter vid. & pupill. &c. cum aliis ad materiam fori pertinentibus; Hinc proinde eadem Insula adhuc vivit cum præfati Regni legibus, & Consuetudinibus, vel styliis, ut in proposito Statuti, seu Capituli super continuatione possessionis bonorum defuncti in hæredem, de quo ex Siculis, plenè agunt Amat. resol. 39. & Cammarat. resp. 5. cum seqq. lib. 1. habetur de hac Insula apud Otthobon. decif. 176. & 195. Et in proposito Regiæ Pragm. 1. de Censib. editæ per Alphonsum I. de Aragonia, tam pro dicto Regno, quam pro altero Siciliae citrà, seu Neapolitano, in vim Bullæ Nicolai V. in eadem Pragmatica insertæ, & de qua specie censuum plenè agit elaboratus amicus meus Pilaja in ejus 2. tom. decif. seu Miscellan. Præsertim circa processum exequutivum etiam contra tertium, in causis Melevitanis habetur dec. 246. par. 10. rec. & in aliis in eadem causa editis in ea enunciatis, cum similibus.

Cumque in dicto Regno Siciliae vigeat Consuetudo, ut bona per conjuges constante matrimonio quæsitâ, sint ipsius conjugibus communia, ac etiam filiis ex eodem matrimonio procreatis, id est, quod tertia pars sit filiorum, quæ filialis appellatur, aliæ verò duæ sint dictorum conjugum; Distincta tertia pars filiorum loco legitime succedat, ejusque speciem, ac naturam habeat, ut generaliter de ista consuetudine totius Regni, cæteris relatis habetur plenè de more collectum apud Giurbam ad consuetud. Messanen. cap. 1. gloss. 12. nu. 1. cap. 4. gloss. 4. nu. 1. & apud Neptam ad consuet. Catanien. tit. 3. num. 153. & seqq. Et in specie de ista Insula agit Imol. in cons. registrato apud Nepit. ubi supra, & habetur per Rotam apud Merlin. decif. 347. & sub tit. de dote disc. 90. ubi de puncto, an super dote, quam pater ex bonis ad hanc portionem pertinentibus filix constituit fideicommissum, vel alia onera, & pacta adjicere valeat.

Cum præsupposito tamen, et in hac Insula Melevitana in omnibus contractibus matrimonialibus, qui fiant more Græcorum, sive ut vulgò dicitur, alla Romana; (Et quod more attento, bona conjugum non confunduntur, ut aliàs fortè attentis ordinariis moribus loci confusio sequitur) adjici solcat pactum dictæ communioni bonorum per conjuges constante matrimonio quærendorum.

Cum itaque in contractu matrimoniali inter Valerium, & Isabeliam, juxta dictum morem Græcorum, seu alla Romana inito, huius pacti specificatio omiffa esset, atque ex eodem matrimonio, procreati essent, Vincentius, & Angelica, dicto Vincentio parentibus prædefuncto, pluribus filiis supersticibus, & Angelica nupta; Conjuges, in eadem charta testamentum utriusque commune ordinarunt, institutis nepotibus ex dicto Vincentio, defunctaque Isabelia, Valerius vir supervivens, instituit eisdem nepotibus pingue legatum ad favorem Angelicæ filix fecit; Hinc pro-

pterea inter istam, ejusque nepotes hæredes institutos, exorta est controversia, eaque acriter in partibus disputata, deinde fuit ad Curiam delata; Quare per unam partium contententium, de tribus per veritate, seu directione consultus fui; Primò nempe, an ex privilegio d. l. unica, C. quand. Imper. &c. ob mixturam pupillorum, fori electio, seu variatio competere; Secundò, an dictus Valerius potuerit revocare primum testamentum cum uxore conditum ad favorem nepotum, faciendo satis pingue legatum ad favorem filix; Et tertio, an inter dictos conjuges adesset bonorum communio, quæ ex dicto pacto apponi solito, resultat, quamvis illud in contractu matrimoniali ad speciem redactum non esset.

De primo puncto habetur actum d. tit. de jurisd. & for. comp. disc. 69. Et super secundo referavi responderi post aliquas meliores facti notitias, quæ datæ non fuerunt.

Quatenus igitur pertinet ad tertium communionis inter conjuges, ejus effectus erat, an præfati nepotes, (ex quorum parte consultus fui) præcipuum habere deberent, necne medietatem, seu portionem eorum avix, à qua instituti fuerant, dum idem pactum, seu usus continet sub se facultatem gratificandi inter filios, unum vel aliquos præeligendo, alios autem negligendo; Non agebat enim de portione propria ipsorum filiorum, quæ filialis dicitur, dum illam jam habuerant à parentibus viventibus, filia scilicet occasione dotis, & filius occasione donationis sibi factæ contemplatione matrimonii.

In hoc autem, præsupposita validitate dicti pacti, utpotè non continentis universitatem bonorum, unde propterea cadere posset difficultas, de qua habetur sub tit. de fideic. disc. 141. cum esset solum, bonorum constante matrimonio quærendorum ex industria, adeo sub huiusmodi communionem non veniant bona, quæ habeantur ante initum matrimonium; Quinimò neq; sub eo veniant ea, quæ ipso matrimonio constante obveniunt ex successione testata, vel intestata, seu legato, & similibus; Ut de huiusmodi conventionibus habetur in Cathalonæ, unde forsitan ad Regnum Siciliae hic usus inolevit, eo modo quo plures Cathalonæ leges, vel mores irrepresserunt in alterum Regnum Sardinæ, ex deductis in Turritana sub tit. de dote disc. 107. ubi de successione filiorum in dote materna cum similibus; Hinc proinde præsupposita validitate tanquam certa, atque restringendo quæstionem ad solam voluntatem, an scilicet dictum pactum apponi solitum, sed neglectum, censetur tamen in esse.

Pro affirmativa probabilis respondendum censuit, quoniam stante præsupposita generali consuetudine adjuvandi in omnibus contractibus, illud subintelligendum venit, 10 quamvis non exprimitur, ut plenè cæteris relatis, Molin. de rit. nupt. lib. 3. quæst. 77. Cancr. lib. 2. variar. cap. 7. de pact. num. 168. cum seqq. Fontanell. de pact. dicta clausul. 1. gloss. unica num. 2. & 3. Et habemus generaliter receptum in clausulis, ac pactis de stylo adjici solitis, ut censetur in esse, 11 quamvis non exprimentur, ut de clausula constituti præcarii, & pacti de capienda de stylo adjici solitis in Regno Neapolitano in instrumentis, ut subintelligantur, quamvis non dicatur; Et de alio pacto, ut instrumentum possit liquidari secundum formam Ritus M. C. V. ut quamvis negligatur, adhuc dicta liquidatio fieri possit, Franch. decif. 366. nu. 6. cum aliis sub tit. de credito disc. 116. Et magis ad rem de consuetudinibus Capuanæ, & Nidi, seu nobilium in contractibus matrimonialibus, ut inter illos nobiles subintelligantur, quamvis non exprimitur, habetur dicto tit. de dote disc. 103. cum similibus.

Clarius autem in hac facti specie, ex pluribus consuetudinibus, & argumentis, istorum conjugum voluntatem suadentibus, quod huiusmodi pactum, vel societatem inire voluerint, cum de jure receptum sit, ut societas etiam tacite contrahi possit, atque præsumptivè, seu adminiculative probari, ex iis; quæ cæteris relatis habentur apud Capyc. Latr. decif. 26. ibique Add. Michalor. de fratrib. par. 2. cap. 14. Rota consulti. 8. & pluries sub. tit. de cred. ac alibi.

Plura verò argumenta id suadebant; Primò nempe pactum in eodem contractu dotali contentum super portione, seu necessaria successione filiorum in tertia parte, quod tanquam connexum præsupponere videtur dictum aliud pactum; Secundò, quia occasione dotandi filiam, seu faciendi filio donationem contemplatione matrimonii in causam propriæ portionis respectivè id præsuppositum fuit; Tertio reciproca dispositio facta in eodem testamento per conjuges tanquam de bonis communibus, atque ad utrumque pertinentibus; Et

quartò subsequuta observantia, quoniam mortua uxore vir superstes, nullo confecto inventario, neque facta formali additione, continuavit in possessione bonorum tanquam communium; His autem omnibus simul junctis cum dicta generalitate, casus videbatur planus, nisi aliæ adessent ignoræ circumstantiæ, ex quibus causæ facies notabiliter mutari solet, Ideoque ut plurimum non auditis iuribus alterius partis, neque prævia formali dispositione in iudicio, non de facili maturum iudicium pro veritate potest efformari; Desuit autem occasio, dum honesta concordia huic controversiæ finem dedis.

ANNOT. AD DISC. XXXVIII, & seqq.

DE pactis dotalibus habetur plene actum sub tit. de dote disc. 155; Quo verò ad statuta particularia, de quibus agitur in disc. 41. habetur sparsim actum in hoc tit. Et procedendum cum eodem ordine alphabetico.

De Statuto Aretii exclusivo foeminarum, hoc tit. disc. 50. Bononiæ, super annullatione obligationum mulieris pro viro factarum in ultimis bonis, sub tit. de dote disc. 180. Eodem, super contractibus minorum, & filiorum familias, sub tit. de alien. & contr. prohib. disc. 62. & 63. Eodem, exclusivo foeminarum, hoc tit. disc. 49. Cremonæ, super facultate dandi integram dotem secundo viro, non obstante l. hac editali, de dote disc. 214. Florentin. de incisione arborum, de servit. discurs. 111. Eodem; quomodo deferat dotem filiis, de dote disc. 215. Foroliviens. continuati vix possessionis, de donat. disc. 63. Fulginaten. de solemnitatibus in donatione requisitis, de donat. disc. 67.

Eodem, exclusivo matris propter patruos, hoc tit. disc. 51. Januæ, exclusivo matris ob patruos, hoc tit. discurs. 45. Neapolit. de prag. 1. Sen. Conf. Vell. sub tit. de alien. & contr. prohib. disc. 68.

Pisano, quod conjuges ad favorem alterius testari non valeant, de alien. & contr. prohib. disc. 70. Veneto, super vocatione filiorum in conditione posteriorum, de fideicom. disc. 221.

Viterbien. super necessaria successione filiorum matri, hoc tit. disc. 43. Urbis 141. & 145. de dote succedente loco legitime, de dote disc. 175. & de fideicom. disc. 257.

Eodem, de via executiva contra tertium favore dotis, de dote disc. 184. Eodem, de lucro dotis, de dote disc. 207.

Eodem, super taxa plurarum dotalium, de dote discurs. 196.

Eodem, quoad solemnitates in contractibus mulierum, de alien. & contr. prohib. disc. 65. & 66.

Discursus relativus, sive instructivus super extraordinariis successioneibus debitis, aliàs quam ratione sanguinis, & præsertim de successione uxoris pauperis ad materiam Auth. præterea, Cod. unde vir, & uxor ad petitionem Magnatis.

S U M M A R I U M.

- 1 Deficientibus conjunctis succedunt in vicem conjuges in exclusionem fisci.
2 Quid requiratur, ut dictæ successioni locus fiat.
3 An qualitas conjugis putativi ad id sufficiat.
4 Quare nimium rata sit illius successioneis praxis.
5 De successione conjugis pauperis in quarta parte, juxta Auth. præterea.
6 An procedat favore viri in bonis mulieris.
7 De agentibus de materia remissivi.
8 De ratione, ob quam etiam in viro procedere debeat.
9 De differentie rationibus inter virum, & mulierem.
10 Requiritur paupertatis exacta, & concludens probatio.
11 Quomodo paupertas regulari debeat.
12 Legatum, vel lucrum est imputandum.
13 Si neglexit exigere quartam à primo conjugee, non petit à secundo.
14 Cessat successio ex ingratitude, vel indignitate.
15 Quod materia sit ratio.

Ultrà illas intestatæ successioneis species, de quibus ratione sanguinis, qui gradus, vel sexus prærogativam quoque habeat, ex communis, vel municipalis juris dispositione, in præcedentibus hoc eod. tit. habetur; Aliàs ejuldem successioneis species lex induxit, etiam in iis, in quibus dicta sanguinis ratio non accedat.

Inter quas, ea primo loco recenseri solet, quæ non ex tantibus sanguine conjunctis, infra decimum gradum, juxta juris civilis computationem, quæ in ista successione materia attendenda est, ex deductis hoc tit. disc. 17. datur inter virum, & uxorem in exclusionem fisci; istaque nullam recipere solet quæstionem, nisi eam minus legitimi, vel adhuc non durantis conjugii, exceptio causet, cum apud omnes receptum sit, ut id non nisi legitimo conjugee competat, & quatenus thori separatio, quæ ex culpa ejus, qui successioneis præterdit, sequuta non sit, juxta generalem omnium aliorum matrimonii effectuum regulam, de qua in sua sede sub tit. de matrimonio; Aliquibus etiam insinuat sub tit. de dote.

Neque in hoc proposito, putativi matrimonii inspectio, cadere videtur, & an bona, vel mala fides accedat, quoniam ea percipit filiorum legitimationem, aliosque effectus jam consumatos, priusquam putativum potius, quam verum esse matrimonium detegatur, ut advertitur dicto tit. de matr. ac etiam tit. de dote in supplemento. Nisi de tempore aperta successioneis matrimonii defectus, adhuc detectus esset, idq; successioneis assequutionem jam consumatam subsequeretur, quod adhuc disputare occasio non dedit; Ex bonorum autem extantium, vel consumptorum qualitate, aliisque facti circumstantiis æquitatem, vel iniquitatem respectu superstitis, qui non sit conjux, redolentibus quæstio decisionem recipere videtur.

Rarò tamen foris hujus successioneis quæstiones audit, cum rarum sit, ut ita conjunctis destitutæ personæ decendant, quodque in tali casu existentes, de bonis suis disponere negligant, ideòque non mirum, si apud Scribentes rara est hujus successioneis tractatio, cum præsuppositivè potius de ipsa occasione successioneis fisci agi soleat, tanquam in re de jure expressè decisa.

Mindus tamen rara, quamvis neque multum frequens est, ea necessariè successioneis species, quam lex pauperi conjugee superstiti decrevit in quarta parte asis hæreditarii alterius conjugis decedentis juxta dispositionem text. in Auth. præterea, C. unde vir, & uxor.

Quamvis enim in litera de uxore inope, ita viro succedere debente dispositum sit, unde propterea inter Scribentes quæstio cadit, an idem è converso viro superstitis favore in bonis uxoris decedentis dicendum sit, pleriq; id negantibus, adeò in casu disputato in S. Concilio Neapolitano relato per Rovit. disc. 46. magna dos huic quæstioni attributa fuerit, nimiumque ab alto ea tractata sit, ut patet ex plenè, ac ingeniosè deductis d. decif. 47. Rovit ubi concordantes, ac etiam (ut de tota materia) late agitur per Fontanell. de pact. claus. 5. gloss. 8. par. 9. & 10. & 11.

Contrarium tamen probabilius videtur, ideòque merito in consimili casu disputato in Rota apud Celf. decif. 115. quamvis viro ob non benè probatam paupertatem, hæc successio denegata sit, & sic ex facto potius, quam ex jure, attamen jus viri inopis verius esse firmatur, ut in specie num. 1.

Et merito quidem; Tum quia eadem ex correlativorum generali regula, videtur esse ratio; Tum claris, quia si juxta eam opinionem, quæ magis communiter est recepta, in præcedentibus pluries insinuata, odiosæ leges contra binubam mulierem editæ tot tit. Cod. de secund. nupt. contra virum quoque ad secunda vota transeuntem locum habent, cum tamen legum lictera de mulieribus agat; Aliqua etiam peculiari ratione inter virum, & mulierem urgente, ob incertitudinem partus, ac etiam ob majorem honestatem in eo sexu desideratam adeò ut usus receperit, ut in viris, adulterii pœnæ per legem inductæ, non vigeant, ut vigent in mulieribus cum similibus; Hinc proinde ex regula, secundum naturam, &c. omninò probabile est, ut dum in odiosis ad virum extenduntur illæ leges, quæ de muliere loquuntur, quasi quod demonstrativè potius pro frequentiori contingencia; quàm taxativè, mulierum tantum fiat mentio, ita in hac favorabili lege, idem dicendum veniat, ut magis communis opinio sentire videatur, ex relatis d. decif. 115. Celfi inter quos Fontanell. loco citato recensetur.

Facti

Facti proinde potius, quàm juris hujusmodi quæstiones esse solent; super paupertatis scilicet sufficienti probatione; cum subsidiarium; atque à jure exorbitans hoc necessariè successioneis beneficium reputetur; Ideòque paupertatis exacta probatio desideratur, ut superstiti conjugee non sit aliàs de congrua substantiatione provium, ex relatis dicta decif. 115. Celfi ubi habentur concordantes.

Super hoc autem; certa, & determinata regula, cuius terminis applicabilis dari non potest, sed cum illis terminis procedendum videtur, quos frequentiores habemus in subsidiariis alimentis, quæ naturalibus tantum, debita sunt cum similibus; E i personarum enim qualitate, vel dignitate id pendet, quoniam id, quod plebeum facit divitem; in nobili paupertatem importat; Idemque respectivè procedit inter simplices nobiles, ac magnates; Attenta etiam ætate, ac valetudine, aliisque circumstantiis, ex quibus dignoscendum est, an superstes aliunde commodè se sustentare valeat; Ideòque ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, decisio metienda est, non autem ex generalibus propositionibus, vel doctrinis, juxta consuetam pragmaticorum ineptiam, ut benè apud Celf. d. dec. 115. nu. penult. & fin. & per tot.

Id autem, quod ex lucro dotali, vel ex legati à defuncto conjugee facti causa, ad superstitem pertineat, in istam quartam imputandum est, ex deductis apud Celf. dicta decif. 115. num. 8. ubi de lucro; Et de legato decif. 123. n. 4. part. 10. recent.

Atq; si ex primi conjugis esse, hoc legis beneficium reportare poterat, & neglexit, in bonis secundi conjugis præterdere non poterit, ut (quamvis incidenter aliud agendo) cæteris relatis habetur apud Rotam decif. 239. num. 11. par. 5. recent. Ideòque in idem conferunt omnia ea, quæ ad materiam subsidiarii remedii, Auth. res quæ, C. leg. comm. de legat. habetur sub tit. de dote disc. 145. & in aliis, ut scilicet subsidiarii beneficiis indigni censendi veniant, qui alia bona; vel jura assequi negligunt, vel assequuta dimittunt.

Cumque ista successio, quamdam imaginem habeat illius necessariæ successioneis, quæ liberis, vel parentibus pro legitima debita est; Hinc proinde, si aliqua in conjugee superstitie ingratitude causa accedat, ob quam filius, vel parens, à dicta magis favorabili successione excludatur, idem fortius in præteriti dicendum est; Cum aliis; quæ apud allegatos habentur super hac materia in foro parum frequenti, adeò in meæ diuturnæ forensis vitæ cursu, atque non modica causarum mole, adhuc occasio id formiter disputare non dederit; Et hæc ita ad aliqualem materæ notitiam, atque ut dici solet, pro gustu deducebam, ut cujusdam Magnatis petitioni satisfacere.

Discursus generalis super puncto; An statuta exclusiva foeminarum à successioneibus propter dotem, impleri dicantur; atque locum habeant; vel dotem destinatam, vel promissam tantum; Vel potius effectiva traditio requiratur.

Editus in gratiam unius ex sedentibus in quodam magno Tribunali.

S U M M A R I U M.

- 1 De opinione, ut dos destinata, vel promissa non sufficiat, & de ratione.
2 De opinione contraria, eiusque ratione.
3 De Constitutione utriusque Sicilia super exclusione foeminae nuptæ, & dotatæ à successione feudi.
4 Quod secunda opinio sit verior, quodque ista statuta sint favorabilia.
5 Ut sufficiat etiam implicita destinatio.
6 Ac etiam dos alias data, & resoluta.
7 Quomodo ista quæstio decidenda sit.
8 De ratione, ob quam in statutis non est immorandum in verbis.
9 De eadem opinione, de qua nu. 2. & 4. tenenda.
10 De eadem materia, de qua nu. 3.
11 De differentia inter quæstionem, de qua dicto num. 3. & istam.
12 An foemina dicatur agnata, etiam ad effectum Statuti 141. Urbis.
13 Quando foemina succedat in fideicommissis ordinato pro agnatione, & familia.
14 De eodem, de quo nu. 4. & 7.

15 De Monialibus Turris Speculorum Urbis, & similibus, ac dote eis data.
16 Quod non intrent termini lucrorum dotalium ob diversam rationem.

D I S C. XL.

IN ista quæstione, an scilicet, Statutis excludentibus à successione foeminas propter dotem, requiratur dotis effectiva traditio, vel sufficiat sola destinatio, vel promissio; Antiquiores primam opinionem foeminis favorabiliorem tenuerunt, ut scilicet, dos promissa, vel destinata, non sufficiat, sed intelligi debeat, cum effectus iam consumato de tempore, quo exclusio faciendâ sit, tanquam qualitas, seu conditio, quæ tunc existere debeat, ut præsertim sentiunt Petr. Jacob. de Aren. Rainer. de Forolivi. & Cyn. qui eos refert, & sequitur; Assignata ratione odibilitatis hujusmodi Statutorum, quæ tanquam redolentia speciem exhæredationis, strictè, ac rigorosè, non autem benigne intelligi debeant; ideòque loquentia de dote, intelligenda veniant in stricta, & propria significatione, de vera, & effectiva dote jam constituta, & tradita, non autem de solum promissa, multoque minus de destinata, quæ remotè, ac improprie dicitur.

Verum, quociens Statutum in verbis expressè id non exigat (quod nimium rarum videtur) adeò intret vulgaris regula text. in l. ille, aut ille, ff. de leg. 3. quod scilicet in claris, & expressis non intrent quæstiones, & argumenta, sed illud loquatur simpliciter de dote, vel dotata, adeò congruant termini significationis, vel interpretationis hujus vocabuli; Tunc verior, magisque recepta est contraria opinio, quæ tribuitur Bartolo in l. Titio centum, §. Titio genero nu. 6. ff. de condit. & demonstr. quam idem Bart. alibi quoque affirmat, & sequuntur Bald. in l. non sine, Cod. de bon. quæ liber. & alii, quos refert Bald. Novell. qui benè articulum expendit in princ. seu in prima parte tract. de dote nu. 20. & sequuntur Brun. de statut. art. 6. quæst. 6. casu 4. & alii apud Joseph. Ludovic. decif. Perus. 21. n. 9. & seqq. Theaur. decif. 101. per tot. Rot. apud Buratt. decif. 432. n. 2. plene Ursin. de feu. par. 3. quæst. 1. artic. 2. & 4. Qui de ista quæstione agit, occasione agendi de Constitutione Regnorum utriusque Sicilia excludente filiam primogenitam nuptam, & dotatam, eique præterente secundogenitam innuptam, quæ ibi vulgo dicitur in capillo, an scilicet, ad hunc effectum sola dos promissa, vel destinata sufficiat, & de qua quæstione habetur particulariter actum sub tit. de feu. disc. 14. ubi de dictæ Constitutionis requisitis, ejusque intelligentia.

Quidquid autem sit de veritate in casu dictæ Constitutionis particularis, loquentis de successione feudorum tantum, ex ibi deductis; Quatenus pertinet ad hunc articulum generalem, super successione in bonis indifferentibus; Verior, magisque recepta est hæc posterior opinio Bartol. & sequacium, altera antiquiore rejecta; Non solum; quia frequentiori, magisque communi D. D. calculo recepta est; Sed etiam ob majorem assistentiam rationis, sive ob falsum præsuppositum, cum quo antiquiores in ea primæva simplicitate processerunt, quod scilicet hæc Statuta dicenda sint odiosa, & exorbitantia, redolentia speciem exhæredationis; Quoniam potius in oppositum se res habet, ut scilicet attenda dispositione juris Romanorum, attentisque nostris Italiæ moribus, juxta ponderationes, de quibus pluries in præcedentibus præsertim disc. 1. hujusmodi Statuta, potius favorabilia censenda sunt, atque benigne interpretanda.

Ideoque probabilis etiam videtur opinio, quam contra Roman. tuetur Gabr. conf. 15. nu. 43. lib. 1. ut etiam tacita, seu implicita destinatio sufficiat; Prout etiam altera, quam ex Bald. in d. l. non sine, tenet Bald. Novell. ubi sup. nu. 21. ut etiam ad hunc effectum, sufficiat ea dos, quæ semel constituta, postmodum resoluta fuerit per matrimonii dissolutionem per mortem viri, juxta terminos text. in d. l. dos à patre, Cod. de jur. dot.

Et quidem merito, quoniam ut in præcedentibus pluries advertitur, in hujusmodi statutorum interpretatione, vel praxi, tanquam in quæstione voluntatis statuentium, omninò procedendum est cum propositione, quæ frequenter in omni ferè materia insinuata est, præsertim autem frequentius sub tit. de fideicommissis, & (sub altero de alien. & contr. ut immorandum non sit in cortice, & figura verborum, sive in eorum grammaticali significatione, juxta connaturalitatem vitium Scholasticorum, sed attendi debet substantia verisimilis voluntatis statuentium,

tium, seu finis, vel effectus ab eis ponderatus, ut scilicet juxta Romanorum antiquos, ac etiam currentes nostros Italos mores, bona masculi deferantur, pro eorum conservatione in agnationibus, & familiis, feminas autem sufficere providere de congrua dote, ut earum honestati, ac sustentationi consultum sit; Parum curando verborum formulam, seu phrasim, quam statuti compositor adhibuerit, & an adhibeat verbum, *ave*, vel aliud diversæ significationis; Sive an idem verbum positum sit in tempore præterito, vel in præteriti, vel futuro, cum id vere continere videatur quoddam legale judicium, apud judiciosos forenses contemptibile, utpotè proveniens à modo loquendi Extensoris; Eo modo, quo in testamentis, vel instrumentis habemus de Notariis, qui circa testamentum, vel contrahentium voluntatem, istam pro eorum modo loquendi, desumpto ex formulariis explicant, ignorando vim verborum, eorumque operationem.

Potissimè verò, accedente pluries insinuata consideratione, quod statuta, quæ pro majori parte in Italia habentur, ordinata fuerunt in illis sæculis barbaris, nimirumque indoctis circa tempora legum civilium inventioni, & communi usui proxima, ad occurrendum simplicitati nostrorum primorum parentum, seu Interpretum, qui male processerunt in hac materia successione cum jure novissimo edito in Constantinopolitana Civitate, juxta Græcorum, non autem Romanorum, ac Italicorum mores, dum in dictis sæculis, vel temporibus, lingua latina, non ita restituta erat, neque habebantur illi eruditi, ejusdemque latinæ linguæ magistri, ac restitutores, qui postea prodierunt, ut nos docent tot simplicitates, & æquivoca, in quæ inciderunt Accursius, & Bartol. alique antiquiores super Pandectarum interpretatione, ex deficiente noticia linguæ latinæ; Et consequenter, protus erroneum est, interpretari hæc statuta, quæ ut plurimum, rudi, & grossolano modo ordinata sunt, præsertim ubi non sint magnaarum Civitatum, cum illis grammaticis subtilitatibus, ac regulis, quæ modernioribus temporibus elucidatæ fuerunt.

Atque hinc (pro meo judicio, manifestam ineptiam continere videtur improbus labor per nostros adhibitus in ea quæstione de qua plene, alios referendo, pro utraque sententia, agunt Surd. *conf. 45.* & Theaur. *decis. 101.* (qui eam difficilem, ac involutam quæstionem appellat;) Ubi scilicet statutum de dote data loquatur, quoniam verius videtur, ut non ex verborum formula, sed cum jam insinuata regula, in hoc proposito procedendum sit; Potissimè vero nimirum clarus videtur error eorundem, ac aliorum, in ista quæstione adhibere auctoritatem Andr. de Ifern. aliorumque antiquorum feudistarum utriusque Siciliæ, agentium de interpretatione superius insinuatæ Constitutionis illorum Regnorum super exclusione feminæ primogenitæ nuptæ, & dotatæ per aliam feminam secundogenitam innuptam, juxta ea, quæ desuper habentur *dict. dis. 14. de feud.*

Itud etenim est æquivocum manifestum æquiparandi, scilicet istam materiam statutorum agentium de successione in genere, cum illa dictæ Constitutionis, atque auctoritates percipientes dictam legem particularem, ad istam generalem quæstionem applicare, cum in eo casu non intret superius insinuata ratio agnationis desumpta ex antiquis Romanorum legibus, ac etiam ex modernis ab eadem antiquitate desumptis, & continuatis Italiæ moribus, dum agitur de excludendo feminam habentem prærogativam primogenituræ, ob aliam feminam; Id enim; (ut ibi advertitur,) aliam non habet congruam rationem, nisi illam intermediæ mutationis status rerum, ob deficientiam masculi, ut ita feuda transeant ad viros magis qualificados, non autem ad illum, cui in diverso statu, femina primogenita nupta fuit; Istaque videtur probabilior ratio dictæ Constitutionis, non autem altera agnationis, in qua totus est punctus in hac diversa quæstione Statutorum excludentium feminas propter masculos agnatos, quoniam excludere unam feminam propter aliam feminam, nullum continet agnationis favorem.

Licet enim non desint D.D. afferentes quoque hanc simplicitatem, quod scilicet feminæ dicantur quoque agnatæ, & consequenter quod in earum admissione intret favor agnationis; Idque moderno etiam tempore Rotam deceperit; dum agendo de Statuto Urbis *141.* pluries in præcedentibus insinuato, ac etiam *sub tit. de legitim. & detrad.* ut scilicet habens solum filias feminas, possit disponendo cum agnatis, eas sola dote congrua contentas

præterire, illis denegato etiam legitimæ supplemento; Dicitur fuit in Romana *supplementi legitimæ* coram Cerro *dec. 491. par. 9. rec.* ut cum agnatis quoque ad formam Statuti dispositum censeatur, si dispositum sit ad favorem unius ex filiabus, eo quia etiam feminæ sint agnatæ; Attamen ista simplicitas agnata fuit, à dicta resolutione recedendo coram eodem, ut patet *ex decis. 267. & 383. eadem par. 9. rec.* atque hoc jure vivitur; Et merito quidem, quoniam licet feminæ sint agnatæ, attamen non conservant agnationem cujus dicuntur finis; Favor autem consistit in conservatione, ac tractu successivo.

Solumque ex quadam D.D. & Rotæ benigna interpretatione (foras disponentium intentioni non multum adaptata,) recepta est feminarum comprehensio sub generico agnationis, & familiæ vocabulo in solo casu defectus, ac terminationis lineæ, non autem in concursu masculorum, nisi quando ratio diversitatis lineæ, alios masculos lineæ diversæ faciat extraneos, ut pluries in sua materia *sub tit. de fidei.* Et sic, ubi fideicommissum agnatum, defectus masculi, habiturum est finem; Secus autem, ubi urgeat ratio ejus conservationis, & continuationis.

Hinc proinde, ubi præsertim agatur de statutis ista disponentibus in parte, vel fratribus, sola congruæ dotis promissio, vel destinatio sufficiens esse debet, spectata scilicet intentione statuentium, seu sine, vel effectu per eos considerato, neglectis prædictis, ac similibus ineptiis; Et præsertim, an copulativè, vel alternativè dorem, ac matrimonium, Statuti verba exigant, cum ista consideratio, super utriusque qualitatis copulativo concursu ponderato apud Surd. & Theaur. ubi supra, ac alios, percutiat dictos diversos terminos dictæ exorbitantis, ac irrationabilis Constitutionis utriusque; Siciliæ ob longè diversam rationem, ut *dict. dis. 14. de feud.*

Prout contemptibilis videtur alia ponderatio, a plerisque fieri solita, an id, quod feminæ pro dote datum, vel destinatum est, verè, & legaliter dici possit dos, necne, quasi quod dos, nomen, ac essentiam recipiat à matrimonio carnali, vel spiritali, sine quo illa non datur; quoniam ut advertitur in sua materia *sub tit. de dot.* occasione præsertim agendi de mulieribus, quæ etiam celibem spiritualem ducere eligunt in celebri Monasterio Turris Speculorum Urbis, vel in altero ad ejus instar, cum consueta dote eidem Monasterio tradita; Quamvis legaliter, ac propriè, ista non sit dos, cum nullum intercedat spirituale matrimonium, quod resultat à solemnibus, ac formalibus Religionis professione, quam istæ mulieres non emittunt, neque sunt Moniales, cum sint simplices oblatæ, libertatem retinentes ad sæculum pro libito redeundi; Attamen per hujusmodi provisionem, verius, ac receptum est, ut ita dicatur satisfactum Statuto, dum ita ejus finis, vel effectus est adimpletus; Itaque est regula, cum qua hujusmodi Statuta interpretari, ac practicari debent, non autem cum grammaticorum regulis, ac subtilitatibus.

Aliqui etiam relati per eodem Surd. & Theaur. ubi supra, exigendo dorem datam, procedunt cum terminis lucrorum dotialium, pro quibus dos data, non autem destinata, vel promissa, pro legum municipalium diversa specie necessaria est (cum alicubi etiam promissa sufficiat, ut præsertim receptum est in Statuto Urbis, ex deductis in sua materia *sub tit. de dote;*) Isti enim terminis pariter diversi sunt longè diversam habentes rationem, ideò; non bene ab uno casu ad alium inferunt, semperque firmum videtur, ut in hujusmodi Statutis, attendi solum debeat ratio eorum inductiva, istaque semper mihi visa est genuina veritas, quoties verba Statuti ita expressè, ac litteraliter disponant; Et hæc mihi promptè memoria suggerit pro nunc in ista quæstione insinuare, salvo maturiori judicio, in casibus particularibus, pro eorum qualitate, & circumstantiis, ex quibus statuentium voluntatem desumere debemus.

DISCURSUS GENERALIS

REMISSIVUS.

In materia Statutorum, & Consuetudinum, circa successionem ab intestato; Et istius occasione aliorum Statutorum, quæ habentur in aliis materiis, cum distinctione inter Statuta particularia certorum locorum, cum alphabetico ordine locorum, vel Diocesum; Ac

Ac etiam de Statutis generalibus, seu de iis, quæ generaliter in materia Statutorum habentur.

S U M M A R I U M.

De Statutis in specie.

- 1 DE distinctione Statutorum generalium, & specialium, & recensentur specialia.
- 2 De Statuto Amandolæ, exclusivo feminarum, & cognatorum ob agnatos.
- 3 Anconæ, de eadem conclusione à successione.
- 4 Eadem de taxa fructuum dotis.
- 5 Eodem de successione in dote.
- 6 Eod. ut credatur prorenetis.
- 7 Eod. de foro mercatorum, & privilegiis.
- 8 Ariminen. de usufructu bonorum extradotalium.
- 9 Eod. de uxore obligata conficere inventarium bonorum viri.
- 10 Aufculan. de taxa fructuum dotis.
- 11 Eod. de solemnitate in testamento mulierum.
- 12 Avinionen. de pralatione venditoris in bonis suis.
- 13 Eod. ut substitutiones non excedant tertium gradum.
- 14 Barchinonen. super exemptionibus Ecclesiasticorum à gabellis.
- 15 Eod. de successione filiorum in dote.
- 16 Eod. de ordinationibus maritimi, & assicuraione.
- 17 Baren. de Consuetudine super successione filiorum in dote.
- 18 Eod. ut licet aditam hereditatem repudiare.
- 19 Beneventan. de successione filiorum in dote, ac prohibitione disponendi de illa.
- 20 Eod. super prescriptione debiti per annos viginti.
- 21 Bergomen. de exclusione feminarum.
- 22 Bituntin. de successione filiorum in dote.
- 23 Bononien. exclusivo feminarum, an excludat Moniales.
- 24 Eod. de excludente cognatos ob agnatos.
- 25 Eod. de excludente matrem propter fratres.
- 26 Eod. ut mulier habens filios non disponat de bonis dotialibus.
- 27 Eod. de Statuto fori mercatorum super equali concursu creditorum decodi.
- 28 Eod. de Statuto super fidejussore expensarum judicii.
- 29 Eod. super restitutione dotis, & lucro viri.
- 30 Eod. de usuris dotialibus.
- 31 Eod. super contractibus minorum.
- 32 Brachiani super lucro dotis.
- 33 Camerini de statuto exclusivo feminarum.
- 34 Eod. circa altiorum elevationem, vel altius edificium.
- 35 Canciani super gabella pro successione filiorum.
- 36 Cantiani super duplicata collecta forensium.
- 37 Castri de Statuto Guardæ remissivè.
- 38 Civitatæ novæ de Statuto excludente feminam maritam.
- 39 Civitatis Castellii de Statuto reddente emptorem tutum.
- 40 Eod. favore fidejussoris, ut petat exemptionem ab obligatione.
- 41 Eod. exclusivo feminarum propter masculos.
- 42 Eod. super renovatione emphyteutica.
- 43 Cornen. de antephatu, seu lucro dotis.
- 44 Consulatus maris.
- 45 Corinaldi super exclusione feminarum, & cognatorum.
- 46 Eugubini super Statuto exclusivo feminarum.
- 47 Eod. de Decretis Ducatus circa solemnitates in donationibus.
- 48 Fani super Statuto excludente matrem, & cognatos propter agnatos.
- 49 Eod. super Statuto admissionis ad Concilium Civitatis.
- 50 Farfen. in materia renovationis emphyteuticæ.
- 51 Ferarien. de successione in bonis emphyteuticis.
- 52 Eod. de gabella contractuum.
- 53 Eod. de gabella frumentii.

- 54 Eod. de Statuto super foro.
- 55 Eod. de insinuatione, & solemnitatibus in donationibus.
- 56 Firman. Civitatis, ne matrimonia contrahantur cum forensibus, & de aliis hujus diocesis sub nomine locorum.
- 57 Florentin. de additione paternæ hereditatis.
- 58 Eod. de tollente heredi beneficii inventarii.
- 59 Eod. de gabellis pro successione filiorum.
- 60 Eod. de exclusione cognatorum, & feminarum.
- 61 Eod. de ead. exclusione in bonis extra territorium.
- 62 Forolivien. de intestata successione.
- 63 Eod. de Statuto continuativo possessionis.
- 64 Eod. de gabella vini forensis.
- 65 Eod. super Concilio Civitatis.
- 66 Eod. de usufructu bonorum extradotalium uxoris.
- 67 Fulginaten. de donationibus.
- 68 Eod. de materia donationum.
- 69 Eod. de exclusivo matris, & feminarum, an tollat legitimam.
- 70 Gualdi de exclusione feminarum.
- 71 Guardæ de eadem exclusione.
- 72 Hebræorum super lucro dotis.
- 73 Eod. super datis, & oneribus.
- 74 Eod. super locatione domorum in ghetto.
- 75 Eod. de privilegio pignorum.
- 76 Eod. de usuris quando exigant.
- 77 Eod. quod sint cives, & eis suffragentur statuta, & privilegia.
- 78 Eod. quando servata sit lex Moisaica.
- 79 Eod. de matrimonio hebræorum.
- 80 Januen. de statuto exclusivo feminarum.
- 81 Eod. de exclusione religiosorum.
- 82 Eod. de obligatione fidejussoris.
- 83 Eod. de obligatione mulierum in dote.
- 84 Eod. de testamento, an corrui ob præteritionem.
- 85 Eod. ut debitor non possit non agnoscere.
- 86 De dote non transmittenda.
- 87 Eod. de elevatione propè domum vicini.
- 88 Interamn. de exclusione feminarum.
- 89 Eod. an dos succedat loco legitimæ.
- 90 Lucan. de codicillarum forma.
- 91 Eod. exclusivum matris, an tollat legitimam.
- 92 Maceraten. super modo restituendi dorem.
- 93 Mediolani super jure edificandi, seu altius elevandi.
- 94 Melevidan. de communionem bonorum inter conjuges, & filios.
- 95 Eod. de Statutis Religionis Hierosolymitanæ.
- 96 Montis Falchi de piscis.
- 97 Neapolitan. de consuetudine super dote.
- 98 Eod. de consuetudine exclusivæ feminarum, an istæ faciant numerum, & partem.
- 99 Eod. de eadem exclusione ante dorem.
- 100 Eod. super taxa fructuum dotis.
- 101 Eod. super ritu circa Clericatum.
- 102 Eod. de pragmatice super litteris cambii.
- 103 Eod. de ætate minori.
- 104 Eod. de gratiis super feudis.
- 105 Eod. de ritu super liquidatione instrumentorum.
- 106 Eod. de pragmaticis super contractibus Universitatum.
- 107 Nepefin. super lucro dotis.
- 108 Nonantulan. in emphyteusi.
- 109 Parmen. de Statuto continuante possessionem in heredem.
- 110 Eod. de exclusione feminarum propter dorem.
- 111 Perusin. de exclusione feminarum.
- 112 Eod. de privilegio DD. ne ultra, quam &c.
- 113 Pisan. de prohibente viro, ne relinquat uxori, & contra.

- 114 Pifauren. super lucro dotis.
- 115 Placentin. de continuanda possessione in heredem.
- 116 Plumbini, ne vir testetur cum uxore.
- 117 De exclusione feminarum.

R

- 118 Ravennaten. in materia emphyteutica.
- 119 Eod. de taxa fructuum dotis.
- 120 Eod. de contributione Ecclesiasticorum in aggeribus.
- 121 Reatin. de successione ab intestato.
- 122 Regnorum Neapolis, & Siciliae.
- 123 Religionis Hierosolymitanæ circa nobilitatem, & habitum.
- 124 Eod. circa Dignitates, Commendas, & Pensiones.
- 125 Religionis S. Stephani, & aliarum Religionum in genere.
- 126 Roman. de Statutis exclusivis 141. & 145.
- 127 Eod. de Statuto 145. circa civilitatem.
- 128 Eod. de præscriptione Statuti 158.
- 129 Eod. de contractibus minorum, & mulierum ex causa dotis.
- 130 Eod. de eadem materia in genere.
- 131 Eod. de filiis familias.
- 132 Eod. de dote moderatæ.
- 133 Eod. de lucro dotis.
- 134 Eod. de usuris, vel fructibus dotalibus.
- 135 Eod. de prohibitione disponendi cum illegitimis, vel potestate respectivè.
- 136 Eod. de eadem materia in genere.
- 137 Eod. de usu muri vicini.
- 138 Eod. de via executiva dotis.
- 139 Eod. super læsione in tertia parte.
- 140 Eod. ut servari debeat jus civile in testamentis.
- 141 Eod. de statuto agriculturæ.
- 142 Eod. ut pro dote obligentur bona emphyteuta.
- 143 Eod. de reversione dotis ad fratrem.
- 144 Eod. de continuanda possessione remissivè.
- 145 Eod. de filiis in conditione postis.
- 146 Eod. de prohibita donatione inter conjuges.
- 147 Eod. de decreta Camerali favore inquilini.
- 148 Eod. de statuto Montis Pietatis.
- 149 Eod. de statuto de duobus conformibus.
- 150 Eod. de Bulla Pii V. de non infundando.
- 151 Eod. de Bullis prohibentibus alienationem bonorum jurisdictionalium.
- 152 Eod. de Bullis prohibentibus alienationem in forenses.
- 153 Eod. de Bulla Baronum Clem. VIII.
- 154 Eod. de Bulla Archiepiscopi Urbani VIII.
- 155 Eod. de motu proprio Urbani VIII. super locis montium.
- 156 Eod. de Bulla Pauli III. super pena decupli.
- 157 Eod. de Constitutione Gregoriana super utroque retractu coactivo, & prelativo.
- 158 Eod. de Constitutione Clem. VIII. super reductione censuum.

S

- 159 Sancti Gemini super retractu.
- 160 Sardinæ remissivè.
- 161 Scrofan super exclusione feminarum.
- 162 Senen. super gabella forensium.
- 163 Eod. de successione filiorum in dote.
- 164 Eod. de jure redimendi pignus prætorium.
- 165 Eod. de titulo institutionis subintelligendo.
- 166 Eod. in materia juris congrui.
- 167 Senogallien. de statuto exclusivo feminarum.
- 168 Siciliae de statuto continuante possessionem in hæredes.
- 169 Eod. de taxa fructuum dotis.
- 170 Eodem de legibus super successione feudorum.
- 171 Spoletan. de pragmatice super taxa dorum.
- 172 Eod. de solemnitatibus in testamentis mulierum.

T

- 173 Tudertin. de Statuto exclusivo feminarum, & cognatorum, ac matris.
- 174 Turritan. de successione filiorum in dote.

V

- 175 Velitern. de Statuto super retractu.
- 176 Viterbii de Statuto exclusivo feminarum.
- 177 Urbinaten. de consuetudine, ut gabella per forenses solvatur duplicata.

- 178 Eod. de concordia in materia emphyteutica.
- 179 Eod. de indulto Urbani VIII. in eadem materia.
- 180 Eod. de Decretis Ducalibus in donationibus.
- 181 De aliis Statutis particularibus remissivè.

DE STATUTIS IN GENERE.

- 182 Excludentia à successione stabilium, an procedant in censibus, & locis montium.
- 183 Excludentia forenses, an sint odiosa, vel favorabilia.
- 184 An Statuta afficiant exemptos ex conventionione.
- 185 Cum non subditis, vel in bonis extra territorium deserviant pro interpretatione voluntatis.
- 186 De illo Civitatis dominantis quomodo attendatur, ubi adest proprium Statutum.
- 187 Ubi disponant, quod in casu omisso servetur jus commune, de quo jure intelligatur.
- 188 An Civitas, que recognoscit Superiorem, possit condere Statuta exclusiva forensium.
- 189 Quando Statuta capiant etiam præterita.
- 190 Imponentia a gabellam, vel aliud onus pro successione sunt odiosa.
- 191 Quando Statuta comprehendant actus juratos.
- 192 Recipiunt interpretationem à Statutis aliarum Civitatum, vel Regionum.
- 193 De Statutis inducentibus divisionem parochiarum.
- 194 Quando Statuta comprehendant personas Ecclesiasticas.
- 195 Prohibitiva alienationes in forenses, an comprehendant Clericos.
- 196 De materia confirmationis præsumptæ Statutorum.
- 197 De Statutis mandantibus expurgationem territorii à latronibus, & bannitis.
- 198 Quale Statutum, an viri, vel uxoris attendi debeat in materia lucrorum dotalium.
- 199 An deferens lucrum, censetur derogare leg. hac edictali.
- 200 Auferens lucrum vivo, an auferat etiam mulieri.
- 201 Prohibitiva alienationes in forenses, an capiat alienationem ex causa dotis.
- 202 Quando Statutum censetur vocare filios ad dotem matris.
- 203 Excludentia feminas maritatas à successione, an intelligantur de delata ante matrimonium.
- 204 De exclusivis feminarum in genere remissivè.
- 205 De Statutis vocantibus filios in conditione postis.
- 206 De Statutis inhabilitantibus minores, & mulieres ad contrahendum, an capiant causam dotis.
- 207 De Statutis circa reprobationem.
- 208 De Statutis circa solemnitates in donationibus.
- 209 De Statutis restringentibus facultatem testandi sine alicujus presentia, vel consensu.
- 210 De Statuto continuante possessionem defuncti in heredem.
- 211 An procedat in jure patronatus.
- 212 De Statutis circa duas conformes.
- 213 De Statutis circa matrimonium, ejusque libertatem.
- 214 An, & quæ bona circumscriptantur loco, seu cujus loci censenda sint ad effectum comprehensionis sub statutis.

DISC. XLI.

Successionum ab intestato questiones, frequentiore occasione præbent agendi de Statutis, cum super illis potissimum, ferè per universam Italiam habeantur Statuta particularia, alterantia ordinem intestatæ successione à jure communi præscriptum; Non tamen ad hanc solam materiam, eorundem Statutorum inspectio restricta est, cum omnes ferè alias percutiat; Sub ea verò, quæ frequentior est, hujusmodi inspectionem assumendo, de aliis remissivè agere non videtur incongruum; Illa igitur in duas partes divisa; Unam scilicet Statutorum, vel Consuetudinum, aliorumque particularium jurium in specie, seu localiter; Alteram verò eorundem jurium in genere; Prima ad faciliorem cognitionem, juxta illum stylum, quem Rota, totaque Curia Romana adhibet in causarum distinctione, per loca distinguitur.

De Statutis, & consuetudinibus, aliisque juribus particularibus per loca, ordine alphabetico dispositis.

A

- 2 Amandolæ de Statuto exclusivo cognatorum propter agnatos, an exigat, ut femina, à quibus cognati descendunt sint dotatæ de bonis, de quibus agitur hoc tit. disc. 17.
- 3 Anconitan. de Statuto excludente feminas propter masculos, five cognatos propter agnatos; Quomodo procedat, & an locum habeat in agnatis feminis hoc tit. disc. 10.
- 4 Eadem de Statuto taxante fructus, vel usuras ddotis, tit. de dote disc. 161. n. 43.
- 5 Ead. de consuetudine, vel Statuto super successione in dote, vel ejus reversione, tit. de dote in supplemento, in Anconitana.
- 6 Ead. de consuetudine mercatorum credendi proxenetis, & de istorum obligatione, tit. de credito disc. 87.
- 7 Ead. de competentia fori mercatorum, & de privilegiis mercaturæ, tit. de jurisd. disc. 71.
- 8 Ariminen. de Statuto, ut maritus sit usufructuarius bonorum extradotalium uxoris, tit. de Regal. disc. 84. & tit. de dote disc. 168.
- 9 Ead. de uxore obligata conficere inventarium bonorum existentium in domo viro defuncto, & quod aliàs non petat creditum dotale, tit. de credito disc. 128.
- 10 Asculan. de taxa fructuum dotis, tit. de dote disc. 161. num. 43.
- 11 Eod. de Statuto, ut mulier non testetur sine consensu conjugalium, tit. de testam. disc. 31.
- 12 Avinionen. de Statuto concedente venditori potioritatem in bonis venditis etiam adversus dotem, tit. de dote disc. 31. & disc. 166.
- 13 Ead. de Statuto decernente, ut substitutiones non transcendant tertium gradum, tit. de fideic. disc. 96.

B

- 14 Barchinonem. de Legibus, vel Statutis in exactione gabellarum etiam ab exemptis tit. de Regal. disc. 58.
- 15 Ead. de successione filiorum in dote, seu de communione bonorum inter conjuges, hoc tit. disc. 26. & sub tit. de dote disc. 107.
- 16 Ead. de decretis, vel provisionibus mercatorum in materia affecurationis, & navigationis, tit. de cred. disc. 106 & seqq.
- 17 Baren. de consuetudinibus super successione filiorum in dote, tit. de dote disc. 105.
- 18 Ead. de consuetudine, ut hæredi liceat quandocumque repudiare hæreditatem aditam etiam sine beneficio inventarii, tit. de hæred. & hæred. disc. 25.
- 19 Beneventan. de successione filiorum, vel dotantium in dote, ac de prohibitione mulieris de illa disponendi, hoc tit. disc. 26. & tit. de dote disc. 103.
- 20 Ead. de Statuto super præscriptione debiti per annos viginti, tit. de credito disc. 129. & de dote disc. 29.
- 21 Bergomen. de exclusione feminarum propter masculos à successione, hoc tit. disc. 19.
- 22 Bituntin. de successione filiorum in dote, & an in illa gravari possint, tit. de dote disc. 105.
- 23 Bononien. de exclusione feminarum propter masculos, an excludat Moniales, seu alias personas ecclesiasticas, vel exemptas, hoc tit. disc. 5.
- 24 Ead. de statuto excludente cognatos propter agnatos intra quos gradus procedat, hoc tit. disc. 13.
- 25 Ead. de statuto excludente matrem propter fratres, an suffragaretur extraneo, qui sit fratri substitutus, hoc tit. disc. 32.
- 26 Ead. de statuto, ut mulier de bonis dotalibus disponere non possit, quamvis habeat filios, tit. de dote disc. 108.
- 27 Ead. de statuto fori mercatorum vocante ad æqualem concursum omnes creditores iatrat quatuor annos ante decessione debitore, tit. de credito disc. 10. & tit. de dote, disc. 143.
- 28 Ead. de statuto super fidejussore in expensis, tit. de cred. disc. 100.
- 29 Ead. de statuto super restitutione, seu reversione dotis, & lucro faciendo per virum, tit. de dote disc. 108.
- 30 Ead. de usuris dotalibus debitis viduæ, tit. de dot. disc. 101. & 161.
- 31 Ead. circa contractus minorum, tit. de fideicom. disc. 176.
- 32 Braccianen. de Statuto, seu consuetudine tollente lucrum dotale, ac impediende Statutum Urbis super lucro tit. de dote disc. 134.

C

- Camerini de statuto exclusivo feminarum, an faciat eas extraneas, & an dos succedat loco legitimæ, tit. de dote d. 91.
- Ead. de statuto super facultate alius elevandi, seu aperandi fenestras &c. tit. de servit. disc. 4.
- Cantianen. de gabella solvenda pro successione forensium, & an debeatur per mulierem nuptam extra patriam, tit. de Regal. disc. 83.
- Cantianen. de statuto, ut forenses collectentur in duplo ultra cives, tit. de Regal. disc. 83.
- Casiri, de statuto Casiri, vide Guardæ.
- Civitæ Novæ de statuto excludente feminas maritatas à successione, an intelligatur de delatis post matrimonium, vel de delatis antea, tit. de fideicom. disc. 143. & disc. 44.
- Civitatis Castellæ de statuto reddente tutum emptorem, tit. de empr. disc. 43.
- Ead. de statuto concedente fidejussori actionem petendi liberationem ab obligatione, tit. de cred. disc. 97.
- Ead. de statuto excludente feminas propter masculos, an faciat feminarum extraneam, necne, ita ut dos succedat loco legitimæ, tit. de emphyt. disc. 9.
- Ead. de Statuto, vel indulto super necessaria renovatione emphyteutica, & modo succedendi in emphyteusi, eod. disc. 9. de emphyt.
- Comen. de antepharo, seu lucro dotali, & quomodo filii in ea succedant, tit. de dote disc. 139.
- Consulatus Maris, tit. de cred. disc. 106. cum seq. in materia affecurationis.
- Cornaldini de statuto exclusivo feminarum, & cognatorum propter agnatos, hoc tit. disc. 23.

E

- Eugubin. de statuto exclusivo feminarum propter masculos, an tollat legitimam, ita ut dos ejus loco succedat, necne, tit. de dote disc. 13.
- Ead. de Decretis Ducalibus circa donationes, an habeant locum in hac Civitate, eorumque intelligentia, tit. de donat. disc. 35.
- Ead. verb. Cantiani.

F

- Fanen. de statuto excludente matrem, & cognatos propter agnatos transverales, an suffragetur patri, vel avo, hoc tit. disc. 55.
- Ead. de statuto super admisione civium ad Concilium, tit. de præmin. disc. 38.
- Farsen. de statuto super renovatione emphyteutica, vel super facultate disponendi de bonis emphyteuticis, tit. de emphyteut. disc. 8. in supplemento, & sub tit. de feud. disc. 52.
- Ferrarien. de statuto super successione in bonis emphyteuticis usque ad quem gradum extendatur, tit. de emphyt. disc. 23.
- Ead. de statuto gabellæ contractuum, tit. de Regalib. disc. 43.
- Ead. de statuto gabellæ frumenti, tit. de Regal. disc. 45.
- Ead. de statuto, vel privilegio super competentia fori, & ne cives trahantur, tit. de jurisd. disc. 80.
- Ead. de insinuatione requisita in donationibus tit. de donation. disc. 38. & eod. tit. in supplemento in Ferrarien. donationis.
- Firmana de statuto prohibente matrimonia cum forensibus, & an excludat à successione matris filios viri forenses hoc tit. disc. 25.
- Ead. verb. Civitæ Novæ.
- Ead. verb. Amandulæ.
- Florentina de statuto inducente aditionem hæreditatis paternæ per habitationem in domo, seu retentionem bonorum, tit. de hæred. & hæred. disc. 16.
- Ead. de statuto tollente hæredi beneficium inventarii, 58 tit. de hæred. & hæred. disc. 17.
- Ead. de statuto mandante solvi gabellam pro successione, quomodo intelligatur, tit. de Regal. disc. 154.
- Ead. de statuto excludente sorores, aliasque feminas propter agnatos usque ad sextum, vel octavum gradum, quomodo intelligendum sit, hoc tit. disc. 8.
- Ead. de statuto excludente feminas propter masculos, & an capiat bona extra territorium, adeout sufficiat sola subiectio personarum, hoc tit. disc. 9.
- Forolivian. de statuto deferente successione filii patri, & exclu-

- exclusa sorore, an intelligendum sit ad terminos text. in l. femine, C. de secund. nupt. hoc tit. disc. 24.
- 63 Ead. de statuto continuativo possessionis defuncti in hæredem, tit. de hæred. & hæred. disc. 26. hoc tit. disc. 24.
- 64 Ead. de statuto mandante, ut vir forensis solvat gabellam de bonis extradotalibus, tit. de Regal. disc. 84.
- 65 Ead. de statuto circa Consilium, & admissionem Consiliariorum, tit. de præemin. disc. 31.
- 66 Ead. deferente usufructum extradotalium viro, disc. disc. 84. de Regal.
- 67 Fuliginem de statuto disponente circa donationes, an sit in usu, & quomodo intelligendum sit, tit. de donat. disc. 26
- 68 Ead. de eodem statuto in materia donationis, an procedat, ubi fiat in causam dotis, vel contemplatione matrimonii, tit. de dote disc. 18.
- 69 Ead. de statuto exclusivo feminarum, vel matris, an tollat legitimam, tit. de legit. & detrac. disc. 19.

G

- 70 *Quali* de statuto vocante fratres, an admittat duplici- tatem gradus in exclusionem fratrum consanguineorum, hoc tit. disc. 18.
- 71 *Guarda* de statuto prohibente alienationem in forenses, tit. de alien. & contract. disc. 39. & de exclusionem femina- rum, hoc tit.

H

- 72 *Hæveorum* de Statuto, vel consuetudine super lucro dotis, tit. de dote disc. 132.
- 73 Eod. de statuto, seu consuetudine super datus, & oneribus, tit. de Regal. disc. 100. ad 104.
- 74 Eod. de statutis, vel moribus propriis Pontificis super locationibus domorum, tit. de locat. disc. 33.
- 75 Eod. de privilegio pignorum super bonis etiam alienis, tit. de usur. disc. 7.
- 76 Eod. de facultate exigendi usuras, & quomodo, tit. de usur. disc. 5. 6. & 7.
- 77 Eod. an eis suffragentur Statuta Civitatis favore civium, & Christianorum, etiam ubi fundata sint in æquitate, ac etiam contra Christianos, tit. de serv. de materia retractus, disc. 70. & de legit. & detrac. disc. 14.
- 78 Eod. de lege Moyfis, an & quomodo attendi debeat, & de Rabinorum traditionibus, disc. disc. 132. de dote, & sub tit. de matrim. disc. 15.
- 79 Eod. de matrimonio Hebræorum, dicto disc. 15. de ma- trimonio.

I

- 80 *Januen.* de statuto exclusivo feminarum propter mascu- los, an capiat bona extra territorium, hoc tit. disc. 4.
 - 81 Ead. de statuto excludente Religiosos etiam à legitima, tit. de legit. & detrac. disc. 28.
 - 82 Ead. de Statuto extinguente obligationem fideiussoris per lapsum quinquennii, tit. de credito disc. 92.
 - 83 Ead. circa obligationem mulierum, an procedat in do- tem, tit. de dote disc. 16.
 - 84 Ead. de testamento, an corrumpat ex defectu præteritionis, tit. de testam. disc. 60.
 - 85 Ead. de statuto, ut debitor non possit in præiudicium creditorum non agnoscere successiones, & hereditates, an procedat ubi agnoscat, sed cum onere fideicommissi, tit. de dote disc. 44.
 - 86 Ead. ut femina non transmittat dotem non constitutam, tit. de dote disc. 101.
 - 87 Ead. de statuto, an vicinus possit se in domo altius ele- vare, necne, tit. de serv. disc. 2.
 - 88 *Interamnen.* de statuto excludente feminas propter mascu- los, an & quando excludat feminas propter masculos, hoc tit. disc. 14.
 - 89 Ead. ut idem statutum exclusivum faciat feminas extra- neas, adeout dos non succedat loco legitimæ, tit. di legit. & detrac. disc. 32.
- Judæorum, vid. Hebræorum.*

L

- 90 *Lucana,* de statuto super codicillis, ut valeant coram Notario, & de duobus testibus, & quando procedat, tit. de testam. disc. 10.
- 91 Ead. de statuto excludente matrem à successione filii pro- pter fratres, vel alios, & an excludat etiam à legitima, tit. de legit. & detrac. disc. 19.

- Maceraten.* de statuto concedente hæredibus viri dilatio- nem ad restituendam dotem, an suffragetur ipso viro super- friti, tit. de dote disc. 109.
- Mediolan.* de statuto ad materiam servitutis, seu altius elevandi, tit. de serv. disc. 10.
- Meleвитana,* de consuetudine communionis bonorum in- ter conjuges, ac filios, hoc tit. disc. 48. & de dote disc. 90.
- Eadem de statutis Meleвитanæ Religionis, verbo Reli- gio.
- Montisfalchi,* de statuto super usu pascuorum, tit. de serv. disc. 41.

N

- Neapolitana,* de consuetudinibus Civitatis Neapolita- næ tam generalibus, quam nobilium in successione, & fa- cultate disponendi de dote, hoc tit. disc. 26. & sub tit. de dote disc. 103. in supplemento.
- Ead. de consuetudine excludente feminas propter mascu- los, an tollat etiam legitimam, & an faciat numerum, & partem, & ad cuius favorem, tit. de leg. & detrac. disc. 3. & 4.
- Ead. de ead. consuetudine excludente feminas propter 99 masculos, an procedat ob masculi moram id non dando dotem, hoc tit. disc. 2.
- Ead. de consuetudine super taxa fructuum dotis, tit. de 100 dote disc. 161. n. 43.
- Ead. de ritu M. C. V. super clericis iustificare debentibus Clericatum, tit. de iurisd. disc. 64.
- Ead. super literis cambii, ex Regia pragmatica exigen- dis, tit. de camb. disc. 25.
- Ead. super constitutione præscribente majorem ætatem 103 annis 18. tit. de dote disc. 116. & alibi pluries.
- Ead. de legibus, & gratiis particularibus super feudis, eo- rumque successione, alienatione, vel obligatione, & su- per oneribus, & aliis ad materiam pertinentibus pluries, sub tit. de feud.
- Ead. super ritu M. C. V. de liquidatione instrumento- rum, tit. de cred. disc. 116.
- Ead. de Pragmaticis super contractibus, & aliis facien- dis per Communitates, tit. de alien. & contract. disc. 25. & 26.
- Nepefina,* de statuto Fiani super lucro dotis, tit. de dote disc. 35.
- Ead. verb. Bracchiani.
- Nonantulana,* de statuto, seu consuetudine in materia emphyteutica, tit. de dote disc. 7.

P

- Paymen.* de statuto continuante possessionem defuncti in hæredem, tit. de hæred. disc. 26.
- Ead. de statuto excludente feminas propter masculos, an & quando cesset ob dotem non datam, vel non obla- tam, hoc tit. disc. 21.
- Peruffina,* de statuto exclusivo feminarum, ac etiam matris ab intestata successione ob dotem, quomodo & quando procedat, hoc tit. disc. 1. & 2.
- Ead. de statuto, vel privilegio DD. quod non tenean- tur ultra quam & c. tit. de cred. disc. 122.
- Pisana* de statuto prohibente, ut vir testari non possit fa- vore uxoris quomodo procedat, tit. de testam. disc. 32.
- Pisaven.* de statuto super lucro dotis, tit. de dote disc. 114. & 136.
- Placentina,* de statuto continuativo possessionis defuncti in hæredem, tit. de feud. disc. 42.
- Plumbini,* de statutis huius loci, & præsertim illo pro- hibente viro, ne testetur favore mulieris, tit. de testam. disc. 32.
- Ead. de statuto exclusivo feminarum propter masculos, an suffragetur consanguineo tantum in bonis, quæ obve- niunt à matre morientis, hoc tit. disc. 11.

R

- Ravennaten.* de concordia in materia emphyteutica, 118 tit. de emphyt. disc. 20. 21. & 24.
- Ead. de taxa fructuum dotis, tit. de dote disc. 161. n. 43.
- Ead. de contributionibus Ecclesiasticorum pro aggeti- bus, tit. de Regal. disc. 59.
- Reatina,* de statuto super successione agnatorum, & co- gnatorum, eorumque concursu, hoc tit. disc. 12.
- Regni, vid. Neapolitana.
- Ead. Scilicet, verb. Siciliæ.

Reli-

- 123 *Religionis Hierosolymitanæ* de statutis huius Religionis circa nobilitatem, & admissionem ad habitum, tit. de præe- minent. disc. 32. & segg.
- 124 Ead. de statutis circa dignitates, & commendas, ac pensiones, de benef. disc. 68. & 69. & tit. de pensionibus, disc. 42.
- 125 *Religionis S. Stephani* de intelligentia ejus statutorum, tit. de iur. patr. disc. 20. & 90. & iurisd. disc. 92.
- Religionum* in genere, sub tit. de Regularibus.
- 126 *Romana,* de statutis 141. & 145. excludentibus foeminas propter masculos, vel agnatos à successione, eorumque in- telligentia; Et an faciant foeminas extraneas, ut tollant etiam legitimam, tit. de legit. & detrac. disc. 1. 2. 3. & 4.
- 127 Ead. de eodem statuto 145. exclusivo foeminarum, quam civilitatem exigit, hoc tit. disc. 20.
- 128 Ead. de statuto 158. super præscriptione statutaria quan- do procedat, tit. de cred. disc. 129.
- 129 Ead. de statutis 113. 151. super contractibus mulierum, vel minorum, an procedat in iis, quæ fiunt ex causa dotis, tit. de dote disc. 17. & 19.
- 130 Ead. de eisdem statutis 113. & 151. super obligationibus, & contractibus minorum, & mulierum, tit. de alienat. & contract. disc. 28. & 30. & 31. & segg.
- 131 Ead. de statuto 152. super contractibus filiorum familias, tit. de alienat. & contract. disc. 37. & tit. de cred. disc. 146.
- 132 Ead. de statuto dotium moderatorio, tit. de dote disc. 22. cum duob. segg. & disc. 143.
- 133 Ead. de statuto 131. super lucro dotali, tit. de dote disc. 128. ad 135.
- 134 Ead. de statuto 137. super fructibus, & usuris dotalibus, tit. de dote disc. 161. & disc. 117. & segg.
- 135 Ead. de statutis 143. & 144. super facultate, vel respec- tive prohibitionem testandi, vel disponendi cum naturali- bus, tamen etiam legitimatis, tit. de testam. disc. 52.
- 136 Ead. de statutis 149. & 150. in materia donationum, ac solemnitate in eis adhibendarum, in quibus casibus pro- cedant, tit. de donat. disc. 27. & 28. & 32. cum segg.
- 137 Ead. de statuto 107. concedente murum vicinali, quomo- do & quando procedat, tit. de serv. disc. 7.
- 138 Ead. de statuto 83. tribuente doti viam exequitivam etiam contra tertium, quomodo & quando procedat, tit. de dote disc. 57. & 58.
- 139 Ead. de statuto 154. circa læsionem in emptione, & ven- ditionem, an sufficiat in tertia parte, tit. de empt. & vend. disc. 25.
- 140 Ead. de statuto, ut servari debeat jus civile, ideoq; in tes- tamentis non attendatur dispositio juris Canonici in cap. cum esset, tit. de testam. disc. 11.
- 141 Eadem de Statuto agriculturæ, tit. de servitut. disc. 28.
- 142 Ead. de Statuto 122. ut bona emphyteutica obligari pos- sint pro dote, & quando procedat, tit. de dote disc. 147.
- 143 Ead. de Statuto 130. ut dos data per fratrem ad ipsum revertatur, tit. de dote disc. 101.
- 144 Eadem de Statuto 143. ut mulier non possit disponere, nisi de decima parte dotis, & quando procedat, tit. de dote disc. 116.
- 144 Eadem de Statuto 147. de continuanda possessione in- fra in inspectione generali super statuto de continuanda.
- 145 Ead. de Statuto 142. de filiis in conditione postitis, ut censcantur vocati, tit. de fideic. disc. 74. cum plurib. segg.
- 146 Eadem de Statuto 135. annullante donationes inter con- juges, an & quando intret, tit. de donat. disc. 30. & 31.
- 147 Eadem super decreto Camerali, tit. de location. disc. 35.
- 148 Eadem de Statutis Montis Pietatis Urbis, tit. de credito disc. 68.
- 149 Eadem de statuto 180. super duabus conformibus, tit. de iudic. tit.
- 150 Eadem super Bullis, seu Constitutionibus Apostolicis. De Bulla Pii V. de non infeudando, tit. de feudis, disc. 1. & 61.
- 151 De Bullis Sixti V. & aliorum Pontificum super prohibi- ta alienatione jurisdictionalium, tit. de feud. disc. 66. & segg. & disc. 105. & tit. de cred. disc. 13. & 151.
- 152 Eadem de iisdem Bullis, seu Constitutionibus prohiben- tibus alienationem in forenses, tit. de dote disc. 149. & tit. de alienat. & contract. disc. 39. & dicto tit. de credit. disc. 13. & 151.
- 153 De Bulla Clementis VIII. super Baronibus, vulgo Bul- la Baronum, sub tit. de feud. disc. 73. cum multis segg. & sub tit. de cred. disc. 13. 127. 141. & 151.
- 154 De Bulla Archivi Urb. VIII. tit. de feud. disc. 85. & 87.
- 155 De Bulla Urbani VIII. super locis montium, tit. de Re- Card. de Luca Lib. XI.

- gal. disc. 25. 38. 41. & eod. tit. in supplemento.
- De Bulla Pauli III. super poena, de culpa contra fraudan- tes rationes fiscales, tit. de regal. disc. 119. cum segg.
- De Bulla, seu Constitutione 23. Gregorii XIII. super retractu prælativo, & coactivo, sub tit. de servit. disc. 74. cum plur. segg.
- De Bulla Clementis VIII. super reductione censuum Communitatum, sub tit. de censib. disc. 30. & eod. tit. in sup- plemento.

S

- Sancti Gemini,* de Statuto super retractu, tit. de servit. 159 disc. 71.
- Sardinea,* verbo *Turritana.*
- Scrofan.* de Statuto excludente foeminas propter mascu- quomodo intelligendum sit, hoc tit. disc. 3.
- Senen.* de Statuto super gabella solvenda per forenses, tit. de Regal. disc. 83.
- Eadem de successione filiorum in dote, tit. de credito 163 disc. 40.
- Eadem de Statuto concedente jus redimendi bona exe- quita, tit. de cred. disc. 142.
- Eadem de Statuto subintelligente in testamentis titulum institutionis, tit. de testam. disc. 59.
- Eadem de Statuto in materia retractus, ejusque intelli- gentia, & an suffragetur Judæis, tit. de servit. disc. 68. cum duob. segg.
- Eadem verbo Canciani.
- Senogallien.* de Statuto exclusivo foeminarum, tit. de 167 fideicom. disc. 144.
- Sicilia,* de Statuto continuativo possessionis defuncti in hæredem, tit. de hæred. disc. 28. & hoc tit. disc. 38.
- Eadem de Consuetudine super taxa fructuum dotis, tit. de dote disc. 161. n. 43.
- Eadem de capitulis, & legibus super Successione feudo- rum, tit. de feud. disc. 13. & in decis. Sicilia eod. tit.
- Spolemana,* de pragmatica super taxa dolium, tit. de dote disc. 23.
- Eadem de Statuto requirente solemnitates in testamen- tis mulierum, tit. de testam. disc. 30.

T

- Tudertina,* de Statuto exclusivo matris, ac foeminarum à successione, an & quando procedat, & præsertim an in successione Clerici, hoc tit. disc. 6. & 7.
- Turritana,* de successione filiorum in dote, tit. de dot. disc. 107. 174

V

- Veltirna,* de Statuto super retractu, tit. de servitut. 575 disc. 72.
- Vierbien.* de Statuto exclusivo foeminarum propter mas- culos, an & quomodo procedat, hoc tit. disc. 16.
- Urbinate.* de Consuetudine, ut solvatur gabella dupli- cata per forenses, tit. de Regal. disc. 77.
- Eadem de concordiam Urbini in materiam emphyteu- tica, tit. de emphyt. disc. 19. & 26.
- Eadem de indulto Urbani VIII. super renovatione in materia emphyteutica in Statu Urbini, tit. de emphyt. disc. 5. cum segg.
- Ead. de decretis Ducalibus super solemnitatibus adhiben- dis in donatione, tit. de donat. disc. 2. & in verb. Eugubina.
- De aliis autem Statutis, de quibus hucusque particula- riter agere occasio non dedit, dabit autem in futurum, ha- bebuntur hoc eodem tit. in supplemento. Ac etiam videri apud Rubicum tom. 2. singularium ex fol. 587. ubi de multis Statutis in specie, ac etiam ea, quæ adeo elaborate colligit Tusch. in suis conclusionib. sub verbo *Statuta.*

DE STATUTIS IN GENERE.

- Excludentia à successione stabiliū, an procedat in lo- cis montium, & censibus, aliisque iuribus constituentibus tertiam speciem, tit. de Regal. disc. 43. & disc. 83.
- Excludentia forenses, an censcantur favorabilia, vel odiosa, dicto tit. de feud. disc. 83. & de dote disc. 149.
- An Afficiant exemptos ex conventionione, tit. de feud. disc. 184. & disc. 89.
- In non subditis, vel in bonis extra territorium, deser- viunt pro interpretatione voluntatis contrahentium, vel disponentium, eod. tit. de Regal. disc. 128.
- Civitatis dominantis quomodo attendatur in loco habente Statutum particulare, tit. de Regal. disc. 83.

M

Man-

- 187 Mandantia ut in casu omisso regulentur à jure communi, de quo jure intelligendum sit, an de illo Romanorum, vel Civitatis dominantis, *cod. disc. 83. de Regal.*
- 188 An Civitas, quæ recognoscit Superiorem, condere possit statuta excludentia forenses, *cod. disc. 83. de Regal. & de dote disc. 149.*
- 189 Quando capiant etiam præterita, *titul. de Regal. disc. 49.*
- 190 Imponantia gabellam, vel aliud onus pro successione sunt odiosa, *cod. tit. de Regal. disc. 154.*
- 191 Quando comprehendant actus juratos, *disc. 138. de Regalib. & tit. de dote disc. 143. & de alienat. & contractib. disc. 26.*
- 192 Recipientur interpretationem etiam à statutis aliarum Civitatum, vel locorum, *tit. de Regal. disc. 83. de servitut. disc. 2. & disc. 72.*
- 193 De inducentibus divisionem pascuorum, *tit. de Regal. disc. 94.*
- 194 Quando comprehendant personas Ecclesiasticas, *titul. de Regalib. disc. 32. & de dote disc. 22. & 143. & 147.*
- 195 Prohibitia alienationem in forenses, an comprehendant Clericos, *tit. de servit. disc. 81. & de dote disc. 149.*
- 196 Quæ confirmatio in statutis requiratur, & de confirmatione præsumpta, quid operetur, *tit. de servit. disc. 71. de dote disc. 143.*
- 197 De statutis mandantibus expurgationem territorii à bannitis, vel latronibus, *tit. de servit. disc. 46.*
- 198 Quale statutum attendi debeat in materia lucrorum dotialium, an illud viri, vel illud uxoris, *tit. de dote disc. 128.*
- 199 Deferens lucrum dotale, non censetur derogare dispositioni text. in l. hæc aditatis, *tit. de dote disc. 130. & 132.*
- 200 Auferens lucrum viro, an auferat etiam mulieri, *titul. de dote disc. 135.*
- 201 Prohibitia alienationes in forenses, an capiant alienationem ex causa dotis, *tit. de dote disc. 149.*
- 202 Quando censentur vocare filios ad successionem dotis, *tit. de dote disc. 191. & 105. cum seqq.*
- 203 Excludentia fœminas maritatas à successione, intelliguntur de successione deferenda post matrimonium, fecus autem de delata, quamvis non agnita, *tit. de fideicom. disc. 44.*
- 204 De statutis exclusivis fœminarum propter masculos, vel cognatorum propter agnatos, videndum in locis particularibus, de quibus præsertim *hoc tit. & in altero de legit. & de ratib.*
- 205 De Statutis vocantibus filios in conditione positos pluries *sub tit. de fideicom. disc. 74. cum plurib. seqq.*
- 206 De Statutis inhabilitantibus minores, vel mulieres ad contrahendum sine certis solemnitatibus, habetur in locis particularibus, & *sub tit. de alien. & contractib. ac etiam sub altero de dote, occasione agendi, an capiant causam dotis.*
- 207 De Statutis circa redhibitoriam, *tit. de empt. & vend. disc. 8.*
- 208 De Statutis circa solemnitates in donationibus, *tit. de donat. disc. 21. 28. 30. & plurib. seqq.*
- 209 De Statutis restringentibus libertatem testandi sine consensu, vel præsentia alicujus, *tit. de testam. disc. 29. & seqq.*
- 210 De Statutis continuantibus possessionem defuncti in hæredem, *tit. de hæred. & hæredit. disc. 26.*
- 211 Et an illa habeant locum in jure patronatus, *tit. de jure patron. disc. 63.*
- 212 De Statutis circa duas conformes, eorumque intelligentia, ac de aliis ad materiam, *sub tit. de Judic.*
- 213 De Statutis, & legibus circa libertatem matrimonii, *sub tit. de matrim. disc. 14. & sub tit. de testam. disc. 73. & sub tit. de dote disc. 143.*

Cadunt item in hac Statutorum materia quæstiones circa loci circumscriptionem; Cum etenim recepta sit conclusio pluries in præcedentibus, *hoc tit. & alibi insinuata, ut Statuta utramque exigant copulativam subjectionem personarum, & bonorum, ideoque etiam cum subditis non operentur in bonis extra territorium; Hinc proinde frequenter in foro disputari contingit, an & quæ bona sequantur personam, de cujus successione agitur, vel respectivè circumscribantur loco, & de quo censentur ad effectum comprehensionis, vel non comprehensionis sub statuto.*

Aut ergo agitur de bonis stabilibus per veritatem, ut sunt illa, quæ soli dicuntur, quia nempe in solo consistant exinde non amovibilia, ut sunt vineæ, arboræta, prata, campi, ac etiã domus, aliaque rustica, & urbana prædia; Et in istis nulla cadit quæstio, quoniam ad hunc effectum extrã omnem contro-

versiam circumscribuntur eo loco, vel territorio in quo sita sunt, cum solum in hac bonorum specie intret quæstio, de qua *sub tit. de leg. disc. 7. quando scilicet definitio domini in iis, quæ ab ejus voluntate pendent, faciat illa censeri diversif loci, utpotè alteri prædio, vel bonorum universitati annexa.*

Aut de illis juribus, quæ improprie ex legis fictione stabilia dicuntur, seu verius tertiam speciem constituentia, loco stabilitum censentur, ut sunt loca montium, aliaque similia jura cum Principe, vel Republica, vel census annui perpetui; & tunc licet apud antiquiores, id sub quæstione fuerit; Attamen hodie receptum est, ut loca montium, aliaque consimilia jura cum Principe, vel Republica censentur esse in Urbe, sive in ea Metropolitica Civitate, in qua erectio facta est, ac destinata solutio, quamvis effectus pro Montis dote destinati, alibi siti sint, ex plene deductis per Rovit. in *pragmat. 1. de jur. & exaction. fiscal. n. 66. cum seqq. Rot. apud Buratt. dec. 474. n. 1. & dec. 177. n. 38. par. 5. rec. apud Rojas dec. 66. n. 10. & habetur sub tit. de Regal. & alibi pluries; Et de censibus Cenc. *hoc tract. quæst. 30. dec. 235. par. 7. rec. Rojas d. dec. 66. n. 11. & pluries alibi advertitur, præsertim d. tit. de Regal. disc. 92. ubi advertitur, an idem procedat ad effectum, quæ diversim habet rationem.**

Solumque respectu stabilitum, ac aliorum hujusmodi, quæstio cadit, ubi agatur de bonis dotialibus in ordine ad mulierem, cui data sint in dotem, an scilicet sequantur ipsius mulieris personam ob rationem universitatis, quam dos constituitur dicitur, ex iis, quæ in ista quæstione utriusque opinionis habentur antesignanos, Azon, & Bart. habentur plene deducta per Barbof. in *vubr. ff. solut. matrim. par. 3. Mant. de tacit. lib. 1. 2. tit. 6. Capyc. Latr. consule. 91. n. 4. Aponte de potest. Proleg. tit. de success. mulier. in princip. Bottillier. de success. ab intestato theorem. 13. n. 16. Giurb. ad consuet. Messan. c. 1. gloss. 1. par. 1. apud quos alii; Et in qua quæstione respectu bonorum, quæ loco circumscribuntur ad effectum comprehensionis sub Statuto verius esse videtur, ut censentur, de quo sita sint, non autem de loco personæ, ut in terminis Statuti deferentis dotem filiis, habetur apud Merlin. *dec. 828. & 853. apud Dunozett. dec. 528. apud Rojas dec. 157. & advertitur sub tit. de dote disc. 103. & seqq.**

Ubi verò agatur de nominibus debitorum, est sub quæstione, in qua opinionum varietas pro more habetur; Aliis quibus volentibus, ut non circumscribantur loco; sed sequantur personam creditoris; Aliis ut non attendatur locus contractus; Et aliis, ut attendatur locus destinatæ solutionis, ex iis; quæ in materia habentur cæteris relatis apud Bellon. jun. *de jure accrescen. c. 10. quæst. 2. ex n. 138. Merlin. de legitim. lib. 2. tit. 1. quæst. 18. & n. 93. ad 99. Franch. dec. 93. ibique Adden. Rota apud Buratt. dec. 474. nu. 4. & apud Merlin. d. dec. 828. n. 17. Giurb. ad consuetud. disc. c. 1. gloss. 1. par. 1. & c. 12. gloss. 5. Adhuc tamen occasio non dedit, id formiter, & ex professo disputare, cum solum incidenter de hoc actum esset in Faventina, de qua *sub tit. de renunciat. disc. 14. Cumque sit quæstio juris dubia, hinc proinde Tribunalium stylis deferendum videtur; Mobilia verò receptum videtur, ut personam sequantur.**

**ROMANA SUCCESSIONIS
INTER SILVIAM ARGOLAM,
ET PETRONILLAM PAULINAM
FILIAM.**

Responsum pro veritate.

De concursu patris, & matris in successione filii, & de consuetudine locali, ut filius in constantia matrimonii descendens, pater solum succedat.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **Q**uomodo hodie reguletur successio filii familias etiam infantis.
- 3 **D**e consuetudine, ut solus pater succedat.
- 4 **Q**uod ista non sit consuetudo correctoria, & exorbitans, & de ratione.
- 5 **Q**uando statutum, vel consuetudo non dicatur contra jur.
- 6 **D**e historia legali, & quare aliqua consuetudines, quæ adversantur juri communi civili, non dicantur ejus correctoria.
- 7 **D**e conclusione super utraque subjectione bonorum, & personarum quando non procedat, ad effectum ut veniant etiam bona extrã territorium.

DIS-

D I S C. XLII.

PAULUS Paulinus de Provincia Aprutina Regni Neapolitani vir providus, qui notabiles comparaverat divitias, provitis tribus filiabus de congrua dote, hæredes universales instituit Franciscum Antonium, & Hyacinthum filios, cumque in Urbe possideret notabilem quantitatem locorum montium, sciret autem, quod in hoc Principatu etiam pro delictis privatis, pro quibus intret pœna capitalis, procedi solet ad confiscationem bonorum, juxta pluries insinuata *sub tit. de Regal. & alibi, cujus contrarium est in dicto Regno, ubi confiscatio non practicitur, nisi in casibus de jure communi statutis, utriusque scilicet læsæ Majestatis divinæ, & humanæ, quodque ob ætatem filiorum, ac mores regionis, præsertim in confinibus istorum Principatum, de hujusmodi accidenti timeri posset, hinc ut illi occurreret, opinando adhibere temperamentum magis tutum, & exemptum ab illis quæstionibus, quæ cadere solent quando bona relinquuntur eisdem delinquentibus, cum privatione, & substitutione respectivè in casu delicti; Idcirco ea reliquit dictis filiabus cum quadam discretiva, easdem respectivè gravando ad illicdè faciendum primò filio nascituro ex quolibet, prout suscepto per Franciscum Antonium ex Silvia uxore Alexandro, huic illicdè, quamvis in facti, restituti portionis per testatorem demandatæ, facta fuit cum translatione locorum in ejus faciem juxta stylum; Ac propterea dictus Franciscus Antonius tanquam pater, & legitime administrator fructuum exactionem, & administrationem obtinuit, quam defuncto ad breve tempus infante, continuavit jure proprio tanquam hæres usque ad obitum, quo ad breve quoque tempus subséquuto, superflite unica filia, & hæredè Petronilla, postquam ista ad nubilem ætatem pervenerit, vel illi proxima sponso fortasse destinata erat, extrajudicialis inter ipsam, & dictam Silviam matrem exorta est dubitatio, super qua incertum est; At nomine utriusque, vel alicujus earum pro veritate consultus sui, an in præfatis locis montium translatis in dictum Alexandrum in pupillari ætate defunctum, & à Petronilla cum reliqua patris hæreditate possessis, Silvia mater aliquam de jure portionem præterdere posset, credo autem, quod aliis desuper consultis, cum aliqua concordia dubium sopitum fuerit.*

Respondi itaque, quod quando præscindendo à particularibus facti circumstantiis, procedendum esset cum terminis generalibus juris communis, tunc ad favorem Silviam respondendum veniret, cum hodie ex jure novissimo æqualis sit hæreditaria successio utriusque parentis immediati; adeo ut æqualis sit proximitas in bonis filii, licet in potestate, atque infantili ætate decedentis; Quamvis etenim apud antiquiores sub quæstione fuerit, an adhuc vigeat distinctio bonorum, de qua *in l. quod scitis, Cod. de jur. deliber. ut scilicet attendi debeat origo, à qua obveniant, ut propterea quilibet obtineat obvenientia ex ejus latere; Ac etiam, an subsistat dicta dispositio alterius text. in l. si infanti cod. tit. ut pater occupet bona filii in pupillari ætate obvenit jure peculii potius, quam jure successione; Attamen ex magis communi sensu, præsertim moderniorum magis recepta in Tribunalibus, & præsertim in Rota, & Curia, ubi de ista quæstione agendum esset, quando ad judicalem dispositionem deveniret; utriusque legis dispositio correctæ est per jus novissimum *Aurbenicorum*, per quod hujusmodi distinctionibus sublatis, attenditur ordo ab eodem novissimo jure præscriptus, juxta proximitatem gradus, ex his, quæ plene habentur deducta apud Mer. in *dec. 126. & 218. cum aliis relatis per Adden. ad Buratt. dec. 433. Fab. de Ann. consil. 1. & alios, de quibus supra disc. 15.**

Quia verò ex parte Petronillæ præsupponebatur, quod in ea Provincia adesset consuetudo, quod filius, constante matrimonio, in pupillari ætate morientibus, solus pater, absque aliqua matris, vel fratrum participatione succederet, & sic juxta terminos text. *in l. si infanti*; Hinc dixi, quod decisio controversiæ principaliter pendebat à negativa; vel affirmativa justificatione istius præsuppositi; ex certo principio, quod consuetudo localis cum suis legitimis requisitis inducta, prævalet dispositioni juris communis, juxta ea, quæ in terminis consuetudinum, in ista præsertim materia successoria habentur *sub tit. de dote disc. 102. cum plurib. seqq. & alibi; idèque ex facto potius, quam ex jure decisionem pendere dixi.*

Illud tamen quoad ea, quæ juris sunt, subjungendo, quod ista consuetudo pro meo judicio censenda non esset odiosa, utpotè exorbitans, & correctoria juris communis, Ac propterea intrarent frigiditates, & superstitiones plures in præcedentibus enunciata occasione statutorum prostricta, & rigorosa intelligentia, vel intrarent illi rigores, qui desiderari solent super requisitis consuetudinibus, quæ sit contra jus, & de quibus *disc. 21. & 35. de Judic. & alibi; quoniam ista consuetudo potius favorabilis, & honesta censenda videtur; idèque cum dictis rigoribus non regulanda dupliciter; Primò nempe, ex ratione generali ponderata supra disc. 1. & alibi pluries, etiam in illis casibus; in quibus certa sit correctio juris antiqui, & novi per dictum novissimum, cum quo hodie proceditur in regulatione successione ab intestato; Et secundo magis, quia in his terminis specialibus, quod agatur de successione infanti, & de bonis obventis à latere paterno, correctio non est undequaque absoluta, cum, ut præmissum est apud antiquiores, id esset nimium controversum, ut etiam advertitur supra disc. 15. idèque intrarent ea, quæ habentur *disc. 46. num. 3. de emphyt. & in Aretina hoc tit. disc. 50. & alibi; de statutis, & consuetudinibus unam ex pugnantibus opinionibus in articulo controverso canonizantibus, ut censeri non debeant odiosa, & correctoria, potissimè ubi sint antiqua, & de tempore in quo adhuc non proditis tor operibus modernorum, & tor decisionibus Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, & Sac. Concilii Neapolitani, articulus erat magis dubius.**

Ponderando quoque loci qualitatem, nequam id facilius recipiendum esset, quodque magis intraret ratio ponderata *disc. 1. de servit. ac etiam pluries sub tit. de dote, occasione agendi de consuetudine Martini correctoria, text. in l. dos à patre, C. de jur. dot. quod scilicet reverà hujusmodi consuetudines censendæ non sint correctoriæ juris jam recepti, & vigentis, sed declaratoriæ ejus non receptionis, & non usus ab initio; quoniam in toto eo Regno jus commune reputabatur illud Longobardorum, istud verò Romanorum per plura sæcula subsequencia post inventionem reputabatur extraordinarium, & particulare, ad eodè oppositum, quod hodie practicitur, sit recens à duobus sæculis citrà, magis verò in ista Provincia, & in altera Barrensi, in quibus in multis adhuc continuatur cum eodem jure, vel moribus Longobardorum, ut patet ex deductis pluries *sub d. tit. de dote, & per Marfil. ad consuet. Barren. ac etiam per modernum Annichin. in ejus tract. de preventionibus, qui ex hac Provincia, ut mihi præsupponitur, est originarius, dictum jus Longobardum laudat, & magnificat, increpando eos, qui illud jus asininum appellant, & sic videbatur res verisimilis.**

Et quamvis, ut audiivi, aliqui desuper quoque consulti, procedendo cum generalitatibus pluries supra enūciatis in materia statutorum, & præsertim *disc. 4. dicerent, quod ista consuetudo, ubi etiam legitime probata esset, attendi non deberet in hujusmodi Locis Montium sitis in Urbe, à cujus loco receptum est circumscribi, ut supra disc. 16. & ubi pluries, eo quia utraque subiectio personarum, & bonorum copulativè requiratur, & per consequens dictum jus particulare operari non debeat pro hujusmodi bonis extrã territorium; Attamen ista consideratio mihi non placebat, quoniam quidquid fit de dicto assumpto utriusque subjectionis, quod admittebam esse in Curia magis receptum, ex relatis *d. disc. 4. & alibi; Advertebam tamen, ut hujusmodi bona sub consuetudine cadere potius ex judicio dicti Pauli testatoris, qui originarius, & incola dictæ Provincie, rectè conscius istius consuetudinis, cum ea voluntate se regulasse videtur, relinquendo hæc loca montium filiis nascituris ex ejus filiis, rectè sciens eis non præjudicare, quoniam si sequeretur mors in ætate pupillari, penes eosdem filios, & patrem respectivè remaneret, idèque intrarent considerationes, de quibus apud Merlin. *dec. 447. alias dec. 355. par. 5. recon. super operatione statuti, vel consuetudinis etiam extrã territorium, non in ratione potestativa, & jurisdictionali statutis, sed in ratione voluntatis disponentis.***

Clarius verò in hac facti specie, quoniam attentà substantia voluntatis dicti testatoris hæc dispositio favore fœminarum; & respectivè filiorum masculorum procreandorum ab ejus filiis masculis, aliud reverà non continebat, nisi enunciata, quamvis ineptam, malèque conceptam autelam, per quam excluderetur confiscatio ob aliquod delictum, de quo timere poterat in filiis masculis in furore adolescentiæ, cum nullam haberet particularem affectionem erga filias, quas inhærendo legibus, & moribus Regionis, sola dote contentas esse voluit, minùque erga nascituros, utpotè ignotos, dum nulla aderat causa, averfionis à filiis jam natis, quos hæredes universales in reliquo affe cum magnâ dilectionis signis reliquit; Ac propterea ista

dispositio continere videbatur potius quamdam speciem fiducia pluries peracta in sua sede sub tit. de testam. Sed quoniam hujusmodi considerationes apud pragmaticos, quibus hodie mundus abundat, magis reputari solent ratiocinia, & ingenii acumina, ob quae non de facili per eos discendatur a quibusdam propositionibus, quae circumferuntur, cum eorum scientia sit potius per traditiones, ipsique sint in legali facultate testes de auditu magis, quam de visu; Hinc proinde concludebam, quod casus esset aliqua honesta concordia dignus, praesertim inter matrem, & filiam ita beneyole agentes, ut credo sequutum,

VITERBIEN. SUCCESSIONIS INTER SEBASTIANUM FANUM, ET CHERUBINUM LATINUM.

Discursus arbitrarij.

De successione intestata concursu inter matrem, & nepotes ex sorore; Et de successione necessaria filiorum matri ex Statuto Viterbii; Ac etiam de materia transmissionis hereditatis non agnitae, & de praescriptione successione delatae, & non agnitae.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series cum praetensionibus actoris, & exceptionibus rei.
2 De statuto non capiente casus omisos.
3 An nepotes ex fratre, vel sorore, nullo extante fratre succedant cum parentibus.
4 De praescriptione juris adveniendi quando intret, necne, & de restitutione in integrum adversus eam.
5 Quare mulieribus facilius detur haec restitutio in integrum.
6 Quod in repudiatione hereditatis requirantur solemnitates statutariae.
7 An & quando haereditas non adita transmittatur.
8 Quomodo haberi debeat ratio personarum ad effectum numerum, & partis.
9 Quod Statutum Viterbii non tollat legitimam feminarum.
10 An dos debeat commensurari a legitima.
11 Quod legitima filiorum in bonis matris, sit in novem ex decem partibus.
12 An & quando fructus veniant in iudicio petitionis hereditatis.

D I S C. XLIII.

Ab intestato defuncto de anno 1639. Donato Spadensi, superstite Adriana matre, & sex nepotibus de Fanis ex Hieronyma germana sorore praedefuncta, ex quibus quatuor, nempe unus masculus, & tres feminae, professionem in Religione, seu Monasterio capaci emiserant, altera vero femina Margarita vidua, & Paulus Victorius uxoratus, paulo post de anno 1641. obiit quoque Adriana condito testamento, in quo relictae scitis octo pro quolibet praefatis aliis nepotibus, haereditatem instituit solum Paulum Victorium, qui eodem anno, vel paulo post dictae Margaritae sorori secundas nuptias contrahenti dotem constituit, quam solvit de anno 1644. ita utramque avunculi, & aviae haereditatem obtinendo; Defuncta vero de anno 1667. Margherita, superstite Cherubino filio ex primo matrimonio; Iste de anno 1673. adversus Sebastianum dicti Pauli Victorii ex filio defuncto nepotem, dictarumque haereditatum possessorem, duplicem excitavit praetensionem ex persona Margheritae matris; Unam nempe super dictae intestatae successione Donati portione; Et alteram super supplemento legitimae in bonis Adrianae aviae; Cumque ad evitandas lites concordassent meo acquiescere iudicio, potius in forma responsi extrajudicialis pro veritate, quam laudi, pro meo frequentiori stylo; Hinc dictas praetensiones, utpote diversas distinguendo.

Quatenus pertinet ad primam intestatae successione Donati, de quatuor ex parte rei conventi objiciebatur; Primo nempe, quod cum defunctae nulli fuissent superstites fratres, vel sorores, cum quibus ex beneficio representationis admitterentur nepotes ex fratre, vel sorore praede-

functa; ita remaneret casus omisos per legem, ac propterea successio soli matri debita esset, juxta opinionem Alber. in aub. defuncti num. 2. quam aliqui sequuntur; Secundò objiciebatur de statuto excludente feminas, quas dote contentas esse disponit propter masculos; Tertio quod, ubi etiam successio debita esset, illa per longissimum silentium triginta annorum praescripta foret; Et quartò, quod cum Margharita vivens haereditatem non agnoverit, illam utpote extranei ad ejus filium non transmiserit, ex vulgari regula, de qua supra dicto discurs. 15. & alibi pluries.

E converso autem ex parte Actoris non solum petebatur dicta portio in sorte, sed etiam petebantur fructus, qui ob adeò longum spatium sortem excedebant, ex altera regula, de qua sub tit. de haeredit. disc. 9. & 10. & alibi, quod scilicet in hoc iudicio petitionis hereditatis veniant fructus, qui illam augent.

Pro irrelevantia omnium rei conventi exceptionum mihi motivare visum est; Illa etenim Statuti de plano corruerat, nulloque discursu digna videbatur; Tum quia de successione avunculi nullatenus agit, ideòque ad casus omisos, nullatenus trahendum est, ex iis, quae generaliter habentur supra disc. 15. & in specie hujus Statuti Viterbii. disc. 16. Tum etiam ob existentiam matris in medio, ob quam casus redditur mixtus, ideòque statutum non intrat, juxta firmata etiam supra disc. 3.

Ideòque agendo in terminis juris communis, dicebam, quod licet aliqui Doctores negent concursum in nepotibus ex fratre, vel sorore cum parentibus ex cessante beneficio representationis, quod solum intrat, quando extrant patrum, vel avunculi, juxta magis communem, magisque receptam opinionem Bartoli contra Azonem in celebri quaestione inter plures nepotes ex fratribus praedefuncti, an veniant in capita, vel in stirpes; Attamen altera opinio ad favorem nepotum, & pro eorum concursu cum parentibus in stirpes tamen, & representando personam proprii parentis, videtur magis probabilis, magisque recepta ex iis, quae plenè habentur apud Marcian jun. disp. r. apud Marin. in Add. ad Revert. decis. 418. atque insinuat sup. disc. 8. n. 11.

Circa tertiam exceptionem praescriptionis, attento tempore quo Margharita supervixit post delatam successione spatium tricennale non aderat, dum casus successione factus est de anno 1639. ipsa vero obiit de anno 1667. sed ex parte rei constituebatur fundamentum in regula, quod praescriptio cepra cum defuncto continuat cum ejus haerede, quoties iste novum jus non deducat ex integro ex propria persona, ex relatis disc. 21. de Judic. & disc. 87. de servit. & alibi.

Verùm inhærendo iis, quae insinuantur dict. disc. 21. de Judicis, quod scilicet hodie nulli, vel nimium rari videntur casus, in quibus istud praescriptionis praesidium, ubi non agatur de immemorabili, vel centenaria bene conclusa, confirmet, atque ponat in tuto jura possessoris in substantia, sive in negotio principali, quidquid sit in concernentibus ordinaria, sive actiones magis, vel minus privilegiatas in procedendo.

Quamvis etenim in hac specie praescriptionis non intret illud malae fidei obstaculum, quod à jure Canonico proditum penè totam juris civilis dispositionem destruere videtur, dum haereditatis possessor, quamvis sciat adesse cohæredem, sive legatarium, aut fideicommissarium, etiam ex eodem testamento, ex quo ipse venit, eo quia opinari, & credere potuit, quod ille haereditatem, vel legatum, aut fideicommissum non curet, istamque credulitatem longissimum silentium confirmet, ex insinuat eod. disc. 21. Adhuc tamen tot alia supersunt remedia ibidem deducta, quod ut plurimum impediunt hujus praesidii perfectionem, inter quae illud frequentius recensetur, restitutionis in integrum ex capite alicujus justo impedimenti, vel justae causae, aut probabilis ignorantia, qualis praesumitur, passimque admittitur in haerede, ut etiam habetur dict. disc. 87. de servit. ubi de regula contra haereditatem, & de hac limitatione sibi favorabili.

Quinimò etiam si ageretur de ipsamet muliere, quae vivens ad hoc beneficium recurreret adversus propriam negligentiam, motivabam non videri illud denegandum, dum ex supra insinuat ejus coequalis successio cum matre penderet ex sensu magis communi Doctorum potius, quam ex jure omninò claro, adeòque dici valeat ignorantia juris dubii; Potissimè dum agebatur de muliere juvene, & vidua, quodammodò vivente sub potestate

te fratris; Ponderando etiam, quod in hac Regione, seu Principatu, tam per Constitutionem Aegidianam, quam per statuta localia, de quibus in sua sede sub tit. de alienat. & contract. prohib. mulieres exaequatae videntur minoribus, atque declaratae imperfecti iudicii, non solum in alienationibus, & contractibus praedjudicialibus in bonis, & juribus, quae jam obtineant, sed etiam in actu repudiationis hereditatis sibi delatae, ut in specie repudiationis, Picus ad Stat. Urb. glof. 8. n. 3. & seqq. Gratian. disc. 858. n. 10. & seqq. Buratt. dec. 120. n. 24. & seqq. cum aliis per Tort. de part. futur. success. lib. 2. cap. 32. ex num. 40. Et per consequens, si potest impugnare repudiationem expressam, multò magis tacitam, quae dictae probabilis ignorantiae referri potest saltem ad hunc effectum.

Demùm circa quartam exceptionem denegatae transmissionis, motivabam dupliciter istam regulam à quadam juris civilis subtilitate manantem evitari posse; Primò nempe, quod licet actori non suffragaretur ratio iuratis, dum agebatur de matre non habente filios in potestate, ac de hereditate transversali juxta juris civilis formalitates, clarum judicium frequentius redolentes; Adhuc tamen ad effectum sanguinis, cum non agatur de haerde extraneo, sed de filio; Et secundò, quod saltem intraret restitutio in integrum ob aequitatem, quae afficit filio, non autem extraneo, ex iis, quae cum nauseatis leguleica formalitate, ad intellectum text. in l. Pantonijs, habentur late collecta apud Allegrad. conf. 94. lib. 1. Fontanell. dec. 484. n. 1. & seqq. Bich. dec. 320. & dec. 15. post Gallef. de restitution. in integr. & insinuat supra disc. 13. & alibi.

Ponderando quoque super ista specie restitutionis in integrum eadem, quae circa ipsam mulierem ponderantur supra ad effectum alterius restitutionis in integrum adversus praescriptionem. Ac etiam, quod consueta Juristarum simplicitas procedendi in legum littera; & non distinguendi tempora, in ista praesertim transmissionis materia nimium dignosci videtur; Attento siquidem jure Digestorum, & Codicis quinimò etiam Constitutiones Aurbenthorum, antequam prodiret omnium novissima lex fin. Cod. de jur. deliber. super introductione beneficii inventarii, nimium periculosa res erat haereditates adire ob damnum, in quo haeres remanere poterat; Ideoque probabiliter dici poterat, quod requirentur animus nimium deliberatus, & qui in ipso principali deesse potuit, ideoque in haereditatem non transmittentur ea, quae latent in animo probabiliter incerto, & dubio, nisi mors sequeretur infra annum ad deliberandum, quo casu ob cessantem illam praesumptionem, quae resultat ab ejus lapsu, receptum est transmissioni locum dari cum tunc adesse non dicatur implicita ceteraria animi declaratio.

Ista vero ratio hodie cessat ob dictum beneficium, cujus ratione haeres potest esse in lucro asecuratus à damno, & per consequens non intrat dicta praesumptio animi diversi, sed potius id deferendum est ignorantiae, & inadvertentiae ut supra, ad quod advertendum videtur pro faciliiori transmissionis admissione, ac temperantia antiquorum rigorum ac formalitatum.

Quanta verò esse deberet actoris portio ex persona matris, motivabam statui non posse, nisi prius certificaretur id, quod incertum adhuc erat, an scilicet praefati quatuor Religiosi fecissent, necne ante professionem solitam renunciationem; Si enim eam non fecissent, neque Monasteria petant portionem professi delatas, tunc ex regula, ut non potentium partes etc. aequalis esset concursus in eo semisse, quem eorum mater, si vixisset, obtinere debuisset; Si vero adesset renunciatio; Et tunc inspicenda venit ejus forma, si etenim esset realis, & extinctiva; tunc intraret idem, quod supra, dum ista fingit mortuos renunciantes, sed si esset personalis, & translativa redolens speciem donationis, vel cessionis, & tali casu obtinere deberet eorum portiones renunciatarum, juxta distinctiones, de quibus in sua sede sub tit. de renunc.

Quo vero ad alteram petitionem in bonis Adrianae aviae super supplemento legitimae, facta dotis habitus imputatione, quam actor non impugnabat, in ea non cadebat inspectio transmissionis, dum ita extra controversiam cadit in legitima, ejusque supplemento etiam ad favorem extranei haereditis, atque facilius intrant ea, quae supra adversus praescriptionem ponderantur, potissimè verò, quae supponebatur dotem traditam fuisse de anno 1644. in quo agnitus fuit in parte, ideoque ab eo tempore usque ad annum 1673. in quo lis mota fuit, non aderat spatium triginta annorum.

Card. de Lac. Lib. XI.

Minusque obstaculum faciebat enunciatum statutum exclusivum feminarum propter masculos, quamvis illud percutiat casum successione aviae ad commodum germani fratris, qui utpote de eodem patre, dicitur esse de eadem linea masculina desiderata per statutum propter favorem agnationis, cui hujusmodi statuta innixa esse solent, & ne suffragarentur fratribus uterinis, ut pluries in praecedentibus advertitur, quoniam receptum est illud non facere feminas omninò extraneas, sed eis reservare legitimam, cuius loco dos succedit, ex testimonio Pauli de Castro conf. 362. lib. 1. cui per hujusmodi statutorum interpretatione nimium deferri solet, & merito, utpote eorum compilatori, juxta ea, quae sub tit. de testam. & alibi, habentur de testimonio scriptoris testamenti.

Posita verò dicta subrogatione intrat distinctio, de qua sub tit. de dote disc. 13. & 144. & alibi, quod scilicet, aut dos est constituta in vita per eum, ex cujus bonis legitima debita sit, & sufficiat illam esse congruam, & de paragio, attentò eo tempore; Aut vero post mortem, & tunc non possit esse minor legitima, cujus supplementum peti valeat ut ibi latius.

Difficultas itaque residebat in hujus legitimae regulatione, ita scilicet esse deberet attenda dispositione juris communis in triente, vel respectiva in semisse, vel potius ad formam alterius statuti decernentis filijs novem ex decem partibus bonorum maternorum ob prohibitionem factam mulieribus habentibus filios, disponendi non nisi de decima; Et motivabam juxta hanc secundam partem respondendum videri ex auctoritate ejusdem Castri conf. 428. lib. 1. & generaliter habetur disc. 106. de dote, ubi quod ita dicitur aucta legitima filiorum, ut propterea minui non valeat, etiam disponendo cum aliquibus ex illis filiis.

Et quoad numerum, & partem quatuor filiorum religioforum, ut supra, ponderabam idem, quod in casu alterius successione dictum est.

Demum quoad praetensionem Actoris super fructibus, contra ipsam motivare visum est ex eisdem rationibus, & 22 fundamentis, de quibus disc. 9. & 10. de haerde, & haerde.

Curavi itaque partes concordare, ut scilicet Latinus Actor contentus esset sola duodecima parte ex persona Margharitae matris in sorte, reliquam verò ad Sebastianum possessorem remaneret, habita consideratione, quod successio ejus matris dicto Donato in concursu matris defuncti non esset omninò in jure certa, sed penderet à dicto Doctorum ut supra, ac etiam, ut de dictis morivis praescriptionis, & negatae transmissionis aliqua haberetur ratio.

BURGI S. SEPULCHRI LEGITIMAE.

Responsum pro veritate suppressis, vel suppositis nominibus.

De eadem materia, de qua supra disc. 30. cum proximis successione parentis binubi, juxta dispositionem text. in l. feminae, C. de secund. nupt.; Et incidenter, an legitima matris sit tertia totius, vel tertia tertiae.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
2 Statuta exigunt utramque subjectionem personarum, & bonorum.
3 An legitima sit tertia totius, vel tertia tertiae.
4 De dispositione, l. feminae.
5 An procedat in eo, quod obveniat ex dispositione testamentaria filii.
6 An & quando consensu filiorum primi matrimonii faciat cessare dispositionem, l. feminae.

D I S C. XLIV.

Ajus institutis haereditibus agnatis, Titiae, & Semproniae filiabus, pro legitima, & omni eo, quod praetendere possunt, reliquit scuta quatuor mille pro qualibet cum reciproca inter eas, & pro quo legato, sive ex aliis juribus praesuponebatur, quod dictae sorores pro indiviso possiderent aliqua bona extra territorium earum patris.

Cum autem Titia moriens haereditatem instituisset Semproniam sororem, Bertae verò matri binubae reliquisset legitimam sibi de jure competentem; Hinc ex parte ejusdem

M 3 Bertae

Bertæ matris, quæ situm fuit pro veritate, quidnam & quomodo sibi legitima deberetur, stante loci statuto exclusi...

Respondi, quod de hoc statuto nulla habenda esset ratio, proinde ac si non adesset, ideoque procedendum esset...

Quare ponendo statutum ad partes, atque rem agendo in terminis juris communis, dicebam, quod duæ cadebant quæstiones...

Ad primum dixi, quod solum matri pro legitima deberetur medietas tertiarum partium, & sic duæ unciæ, stante quod testatrix instituit sororem, quæ est prædicta, tam à testatore parente...

Et ad secundum dixi, quod resolutio pendebat à futuro eventu, an scilicet Sempronia filia primi matrimonii, vel ejus filii supersint...

Dixi posse ad favorem matris motivari, quod dispositio d. l. femina procedat ab intestato, secus autem condito testamento, in quo aliquid matri binubæ relinquatur...

Præsupponebatur etiam, quod transitus ad secunda vota fuisset cum consensu, & satisfactione dictarum filiarum primi matrimonii...

JANUEN. SUCCESSIONIS. PRO FRANCISCO MARIA, ET MARCELLO DE SAULIS. CUM PAULA MARIA.

Responsum cum sensu veritatis.

De Statuto Januæ excludente matrem ob patruos, alios agnatos, an locum habeat, ubi inter agnatos adfit Clericus, qui tamen non succedat: Et an posita exclusione matris, ea procedat etiam quoad legitimam.

S U M M A R I U M.

- 1 Ad si series cum punctis controversis. De intelligentia statuti, quod in causis Clericorum servatur jus commune. An mixtura laicorum suffragetur Clerico ad effectum, ut gaudeat statuto. Clericus potest nolle successionem, ideoque facere, ut inveniatur favor laicorum. An & quando mixtura personarum non excludat per statutum faciat illud cessare etiam quoad subditos, licet ille non succedat. Quod istud statutum non curet existentiam religiosorum. Etenim statuta exclusivæ intrant, quatenus successio deferatur personis contemplatis. Statuta exclusivæ censenda non sunt odiosa, & exorbitantia. Qualia statuta reputari debeant tanquam jus commune. Observantia deferendum est circa interpretationem statutorum. An statuta disponentia de successione fratris locum habeant in successione sororis. An posita exclusione matris, ista censentur etiam exclusivæ à legitima.

D I S C. XLV.

Defuncto Jo: Antonio Saulio in pupillari ætate superstitibus Paula Maria matre, Francisco Maria Marcello, & Josepho, quorum ultimus erat Clericus secularis in facris, quitamen successionem non curare expressè declarabat; Hinc orta quæstione inter matrem, & patruos, quibus alias dicto Clerico non extante successio, exclusivæ Matre, debita erat ex Statuto lib. 5. de success. ab intest. cap. 23. Super tribus consultus fui ex parte patruorum...

Ad primum respondi, quod ratio dubitandi cadere posset, quando ipse Clericus ad successionem aspiraret: ac propterea tanquam Actor eam pereret in foro sæculari in concursu aliorum conjunctorum sæcularium, cum quo scilicet jure justitia sibi ministranda esset, potissimè ubi vellet juvari dicto Statuto exclusivæ contra ordinem præscriptum à jure communi, quia nempe illud deducatur tanquam favorabile, quo tanquam privilegio uti velit, dum in plerisque Principatibus, etiam sine Statuto particulari proceditur cum opinione, quod dum illud non obligat Clericum passivè, ita non debeat suffragari activè, ex insinuatibus...

Idque fieri posse, etiam re non integra, multò verò magis re integra, ut aliis collationibus liber, ac integer locus aperiatur, plenè habetur comprobatum per Giovagnon. conf. 2. num. 16. & seqq. lib. 1. & consil. 14 per tot. lib. 2. & probatur, licet ad effectum diversæ quæstionis apud Dunozett. decis. 732. quoniam sicuti ingrediendo religionem incapacem etiam in communi nullum præstare impedimentum, ut infra, ita nil prohibere videtur se facere non extante.

pedimentum, ut infra, ita nil prohibere videtur se facere non extante.

Ad secundum dubium dixi, quod dubitandi rationem præbet conclusio firmata per Collegium Perusinum apud Argel. conf. 210. & quæ antiquioribus relatis habetur firmata per Rot. decis. 59. par. 5. recent. & decis. 43. par. 7. cum concordantibus à me deductis supra disc. 3. num. 16. & 19. & disc. 16. n. 19. quod scilicet, ubi adfit in medio alia persona per statutum non exclusivæ, exinde resultet mixtura, quæ faciat cessare statutariam dispositionem, quamvis illa persona non inclusa non succedat.

His tamen non obstantibus, contrarium in hac facti specie verius esse dicendum censui ex duplici fundamento; Primò nempe, ut id procedat, quando persona non exclusivæ per Statutum, quæ sit in medio, esset proximior personis excludentibus matrem, vel aliam femina, sive cognatum, cui alias de jure communi intestata successio debita esset, secus autem, ubi est æqualis, vel talis, ut vocatorum à Statuto non operetur omnimodam exclusionem, ex plenè deductis per Giovagnon. conf. 3. lib. 1. ubi ita declarat præmissam contrariam conclusionem à se ipso latè defensam, & comprobatam conf. 1. eod. lib. 1. ac etiam advertitur supra d. disc. 16. n. 19. ubi etiam in specie deducuntur ista consilia Giovagnon. cum aliis ibi relatis; Talisque est casus, de quo d. decis. 59. par. 1. recent. quod scilicet aderat patruus Religiosus, qui proximior erat alius remotioribus agnatis matrem excludere volentibus, eosque etiam de jure excludere, prout etiam in casu dec. 43. p. 7. aderat for consanguinea proximior, & excludens patruum, ut à me advertitur d. disc. 3. n. 22. & 23. ubi dictarum decisionum casus expenditur, ideoque non percutiunt casum nostrum, in quo non exclusivæ est in gradu æquali cum excludentibus, quorum solum tollendo se de medio per jus non decreverunt pinguiore reddit eas partes, quas eo etiam succedente obtinerent, ideoque advertent, quod non eramus in casu.

Secundò, quia conclusio firmata d. decis. 59. par. 1. & 43. par. 7. recent. & per alios supra allegatos, pro meo sensu continet merum judicium legale ab omni ratione, ac verisimili statuentium voluntate alienum, juxta ponderationes, de quibus supra d. disc. 3. ex n. 20. ad finem.

Et tertio, quia idem Statutum 23. lib. 5. f. masculus, vel femina, supponit existentiam fratris, vel sororis Religiosi, & tamen disponit, ut ejus existentia non obstante succedat alii frater, vel sorores; Nil obstante, quod Religiosi sint exclusi, quoniam nimirum dubitari posset de potestate, à qua regulanda est hujus Religiosissimæ, & Catholicæ Reipublicæ voluntas, quæ ita præsuppositivè, potius quam dispositivè loquuta sit.

Atque omnino verior videtur conclusio sub titulo de legitim. disc. 4. & disc. 10. n. 9. & alibi, quod scilicet nunquam existentia personæ non exclusivæ in consideratione haberi debet, nisi quatenus de ipsius non exclusivæ commodo agatur, non autem, ut alteri personæ exclusivæ, & non contemplatæ locum faciat, id etenim ob omni ratione, ac humano discursu, & verisimili statuentium intentione profus alienum videtur, atque sunt potius leguleicæ superstitiones omnino aberrantes à ratione, quæ est anima legis, & quæ præsumenda non est irrationalis.

Præterea pro hac magis benigna favore agnationis interpretatione, duæ considerationes pro meo sensu à judicantibus habendæ videntur superius deductæ disc. 1. & pluribus seqq. ac etiam d. tit. de legitim. disc. 10. & alibi.

Primò nempe, quod malè, atque cum aperta simplicitate hujusmodi statuta favore agnatorum edita dicuntur exorbitantia, & juris communis correctoria, juxta ibi deductas ponderationes.

Et secundò, quod malè ista statuta regulantur more Statutorum Civitatum subditarum, quibus propriè juris municipalis terminus congruit, quoniam cum condita sint à Civitate non recognoscente Superiorem, & quæ jura Supremi Imperii habet, idcirco continent potius jus commune favorabile, quod juri communi Romanorum præponderat, ex deductis d. disc. 10. de Legitim. ac propterea clarum æquivocum videtur istorum statutorum dispositionem regulare cum illis Statutis inferiorum, ac subditarum Civitatum, & locorum, de quibus frequentius DD. loquuntur, atque ad id potissimè referendum videtur.

Quod autem inclusa existentia Clerici Statutum matris exclusivum suffragaretur patruis, videbatur probabilius.

Tum quia supponebatur talem esse observantiam, quæ etiam legum dicitur optima interpretis, ex relatis disc. 21. de Judic. & alibi pluries, tum etiam, quia in disc. cap. 23. Card. de Luca Lib. XI.

lib. 5. in §. 17. In omnibus verò casibus, &c. agitur de ascendentibus, & descendentibus à linea patris relative ad paragraphos antecedentes, & in antecedentis §. 13. vocantur ad litteram patru.

Et quamvis in notula transmissa supponeretur, quod in contrarium fieret fundamentum in deductis per Altograd. jun. contrav. 22. Attamen ultra responsionem generalem, quod Consulentium ad causam, vel opportunitatem requiritis non autem ad veritatem, nulla debet esse auctoritas, ex deductis disc. 35. de Judic. & frequenter; Advertebam, quod ille casus extraneus esset à præsentem, dum agebatur de successione femina, ideoque intrabant rationes dubitandi, de quibus apud Marin. resolut. 212. lib. 2. & apud Merlin. decis. 471. ibidem repetita, ex quibus totum desumptum est, ideoque nulla suppetebat necessitas assumendi inspectionem super subsistentia eorum, quæ ibi dicuntur.

Ad tertium dixi, quod ista quæstio plenè examinata in supra allegat. disc. 10. de legitim. ubi in terminis Statuti Lucani, non recipit certam, ac generalem regulam, cuiusque casui applicabilem, cum reverà decisio pendeat à singulorum statutorum diverso tenore arguente statuentium voluntatem, qua ambigua existente, tunc intrat regula in sensu plurium admittitur, ut per generalem exclusionem matris à successione, non intrat exclusio à legitima, eo quia in dubio hujusmodi Statuta tanquam exorbitantia debent strictè interpretari, ac etiam, quia legitima de sui natura non venit in dispositione generali, sed indiget mentione speciali, ex deductis dicto tit. de legit. disc. 17. & seqq. ac etiam admittitur disc. disc. 10. sed quando Statutum in verbis declarat excludere etiam à portione jure naturæ debita, quæ in alio non verificatur, nisi in legitima, tunc profus erroneum videtur procedere cum regulis generalibus, vel cum illis autoritatibus, quæ percutiant statuta diversa id non exprimentia, seu diversum tenorem habentia, adeo ut ambigua remaneat statuentium voluntas, quam in dubio admittebam ita interpretandum esse; Secus autem in nostra facti specie, in qua habetur lex expressa, & litteralis, ut exclusio matris intelligi debeat etiam pro successione debita ex jure naturæ, quod in alio verificari non potest, nisi in legitima, in qua est etiam sub quæstione; An in ascendentibus sit debita de jure naturæ, necne, ex plenè relatis apud Duran. decis. 76. ubi licet firmetur tanquam verior opinio affirmativa; Attamen n. 13. & seqq. recententur in magno numero DD. contrarium tenentes.

Clarius verò quoniam statutum non contentum specialitè mentione successione debita de jure, ulterius progreditur cum verbis effrenatis, & amplius denotantibus omnimodam exclusionem, ut denotat illud verbum, Penitus, quod in statutis translatis in Italicum idioma explicatur, Affatio: Istud etenim verbum importat idem, quod omnino, sive in totum, ideoque statuit regulam generalem exclusivam cujuscumque limitationis, etiam in minimo, ex plene collectè per Barbof. disc. 249. In casu autem Statuti Lucani, de quo agitur d. disc. 10. de Legitim. & in aliis, de quibus agunt DD. non adest hæc amplitudo, vel specificatio respectivè: ac propterea non agnoscebam adesse stringentem auctoritatem, vel rationem, ob quam intraret ratio dubitandi.

Nullatenus verò ad rem facere dicebam aliud Statutum lib. 5. cap. 16. in quo præsupponitur, quod Matri legitima debita sit; quoniam potius illud ad evidentiam requireretur dicebam, magisque comprobare præmissa, dum loquitur de casibus, in quibus cesset concursus agnatorum excludentium Matrem, ac propterea supponitur habitas succedendi, quæ ita potius restringitur; Ideoque dicebam, quod legendo, ac perlegendum utrumque statutum, meus intellectus percipere non poterat, quomodo in d. cap. 16. constitui posset aliquod fundamentum in contrarium, cum reverà illud attentè consideratum potius retorqueatur.

His autem sic stantibus, inane opus esse censui assumere inspectionem; An hæc legitima esse debeat tertia tertiarum, vel tertia totius, quoniam cum verius sit cessare in totum, idcirco frustra quæritur de quota: De ista verò quæstione agitur in sua sede sub tit. de Legitim. disc. 10.

ROMANA, SEU NULLIUS SUCCESSIONIS.

Discursus ad veritatem in congressu pro directione.

De foetu animato secto ventre prodito, atque ad breve tempus defuncto, an, & quando succedat Matri, five alias rumpat testamentum, aut conditionem deficere faciat.

Et incidenter, vel remissive de nato in quinto, aut sexto, vel octavo, five decimo mense.

S U M M A R I U M.

- 1 Fæti series, & de agentibus de casu præciso controversiæ.
2 De agentibus de partu cesareo, vel nato in sexto, aut octavo mense.
3 De stylo Curie immorandi super puncto præciso quæstionis.
4 De partu cesareo mulieris vivæ, & validæ, quæ supervivat.
5 An sit verum, quod cesar caso ventre sit natus, & de errore scriptorum modernorum circa res antiquas.
6 De casu partus cesarei mortua Matre ob eam mortem, quæ ab ipso partu proveniat.
7 De eodem casu ubi mors, à morbo, vel alio accidente proveniat.
8 Quæ sola brevis supervivencia ob incertitudinem temporis non sufficiat.
9 In dubio pro non supervivencia respondendum, & de ratione.
10 De pirinato in quinto, vel sexto, aut octavo mense.
11 De incertitudine temporis conceptionis, & de fallacia signorum prægnantiæ, cum præciso exemplo.
12 Ad quem effectum considerari, five attendi debeat illa certâ probatio temporis, quæ resultat à conjunctione, vel morte, aut alio impedimento viri.
13 Quomodo ista materia regulanda, seu decidenda sit.
14 De eadem conclusione, de qua n. 9. super præsumptione in dubio.

D I S C. XLVI.

Sequitur in septimo primarum nuptiarum mense, ex morbo, ac aliâ quàm ex partu, vel prægnantia obitu mulieris habentem ventrem prægnantem, ex quo secto prodit animatus infantulus capax baptismatis, quo suscepto, ad horæ circiter tempus expiravit; Orta est quæstio similis illi, de qua agitur per Rotam apud Peniam decif. 521. juxta impressionem Lugdunensem, five magis præcisè per Bal. conf. 69. lib. 5. Curt. jun. conf. 326. & fortè in eodem casu in oppositum Dec. conf. 623. juxta meam impressionem, super dotis restitutione per virum faciendâ, necnè; Hinc vir cupiens veritatem inquirere, & an cum probabili fundamentò totius dotis lucrum prætereundè posset, non obstante præexistenti Patris mulieris, & quod ageretur de dote profecticia ob consuetudinem Martini, consilium ad veritatem, ac directionem à me, alioque docto, & probo Advocato petiit, atque fuimus concordés contra ipsum requirentem, ut minus probabilis, vel periculosa esset ejus præsentio.

Dicebam itaque, quod neglectis iis, quæ cum consueta opinionum scissura nostri disputant, vel confundunt quadam legum literæ pro solita Juristarum ineptia tyrannicè inserviendò, super partu nato in quinto, vel sexto, vel octavo, aut decimo mense; ex iis, quæ antiquioribus relatis habentur apud Afflic. & Aden. decif. 236. Menoch. lib. 6. præsumpt. 52. Peregr. de fideicom. art. 43. n. 26. ubi Cenfal. in addit. vers. Tertio observo cum seg. Rustic. in l. cum aqua lib. 4. c. 6. & segg. Narbon. de stat. anno primo quæst. 6. Pacian. de probat. lib. 2. c. 9. Boff. 10. 1. moral. par. 2. tit. 1. ex n. 1406. & de effect. matrim. c. 9. §. 5. ex n. 232. & alias collectos per Franc. Verone de fet. anim. observ. 4. cum quo pertransit elaboratus amicus meus Duræ Lucensis in tract. de pact. jur. success. lib. 1. c. 27. qui omnes multa desumpunt ex Carranza in tract. de vera human. partu designat. c. 7. cum plur. segg. & ex docto Medico Romano amico meo Paulo Lacchia in quæst. Medic. legal. to. 1. lib. 1. tit. 2. qu. 2. & seg.

Quatenus pertinet ad punctum præcisum cesarei foetus, qui scilicet caso, vel factò Matri ventre prodierit in lucem animatus, ac vivus, adeò certâ sit vicia, quamvis brevis, ac propterea non intret quæstio, de qua principaliter agitur apud Bald. conf. 69. lib. 5. quod scilicet de vita non be-

nè constaret; Cum superiùs recensiti DD. ac alii apud eos multum in hoc se involvere videantur, atque in messem alienam falcem mittendo Medicorum, & Philosophorum partes per traditiones, vel transcriptions affumant, non sine plurium æquivocorum incurfu, atque confundendo ea, quæ super partu non cesareo, sed nato habentur, an esset vitalis necnè, ratione mensis, in quo luci prodierit.

Hinc proinde, inhærendo verè commendabili, atque ab omnibus imitabili, & nunquam satis laudato stylo Romano (quem tamen aliqui corrumpere satagunt) immorandi stricte super præciso puncto quæstionis, neglectis superfluis evagationibus, advertendam ad idem, quod adeò frequens est mea dicendi consuetudo, manifestum scilicet errorem esse tot frequentium æquivocorum productivum, procedere in ista quæstione, cum generalitatibus, vel cum auctoritatibus in abstracto, cum potius dicenda sit quæstio facti, ex istius particularibus, ac individuis circumstantiis decidenda; Siquidem punctus difficultatis non consistit, an ille foetus perfectus, ac naturaliter vitalis, qui caso ventre in lucem prodeat sit successionis capax, vel alios operetur effectus, quos naturaliter nati operantur, quamvis citò pereant, rumpendi scilicet testamentum, in quo sint præteriti, vel transmittendi testatam successionem, aut faciendi deficere conditionem; Sed consistit in certificatione temporis, an scilicet ille foetus esset in uno, vel in altero mense, ex quo pendet, an sit vitalis necnè, ideòque adhibenda est illa casuum distinctio, quam penè in omnibus forensibus quæstionibus, ut sæpius infirmari censeo necessarium, & sine qua certus vel nimium frequens est æquivocorum incurfus.

Primus itaque casus est, quando, juxta casus, quos recenset Romanus Medicus Mercurius in ejus tract. Italico idiomate instructivo obstericum nuncupato la Commare, lib. 2. c. 28. & segg. ubi agitur de isto partu cesareo, mulier vivens, & valida, foetum jam perfectum, atque egredi volentem, ob vulvam arctam, vel alia impedimenta edere non potest, ac propterea, ità ejus ventrem caedi contingat, ut tam ipse fetus, quàm eadem mulier supervivere valeant, atque de facto supervivant, dum ipse testator de casibus, quod mulier, quæ ventris sectionem passa est, non solum supervixit: sed etiam denuò concepit, alioque per vulvam edidit partus; Et tunc plana res est, istoque casu extrâ controversiam intrat dispositio text. in l. 1. §. si qua prægnans ff. und. cogn. l. quod dicitur 12. ff. de liber. & posth. l. 1. §. sed est matris, ff. ad Senat. Consult. Terrul.

Atque hinc rectè conciliari possunt illi, qui Cæsarem dicunt, utpote caso Matris ventre natum, cum illis, qui hanc reprobant opinionem; ex eo quod eidem creto Pontifici Mater addiderit, quoniam stat bene simul, quod ità natus esset caso matris ventre, & quod ista supervixerit, adeò Pontificem, ac etiam Dictatorem, & occisum videre potuerit; In hoc etenim, tam nostrorum, quàm aliorum Scriptorum proximè decurforum sæculorum, post legum inventionem, aliarumque facultatum, & litterarum cæptam restitutionem in Italia, aliisque nostræ Occidentalis Europæ Provinciis, dignoscitur simplicitas, quod cum suorum temporum statu, vel conditione procedendo, alium non præsupponunt casum hujusmodi cesarei partus, quàm illum ex jam mortua muliere, non reflectendo, quod illa majora omnium artium, & facultatum pericia cum illis experimentis, quæ modernis temporibus nobis innotescunt, ut præsertim in Gallia est ista caso ventris mulieris adhuc viventis, & validæ, ac etiam altera caso vesticæ pro extractione lapidum, & calculorum, longè melius adesse, ac practicarentur in illis temporibus Florentissimæ Romanæ Reipublicæ, cujus libertati adeò infensus, ac præjudicialis fuit iste partus; qui propterea monstruosus, vel portentosus merito dicendus venit, dum ea, quæ in artibus, ac literis, nunc valde admiramur, ac moderna inventionem, vel meliorationem, seu facilitationem, aliquam potius restitutionem antiquitatis in parte redolere videntur, quamvis hujusmodi rerum traditiones, vel memorias non habeamus, ob tot in copiosissimo numero Scriptorum pereptionem, ut propterea casui, magnæque fortunæ referatur conservatio illorum paucorum antiquorum Scriptorum, quos habemus.

Alter casus est, ubi mors mulieris, ex cuius jam mortuæ caso ventre, foetus vivus edatur, proveniat ab ipsius partus excitatione, ac motibus, & doloribus, quia nempe ob arctos meatus, aliaque accidentia, quæ partus difficultatem causent, ipsa patiens moriatur; Et tunc præsumptio est, quod foetus esset perfectus, ac vitalis, ut de facto praxi docet;

docet, quod plerique ità in lucem proditi, ad senectam, & decrepitam devenerint ætatem, ut proxima fuisset praxis in septima, & ultima mea germana sorore, mihi penè coætana cum solo anni intervallo adhuc vivente, penè quæ sexagenaria, quod scilicet, nisi juxta quamdam plani traditionem, cum Reliquis S. Venantii miraculosè prodita esset, post tridui acerbissimos dolores, & cruciatus Matris, eo quia brachium priùs emiserat; magnamque corporis molem haberet, ità secato ventre eandem habuisset vitam; Isto namque casu, bene intrant ea, quæ super perfectione in dubio præsumenda advertunt tam nostri, quàm Medici, & Philosophi, ex deductis per supra allegatos, & admittit Rota in Bononien. Dotis Successionis, & Legat. 23. Januar. 1669. §. neque coram Emeris, de cuius casu quod à me agitur sub tit. de Legat. disc. 40. quod scilicet cum ipse foetus dederit signa, atque conatus fecerit, sui exitus, vel proditionis, signum est, quod erat jam perfectus, atque natura eum expellebat, five quod cum vulva amplius eum non caperet, ex ipsius naturæ instinctu, vel impulsu egredi curaret.

Tertius casus est ille præcisus hujus controversiæ, quando scilicet foetum, nullum dante signum, vel faciente motum, mors mulieris ex alio morbo aliave causa, quàm partus sequuta sit; Sive quod etiam absque alio morbo, illi causam dederit ipsa prægnantia, sed ob promotum abortum ex aliquo accidenti, puta ex percussione, vel magno labore, aut ex magno timore, aliisque similibus accidentibus, adeò non intret supradicta ratio, quod ipse foetus dederit suæ æditionis signa, vel fecerit cognatus, ex quibus perfectio, ut supra arguitur; Et tunc, ubi brevis sit supervivencia, veridè est, præsumptionem esse in contrarium, ac propterea malè concludit Decius d. conf. 623. in fine, ubi revera à se ipso diversus ostendit, quod scilicet quælibet brevis supervivencia alio non curato, sufficiat, probabiliterque est id, quod fortè in eodem casu sequuto in Lucana Civitate concludit Curt. jun. d. conf. 326. Quamvis pro meo sæpius enunciato genio, ac stylo, neutri fides præstanda sit, utpote de genere doctrinarum venialium ad requirentium opportunitatem.

Ut etenim superiùs initio insinuatum est, dum iste animatus foetus, qui erat in ventre, ita esse poterat in septimo, vel nono mense, adeò esset naturaliter perfectus, & vitalis, sicut in quinto, vel sexto, aut in octavo, quando, juxta magis communem, & receptam opinionem, non erat vitalis; Hinc proinde sola brevis supervivencia sufficiens non videtur ad perfectionis præsumptionem, cum potius ob mortem celeriter sequutam, præsumptio esse videatur in oppositum.

Et quidem, cum hujusmodi legis civilis exorbitantes fictiones, quas habemus in hac materia transmissionis testatæ, vel intestatæ successionis, ob brevem, penèque momentaneam supervivenciam pueri, ob quam bona auferrentur à domibus, & familiis, & à sanguine eorum, qui illa quæserunt, & possederunt, atque transferuntur in extraneos, videantur naturali rationi, vel discursui contrariæ, ac propterea in plerique Civitatibus, vel Provinciis per scriptas, vel non scriptas leges, & præsertim circa dotem, captum est, ut mors intrâ pupillarem ætatem, eundem operetur effectum, ac illa, quæ in ventre Matris sequatur, ex deductis sub tit. de Dote disc. 102. cum segg. Idcirco in dubio pro imperfectione potius, vel non vitali qualitate præsumptio capiendâ videtur.

Fortius verò ubi agatur de hujus controversiæ præciso casu quod scilicet hujusmodi foetus supervivencia consideretur ad effectum deferendi viro extraneo lucrum, vel successionem dotis profecticiæ in exclusionem Patris contra ejusdem juris civilis dispositionem in l. dos à patre Cod. de jur. dot. ob illam à jure exorbitantem consuetudinem, quæ dicitur Martini, & de qua pluries in sua materia sub tit. de Dote, præsertim disc. 154. dum ità est cumulare exorbitantias, & per consequens in dubio illa capiendâ est præsumptio, per quam magis eviteatur juris correctio, & exorbitantia, juxta ea, quæ in materia statutorum à jure exorbitantium pluries deducta habentur, præsertim sub tit. de Success. ab intest.

Ex eadem autem ratione superiùs insinuata incertitudinis, an foetus de tempore, quo ità in lucem prodit, in uno mensæ vitali, vel altero non vitali constitutus esset, sequi videtur, ut non de facili sit ad praxim reducibilis dicta quæstio initio insinuata respectu partuum per vulvam editorum, in quinto, vel in sexto, aut octavo mense, juxta quæstionem in praxi disputatam apud Afflic. dicit. decif.

236. & Boer. decif. 220. ac alios plene relatos per Turr. ubi supra, quoniam major difficultatis punctus consistere videtur in probatione, seu certificatione mensis, dum impossibile videtur scire diem, ac tempus certum conceptionis, ex qua mensium denumeratio faciendâ est; Quamvis etenim pro frequentiori praxi, aliqua haberi soleant signa ex mensibus, aliisque accidentibus; attamen ista sunt fallacia, atque super prægnantia, vel non prægnantia in dies videmus decipi Medicos peritissimos; Ut nostra ætate in Urbe praxis docuit in quadam nobili matrona Romana, quod scilicet Medicis, opinantibus tumorem ventris, aliaque accidentia, provenire ab hydropisi, pro istius morbi curatione, vehementissima adhibuerunt medicamenta, quæ abortum omnino causare debuissent, cumque partus doloribus, & molestiis superventis, opinarentur quod morbo ad excessum aucto, jam imminens esset mors, & ac propterea pro catholico ritu, Sacramentorum administratio, aliaque spiritalia morientium adjutoria, adhibita essent, casualiter evocata obstetrice, illicò perfectus ac vitalis prodit partus masculinus, adhuc vivens, penèque adolescens, aliâ extinctam familiam conservaturus; Potissimè quia non solum urget dictâ incertitudo præcisæ temporis conceptionis, sed etiam altera computationis Lunarum, seu mensium lunarium, qui diversi sunt à solaribus, & tamen etiam in ipsis solaribus adhuc inter Astronomos indecisa viget quæstio, five ignota est veritas, ut docet redutio anni sequuta sub Gregorio Decimotertio, quam aliqui impugnant, & alii insufficientem credunt; Et nihilominus ad hunc effectum Medici, ac Philosophi ponderant, quod momentaneus transitus ab uno signo, vel mense ad alterum, est in hoc operativus, & per consequens non videtur quomodo haberi possit ista certitudo, an de tempore partus in uno, vel altero mense factus esset, præsertim ubi agitur de spatio intermedio inter utrumque extremum perfectum, nempe in octavo, qui est inter septimum, & nonum, in quorum utroque partus est perfectus;

Et quamvis illa imperfectio, quæ resultat à brevitate temporis, ante scilicet, quàm saltem septima attingatur Luna, undè in quinto, vel sexto mense dicendum sit, certa probatio desumi soleat ex tempore conjunctionis viri cum muliere; Attamen ista probatio rectè attendenda venit, atque operativa est, respectu paternæ successionis, aliorumque effectuum resultantium à filiatione ex parte Patris, non autem ex parte Matris, aliorumque istius lateris, quoniam cum in isto latere præsertim quoad intestatam successionem, aliquibus casibus exceptis, nulla constituatur differentia, inter legitimos, & illegitimos partus; Hinc proinde non ex eo quod breve sit tempus conjunctionis conjugalis, resultat probatio imperfectiois factus, quoniam ille prius ex furtivo illicito concubitu, cum alio viro sequi potuit, ut propterea jam prægnans sub credulitate puellæ, aut honestæ viduæ, ad inhonestatem celandam, virum ducere, curaverit, ut nimium frequens quotidiana praxis, ubique & præsertim in Urbe docet.

Et è converso ubi partus sequatur post nonum, vel decimum mensium, ob illam temporis certificationem, quæ resultat à morte, vel absentia, aut carceratione, aliove impedimento viri; tunc ista probatio, seu certificatio rectè procedit ad effectus concernentes paternum latus, non autem maternum, dum mulier post mortem, vel aliud impedimentum viri, ex eodem furtivo, & illicito concubitu cum alio viro concipere potuit.

Atque hinc evidens detegitur superiùs insinuatus error, ac manifesta ineptia Pragmaticorum procedendi in hac materia cum generalitatibus, vel cum Scriptorum traditionibus in abstracto, seu in littera, fundamentum constituendo in eorum majori arithmetico numero, cum revera sit quæstio potius facti, ex singulorum casuum individuis circumstantiis, cum Medicorum, & obstetricum, aliorumque Peritorum judicio decidenda, atque ubi partus mors ad nimium breve tempus sequatur, ejusque modica supervivencia supradictos odiosos, ac irrationabiles effectus inductura sit, ut tunc pro imperfectione, ac non vitali qualitate in dubio potius responderi debeat, neglectis aliquibus irrationabilibus legaleis subtilitatibus, vel superstitionibus resultantibus, ex tyrannica vere damnabili, & contemptibili servitute, quam aliqui ex nostris majoribus erga legum litteram agnovetunt, juxta ponderationes de quibus dicit. 35. de Judic.

Et quod in dubio respondendum sit pro ea parte, cui assignat æquitas in exclusionem præfati minus æqui, minusque rationabilis rigoris legalis circa transmissionem, conferunt

14 ea, quæ sub tit. de Success. ab intest. disc. 15. & in alijs, habentur in hac materia transmissionis; Ac etiam ea, quæ in his terminis mortis mulieris prægnantis habemus in materia Societatis officii, quod scilicet ubi inceperit sit, an mulier ex partu; vel ex alia causa obierit, capiendâ est illa præsumptio, quæ favet creditori, utpotè agenti de damno vitando Caval. dec. 220. n. 8. & 239. in fin.

**BONONIENSIS BONORUM
DE SICIGHELLIS
PRO SEBASTIANO SICIGHELLO
CUM FRATRIBUS DE BOLOGNETTIS.**

Casus pro utraque parte respectivo per Rotam
decisus, ut infra.

De eadem materia, de qua supra disc. 6. An scilicet in successione Clerici defuncti inter laicos de illa contentendentes, attendi debeat ordo Statuti laicalis, vel ille Juris communis. Et quando inducatur repudiatio hæreditatis, vel successione, quæ propterea remotiori deferatur, eo quia iste ab altero, cui delata sit, agnoscat tanquam hæres, illum conveniendo pro debito hæreditario, sive illud ab eo exigendo.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
- 2 Per quas actus inducatur repudiatio hæreditatis, & successione.
- 3 De punctis decisis, & quod resolutiones non placeant.
- 4 Impugnatur opinio, quod in successione Clerici inter laicos non servetur statutum.
- 5 Quod etiam leges communes civiles sint laicales.
- 6 De eodem, & quare serventur etiam in Foro Ecclesiastico.
- 8 Consideratur differentia juris antiqui, & novi in materia hæreditaria.
- 9 An, & quando ignorantia, vel error juris excuset.
- 10 De mandato, & ratificatione per præsumptiones, & conjecturas.

D I S C. XLVII.

Defuncto ab intestato Balthasare de Sicighellis Clerico, superstitibus Sebastiano pronepote ex Camillo fratre, & Dorothea moniali ex eodem fratre nepte; necnon Joanne, ac Leonardo, & Josepho de Bolognettis nepotibus ex sorore, opinantes isti, ut nimium est probabile, quod stante statu Bononiæ excludente cognatos proximiores, ob agnatos licet remotiores, nullum jus intestate successione haberent, ac etiam crederent ad eorum favorem purificatum esse quoddam fideicommissum, quod penè totum affem absorbebat, essentque dicti Balthasaris creditores in libris mille, idcirco Joannes, & Leonardus nomine etiam Josephi eorum fratris, ad dicti Sebastiani tanquam hæredis debitoris tutore eas petierunt, atque solvi obtinerunt, facta quietantia, necnon contra eundem Sebastianum, pariter tanquam hæredem Balthasaris instituerunt iudicium pro vendicatione bonorum fideicommissi; cumque in isto succuberit, adeo illi etiam cesserint, certiorati fortè de opinione modernæ Rotæ, de qua infra, immisionem ad bona hæreditaria dicti Balthasaris ex interdicto quorum bonorum, tanquam venientes ab intestato intenterunt in partibus coram Auditore generali Bononiæ, & obtinuerunt, introducta verò causa in Rotam coram Ortalora, sub diebus 2. Martii 1663. & 2. Martii 1664. regulando hanc successione juxta ordinem juris communis, non autem statutarii, ex eo quod ageretur de successione Clerici, illa decreta sunt pro medietate Josepho uni ex actoribus, & pro altera medietate Sebastiano reo convento, non quidem ex persona propria, sed tanquam cessionario, ac donatario dictæ Dorotheæ; excludendo Joannem, & Leonardum, ex eo quod petendo, ac recipiendo dictam solutionem eorum crediti à Sebastiano tanquam hærede, ita hæreditatem repudiasset censeretur, quod non verificabatur in Josepho, qui in actu non intervenerat, reassumptaque causa coram Ubaggo, subrogato super dubio, an standum esset in decisio hinc inde, vel recedendum, sub die 26. Aprilis 1675. perstitum fuit in decisio in omnibus, atque in hoc statu, quod sciam causa pendet sub aliquo tractatu concordatæ,

Tres itaque sunt puncti in his decisionibus firmati; Primò nempe, quod intestata successio Clerici non à statuto, sed à jure communi regulari deberet, juxta firmata apud Otthobon. decif. 149. & in plerisque alijs, quæ recensentur in eisdem decisionibus, & etiam supra decif. 6. & in alijs; Secundò, quod respectu duorum proximiorum, qui integrum eorum creditum ab altero successore, tanquam hærede infolidum petierant, & exegerant, censeretur inducitur successione repudiatio, adeo ad eam amplius regredi non possent, ex doctrina Bald. in l. ut debitum Cod. de hæreditar. action. cum qua pertransit Soccin. conf. 45. lib. 4. num. 4. & cum isto concivis meus Robert. Maranta in l. is potest ff. de acquirend. hæred. num. 91. Menoch. lib. 4. præsumpt. 102. num. 18. Mantic. de conjectur. lib. 22. tit. 14. num. 29. Et tertio, quod licet ipse actus repudiativus inanis quoque; esset nomine alterius fratris absentis, non tamen huic præjudicaret ad terminos text. in l. frat. ff. de acquirend. hæred. deducendo quoque exclusionem quorundam Religiosorum, ex quorum personis actores, vel ille, qui præsupponitur capax, prætendebant augere portiones, tam ratione renunciacionis, quam ratione Brevis Alexandri VII. ut successiones delatæ Monasteriis ex personis Religiosorum usque tunc non agnitæ, non possent amplius peti.

Scripsi ego solum in hac ultima disputatione coram Ubaggo, non autem in alijs precedentibus coram Ortalora, atque principaliter requisitus fui ad scribendum super tertio puncto, quod dum actus gestus erat per duos fratres nomine alterius, istum quoque afficeret, opinando primum punctum desperatum, ex eo quod ista opinio nunc constanter teneatur in Tribunali, atque non expediret scribere super secundo, dum habebantur decisiones favorabiles, quæ sunt loco informationis victoris. Ita verò occasione reflectendo ad totam causam, omnesque punctos ut supra, nulla ex his resolutionibus mihi placebat, constanter opinando quod integra successio absque tot disputationibus, & circuitibus debita esset soli Sebastiano ad formam statuti, quodque ista opinio, quam à moderno tempore hoc Tribunal sequi profiteretur, nullum habeat nec juris, nec actionis fundamentum, ex eisdem rationibus, & fundamentis, de quibus supra disc. decif. 6. Nunquam etenim meus intellectus captivari potuit, nec fortè in futurum poterit in obsequium istius opinionis ob nimium apertam repugnantiam rationis, atque tam humani, quam legalis discursus; Tum ex eo, quod in instanti mortis persona Clerici successoris bonorum annihilata fuit, ipsaque bona ubi successio defertur solis laicis hinc inde contententibus, laicalia effecta sunt, adeo nec imaginabile dignoscatur præjudicium Ecclesiasticæ immunitatis, & exercitium jurisdictionis laicalis cum Clerico; ut etiam occasione fori, in quo de hujusmodi successione agendum sit, advertitur disc. 94. de Jurisd. & incidenter in Camerinen. fideicommissi de Venantiis sub titulo de Fideicom. disc. 249. & alibi; Tum etiam quia omnino inepta, & improbabilis videtur ratio, cui dicta opinio innixa est, voluntatis scilicet ipsius Clerici morientis, quoniam; ut advertitur supra eodem disc. 6. & sub tit. de Testam. discurs. 25. ac etiam disc. 22. & 143. de Dote, & alibi, Clericatus non immutat mores naturales, illosque communes sensus, qui ex usu Regionis ab infantia cum educatione insiti videntur à natura, quales sunt isti sensus antiqui Romanorum semper in Italia continuati, conservandi bona in agnatione, atque abhorrendi eorum transitum in cognatos, tanquam extraneos à familia, ut supra disc. 1. & in alijs pluries advertitur, semperque opportunum, & commendabile videtur nunquam autem vitiosum, & superfluum repetere, & iuculcare, quia revera talis videtur genuina, & irrefragabilis veritas.

Ponderando quoque, quod tunc dicta ratio verisimilis voluntatis Clerici defuncti, se conformandi potius cum jure communi, quam cum statutario aliquam fortè habere possit probabilitatem in subjecta materia, quando diversus ordo successione proveniret à jure Canonico, vel à Constitutionibus Apostolicis, seu Decretis Conciliaribus, secus autem dum provenit etiam à legibus laicalibus, & quæ potius talem vim habent ex usu eorumdem populorum, qui ordinarunt hujusmodi statuta, per quæ ita potius declaraverunt eorum animum non acceptandi in hac parte istas leges, utpotè in diversa regione, ubi cum diversis moribus vivatur, editas; Ideo non videtur subesse ratio, cur in concursu duarum legum æquè laicalium, quarum una est externa, & contraria nostris moribus, altera est civica, nostrisque moribus adaptata, & conformis, debeat in Clericis præsupponi animus se conformandi magis cum prima, quam cum

cum secunda specie legis contrà omnem verisimilitudinem, & præsumptionem.

Et quamvis circa leges civiles communes considerari soleat illa frigiditas enunciata d. disc. 25. de Testam. & disc. 1. de Servitut. occasione agendi de historia legali, ac etiam disc. 35. de Judic. occasione agendi de ordine tenendo in observantia legum, & alibi, quod scilicet Canonæ disponant illas servari debere in subsidium, & ubi per eos in contrarium non disponatur, quasi quod ita pro legibus Canonis haberi debeant; Attamen id percipit punctum observantia; quod; cum eis non sit error procedere judicando etiam in Foro Ecclesiastico, & cum personis Ecclesiasticis, non tamen exinde inferri potest ad dictum argumentum animi, quodque sicuti prohibitus est voluntarius, & favorabilis potius, quam odiosus istarum legum usus, in cuius ratione potius, quam in illa auctoritate legislatoris, illa servamus, ita idem dicendum non fit in legibus particularibus loci, dum omnes æquè habent idem principium, eademque naturam laicalem, unde quando bene reflectitur quodammodo impossibile videtur in humano, ac rationabili discursu dictam opinionem sustineri.

Hinc superflue, & inutilis de consequenti esse dicebam disputationes super alijs duobus punctis; Sed quando præsupponendo dictam opinionem, de illis agendum esset, mihi nullatenus placuit resolutio, quamvis favorabilis proprio clienti super repudiatione deducta ex præfato actu petitionis, & consequentis proprii crediti, dum in Bald. auctor istius assumpti, omnesque alii supra recensiti, qui cum eo de more per eadem verba more pecudum procedunt, declarant procedere, quatenus certa habeatur scientia successione ibi delatæ, secus autem ubi diversa haberetur opinio, ut etiam habetur decif. 265. & 288. par. 3. recent. Et merito quoniam animus trahi non potest ad ignorata, ideoque dum dicti cognati iuste opinabantur pro legibus, & moribus patriæ, quod successio agnato, eis exclusis debita esset, ac etiam aliam haberent constantem opinionem cum notabili sumptu, & incommodo judicialiter in duabus instantiis sustentatam, quod eis debita esset successio fideicommissi, univertum penè affem absorbentis, non videtur quænam tam legalis, quam humana ratio istum animum tuadere valeat, qui tam in adeundo, quam in repudiando certus, ac deliberatus requiritur.

Ponderando quoque ad pluries insinuatum æquivocum nostrorum majorum in hac materia hæreditaria procedendi cum legibus antiquis Digestorum, vel medijs Codicis, five cum argumentis, & inductionibus earum, non reflectendo ad notabilem differentiam, quæ resultat à novissima introductione beneficii inventarii, per text. in l. fin. Cod. de Jur. delib. Prius etenim de facili iste animus repudiandi delatam successione, præsumendus videbatur, dum continebat actum nimium periculosum, & qui poterat esse graviter præjudicialis, & damnosus in bonis propriis ratione obligationis ad debita, & legata in solidum etiam ultra vires, ac etiam ratione confusionis propriorum jurium, & actionum, & hodie propter hoc beneficium agnitio hæreditatis importare potest lucrum; & utilitatem cum præservatione ab omni damno, & præjudicio, unde ista voluntas non de facili præsumenda est.

Et quamvis in decisionibus, præsertim in secunda, & tertia, respondeatur, quod cum agatur de puncto juris jam cognitum, quia in plerisque causis Rota illum ita determinavit; Idcirco non valeat ejus ignorantia excusare; Attamen mihi videbatur frigidissima responsio, tum quia agebatur de personis idiotis, & in partibus, tum etiam quia in ipsamet Curia ipsimet ejus proflores diù in ea versati, atque non infimæ Classis, adhuc istam opinionem acriter negant, eamque erroneam putant, quinimò eundem sensum habent aliqui ex eisdem sedentibus in Tribunali, ut præsertim pluries declaratur in decisionibus Urbinaten. Success. fonts 11. Martii 1688. & in altera ejus confirmatoria coram Taja; Igitur multò magis dicendum est, quod ista opinio diversimodè haberi potuit in partibus per idiotas, dum conclusio, quod ignorantia juris non excusat, proprie percipit casum exculationis à delicto, vel casum reparationis commodi cum præjudicio tertii; Secus autem ad effectus damnosos, & præjudiciales, & in re verisimili, ut supra; Ideoque advertebam intrare potius alteram receptam propositionem, quod ad effectum præjudicii non sufficit scientia præsumpta, sed requiratur scientia vera; Ponderando, quod tunc intrat ista inspectio, an ignorantia juris excuset, quando illa allegatur per eum, qui velit ob illam excusari ab actu, aliàs de sui natura præjudiciali, & inductive alicujus

effectus, quod in præfenti non videbatur dici posse, cum potius res esset in oppositum, quod scilicet patens iste effectus præjudicialis resultat, quatenus adit scientia, cuius est effectus, igitur qui allegat scientiam ad sui favorem, tanquam fundamentum suæ intentionis in præjudicium scientis de illa docere debet, & sic aliud est non adesse scientiam quæ præjudicet.

Verum quando ex hujusmodi actu inferri posset ad dictam repudiationem, tunc quatenus pertinet ad tertium punctum, super quo ut supra unice, ac principaliter sui requisitus ad scribendum, pariter videbatur, ut dicendum esset idem, quod de alijs duobus fratribus dictum fuit, dum per eos ist. us quoque nomine actus ille initus fuit ratione mandati præsumpti, vel præsumptæ ratificationis, juxta ea, quæ alijs relatis habentur apud Bich. decif. 6. & 33. & apud Dunozett. decif. 785. & pluries sub diversis materijs, de mandato per præsumptiones, & conjecturas habetur præsertim disc. 7. de Judic. quoniam multa in hac facti specie concurrere videbantur, ex quibus simul junctis, totaque facti massa attentata cum consueta regula, ut singula, quæ non profunt, &c. tam præcedens mandatum, quam subsequenter ratificatio clare concurrere videbantur. Primò nempe ratione communionis, in qua fratres vivebant, ideoque inter consortes adesse dicitur mandatum reciprocum; Secundò, ob conjunctionem sanguinis, & conviventiam in eodem anno; Tertio ob solitum, quod Joseph esset solitus dare mandatum alijs fratribus, penes quos erat admi. nistratio domus, eo quia ipse in aliam familiam ratione cuiusdam fideicommissariæ successione transierat; Quarto, ob quandam generalem ratificationem factam de anno 1660. omnium gestorum usque tunc à fratribus; Et quinto ob longam litteram super fideicommissaria successione, ut supra postea sustentata cum alijs argumentis, quæ in facto deducebantur, quibus omnibus simul junctis, quando ad hunc punctum causa reduceretur, mihi videbatur, quod judicandum esset pro exclusione actoris, quæ tamen clarior videbatur ex primo motivo statuti.

Considerabam præterea circa secundum punctum simplicitæ repudiationis successione ob petitionem, & consequentem proprii crediti, quod ubi etiam procedendum esset cum illis summis, ac rigorosis juris apicibus, cum quibus in decisionibus proceditur, ut error juris adeo dubii non excusaret, atque non tolleretur justam ignorantiam, ejus contrarium omnino verius credebam, ut supra, adhuc tamen negari non posset, quod id induceret justam causam restitutionis in integrum ex clausula generali, si que mihi, &c. ex eisdem rationibus, ex quibus decif. 62. par. 9. recent. & pluries sub tit. de hæred. habetur illam concedi debere adversus inconsultam additionem, quæ præsupponit voluntatem certam, ac factum positivum adeuntis multò magis in isto casu, quamvis ratio non sit eadem, quoniam in casu restitutionis adversus additionem agitur de damno vitando, in præfenti autem de lucro quærendo, sine quo in nihilo quis remanet damnificatus de proprio, ut est in alio casu.

**RAGUSINA SUCCESSIONIS
PRO JUNIO DE GRADIS
CUM PAULA.**

Responsum ad causam cum sensu veritatis.

De mortuis eodem tempore ex terremotu, ruina; vel naufragio, & simili, quisnam mortuus censetur prius, & quis posterius.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
- 2 De resolutione cum distinctione.
- 3 An quod dicitur de juvene masculo, procedat in puella.
- 4 De effectibus regulæ, vel præsumptionis juris pro onere probationis.
- 5 De præponderantia probationum.
- 6 In dubio pro agnato, & de ratione.
- 7 De statuti Civitatis liberæ habendis pro jure communis favorabili.

D I S C. XLVIII.

Cum in horribili terremotu à quo Ragusina Civitas sub die 6. Aprilis 1667. de mane hora decima quarta quassata fuit, inter alias domus ruinam passa esset domus Nicolai de Gradis in qua erant ipse Nicolai, Paula uxor,

uxor, Crilla filia pubes, Petrus famulus, Ancha famula, vel serva, & Clara, quæ munus Tabernariæ agebat in Cella vinaria, vendendo ejusdem Nicolai vinum ad minimum; Atque ex his obierint Nicolaus, Crilla, & Petrus; Evaserint autem Paula, Ancha, & Clara, Quæstio orta est inter dictam Paulam Nicolai uxorem, & Crillæ matrem respectivè, & Junium de Gradis proximiorè agnatum tertio gradu civili dicti Nicolai, super istius successione, atque desuper consultus.

Respondi, quod resolutio pendebat à puncto superviventie Nicolai Patris, vel Crillæ filie, si enim prædefuncto patre filia supervixisset, tunc utriusque successio debita esset Paulæ matri succedenti ex personæ dictæ Crillæ, cui superstiti delata fuit successio patris, quoniam isto casu dixi esse absque dubio transmissibilem, cum de jure absolutum sit, quod patri succedit filia, & filia succedit mater, excluso gradu transverfali. E converso autem, si prædefuncta filia fuisset superstes pater, tunc absolutum pariter esset, quod huic non Paula uxor, sed Junius proximior agnatus succederet, cum uxoris successio intret non extantibus agnatis, vel cognatis infra decimum gradum civilem, ideoque facti potius, quam juris quæstionem esse dixi, cum regulæ, seu propositiones juris nullam admittant dubitandi rationem.

Deveniendo itaque ad applicationem ad casum; Quando sub ruinis contemporaneæ inventi essent, mortui pater, & filia, adeo ad solam juris præsumptionem recurrere oporteret, tunc intraret quæstio ad intellectum text. in l. qui duos §. cum bello, ff. de reb. dub. de qua aliis relatis Menoch. lib. 6. præsumpt. 50. Intrigiol. de subst. centur. 3. q. 57. Redenach. conf. 49. & in specialibus terminis hujus terremoto Attolin. resol. 96. apud quos concordantes; Et nihilominus etiam isto casu, verius videri dicebam, quod juris præsumptio staret pro filia puellæ virginis præmorientia; non obstante, quod supponeretur pubes, quamvis in facti nota non exprimeretur ætas; Quamvis enim ut patet ex d. text. & aliis concordant. procedi soleat cum distinctione, An filius, qui cum patre, vel cum matre decebat sit pubes, vel impubes, ut isto casu præsumeretur patri prædecessisse, secus autem in casu converso in quo contrarium sit dicendum.

Attamen cum text. loquatur de filio, qui unà cum patre moriatur in bello, ideoque præsupponatur vir robustus, & habilis ad bellandum, hinc advertebam, quod ejus dispositio trahenda non esset ad istum casum filie, præsertim puellæ decedentis ex eodem casu unà cum patre viro valido, sed quod omnino verior ac probabilior videretur celebris dec. Marian. Soccin. relata per alterum Bartholomæum Soccin. filium, qui senior dicitur ad differentiam alterius Mariani nepotis, qui junior dicitur in l. si mulier num. 10. ff. de reb. dub. ut pro filia prædecessisse sit præsumendum; atque de isto casu, de quo agit Soccin. mentionem faciunt magis distinctè Felin. in cap. Capitulum S. Crucis de rescript. Gomes ad regul. Cancell. in Compend. utriusque Signaturæ nu. 10. de causa scilicet, qui contigit in ponte S. Angeli Urbis in anno jubilei, quod ob personarum multitudinem multi ceciderunt in flumen, & suffocati obierunt.

Istamque decisionem bene reasumit, atque probabilem dicit. Menoch. d. præsumpt. 50. lib. 6. n. 27. rem discurrendo per rationem, vel discursum naturalem, qui aliquorum Juristarum subtilitatibus; vel leguleicis superfluitationibus omnino prævalere debet, quod scilicet puella virgo, tam ratione sexus magis timidi, quam ætatis, & status prius territa sit, minoremque facere potuerit defensionem adversus ruinas eam obruentes, quam fecerit pater.

Et licet Redenach. d. conf. 49. agendo etiam de filia conetur n. 23. aliquos deducere volentes, quod text. in d. §. cum bello, debeat etiam intelligi de filia ob eam frigidam rationem, quod masculinum concipiat femininum, attamen rectè agnoscit difficultatem, ideoque conatur evitare applicationem dictæ decif. Soccin. ex facto, considerando plures circumstantias, & præsertim quod ageretur de concursu cum altera femina, nempe cum matre, quodque non ageretur de morte sequuta contemporaneæ ex eodem casu, ut sunt ruina, ignis, aqua, &c. sed ex peste, diversitatem assignando, pluraque etiam argumenta in eo casu considerando, ut eod. num. 23. cum plurib. seqq. ideoque evidenter agnoscit difficultatem alias insuperabilem; Ad sensum etenim evidentiſſimè liquet verissimam esse considerationem Soccin. & Menoch. excogitabilem scilicet non adesse rationem, cur prius decessisse præsumendum esset masculinum 14. annorum incompletorum, & non puellam virginem domi semper inclusam, & sexus adeo imbecillam.

Nimium autem referre dicebam, inspicere curiam afflati juris præsumptio, quoniam stante conflictu probationum, ut infra, quando etiam probationes factæ ex parte Junii agnati non suffocarent illas factas ex parte dictæ Paulæ uxoris, ac matris respectivè, adeo probationes prædictæ se invicem debilitarent, atque dubie remanerent, adhuc id sufficeret agnato ob quatuor juris regulas, vel propositiones, quarum unam sufficere advertebam, multo magis eis simul junctis.

Primo nempe quoniam illi, qui habet pro se regulam, vel præsumptionem juris, sufficit eam allegare, ut fundata dicatur ejus intentio, donec qui præterit contrarium id probet, ex plenè relatis per Barbol. axiom. 198. Rota apud Mant. decif. 247. n. 4. & disc. 2. de Judic. & passim.

Secundo in idem, quia ubi quis habet suam intentionem fundatam, sibi non incumbit necessitas elidendi probationes alterius partis, sed ei sufficit offuscare cum suis probationibus probationes alterius partis, illasque impedire ne concludant Surd. conf. 505. num. 6. Merlin. decif. 597. repetit. decif. 229. n. 33. par. 6. recent. decif. 158. & 270. part. 10. & frequenter, & d. disc. 2. de Judic.

Tercio, quia existentibus paribus, vel dubiis probationibus, pronuntiandum est favore Rei, & possessoris, ut ultra notissima generalia in his præcis terminis alii relatis, Attolin. d. resol. 96. n. 17. edita in casu hujusmet terremoto Ragusina Civitatis, ubi allegantur Bart. Bald. Peregr. & alii.

Et quarto, quia ubi adsit conflictus testium hinc inde, tunc prævalere debent illi, qui habent juris assistentiam, atque verisimiliora deponunt, Mant. decif. 366. num. 7. Buratt. decif. 43. num. 4. ubi Adde. num. 10. & decif. 903. n. 6. cum alijs per Farin. de testam. quæst. 65. num. 239. & consequenter quod sufficeret, ut per probationem dicti agnati dubia redderetur probatio facta ex parte dictæ Paulæ matris.

Dicebam ulterius, quod magis concludentes essent probationes factæ ex parte Junii agnati, quoniam per testes Sacerdotes, & nobiles, benè, & concludenter probabatur superviventia Nicolai per aliquod tempus, adeo Sacramentum poenitentia sibi subministratum fuerit; E converso autem, ultra quod testes ex parte matris, inducti erant viles, famuli, pluresque alias suspiciones, ac exceptiones patiebantur, ideoque nulla fide digni, præsertim in concursu testium adeo qualificatorum, revera nihil concludebant, cum loquerentur de auditu, & vagè, solaque Clara Cauponissa, seu venditrix vini, vilis muliercula dependebat de re omnino inverisimili; Ac propterea dicebam, quod sola lectura depositionis eam reddebat fide omnino indignam, quod scilicet præfata Crilla filia vixisset per totam diem mercurii, ac etiam in die sequenti jovis cum intervallo intermedie noctis, quod utique non solum erat inverisimile, sed impossibile, quod scilicet Paula mater, cuius viscera adeo prona sunt ad filiorum dilectionem, unquam filiam, quam à famulis, & domesticis audiebat vivere, ita derelinquere, ac negligere voluerit per duos dies, & unam noctem, ideoque dixi, quod ista muliercula non solum merebatur, ut ei nulla fides adhibeatur, sed etiam mereretur fustigationem, vel aliam punitionem, tanquam testis ad evidentiam falsa, verisimiliter per ejus Dominam subornata.

Atque ultra præfatas quatuor regulas, seu propositiones, quæ Junio assistunt præ cæteris, dixi, quod ponderanda erat magna assistentia æquitatis, juxta antiquos Romanorum mores irrationabiliter in nostris Partibus Occidentalibus alteratos per quoddam jus novissimum conditum à Justiniano in Constantinopolitana Civitate, juxta diversos Græcorum mores, & claris ob assistentiam legum Republicæ favore agnationis, ut scilicet bona conserventur in agnatione, non autem ut ob quosdam irrationabiles legales subtilitates contra omnem æquitatem, & humanum discursum, bona dicti Nicolai transire deberent ad uxorem extraneam verisimiliter abhorritam, utpotè jam effectam binuam in exclusionem patrui, & agnati adeo proximi.

Considerando quoque, & quidem specialiter circa hujus Civitatis legem municipalem lib. 4. cap. 59. quod non agebatur de aliquo statuto Civitatis subditæ, quod dici deberet juris communis correctorium, & exorbitans, ac propterea mereretur strictam ac rigorosam intelligentiam, & in quibus terminis loquuntur Doctores, qui statutorum restrictionem volunt, sed ageretur de Civitate libera, & Republica, quæ est Princeps, & non recognoscit superiorum, sed habet ibi tantam potestatem quantum habebat Imperator

perator in Imperio, & consequenter suæ leges non sunt dicendæ leges particulares, & municipales, sed dici debent jus commune, magis verum, ac proprium, quam sit illud contentum in compilatione Justiniani, dum Imperator in hac Republica nullum habet dominium, ideoque largè, ac favorabiliter intelligendæ sint, ut advertunt Franch. decif. 148. n. 5. Rovit. decif. 78. n. 5. qui alios refert, & advertitur d. disc. 10. de Legitim. disc. 35. de Judic. & alibi pluries.

DE BONONIENSIS SUCCESSIONIS PRO URSULA FELESANA, ET JOANNE CUM MICHAELE ETIAM FELESANO.

Casus decifus per Rotam pro Michaele.

De Statuto Bononiæ excludente sorores, earumque filios propter fratres, an locum habeat favore fratrum Clericorum, vel Religiosorum.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series cum resolutione.
- 2 **C**lericatus, vel professio in religione non tollit jus agnationis, & sanguinis.
- 3 **Q**uod resolutio non placuit, & de ratione.
- 4 **Q**uod ab una parte Statuti non possit argui ad aliam.
- 5 **Q**uomodo in interpretatione hujusmodi Statutorum procedendum sit.
- 6 **Q**ua sit vera ratio Statuti super exceptione Clericorum, & Religiosorum.
- 7 **D**e differentia inter extensionem statuti in parte correctoria, & in parte limitativa, per quam fiat reversio ad jus commune.
- 8 **P**onderantur aliquæ differentia inter casum, de quo agitur decif. 438. part. 5. recent. tom. 2. & istum &c.

D I S C. XLIX.

AB intestato defuncto Marco Antonio superstitibus Michaele fratre in sacris, & Canonico, Ursula sorore, & Joanne ex altera prædefuncta sorore nepte, ortaque successione quæstione inter istos, stante Statuto Bononiæ in rubr. de success. ab intestat. lib. 4. §. Dicitur verò fratres, excludente sorores, earumque filios propter fratres, an illud locum haberet ad favorem fratris Clerici in sacris, per Auditorem generalem Bononiæ post isto iudicatum fuit, introductaque causa in Rot. coram Emerix, sub die 2. Mart. 1674. idem iudicatum fuit, incertumque est, an causa ulteriore progressum habuerit, vel habeat, atque in utroque iudicatu juxta modernum styllum processum fuit cum individuali decif. 438. par. 4. recent. tom. 2. ubi deciditur casus puncto ad favorem fratris Religiosi, vel Clerici in sacris, ex eadem ratione; de qua in Aretina disc. seq. & in aliis, quod Clericatus, vel professio in Religione non tollit iura sanguinis, & agnationis.

Resolutio, reflectendo etiam ad solam veritatem, non placuit, quoniam quidquid sit de casu, in quo statutum nihil disponat de Clericis, & Ecclesiasticis, adeo urgeat solum ratio inæqualitatis, & claudicationis, & quo etiam casu probabilius videatur, ut retenta opinione, quod ipsi hujusmodi statuti non subiaceant, ideoque ubi sint cognati, velint servari ordinem juris communis, & non debeant eis activè suffragari, juxta ponderationes, de quibus in dicta Aretina discurs. seq. Attamen istud Statutum Bononiæ expressè disponit in alia antecedenti parte, quod masculi in sacris ordinibus constituti, vel Religiosi professi non excludant foeminas, quæ cum eis admittantur, juxta ordinem juris communis, atque advertitur apud Bich. decif. 521. num. 9.

Et quamvis huic fundamento in decisione desuper edita, transeundo cum dicta alia dec. 438. p. 4. recent. tom. 2. dicatur, quod id disponitur in alia parte, in qua agitur de successione ascendentium, ideoque non trahenda ad istam partem, in qua agitur de successione Collateralium, ob diversitatem rationis consideratam eadem dec. 438. num. 21. quod scilicet magis debita sit successio descendentibus, quam Collateralibus; Fundamentum quoque constituendo in propositione firmata in decisionibus editis in casu, de quo supra disc. 15. super rigorosa intelligentia Statutorum ad literam, & in solo casu, quo loquuntur, non admittendo eorum extensionem de casu ad casum, quamvis identitas, vel majoritas rationis accedat.

Attamen pro meo sensu id continet illum errorem, qui eod. disc. 15. & in aliis frequenter hoc eod. tit. advertitur immorandi in sola litera, & formalitate verborum more judiciorum, vel grammaticorum, cum verius attendi debeat substantia voluntatis, vel spectati finis, aut effectus, qui per stantes consideratus est, qualis est ille propagationis, & conservationis familiarum, & agnationum, qua ratione, seu fine attento non videtur, quæ excogitabilis ratio differentia cadat; Ponderando, quod dicta alia pars Statuti non est fundata in ratione exemptionis Clericorum à foro statuentium ad effectum tollendi dictam claudicationem, quoniam si ita esset pariformiter in Clericis in minoribus, idem statui debuisset, dum circa exemptionem à foro, & à legibus laicalibus nulla dignoscitur differentia saltem in Italia, ideoque vera ratio est in Clericis Sæcularibus, qui sint constituti in sacris, & in regularibus, qui sint professi, quamvis non sint in sacris, quod ita in eis sublata est spes, vel potentia propagationis, & conservationis familiarum, quæ in Clericis in minoribus viget, ut advertit Montefent. ad idem Statut. §. 1. lit. B. ideoque reverà non est extensio, sed comprehensio, vel interpretatio de jure non prohibita, ex deduct. eod. disc. 15. & alibi; Quinimò neque comprehensio, nec interpretatio, sed continuatio eodem themate retento.

Considerando quoque magna esse differentiam inter casum, in quo agatur de extensione statuti pro eodem effectu Statuti correctorio, & exorbitanti à jure communi; Et casum in quo agatur de extensione limitationis Statuti ad effectum, ut eo cessante subintret dispositio juris communis, ad quam fiat reversio, cum priori casu inter regula strictæ, & rigorosæ intelligentiæ, in altero autem è converso, utpotè in materia favorabili intrat benigna interpretatio, ex deductis apud Burat. & Adde. dec. 6. & 188. & in aliis pluries.

Præterea ad tollendam applicationem d. dec. 438. p. 4. recent. tom. 2. ubi etiam in casu suo admittenda veniret, atque ad illam salvandam, duo ponderabam; Primo nempe, quod ibi agebatur de concursu inter patrui, & matrem, ideoque diversa erat ratio, cum Mater sit extranea à familia, ut in eadem dec. advertitur n. 20. ideoque trahenda non est ad casum præsentis controversiæ, in qua agatur cum sorore utpotè agnata, & de eadem familia, dum jam passim receptum est, quod femina dicuntur agnata, & habiles ad succedendum etiam in fideicommissis, & majoratibus, ut pluries in sua sede sub tit. de fideic. Alia namque differentia non dignoscitur inter feminas, & masculos, nisi quia isti propagant familiam, & agnationem, illæ verò, secus, & in eis familia terminet, dum filii sequuntur naturam Patris, non autem Matris, unde merito Clerici in sacris, vel Religiosi professi exæquantur feminis, neque majus jus habere debent, quam illæ habeant, cum pariter familia non egrediatur erarum personam, cum qua terminet.

Et secundo, quod de anno 1622. in quo prodit dicta decisio non erat adhuc firmatum in Rota, & Curia illud assumptum, cum quo hodie proceditur, quamvis pro meo sensu improbabile, ut statutum facit suam operationem de tempore successione, non autem in instanti natiuitatis, quando omnes sunt illi subditi, cum hæc opinio invaluere ab anno 1646. circiter in Spoletana bonorum cop. Corrado dec. 34. post Genal. ad Peregr. prius autem procederetur cum diverso sensu, ut patet ex dec. 52. Bichii prodita de anno 1641. & in aliis diligenter, & elaboratè collectis per anonimum Scriptorum in Catalogo registrato supra pass. disc. 5. ideoque non mirum si cum aliqua majori benignitate procedebatur cum Clericis, & Religiosis in parte activa, dum ipsi subiacebant in parte passiva, ideoque non urgebat inconveniens inæqualitatis, & claudicationis, ob quod id remanet omni probabili fundamento destitutum, ut in dicta Aretina disc. seq.

ARETINA SUCCESSIONIS PRO MONASTERIO CASSINENSIVM CUM FAUSTINA BACCIA, ET EJUS FILIO.

Responsum pro veritate.

An Statutum, quod excludit feminas propter masculos à successione, excludat masculos ex eisdem foeminis; Et an idem Statutum profit masculis excludentibus, qui sint Religiosi; Et in specie de Statuto Civitatis Aretinæ.

Et

Et incidenter de aliquibus concernentibus ordinem iudicii super immiffione, quæ competat venientibus ab intestato.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 De iure Canonico possessoria sunt appellabilia.
- 3 Episcopus per Constitutiones Synodales non potest tollere appellationem, & quando possit in casu dubio.
- 4 De opinione contraria conclusioni, de qua n. 2.
- 5 Declaratur conclusio, de qua n. 3. & quando sit casus dubius.
- 6 Iudicium associationis non est appellabile, etiam de iure Canonico.
- 7 De eadem conclusione, de qua n. 3. & quando antiquitas temporis suffragetur.
- 8 Attenditur tempus editæ Constitutionis, & qualis opinio tunc tenetur.
- 9 Etiam in causis, quæ non sunt appellabiles, intrat appellatio si adesse legitimus contradicitor, & quando quis dicatur talis.
- 10 De interdico quorum bonorum, contra quem datur.
- 11 In materia appellabilitatis deservit iudicio Signaturæ.
- 12 De conclusione, quod statutum non procedat in casu mixto.
- 13 Exclusio Matris censetur etiam exclusio ejus filii, & descendentes.
- 14 De erroribus in hac materia, & quomodo in ea procedi debeat.
- 15 De auctoritatibus agentibus in specie de hoc Statuto.
- 16 Examinatur punctus, an Clericis, & Religiosis suffragentur hæc statuta exclusivè.

D I S C U S S I O.

Defuncto ab intestato sine prole Francisco Maria de Gozzanis superstitibus Faustina Matre binuba, Jo: Domenico Baccio fratre uterino, & Alexandro patruo Monaco Casinensi, stante Statuto hujus Civitatis Aretii rubr. 66. de success. ab intest. ut existente fratre, vel sorore ex utroque latere, vel Patris tantum, sive eorum filiis, aut patruo, Mater ad successionem non admittatur; Hinc Monasterium, ex persona dicti patris successione agnovit, atque bonorum hæreditarium possessionem obtinuit, ad aliquod verò tempus Mater, & frater prætendentes, quod eis potius debita esset successio, obtinuerunt ab Ordinario ex interdico quorum bonorum immiffionem illicò. executioni demandatam, interpositaque appellatione ad Nuncium Apostolicum pendente in hoc statu ex parte Monasterii pro veritate consultus fuit, tam in his, quæ concernunt merito causæ, quam ordinem, atque respondendo circa ordinaria, quod clara viderentur attentata, ex eo quod dicta immiffio concessa per sententiam diffinitivam esset appellabilis, ideoque Monasterio indebitè spoliato competere mandatum de manutenendo, quod hodie prædicatur loco revocationis attentatorum, ita sequutum fuit, dictaque Faustina appellante, atque commissa causa Archidiacono Florentino, in devolutivo tantum ex rescripto Signaturæ Justitiæ cum solito rescripto, sine præjudicio, &c. iste Judex appellationis reposuit dicto mandato de manutenendo, opinando, quod dicta sententia Ordinarii esset de sui natura executiva, ex Constitutionibus fori Episcopalis Aretii, atque in hoc statu denuò sui desuper consultus, ideoque duas efformando inspectiones unam ordinis, & alteram iustitiæ, seu meritum.

Quatenus ad primam pertinet, huic ultimus Judex, qui prius fuit in ista Curia doctus Advocatus, admittebam illas theoricas, quas desuper hodie habemus in Curia receptas, & per consequens in Curia Ecclesiasticis inferioribus recipiendas recensitas disc. 47. & 44. de iudic. quod scilicet de iure Canonico possessoria adipiscendæ sit appellabile ad utrumque effectum, adeò non intrat dispositio text. in l. c. si de momentan. poss. quæ eatenus etiam in Curia prædicatur, quatenus intrat Constitutio Ægidiana, & per consequens data appellabilitate, intrant attentata in executione facta post interpositam appellationem, vel pendente termino ad illam interponendam; Sed in ejus motiva constituebatur fundamentum in dicta Constitutione Synodali tollente appellationem suspensivam.

Et quamvis idem agnosceret difficultatem, quod scilicet, juxta opinionem magis receptam, & cum qua hodie proceditur, non possit Episcopus in ejus Constitutionibus Synodalibus tollere appellationem in illis casibus, in quibus illa de iure Canonico competat, ut habetur disc. 35. nu. 55.

d. disc. 37. de iudic. num. 61. & disc. 30. in annot. ad Concil. Trid. nu. 14. & alibi; Attamen advertebat id procedere in iis, quæ sint clarè contrà jus, quòd ita contrarium expressè disponat, secus autem ubi agatur de articulo disputabili, in quo adsint opiniones hinc inde quoniam tunc non est statueri contra jus, sed potius illud dubium interpretari, sive magis unam, quam alteram opinionem amplecti, quamvis amplexa esset minus communis, quia videretur magis rationabilis, vel moribus Regionis magis adaptata, ex deductis disc. 46. de Emphyt. n. 3. qui in eisdem motiva allegabatur, ubi concordantes, ac etiam advertitur d. disc. 37. Et per consequens cum non desint Doctores volentes, quod etiam attentata juris Canonici dispositione, non debebat in iudicium possessoriis admitti appellatio suspensiva, ex relatis per Menoch. de adipiscen. redem. q. n. 840. ubi concordantes, & insinuatur etiam disc. 37. hinc inferabatur, quod præfatæ Constitutioni deferendum veniret.

Non negabam autem veritatem præmissorum in suis casibus, dicebam tamen fallaciam consistere in applicatione ad casum, quoniam id rectè procedit, quando verè agatur de articulo dubio adhuc firmiter non deciso, & stabilito adeò adaptetur prædicta ratio, secus autem ubi una opinio sit magis fundata in dispositione Canonum, ideoque magis recepta, altera verò sit jam reprobata, ac propterea articulus non mereatur dici dubius, neque amplius cadat in questione; quoniam tunc dicimus esse in iure claro, non autem dubio, ut relata decisione Rotæ ita declarante, advertunt Addentes ad dec. 20. p. 3. rec. n. 39. atque pro iure claro, cujus ignorantia non suffragetur, habendum esse id, quod jam per plures decisiones firmatum fuit, advertitur in decisionibus editis in Bonon. bonorum de Sicighellis hoc tit. disc. 47. Quamvis etenim istud posterius assumptum non placeat, cum frequens praxis doceat, quod aliquod Tribunal sequendo semel unam opinionem minus probabilem, ita causarum satis quandoque exigentibus, velit illam sequi non tamen sequantur alia Tribunalia, alique professores illius Orbis, qui cum eodem usu legum vivit, non exinde dici potest, quod sit certum, & clarum, ut (ex gri) contingit in eodem casu, de quo in dicta Bonon. disc. 47. & disc. 6. & etiam disc. 15. & in plerisque aliis hoc eod. tit. & penè in omnibus aliis materiis. Sed quando sit articulus jam terminatus, & ubique pariformiter receptus, adeò non cadat amplius sub questione, vel trutinæ disputationis, tunc rectè intrat dicta declaratio; Et hunc dicebam esse casum, quoniam ubi vivatur cum dispositione juris Canonici, adeò non intrat jus Civile, vel Ægidiana, iste est punctus, de quo amplius non dubitatur, atque irrideretur ille, qui ex integro velit ejus disputationem assumere, ex relatis in eisdem citatis disc. 37. & 44. de iudic. & sic conclusio est vera, sed ad rem non applicabatur.

Potissimè verò occasione casus, in quo illa firmatur d. disc. 46. de Emphyt. ubi rationabiliter dicitur, quod articulus esset dubius, dum ibi agitur de iudicio associationis competentis Domino directo in casu devolutionis in vim reservationis domini, cum illud iudicium ex magis communi, & recepta opinione sit privilegiatum, & executivum, etiam ex dispositione, vel intentione juris Canonici, & in foro Ecclesiastico, ac propterea in eo non cadunt questiones Ægidianæ, ut advertitur eodem disc. 37. & 44. ideoque regula juris assistit Constitutioni, solumque cadunt questiones super limitationibus ex singulorum casuum qualitate resultantibus, & sic res est in oppositum.

Omnino tamen maturum iudicium pro veritate super hoc puncto efformare non potui, ob deficientem notitiam temporis, in quo ista Constitutio prodierit, ejusque observantia; Quando etenim esset temporis recentis, quinimò etiam longissimi infra centenariam, tunc rectè præmissa procedere observabam, quoniam licet ad tempus longissimum triginta annorum inducatur præsumptio confirmationis Apostolicæ ex illa præsumptione generali, de qua disc. 1. de alien. & contr. prohib. & disc. 142. de dote, & alibi; Attamen ista dicitur confirmatio in forma communi, quæ non sufficit in iis, quæ sunt contra jus, ut advertitur eod. disc. 35. de iudic. ac etiam hoc tit. pluribus in proposito præsumptæ confirmationis statutum; sed quando adesse præsumptæ confirmationis dicendum veniret ob postulatam centenariam, tunc contrarium dicendum veniret ob postulatam ex illa resultantem confirmationis Apostolicæ in forma specifica stante facultate allegandi quemcumque titulum de Mundo meliorem, ex deductis disc. 3. eod. tit. de alien. & contr. prohib. & disc. 21. de iudic. & alibi pluribus.

Ac

Ac etiam quia ad effectum inspiciendi, an articulus esset jam sopitus, adeò una opinio habenda veniat pro casu claro legis, vel potius è conversò sit ambiguus, & disputabilis, unde intrat dicta ratio, attendendum venit tempus, in quo Constitutio prodierit, ut advertitur per Rot. Bononien. post. Giovagn. conf. 92. l. 1. n. 26. in fi. & Rot. Romana dec. 31. p. 11. rec. & advertitur pluries, præsertim sub tit. de fideicom. & eod. disc. 35. de iudic. unde quando Constitutio esset adeò antiqua, dici non potest, quòd articulus esset jam sopitus, & indubitatus, cum id verificetur de tempore moderno, in quo præsertim decisiones Rotæ Romanæ illum explanantur.

Verè verum, quod in hac facti specie, atque ad effectum præsentis questionis, ubi etiam Constitutio esset antiqua, unde ex prædicta ratione centenariæ cum præsupposito observantia, attendenda veniret, adhuc tamen non relevaret ratione appellabilitatis resultantis ab existentia legitimi contradicitoris, quamvis ageretur de casu, in quo procedendum esset cum dispositioni Juris Civilis, vel cum Ægidiana, juxta ea, quæ in proposito legitimi contradicitoris in prophanis, habentur disc. 271. de fideicom. & d. disc. 37. & 44. de iudic. & in beneficiis disc. 73. de benef. & disc. 43. eod. tit. de benef. & alibi ex recepta magistratibus theoretica Bar. in l. fi. C. de Edict. Div. Adv. latius expicitata per Zuccard. ibid. Quæstio etenim legitimi contradicitoris in prophanis, & in terminis istius possessoris ex interdico, quorum bonorum, vel alterius ex d. l. in percuit casum in quo contententes veniant ex diversis ritibus, & juribus; putà, quia unus veniat iure testati, alter verò iure intestati, vel unus iure hæreditario ultimi defuncti gravati, alter verò iure fideicommissi juxta casus, de quibus disc. 196. & seqq. de fideic. cum similibus, atque tunc intrant inspectiones, de quibus locis citatis, secus autem quando ambo veniant ex eodem testamento contententes, an illud potius uni, quam alteri conveniat vel eodem iure intestatæ successionis, quam unus prætetendat ex dispositione juris communis, alter verò ex illa juris statutarii, cum similibus, quibus eadem congruat ratio, quoniam tunc potissimè autem, ubi ut in hac facti specie unus possideat, contra quem alter agat, quoties incontinenti non constat de possessoris malo iure, adeò intrusus potius quam possessor censendus veniat, dicendus est legitimus contradicitor ad impediendum illum processum summarium, & executivum qui alias cessante ista qualitate legitimi contradicitoris intraret; Idque ex illa nimium probabili, & convincenti ratione, quod ita perneceffe intrat formalis saltim implicita interpretatio, seu determinatio Judicis, an vna, vel altera ejusdem intestatæ successione inter species cum mixtura petitorii, quoniam alias nunquam iste casus legitimi contradicitoris daretur.

Et quamvis hoc interdictum, quorum bonorum ad instar petitionis hæreditatis detur contra possidentem pro hærede, atque praticari solet terminus immiffionis, ut dec. 168. part. 12. recent. num. 4. & sæpius. Attamen ut dixi disc. 45. de iudic. & disc. 35. de fideicommiss. & alibi advertitur, stant bene simul, quod hæc actio, vel istud remedium competat, & tamen quod non habeat cum legitimo contradicitore illud privilegium, quod alias haberet, si ille non adesset, ut etiam habetur in processu executivo, qui competit litteris Apostolicis, & tamen cessat existente legitimo contradicitore; Ideoque in casu alterius remedii possessorii, quod competit fideicommissario in vim l. in. Cod. de edict. Div. Adv. toll. datur appellatio ubi adsit legitimus contradicitor, ut practicum fuit in casu, de quo disc. 25. de fideicommiss. & in specie ad rem nostram Matris venientis ad intestatam successionem, ex dispositione juris communis contra Avum paternum possessorem se fundantem in Statuto, quod pariter processum est in iudicio ordinario, & appellabili supra in casu de quo disc. 15. cum similibus.

Et quando aliqua dubitandi ratio desuper cadere posset, illam sublatam esse dicebam per iudicium Signaturæ, apud probando revocationem attentatorum cum mandato de manutenendo, cujus executio præservata fuit, ut supra, dum receptum habemus quod in hujusmodi appellabilitatis questionibus iudicio Signaturæ nimium defertur, ut eod. disc. 37. de iudic. & disc. 31. in Relat. Curia, & alibi.

Quoverò ad alteram inspectionem boni juris, vel meritum in negotio principali, quando Patrus esset laicus, adeò non intrarent rationes dubitandi, de quibus infra, tunc in quocumque foro causam agitari contingeret, dicebam, quod casus esset planus pro hac Parte, cum ex-

clusio Matris sit literalis, & expressa; Quamvis etenim ex parte ejusdem, ejusque filiorum prætenderetur, quod existentia fratris uterini, ac etiam sororis ejusdem lateris, de quibus Statutum non loquitur, faciat illud cessare tam ad favorem eorumdem fratris, & sororis, quam etiam Matris, quasi quod ita remaneat casus mixtus, qui faciat cessare Statutum, ideoque subintrat dispositio juris communis, ex iis, quæ habentur supra disc. 3. Attamen dicebam id procedere, quando persona non exclusa, quæ causet hanc mixturam, sit talis quod non dependeat, quia nempe sit de ejus filiis, vel descendentes, adeò eatenus attineat defuncto, quatenus sit per medium ipsius Matris, tunc etenim exclusio Matre, censetur exclusio ejus filii, & descendentes ex duplici regula, una nempe, quod infecta primitiva, infecta censetur omnis derivativa, & altera, quod potentior est causa, quam cautiva, 12 ut aliis relatis plenè firmatur dec. 405. part. 5. recent. ubi expenduntur tenentes contrarium, eisque responderetur, & habetur actum supra disc. 14. ubi concordantes. Atque ubi non haberentur auctoritates, id ad evidentiam probat ipse discursus naturalis, quoniam iniquum, prorsusque irrationabile videtur, ut excludi debeat Mater, quæ est proximior, magisque privilegiata in iure, & debeant admitti ejus filii, qui eatenus defuncto conjuguntur, quatenus transeant per illud medium, quod ita effectum est impertinens, & extraneum, dum in eis non urget illa ratio agnationis, quæ salvat hujusmodi Statuta Matrem excludentia, eaque rationabilia reddidit.

Et licet dicta regula, ut potentior esse debeat causa, quam cautiva neglecta fuerit in decisionibus prodictis in casu, de quo supra disc. 15. & in quibus magnum fundamentum in contrarium in isto etiam casu constructur; Attamen ultra quod casus est diversus, adeò in eo non conjugatur, ut præsentis conjugatur altera regula infectionis primitivæ, quæ influat, in derivativam, etiam in eo casu in contrarium est veritas, quam demum eadem Rota agnovit, ut advertitur in annot. ad eundem disc. 15. Inter multas etenim proflus irrationabiles superstitiones legales quas in hac facultate habemus in omnibus penè materiis insinuatatas, primos occupare videntur loco istæ per Consulentes præsertim introductæ, subtilizando ad pecuniam, ad requirementum oportunitatem, non autem ad veritatem; Quoniam ducto argumento ab ultimis voluntatibus, & pactis, à quibus ad Statuta licitum est arguere, & è contra immorandum non est in formalitate verborum, eorumque grammaticali significatione, sed in substantia verisimilium voluntatum statuentium, qui in ea simplicitate, quæ magis regnabat, quando hujusmodi Statuta ordinata fuerunt nunquam, nec quidem per somnium ad has superstitiones cogitarunt; Præsertim verò dignoscitur error non reflectendi ad id, quod advertitur supra disc. 1. & in plerisque aliis, quod scilicet ista statuta revera censenda non sunt exorbitantia, & correctoria, sed potius restitutiva illius juris, quod est antiquis Italiæ moribus magis conforme, sive denotantia animum populorum non recipiendi illud jus novissimum, quod potius in hac Regione correctorium, & exorbitans censendum est, istaque videtur pro meo sensu verus modus regulandi, & decidiendi hujusmodi questiones, non autem ille prædictarum verè irrationabilium superstitionum, & formalitatum, seu verius ineptiarum ab omni verisimili statuentium intentione proflus extraneorum, quo nil absurdus.

Præsupponebatur in notulis transmissis, quod Judex primæ instantiæ se principaliter fundasset in auctoritate Soc. conf. 304. l. 2. quod est repetitum conf. 24. l. 3. & in subscriptione, de qua apud alium Soc. Jun. conf. 5. lib. 1. ubi in puncto istius Statuti Aretini pro successione sororis uterinæ in hæreditate sororis exclusa Matre; Verum omnino fallax videbatur fundamentum, tum ob diversitatem casus, cum ibi non urgeret ratio agnationis, qua cessante hujusmodi statuta non intrant, ut disc. 3. num. 8. & disc. 4. num. 11. & 13. de Legitim. & hoc eod. tit. pluribus; Tum etiam quia ejus assumpta sunt reprobata dicta dec. 405. part. 5. recent. ideoque auctoritas ubi etiam admittenda essent tanquam vera, extranea remanebat à casu, & ulterius sufficit dicere, quod sit auctoritas conductitia, & venalis Consulentes parvi facienda, ut adeò frequenter advertitur.

Obser-

Observabam præterea, quod Statutum, cujus copia mihi transmissa fuit, præferre videbatur, quod Statuta hodierna fuerint probabiliter reformatæ, ideoque diversa sint ab illis antiquis super quibus Socin. ubi supra, & alii scripserunt, siquidem super illo scripserunt Roman. *conf. 4.* ubi disputat, an habeat locum in successione intestabilis, Bald. *conf. 47. lib. 5.* ubi an Mater excludatur per filias patris, & Bartholomæus de Accolis Aretinus *inter consil. Socin. Jun. conf. 1. lib. 1.* ubi an frater uterinus excludat filiam defuncti, & tamen moderni Statuti mihi transmissi tenor ostendit, quod aliquæ ex dictis quæstionibus non intrant, utpotè expressè, ac literaliter decisæ.

Dubitandi autem rationem mihi præbebat eorundem Statutorum dispositio ut Ecclesiastici eorum beneficio gaudere non possint, nisi cum effectu carent, ut illa etiam in foro Ecclesiastico, vel alibi cum eis servantur ad equalitatem servandam; Ideoque ad hunc effectum ponderabam, quod bonum causæ factum, erat causam agitari in foro Ecclesiastico, quoniam si ageretur in foro laicali, reputabam opus desperatum, cum etiam sine tali expressa, & particulari lege, apud laicos magis communiter viget opinio, ut id, quod procedit in subjectione passiva, procedat etiam in activa, ut advertitur *disc. 71. de Servit. eod. discurs. 35. de judic. & alibi pluries*; Multo igitur magis stante dicta lege, quam Judices laici servant etiam contra Clericos non directè jurisdictionem exercendo cum ipsis Clericis, sed indirectè abstinendo à molestando proprium laicum, ut advertitur *disc. 22. & disc. 143. de Dote, & discurs. 8. in Miscellan. Eccl.* ac etiam *eod. discurs. 35. de Judic. & alibi*.

Sed quoniam forus Ecclesiasticus se conformare debet cum opinionibus, quas Curia Romana sequitur, atque in Curia magis recepta videtur ista claudicatio, ex iis, quæ aliis relatis habentur plenè *decis. 438. part. 4. recentior. tom. 2.* in terminis Statuti Bononiensis, & de cujus casu agitur in *Bononiens. hoc tit. discurs. 49.* cum aliis collectis per Cirocch. *disc. 38. n. 13.* idcirco dicebam, quod potius sperandum, quam timendum esset.

Reflendo autem ad veritatem, quamvis ista ultima dispositio, tam ad effectum istius successione statutariæ agnatiæ, quam ad alterum pariter agnatiæ successione fideicommissariæ, videatur in Curia magis recepta, quoad illos Religiosos professos, quorum Religio est capax in communi, juxta præmissas decisiones, & auctoritates, cum aliis, de quibus *disc. 63. & seqq. de fideicommiss. ex ea ratione*, quod professio in Religione tanquam actus pius, & laudabilis, ac status perfectionis, non debet inducere pœnam privationis illius juris, quod alias competat, neque tollat jura naturalia, quoties voluntas disponentis non resistat; Attamen illi sic generaliter indefinite sumptæ intellectus nunquam acquievit, neque acquiescit, potissimè verò ubi, ut in hac facti specie, adit Statutum expressum, quod vocet Ecclesiasticos sub certa lege, & qualitate, & non alias; Undè pro meo sensu remanebat occasio dubitandi, præsertim cum ageretur de Clerico Regulari. Duos siquidem casus in hoc proposito distinguendos esse advertebam; Unum nempe, in quo adit expressa dispositio Statuti excludens Ecclesiasticos, vel illos non admittens nisi sub certa qualitate, ut istud Statutum facit; Et alteram, quando expressa dispositione non accedente illa prætendatur virtualis, & implicita, ex dicta ratione servandi equalitatem, & excludenti claudicationem regulariter in Jure non datam.

Primo casu indistinctè, sive agatur de Clericis Sæcularibus, sive de Regularibus, pro illorum exclusione, quoties non habeant dictam qualitatem legitimæ subjectionis passivæ, respondendum videtur, non quidem in ratione veræ subjectionis passivæ, sed in ratione voluntarii usus ad effectum potiendi hac prerogativa, quia sic expedit, juxta ponderationes, de quibus *d. disc. 22. & 143. de Dote, & alibi*; Quamvis etenim dubitandum non veniat de Ecclesiasticorum assumpto, quod in puncto juris reputo verum, ut non possint leges laicales statuere contra personas Ecclesiasticas, eisque tollere jura alias eis competentia; Attamen id rectè procedit, quando lex directè cum eis ita disponat, tanquam in pœnam, & odium ratione Clericatus, vel vitæ Religiosæ; Secus autem ubi excludantur secundum quid, & causativè ob aliquam deficientem qualitatem, quæ principaliter ex motivo conservandi bona in agnationis, & familiaris, & in personis, quæ eas conservare, & propagare possunt desiderata sit,

non quidem tollendo id, quod de jure naturæ, vel Canonico eisdem competat, sed denegando illud commodum, & privilegium, quod corrigendo jus commune, proveniat ab ipomet jure particulari, cum tunc non sit privare, vel tollere jus proprium, sed denegare id, quod alias non competeret, sed ab ipsa lege provenit, de defectu qualitatis ab eadem desideratæ, potissimè ubi non sit qualitas, vel conditio certa, & semper exclusiva; ut est quando solum laici ad successionem invitantur; sed etiam Ecclesiastici invitantur, sub conditione certæ qualitatis adèd honestæ, & à jure probatæ; Et nihilominus etiam ubi simpliciter soli laici invitentur ex motivo rationabili, adèd ut dici non valeat exclusionem provenire ab odio Clericatus, vel vitæ religiosæ, adhuc idem probabilis dicendum venit, ex iis, quæ habentur *discurs. 54. de Feud.* in proposito exclusionis Clericorum à successione feudali, & generaliter in privatis dispositionibus excludentibus Clericos, vel Religiosos, habetur *d. disc. 63. & seq. de fideicommiss. & discurs. 12. de Dote, & alibi, & conferunt, quæ habentur disc. 44. de fideic. & latius disc. 73. de Testam.* circa conditiones præjudiciales libertati matrimonii, quod aliud est dispositio pœnalis, quæ inducat privationem Juris competentis, & aliud est dispositio invitativa ad lucrum, & jus assequendum sub certa conditione, & qualitate, maximè verò, ut in hac facti specie, ubi conditio sit nimium honesta, & à jure probata. Durum etenim, & irrationabile videtur assumptum, ut ille, qui nullam habeat obligationem faciendi aliquid convivium, se declaret velle solum facere illis, qui habeant vestem nuptialem, juxta parabolam Evangelii, vel solum illis, qui aliquid contribuant de proprio, tanquam per quandam speciem societatis, & communionis, & deinde sine tali qualitate alii introducantur; Siquidem illi, qui invitantur, conquiri non possunt, quod eis præjudicium, & injuria fiat, dum in eorum libito, & facultate est obtinere illam vestem, vel qualitatem respectivè, vel facere illam contributionem, atque alias effect inire societatem leoninam, per quam personæ Ecclesiasticæ starent lucro, & non damno, quod est in Jure damnatum, & contra regulam, quæ reputatur, juris naturæ ab utroque jure Canonico, & Civili. Si etenim in laicis id damnable censendum est, multo magis in Ecclesiasticis, dum Ecclesia, profinetur esse Mater Justitiæ, & æquitatis; Igitur ab omnino est dicere ut id, quod contra Jus naturæ, seu quandam naturalem æquitatem reputatur illicitam in Sæcularibus, debeat esse licitum in Clericis, & Religiosis, dum videtur quid prohibeat legislatoribus, vel statutibus idem agere in iis, quæ ab eorum limico, & voluntate pendent.

In altero autem casu, in quo expressa dispositio non accedat, sed ea prætendatur implicita, ob dictam rationem servandi equalitatem, adhuc probabilis videretur indefinitè idem dicendum; ex eisdem rationibus, de quibus supra, ut bene agnoscit Abbas in *cap. quod Clericis num. 38. de foro compet. & sequuntur alii, de quibus apud Bursart. consil. 93. num. 29. & 31. & Clarin. contr. 45. num. 14. & 15.* cum dicta ratio equalitatis fundata sit in lege, vel in equalitate naturali, vel canonica, eademque Curia illam agnoscat, & praticet in materia Ægidianæ, ut insinuato *disc. 37. de Judic. & alibi*.

Fortius verò etiam isto casu respondendum videtur contra Religiosos professos, inter quos, & Clericos, Sæculares aliqua dignoscitur notabilis diversitas rationis ponderata *discurs. 64. de fideicommiss. & alibi*; Quod scilicet Clerici Regulares de facto viventes in sæculo, conservant decorem, & splendorem familiæ, adèd ut quoad hoc in nihilo differre videantur à Sæcularibus, secus autem est in Regularibus, qui ex quadam juris fictione, & subtilitate reputantur quidem de agnatione, & familia, sed de facto, & communi hominum opinione, tanquam mortui Mundo illam non conservant, neque verificabilis est in eis ratio conservationis majoris nobilitatis, & splendoris, cum divitiis, ob magis honorificæ tractamenta, dum non mutant habitum, neque habitationem, aut modum vivendi, atque naturaliter, & de facto, ipsa naturali veritate inspecta, successio tendit potius ad commodum Monasterii extranei, pro manutenzione majoris numeri Religiosorum, vel pro aliqua commodiori vita omnium;

Et

Et per consequens durum; ac irrationabile videtur, ut hujusmodi leges, quæ reintegrativè antiquarum legum, & morum Romanorum fundatur in dicta ratione conservationis nobilitatis, & decoris familiarum, ob quem tolerabilis reputatur exclusio Matris, & sororum, aliorumque proximiorum sanguinis, locum habere debeant in isto casu, cum dicta claudicatione, cum qua isti reportent commodum, & non subiaceant incommodo, quod nunquam intellectus meus capere potuit, quoniam ut advertitur *sub tit. de Regal.* ac etiam in *Miscellan. Eccl.* in materia immunitatis Ecclesiasticæ Realis, immunitas hæc laudabilis est, illaque omnino servari debet, per quam personæ Ecclesiasticæ præserventur à damno, quod inferunt onera laicalia, atque conserventur in primæva libertate naturali, per quam non minuatur de proprio, non autem ut locupletari debeant de alieno.

FULGINATEN. SUCCESSIONIS PRO MERCADANTIBUS.

Responsum pro veritate.

De Statuto Fulgineti excludente Matrem propter patruos, an excludat etiam Materteras.

S U M M A R I U M.

- 1 Adi series cum resolutione.
- 2 Quod Statuta debeant strictè intelligi ad litteram.
- 3 Quomodo sit respondendum de jure.
- 4 De diversis circumstantiis, ob quas evitatur applicatio auctoritatum, de quibus num. 2.
- 5 De medio impertinenti non attendendo quoad omnes, qui per illud conjunguntur.
- 6 De differentia inter feminas agnatas, & cognatas.
- 7 Respondetur aliquibus auctoritatibus in contrarium.
- 8 Quomodo procedendum sit in extensione decisionum.

D I S C. LI.

Defuncto Hieronymo de Mercadantibus, atque majori parte honorum ab eo possessorum restituta illis, qui respectivè ad fideicommissa ejus Patris, & Matris vocati erant, in utraque legitima sibi competente, & in quibusdam aliis ejus bonis, exorta est quæstio intestatæ successione inter patruos, & Materteras, quorum attenda juris communis novissimi dispositione, æqualis erat causa patruis hæreditatis possessoribus se fundantibus in Statuto Fulginateni, quod excludit Matrem propter patruos, & converso autem Materteras eorum præsentionem fundantibus in decisionibus moderno tempore editis in Causa Fanen. de qua supra *disc. 15.* in quibus firmatur illa rigorosa dispositio, quæ in subiecta materia, est minus vera, & irrationalis, in aliquibus aliis tamen vera, quod scilicet Statuta intelligi debent in rigore literæ, ac ad verbum, adèd id, quod non reperitur in eis expressum, habeatur pro omisso, atque remaneat sub dispositione juris communis, idèdque cum Statutum non loquatur de Materteris istæ censendæ non sint exclusæ, ut in terminis specialibus istius Statuti super consimili concursu patruis, cum Materteris, apud utrumque Cirocch. *DD. Fulginaten. disc. 38. & 39.* idèdque desuper ex parte patruorum consultus.

Respondi, quod quando de meo tantum judicio in abstracto essem requisitus, tunc absque dubio responderem pro patruis, idèdque agerem, ubi ageretur de controversia pertractanda in diverso Principatu, ubi decisiones Rotæ non faciunt illam auctoritatem, & impressionem, quam faciunt in isto Principatu Ecclesiastico, sed attenduntur tanquam notabiles doctrinæ, eo modo, quo in Curia attenduntur illæ aliorum Tribunalium decisiones, quæ in suis respectivè Principatibus eandem, forteque majorem faciunt auctoritatem, & impressionem; Sed quoniam agebatur in hoc Principatu, atque tunc vigebant decisiones editæ in casu, de quo *d. disc. 15.* idcirco, quatenus sequentes diversitatis rationes non accederent, ex quibus evitari possent earum applicatio, dicebam, quod oportuisset facere idem, quod habetur in *Callien. hoc eodem tit. discurs. seq.* respondendi scilicet pro veritate, contra illam veritatem, quæ sibi videatur ex ibidem insinuatæ rationibus, dum ita inutiles remaneret ponderationes, de quibus *eod. disc. 15.* & in aliis pluries *hoc eodem tit. super regula si vinco vincentem te, &c.* & super altera, *quod potentius non potest esse causatum, quam causa,* cum aliis, de quibus ibi; *Card. de Luca Lib. XI.*

Quare insistebam in dicta diversitate, ob quam evitari possent dictæ decisiones; Diversitatem autem ex pluribus deducebam.

Primo nempe, quod in eo casu agebatur de exclusione Matris à luctuosa filii hereditate, quod habet quamdam majorem legis, & æquitatis repugnantiam, quam sit exclusio Materterarum; Secundo, quia concursus erat Matris, cum avo remotiore, quam attenda dispositione juris communis, illa in totum excluderet, ac propterea Statutum quod conversam faciat operationem, continere dicitur majorem exorbitantiam, quàm in præsentibus ob æqualitatem gradus. Tertiò quoniam ita facilius fit reverto ad jus antiquum, & medium *Digestorum, & Codicis,* juxta ponderationes, de quibus supra *disc. 1. in plerisque aliis.*

Et quartò, omnium fortius, & fortius, quod in eo casu non intrabat ratio, quæ cadebat in præsentibus, quod scilicet illud medium, per quod defuncto jungatur ille, qui vult succedere, sit expressè exclusum, & effectum extraneum; Ob istam etenim rationem præsertim, dicebam clarum videri bonum jus patruorum contra Materteras, ex certo principio, non solum legali, sed etiam naturali, cuique ad sensum probato, quod impossibile est dare medium validum, & operativum, quod pendeat à principio infecto, quod habendum est pro non extante, ac propterea habemus vulgarem regulam, quod primitiva infecta, dicitur infecta quæcumque derivativa, siquidem Materteræ eatenus conjunctæ sunt defuncto, quatenus sint sorores Matris, quæ dicitur principium earum conjunctionis, idèdque cum ipsa Mater habeatur pro extranea in concursu agnatorum, impossibile est ut magis privilegiatus sit effectus, quam causa, sive magis principiatum, quam principium, cum ita ipsam latum maternum effectum sit impertinens, ac extraneum, juxta ea, quæ recepta habemus in successione fideicommissariis, ut non attendatur conjunctio utriusque lateris, quæ vincat alteram ex uno tantum latere paterno, ex ea ratione, quod latus maternum est impertinens, atque effectum extraneum; Ac etiam in materia feudali, quod cognatorum nulla ratio habetur, ex eadem ratione, quod ipsum initium Matris est impertinens, & extraneum cum similibus; Atque in his terminis bene firmant post antiquiores ab eis relatos *Cephal. conf. 470. nu. 24. & 25. conf. 616. nu. 64. Gabr. conf. 25. nu. 2. lib. 1. cum aliis supra disc. 14. nu. 7. & seqq.*

Nimium quoque conferre observabam auctoritatem Rotæ antiquæ apud Puteum *decis. 127. l. 3.* ubi firmata fuit exclusio feminæ, quamvis germanæ sororis, per remotiorem agnatum in septimo gradu distantem, cujus Statuti mentio habetur pluries præsertim *disc. 19. de Legitim. nu. 4.* cum tamen casus sit longè fortior, cum germana soror, quamvis in sexu differat à masculo in eo quod agnationem propagare non potest, sed in ipsa finem recipit, attamen ipsa est agnata, adèd ad fideicommissa agnatiæ saltem in defectum masculorum veniat, ex relatis *dec. 133. num. 6. p. 9. recent. & apud Dunozet. decis. 837. & 838.* & pluries advertitur *sub tit. de fideic. & alibi*; Et sic duplex tali casu adesse dicitur exorbitantia; Una scilicet, quod soror effect etiam agnata, & altera, quod adesset nimia diversitas gradus, cum soror esset in secundo, agnatus autem in septimo, quorum utrumque in præsentibus cessabat, dum materteræ non erant agnatæ, sed omnino extraneæ ab agnatione, atque non adesset diversitas, sed potius æqualis gradus, idèdque magis intraret dicta ratio favorabilis reversionis ad jus antiquum, & novum.

Neque obstare dicebam auctoritatem utriusque Cirochi *senioris, & junioris disc. 38. & 39.* quoniam quatenus pertinet ad posteriorem, incidenter de hoc agitur, cum potius quæstio percutiat concursum Matris cum patruo, atque agatur de successione intestabilis: In priori autem, quamvis senior elaborate & commendabiliter loquatur, attamen de eo dici potest id, quod habetur apud Franch. *decis. 260. num. 5. & 6. cum aliis discurs. 35. de Judic. & alibi sepius,* super doctrinis suspectis Consulentiæ, cum sit informatio Advocati ad causæ oportunitatem, idèdque nullatenus in judicando attendenda; Addita etiam circumstantia particulari, quod ille patruus erat Monachus profectus statuto non subiectus, idèdque intraret per ipsum ponderata ratio claudicationis, de cujus substantia opus non erat quærere, cum solum id insinuaretur ad ostendendam diversitatem casus.

Clarius autem hæc procedunt hodiè, quod dictarum decisionum sublatum est obstaculum ob recessum ab eis, juxta ea, quæ insinuantur in *annot. ad disc. disc. 15.* Atque ex hoc

N

edo-

8 edocemur id, quod inculcatur *disc. 32. in Relat. Cur. & alibi*, quam scilicet cautè, & maturè procedi debeat in resolutionibus istius Tribunalis, & in extensione decisionum, ob magna præjudicia, quæ exinde resultant in aliis causis, quæ agantur in aliis Tribunalibus, vel coram aliis Judicibus, ac etiam in ipsamet Rota, ut ibi latius, &c.

GALLIEN. SUCCESSIONIS PROBIZARRIS.

Responsum pro veritate.

An nepotes ex sorore prædefuncta, qui ex persona propria sunt exempti à Statuto exclusivo, prætere valemus successione cum fratre defuncti, si eorum Mater sit exclusa, & subiecta Statuto; Et incidenter de aliis ad materiam successionis statutariæ, & præsertim circa exemptionem Ecclesiasticorum ab huiusmodi Statutis.

S U M M A R I U M.

- 1 *Acti series.*
- 2 *De reintegracione feminarum exclusarum.*
- 3 *Quod quandoque respondeatur etiam pro veritate contra proprium sensum & de ratione.*
- 4 *Qualis sit punctus præcisus controversæ, & an remotior representando personam exclusam fiat equalis.*
- 5 *Quod cum auctoritatibus neglectis rationibus, quandoque procedatur, sed male.*
- 6 *Nepotes ex fratre prædefuncto succedant ex persona, & jure proprio, non autem ex jure eorum parentis.*
- 7 *De ratione ob quam nepotes exempti occupant locum extraneum.*
- 8 *De differentia inter leges locales habendas pro jure communi ad differentiam Statutorum localium.*

D I S C. LII.

Defuncto ab intestato Paulo Noca sine prole superstitionibus Fabrizio germano fratre, ac Petro, & Bernardo de Bizarris nepotibus ex Isabella sorore prædefuncta, Fabritius de facto hæreditatem obtinuit; eo autem postmodum defuncto superstitionibus aliquibus filiabus contra istas præfati nepotes ex sorore judicium instituerunt pro eorum portione intestatæ successionis dicti Pauli; Cumque desuper ex parte Actorum consultus esset, communicatis aliquibus responsis hinc inde, & præsertim ad eorum favorem per elaboratum amicum meum Conciolum auctorem allegationum, aliorumque operum, in quibus principaliter insistebatur in puncto, an decretum Ducale exclusivum fororum, earumque filiorum propter fratres, excluderet simpliciter, vel potius ad tempus extrantibus agnatis, quibus defectus locus fiat reintegracioni etiam ad favorem filiorum, & dependentium feminarum, in quos hoc jus reintegracionis transmissum esset, juxta quæstionem adeo actam in *Perusina Reintegracionis*, in qua plures habentur decisiones apud Royas, & apud Peutinger. inter eorum impressas, quod supponebatur pendere à puncto, an secundum decretum Ducis Guidobaldi Secundi, quod continet verba redolentia temporalitatem, que locum aperit reintegracioni, esset correctivum antiquioris decreti Ducis Federici, quod excludit simpliciter.

Respondi, quod ista quæstio extranea videretur à casu controversiæ, quodque propterea supervacaneus labor esset in ea immorari, quoniam illa caderet, quando de tempore apertæ successionis viveret dicta Isabella soror statuta subiecta, & per fratrem exclusa, sed cum ipsa esset præmortua, ejusque filii ex motivo exemptionis à Statuto haberent jus successionis ex persona propria, juxta ordinem juris communis, ut infra, hinc sequebatur, quod inutile opus esset.

Cumque versaremur in statu Ecclesiastico, cujus Judices, & Tribunalia sequuntur in judicando opiniones, quas tenet, & servat Rota, & Curia Romana, idcirco licet mihi non placeret opinio, quod Statutum operetur, ut nunc de tempore apertæ successionis, non autem in instanti nativitatibus, ex iis, quæ habentur supra *discurs. 5.* & in aliis pluries; Adhuc tamen juxta eam consilium, ideoque expertus sum in isto casu id quod Moralibus videtur exorbitans, consulendi scilicet pro veritate id, quod mihi non videretur verum; Siquidem in consulendo pro veritate insinuandum est illis, qui petunt

consilium, an eorum præsentio sit probabilis, & an sperare possint victoriam ratione boni juris, quod foveant, vel de converso timere potius debeant succumbentiam ratione mali juris, atque in hoc Consulens non debet sequi opinionem suam, quam sciat in ea Regione, atque in Tribunalibus, in quibus causa est agitata, non esse receptam, quamvis bene faciat eam indicare nequirentem decipiat, sed debet consulere juxta illam opinionem, quam in loco sequuntur Tribunalia, à quibus controversia decidenda est, quoniam Advocati, & Consules non judicant, neque ab eorum sensu pendunt causarum decisiones, sed solum indicant Judicibus motiva, & partibus prædicunt id, quod juxta regulas facultatis probabiliter futurum esse credant, ut etiam advertitur *disc. 46. in Relat. Cur.* occasione agendi de Advocatis, & Causidicis, & alibi.

Idque frequenter in plerisque aliis casibus contigit, & præsertim in una *Vaden. sine S. Angeli successione*, ubi viget idem decretum Ducale, quoniam defuncto ab intestato Bartholomæo de Ducis Clerico, & orta quæstione inter Michaellem Angelum fratrem, & Camillam nepotem ex Hieronyma sorore super plerisque punctis pro veritate consultus fui, & præsertim super isto successione, & quamvis ego firmiter crederem, quod ad formam decreti Ducalis successio debita esset solo Michaeli Angelo, dum ambo contententes erant laici, ideoque Statuto subiecti, non obstante quod defunctus esset Clericus, attamen quia Rota, & Curia nunc sequitur diversam opinionem hoc eodem titulo pluries insinuatam, dixi, quod successio utriusque, juxta dispositionem juris communis debita esset; Et ita in plerisque aliis.

Præsupposito itaque in hac facti specie, quod ob mixturam Clerici non intraret Statutum quoad ipsos nepotes ex persona propria, eidem tamen Statuto subiecta esset eorum Mater, adeo ut si illa viveret exclusa sine dubio per fratrem remaneret; Hinc stante quod dicti nepotes erant inæquales gradu, cum eorum avunculo defuncti fratre, atque eatenus fierent æquales quatenus repræsentarent personam eorum Matris, atque in ejus locum succederent, ipsa verò esset extranea, & exclusa, oriebatur dubium, an attentis etiam terminis juris communis huic successioni locus esset; Atque adhibitis aliquibus diligentis tunc concessum non est invenire speciales decisiones, vel auctoritates ad hunc punctum descendentes, quoniam licet in *disc. 256. part. 11. recentior. & disc. 404. part. 13.* edita in casu de quo supra *discurs. 6.* nepotes ex una sorore prædefuncta quamvis cognati admissi fuerint ad æqualem successionem cum fororibus agnatis non obstante Statuto ex eadem ratione Clericatus; Attamen non erat casus præcisus, cum Mater, quam nepotes repræsentabant non esset exclusa, adeo ut si viveret ex eodem Statuto æqualiter cum aliis fororibus succederet, & sic medium non erat extraneum, ut in præfenti.

In hoc autem puncto, quando ille dicendus esset per rationes, ut deceret, cum ratio dicitur anima legis, adeo ut sub quæstione sit, an lex, quæ sit instituta extra rationem, habeat vim legis, nec ne, contra nepotes responderi deberet, ex pluries insinuatâ ratione, quod non potest, nec debet dari potentijs jus in causato, quam in causa, neque majoris operationis, vel privilegii esse potest fictio, quam veritas, vel exemplum, quam exemplar, ac etiam ob aliam regulam desumptam, ex *Tex. l. si quando d. Matre*, de qua latè *disc. 405. par. 5. rec. & pluries hoc eodem titulo*, quod infecta primitiva, infecta censetur omnis derivativa.

His tamen non obstantibus, cum ex hujus facultatis deplorabili miseria oporteat ambulare cum illis traditionibus, quas nostri majores citrà omnem rationem cum consecutis ineptiis tradiderunt, contrarium respondi. Idque ex duplici fundamento, primo nempe, quia juxta opinionem, quæ videtur magis communis plenè reassumptum per Bottiglier. *de success. theorem. 2. numer. 33.* & Robles *de repræsent. lib. 1. cap. 6. numer. 8. & segg. & lib. 2. cap. 26. numer. 31. & segg.* quod scilicet nepotes ex fratre, vel sorore prædefuncta, subingrediuntur quidem in locum eorum parentis, ut ita fiant patruo, vel avunculo æquales, sed ex privilegio legis, non autem ex jure parentis, dum ejus hæredes esse non tenentur; Ac propterea recepta est etiam in isto casu altera pariformiter in rationabilis conclusio, quod nepotes ex sorore, quæ renunciavit, atque se extraneam effecit, si illa prædecessit, non prohibentur succedere ex persona propria, etiam si sint hæredes Matris renunciantis, & possideant dotem, cujus intuitu, & ratione facta est renunciatio, quo nil irrationabilius, ut ita nepotes ex sorore plus obtineant, quam fratres, vel fratrum filii; Admissio etenim, quod istud jus nepotum non sit ratione transmissionis, adeo ut qualitatè hæreditariam habere teneantur, minusque ratione illius veræ representationis, quæ obliget ad eandem qualitatem hæreditariam personæ repræsentatæ, sed quod sit jure successionis in ejus locum, semper firmum remanet, quod ipse locus est infectus, & extraneus, ipseque naturalis discursus repugnat, ut existente persona proximioris, ista habenda sit pro extranea, & quod altera remotior, que per ejus medium conjungitur, atque ex quadam legis fictione in ejus locum subingreditur, non debeat esse extranea, sed proxima, & habilis; Sed quoniam pro insinuatâ miseria ubi urgeant auctoritates, ista reputantur ratio cinia, & subtilitates ingenii, adeo ut Judices (ut *Quintilianus* dicit) plerumque indocti, ea non attendant, opinando, quod Advocati cum acumine ingenii, & cum fallacibus argumentis eos decipere velint, idcirco sæpius hujusmodi ineptis cedere, & acquiescere oportet, non deficientibus plerique ineptissimis pragmaticis Scripторibus tradentibus illam propositionem, quæ apud Judices levis armaturæ, magni fieri solet, quod plus valeat una doctrina punctualis, quam centum ratiocinia.

Secundò magis stringenter, non quidem in judicio, & sensu meo, sed in illo, cum quo ut præmissum est, procedit hodie Rota, & Curia, ut scilicet statutum operetur, ut nunc, attento tempore successionis, dicebam, quod si isto tempore attento præfata Isabella foror viveret, sed reperiretur Monialis, adeo ut à Statuto exempta esset, tunc succedere deberet, juxta firmata apud Bich. *disc. 625. in casu, de quo supra disc. 5.* idcirco idem in ejus filiis, qui reperiantur de tempore successionis pariter à Statuto exempti, ut fingantur repræsentare Matrem tanquam exemptam, perinde ac si ista mutasset statum, dum item aliàs Statutum suam faceret operationem cum personis Ecclesiasticis, eis tollendo illud jus, quod aliàs in successione competeret; Siquidem retento dicto præsupposito, quod Statutum operetur ut nunc, & de tempore apertæ successionis, exinde sequitur, quod nullam fecerit operationem cum dicta sorore quamvis subdita, utpotè jam defuncta, & annihilata, sed illam faciat nunc cum ejus filiis, cum quibus suam jurisdictionem, & potestatem ita directe exerceret, quod est prohibitum, atque ex hoc præsertim ratiocinio resultantem ex præfato assumpto, vel præsupposito, pro meo tamen judicio fallaci, concludebam, quod bonum jus nepotibus assisteret.

In isto autem casu, & in altero, de quo in dicta *Vaden.* & in plerisque aliis, in quibus actum fuit de huiusmodi decretis Ducalibus Status Urbini, & super quibus moderni Consulentes adeo se involvunt, ut præsertim in casu, de quo pro una opinione *Gab. consil. 18. lib. 2.* & pro altera *Cephal. consil. 616.* & *Eugen. consil. 83. lib. 1.* pro quibus fuisset decilium testatur *Andreol. contr. 138. numer. 3.* cum plerisque aliis similibus quæstionibus de quibus apud *Felic. alleg. 25.* & *Andreol. contr. 60. & 306. & in aliis*, dum isti sunt Doctores Regionis, advertebam ad æquivocum redolens unam ex consecutis simplicitatibus, vel ineptiis Nostrorum, regulandi huiusmodi decreta Ducalia, tanquam leges municipales, & Statuta localia subditarum Civitatum, non reflectendo ad differentiam ponderatam *discurs. 35. de Judic. nu. 22. & 23. & disc. 10. de Legit. nu. 24.* & in plerisque aliis frequenter, quod scilicet cum Dux Urbini tanquam feudatarius veræ dignitatis cum omnibus regallibus majoribus, ut præsertim illo condendi leges, eisque derogandi, haberet jura supremi Principatus, hinc sequitur, ut hæc Decreta dici debeant in eo Principatu, potius jus commune, quam statutarium, & quod Juri Civili Romanorum prævalere debet, utpotè magis favorabile, magisque privilegiatum, non quidem cum personis Ecclesiasticis, cum pariformiter urgeat defectus potestatis, qui adesset quoque in dictis legibus civilibus, nisi Canones mandarent, quod in eorum defectum illæ attendi debeant, ut advertitur *eodem disc. 35. de Judic. & disc. 1. de Servit. & alibi*; Sed bene id considerabile est ad alios effectus inter subditos, cum non obstante, devolutione Sedes Apostolica decreverit, ut in eo stant cum eisdem legibus continuaretur, ut advertitur *disc. 2. de donat. & alibi*.

Card. de Luca Lib. XI.

ROMANA HÆREDITATIS INTER PARTES, ut infra.

Votum in casu disputato in Signaturæ Gratiæ.

An adoptatus, vel arrogatus habeat jus intestatæ successionis conjunctorum arrogatoris, in exclusionem conjunctorum per sanguinem, & naturam.

S U M M A R I U M.

- 1 *Acti series cum resolutionibus.*
- 2 *Votum Fabricæ editum in causa.*
- 3 *De punctis, vel inspectionibus causæ.*
- 4 *An jus antiquum Digestorum circa successionem arrogatorum sit correctum, nec ne.*
- 5 *De observantia in hac materia.*
- 6 *Quomodo Doctores agant de materia.*
- 7 *De Historia legali, & quomodo habeat usus legum civilium.*
- 8 *De origine, & introductione adoptionum.*
- 9 *De differentia inter adoptionem, & arrogationem, & quomodo fiebant.*
- 10 *Quod omnium agnatorum interesset arrogationes fieri, & quare.*
- 11 *De ratione, ob quam introductus fuit usus adoptionum.*
- 12 *De alia ratione, cui innixa est hæc introductio.*
- 13 *De prohibitione adoptionum, earumque restitutione.*
- 14 *De mutatione morum circa successiones, sublata differentia agnationis.*
- 15 *De alia mutatione verum circa patriam potestatem.*
- 16 *Quare procedendum non sit cum legibus antiquis.*
- 17 *Adoptati non succedunt in feudis, & fideicommissis, aliisque juribus.*
- 18 *Quod eis non suffragentur statuta excludentia feminas, & cognatos propter agnatos.*
- 19 *De differentia inter successionem ipsius arrogatoris, & ejus conjunctorum.*
- 20 *De ratione, ob quam non debeant adoptati succedere.*
- 21 *Intestatæ successio regulanda est à præsumptamente decedentis.*
- 22 *Quare hodie non debeant habere locum antiquæ leges Digestorum.*
- 23 *Quod circumstantiæ particulares non debeant attendi singulariter, sed unitim.*
- 24 *Gratia Principis intelligitur sine tertii præjudicio.*
- 25 *Stylus Papæ, vel Dataria debet attendi pro interpretatione gratiæ.*
- 26 *Attendi debet item modus concessions gratiæ.*
- 27 *De operatione clausulæ servatis servandis.*
- 28 *An habitatio arrogati succedendi in bonis Arrogatoris sit demonstrativa, vel taxativa.*
- 29 *De operatione clausulæ sine præjudicio.*
- 30 *An ista clausula patiatur restrictionem ad solum quartum gradum.*
- 31 *De requisitis validæ arrogationis.*
- 32 *Quare istud votum editum sit.*

D I S C. LIII.

Cupiens Christophorus de Pomis, liberis destitutus, atque senio confectus arrogare in filium Joannem Baptistam Pieretum domi suæ à teneris annis educatum, preces desuper porrexit Innocentio X. qui Senatori Urbis commisit, ut comperto, quod narrata veritati nitantur, dictam arrogationem, sine tamen alicujus præjudicio, atque servatis aliàs de jure servandis, approbaret, ita quod dictus Joannes Baptista in omnibus bonis paternis, & maternis ipsius Christophori etiam ab intestato succedere posset, ac deberet, perinde ac sit esset ejus filius legitimus, & naturalis de legitimo matrimonio procreatus, atque ad formam Apostolici Rescripti Senator arrogationem concessit, seu auctorizavit.

Prædefuncto autem Christophoro condito testamento, in quo ejusdem Joannis Baptistæ filios instituit hæredes, legitima ei relicta, obit postmodum ab intestato Gabriel ejus germanus frater, cujus intestatam successionem agnoverunt Joannes Angelus, ejusque sorores de Pomis agnati transverales ultra quartum gradum civilem, sed ratione sanguinis proximiores, contra quos dictus Joannes Baptista, utpotè gradu proximior judicium iniquitè immisissimè ex interdico quorum honorum in Tribunali Fabricæ S. Petri, ex eo quod præfatus Joannes Angelus esset ejusdem Fabricæ Procura-

tor, ideoque illi privative subiectus, superventaque commissione Papæ, quod eisdem Tribunalis Judex procedere deberet cum voto Congregationis generalis, ab ista sub diebus 21. Martii, & 25. Decembr. 1675. prodierunt resolutiones Joanni Baptistæ arrogato favorabiles super ejus immisione, ad quarum resolutionum normam lata fuit per Judicem primæ instantiæ sententia, confirmata in gradu appellationis per Prælatum eisdem Congregationis; Habentibus autem agnatis Reis conventis recursum ad Signaturam Gratiæ, sub die 30. Maii 1677. rescriptum fuit de commissione alteri Prælato, vel Cardinali eisdem Congregationis cum voto Rotæ sine præjudicio executionis duarum conformium, sed adversus hanc resolutionem concessa nova audientia, sub die prima Junii sequentis repropo- sita causa, recessum fuit à decisiis circa clausulam sine præjudicio, rescribendo cum clausula *constitit*, atque in hoc statu causa reperitur disputanda in Rota; Pro justificatione autem prædictarum resolutionum Congregationis Fabricæ, Judex primæ instantiæ, reassumendo breviter, ac judiciosè omnia, quæ latè per Scribentes hinc inde, atque per Judices in eorum votis deducta fuerunt, edidit Votum, quod habetur impressum inter decisionem Remboldi voto 10. Occasione verò dictarum disputationum habitatum in Signatura Gratiæ desuper Ego tanquam Auditor Papæ efformavi de more Votum.

Plures itaque fuerunt puncti sub disputationis trutina positi, primò nempe An hodiè locum habeat dispositio juris antiqui in l. 2. §. *hereditas, ff. de suis, & legit.* ubi ad literam disponitur, ut idem sit ordo successione per nativitatem, ac per adoptionem; Vel potius id correctum sit per jus magis novum in l. *penultima, §. sed ne circumlocutio, C. de adoptione*. ubi statuitur, ut adoptatus habeat jus successione adoptantis tantum, dum Textus utitur illo verbo taxativo *tantummodo*, sive per jus novissimum *Authenticorum* super ordine intestatæ successione, dum sublata antiqua differentia agnationis, & cognationis, habetur solùm ratio sanguinis, ac proximitatis naturalis.

Secundò posito, quod adhuc vigeret præfata dispositio juris antiqui *Digestorum*. An illa cesset ob clausulam sine alicujus præjudicio, positam in litteris Apostolicis Tertio, An, & quid operaretur restrictio in eisdem litteris contenta, quod arrogatus succedere deberet in bonis arrogantis, An scilicet id operaretur restrictionem, sive taxativam ad præfata bona, & non ad alia. Quarto quid operaretur clausula *servatis servandis*, in eisdem litteris contenta. Et quintò, An arrogatio esset invalida, ex eo quod arrogatus præsupponeretur filius illegitimus arrogatoris, sive quod non haberet patrem certum, undè spurius censendus esset, & an in hoc locum haberet Bulla Pii V. contra illegitimos, ex eo quod defunctus esset Clericus.

Quatenus itaque pertinet ad primum punctum, sive articulum principale, in quo pro meo sensu residebat causa, dum posita correctione dicti juris antiqui, omnes aliæ inspectiones, de quibus in aliis quatuor punctis remanebant inanes. Quamvis tam Scribentes, quam votantes crederent, quod dispositio dicti juris adhuc vigeat, ex eo quod multi Doctores in supra enunciato Voto cumulati, ideoque frustra transcribendi, cum hoc præsupposito procedant, quodque *textus in d. l. penult. C. de adoptione*. procedat in adoptatis non autem in arrogatis ob notabiles differentias in eodem Voto recensitas inter adoptionem, & arrogationem, quodque jus novissimum *Authenticorum*, mandet quidem, ut sola ratio proximitatis gradus haberi debeat, non curata differentia agnationis, & cognationis, sed non descendit ad hanc speciem, an proximitas debeat esse præcisè naturalis, quodque non sufficiat civilis, ut in eodem Voto etiam advertitur. Nihilominus præscribendo etiam à clausulis: de quibus supra, & ab aliis circumstantiis, & considerationibus istius casus particularis, de quibus infra, adhuc pro dicti juris antiqui correctione, vel non receptione, & usu, verius credebam, omninò respondendum fore.

Ad ita sentiendum movebat non quidem ex sola superiorum recentiorum juris, recentioris, ac recentissimi littera, qua etiam attenda, probabilis pro correctione respondendum videtur, sed ex duplicibus fundamentis, quorum unum sufficit, multò magis utpote simul junctis.

Primo nempe, quoniam negari non potest, quin attenda dictorum juris recentiorum littera, fortius ve-

rò ob argumentum cessationis rationis agnationis, cui antiquus jus *Digestorum* innixum est, ut infra, sit probabiliter dubium, an ista correctio adsit, necne; Et per consequens posita dubietate, deferendum venit observantia tanquam optimæ interpreti, omniumque interpretationum Regiæ, adeo ut verborum proprietati prævaleat, ex deductis *discurs. 21. de Judic.* & alibi nimum frequenter dum istius causæ occasione revolutis penè omnibus legalis facultatis libris compertum est, quod plerique Doctores in eodem voto cumulati, forteque alii loquuntur merè legale stylo, vel in sola legum littera more Scholasticorum ad erudiendos tyrones in scholis, vel more collectorum, sive transcriptorum, incidenter, articulo in praxi formiter non examinato, in rot verò consiliis, ac responsis, vel Tribunalium decisionibus in spatio quatuor circiter sæculorum proditis, non reperitur, quod arrogati ad intestatam successionem alterius, quàm arrogatoris in exclusionem illorum de sanguine admitti fuerint.

Et secundò altiùs in discursiva, sed ratiocinativa ratione materiam reassumendo à priori, juxta ratiocinium frequenter insinuatum sub diversis materiis, præsertim verò *disc. 1. de Servit. & ejus annor. disc. 161. de Regal. & discurs. 1. hoc eod. tit.* & alibi sæpiùs (quoniam si millies repeteretur, semper esset oportunum, ac proficuum) quod scilicet juxta legalem historiam locis citatis, & in aliis pluribus insinuatam; Nos non habemus usum legum civilium *Digestorum, Codicis, & Authenticorum* juxta compilationem Justiniani ex necessaria auctoritate legislatoris; sed ex voluntaria receptione, ac usu populorum, sive ex permissione Principum post recentem casualem earumdem legum inventionem, postquam per septem circiter sæcula in omnimodè ignorantia, ac oblivione sepulchro steterant, & postquam ob omnimodam rerum, ac morum immutationem, atque antiqui Romani Imperii destructionem longè diversimodè vivebatur, ideòque cum earum usu, ac praxi potius, quam cum littera procedi debet, ut latius locis citatis, & per consequens non usus attendi, vel capi non debet tanquam destructivus legis aliàs perfectæ, & obligatoriæ, sed tanquam se opponens initio acceptationis, ac perfectionis legis, ac si illa non emanasset.

Clariùs vero, penèque ad evidentiam convinci observabam præfatum non usum iniciativum, sive non receptionem præfati antiqui juris disponentis de arrogatis, & de adoptatis, ob omninò cessatam multipliciter rationem, cui præfatum jus innitebatur. Negligendo quidem examinare quæstionem academicis, ac inutilium idealium eruditionum professoribus reservandam, super origine, vel introductione hujusmodi adoptionum, & arrogationum usus, & an Romanis tribuendus veniat, ut una credit opinio, vel potius Græcis, à quibus penè omnem vitam civilem, omnemque rem litterariam Romani mutasse videntur, ut altera opinio sentit, quarum neutra mihi aridet, cum probabiliùs videatur, quod semper mundus post ejus creationem fuerit uniformis, ut propterea ea, quæ apud Græcos, & Latinos reputantur ex eorum inventionem, ac introductionem prodita, apud antiquiores populos, & nationes quoque fuerint, quamvis eorum memorias, & scripturas non habeamus, ut in plerisque locis à me advertitur, præsertim verò latius, magisque ex professo in opusculo Italicis idiomatis, cui titulus est, *Il Cavaliere, e la Dama cap. 4.*

Illà distinctio, quæ in legibus Romanorum habetur, præsertim in l. 1. §. *de adoptione*. inter ampliozem speciem adoptionis, cui arrogationis nomen, seu vocabulum tribuitur; Et minorem, quæ in stricta significatione adoptio dicitur, & super qua cum consueta nimum quidem elaborata, & commendabili eruditione multum se diffundit noster Borrellus in *eius opere de præstantia Regis Catholici cap. 16. ex num. 8.* quod ex eo provenit, quod adoptio cum minori solemnitate, ac publicitate fiebat coram Prætorè, vel Præside; Arrogatio autem cum longè majori solemnitate, ac publicitate, & cum causæ cognitione antiquitùs de tempore Reipublicæ rogando populum congregatum, post libertatem verò amissam, rogando Imperatorem in Senatu, ac propterea ab ista rogatione derivavit vocabulum Arrogationis, ex deductis per *Aulum Gellium*, qui formam hujusmodi rogationum ponit lib. 5. *Noctium Atticorum cap. 19.* cum quo non solùm Juristæ, sed etiam alii humanarum literarum,

rarum, seu politioris literaturæ, ac eruditionis professorum pertransiunt, ex relatis per Borell. *disc. cap. 16.* inter quos Barnabas Brisson. *lib. 8. formul. pag. 723. & seqq.* & sic erat actus in Urbe notorius apud populum, præsertim verò, ac magis apud universam familiam, seu agnationem, cui ille arrogatus adscribebatur, propriam familiam, & agnationem omninò deferendo, illamque arrogatoris assumendo, ita per non contradictionem implicitè actum approbando, eique consensum saltem implicitè accomodando; Potissimè verò, & clariùs ob hujusmodi consensus nimiam probabilitatem, quoniam omnium magnorum intererat hujusmodi arrogationes fieri, ut ita in Comitibus majores essent partes, majorque potentia in Republica, eo modo, quo cum sua proportione in recentioribus historiis legitur de illis familiis, quæ aliis potentioribus aggregabantur in Republica Januensi, ac etiam in Florentina, forteque in aliis, & sic usus hujusmodi arrogationum, vel simplicium adoptionum erat frequens, ac notorius, non solùm ob dictam rationem majoris potentia, majorisque adhærentia, ac numeri votorum in Comitibus, sed etiam ob alteram, quæ verè, & propriè huic introductioni causam, vel originem dedit, quod scilicet juxta antiquæ Romæ Reipublicæ leges, ac mores Cælibatus adeò exosus, ac odibilis erat, quod non solùm illi, qui ab uxore ducenta abstinebant, incapaces erant honorum, ac munerum Reipublicæ, sed etiam illi, qui habentes uxorem ex istius, vel propria sterilitate, aliove infortunio liberis carebant, cumque durum id videretur, patiendò hanc penam absolute delicto, ideòque inolevit hæc fictio, quæ naturæ defectum suppleret, idque non solùm ipsius arrogatoris, sed universæ agnationis prærogativam, ac utilitatem concernebat, ut ita in aliquo digno, & qualificato agnationis viro Consulati, vel alia dignitate cadente, omnes alii agnati de honoribus, ac inferioribus muneribus, & Magistratibus, ac utilitatibus participarent, ut in Civitatibus Veneta, & Januensi, ac aliis pro Republica se gerentibus, notoria praxis docet, & per consequens idem supra enunciatus omnium consensus concurrebat saltem implicitus.

Quia verò tractu temporis fraudes desuper sæpè committebantur, undè ista laudabilis introductio, quæ alium quoque bonum finem polyticum habebat, ut illi civibus, qui sanguinis copiam habentes, fortunæ bonorum inopiam patientes, ita sublevarentur ab illis, qui e converso honorum fortunæ copiam, sanguinis verò inopiam habebant, in abusum transierat, quia nempe illi, qui Præsidatus, & Præfecturas, aliaque munera ambiabant, ad illa verò ob defectum liberorum aspirare non poterant, ideoque propè Comitibus adoptiones faciebant, adeo verò sine adoptatis emancipabant, hinc per Republicanam, vel Senatam iste adoptionum usus prohibitus, ac abolutus fuit postmodum tractu temporis restitutus sub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiliano sub diversis legibus, & provisionibus, quæ habentur in l. 2. cum pluribus sequentibus *Cod. de adoptione*. & sic actus habebat plures rationes, quarum nulla hodiè viget, nostrique moribus adaptatur.

Quinimò ista morum immutatio sequuta etiam fuit in ipsismet antiquis temporibus, postquam nempe Sedes Imperialis per Constantinum Primum translata fuit in Græciam, quoniam sub successoribus Imperatoribus in Oriente residentiam habentibus, & præsertim sub Justiniano Juris Civilis compilatore, ac reformatore, quando Europa Occidentalis, præsertim verò Italia passim fuerat incursum Gothorum, Hunnorum, & Vandalorum, aliarumque exterarum nationum, sub quarum dominatione in magna parte sub longè diversis legibus, ac moribus vivebat, sublata fuit agnationis prærogativa, quæ prius apud Romanos fulgebant in successione, & aliis, pro cuius conservatione, ac ampliatione iste adoptionum, & arrogationum usus inolevit, ac etiam sublata fuerunt in magna parte, penèque in totum antiquæ prærogativæ patriæ potestatis, cuius ratione principaliter constituebatur differentia inter arrogationem, & adoptionem, quoniam juxta antiquas leges, ac mores Romanorum illi, qui erant sub parentum potestate, incapaces erant cuiuscumque domini, vel possessionis bonorum, vel jurium, neque habebant hæredem, quoniam totum acquirebatur patri cum sola limitatione peculli Castrensium, ad cuius instar recentius introductum fuit aliud quasi Castrensè literarium; Per

Card. de Luca Lib. XI.

ius verò novissimum conditum in Græcia introductum fuit peculium adventitium; Ac propterea excepto usufructu, qui patri remanet (sub multis tamen limitationibus) nulla penè differentia dignosci videtur inter filios familias, & illos, qui sunt sui juris, prout accens antiquis legibus Romanorum pater nullam habebat obligationem erga filios emancipatos, quibus jus contrahendi paternum testamentum negabatur, cum esset sola prærogativa filiorum in potestate, qui solùm sui, & legitimi dicebantur, emancipati verò, vel aliàs sui juris habebantur pro extraneis, ut præter per jus novissimum juxta mores Græcorum notabiliter immutatum est, dum parentum obligatio relinquendi legitimum, ita est erga liberos in potestate, ac illos sui juris, quibus pariformiter jus contrahendi conceditur; Igitur magna dignoscitur immutatio legum, ac morum, quæ magis ad rem dignoscitur circa antiquam odibilitatem Cælibatus, ejusque supra recensitam pœnam inhabilitatis ad publica munera, ac honores, vel dignitates, dum in jure novissimo non legitur, & merito ob superventam Christianam Religionem, ob quam pleræque immutationes, ac diversitates sequutæ fuerunt; Igitur prorsus erroneum, ac fabulosum videtur hodiè procedere cum littera antiquarum legum *Digestorum*, quæ per Ethnicos Romanos sub diversâ Religione, longèque diversos mores viventes, condita fuerunt, & postquam, ut præmissum est, aboluta fuit antiqua prærogativa agnationis, quæ erat unica, & potissimè causa, ut agnati per fictionem mediante hoc arrogationis remedio jura sanguinis assequerentur.

Fortius, magisque convincenter, quoniam in Italia, aliisque Provinciis Europæ Occidentalis viventis cum usu legum civilium, post dissolutum Imperium Romanorum, juxta varios mores nationum dominantium, multa fuerunt introducta favore familiarum, & agnationum, quæ prius ignota erant; ut ex gr sunt feudatæ, & propria, ac etiam majoratus, & primogenia, seu fideicommissa agnati, nec non ius patronatus, gentilium, seu familiare, ac usus restrictionis nobilitatis ad aliquas familias, cum similibus; Et tamen certum est, quod nullum jus in feudis, vel majoratibus, & primogeniis, sive in jure patronatus, aut nobilitate, aliisque præeminentiis habent adoptati, & arrogati in præjudicium illorum, qui sunt de vera agnatione, & familia per naturam, ex deductis *discurs. 13. de Præemin. & discurs. 50. de Fideicommissis*. & alibi; & sic in hujusmodi juribus adhuc vigeat antiquus usus Romanorum super favore agnationum cum exclusione, & inhabilitate cognatorum, & tamen arrogati jus non habent; multò igitur minus in intestata successione bonorum indifferensium, in qua nullus hodiè dignoscitur, ac vigeat agnationum favor.

Idem quoque docet in hac intestata successione praxis statutorum, quæ frequenter in Italia, aliisque Regionibus habentur super exclusione faminarum, & cognatorum; ex pluries relatis *hoc eodem titul.* dum plerique habentur statuta restituta antiquorum Romanorum mores, ut agnati transversales excludant etiam filias, & matres, quod utique maximum, ac penitus irrationabile absurdum produceret, si hujusmodi arrogati ad hunc effectum jure agnatorum habendi essent, præsertim in successione aliorum, non autem ipsius arrogatoris.

Magna siquidem dignoscitur differentia inter successione ipsius arrogatoris, & illam aliorum ejus conjunctorum, quoniam ipse sibi arrogando extraneum in filium; ita jure cuiusdam impliciti testamenti, quatenus in ea voluntate perseveret usque ad obitum, videtur illum sibi destinare hæredem, & successorem, dum ad favorem cuiuslibet extranei vivens, vel moriens de ejus bonis liberis disponere potest, nullique injuriam infert, istam verò facultatem non habet in bonis, & successione aliorum, vel in bonis à se possessis, quæ jure fideicommissi, vel investituræ post ejus mortem aliis debita sint, adeo non habeat liberam eorum dispositionem, ut ita distinguendo in filiis naturalibus, qui legitimentur, vel recognoscantur, & tractentur tanquam filii, ut habetur *discurs. 68. & 69. de Fideicommissis*. & alibi frequenter, atque cum hoc præsupposito procedunt pro majori parte Doctores cumulati in dicto Voto, quod scilicet agatur de successione arrogatoris, & licet aliqui in paucis numero loquantur etiam de collatera-

tibus, attamen, ut præmissum est, loquuntur obiter, & indigestè, nullatenus examinato, nec quidem gustato puncto.

Et quidem nimium durum, omnique tam legali, quam naturalirationi evidenter est contrarium, ut quis ex voluntario factio alicujus conjuncti parum digni, vel parum prudentis; aut parum benevoli, ita cogatur habere ignotum parum dignum, vel exotium successorem, exclusis illis de suo sanguine verisimiliter dilectis, ac volitis; Intestata etenim successio juxta ordinem à communi jure novissimum *Auheniticorum*, vel à jure statuario, seu alias locali quodammodo testata dicitur, quod scilicet ille, qui testari negligat, atque ab intestato decedere eligat, ita voluerit uti testamento ejus vice facto per legem, ideoque intestata successio à verisimili, vel præsumpta decedentis voluntate regulatur, ex deductis supra hoc eodem titulo *discurs. 6. & 27.* & alibi; & per consequens durum, ac prorsus irrationabile censendum est; ut ille, qui sciens habere proximiores dignos, & emeritos, negligat testari, ut ejus bona transeant ad illos, quibus lex, & natura deserunt, præter, vel contra ejus voluntatem habere debeat successorem prorsus extraneum ignotum verisimiliter nolitum, & abhoritum, ut clarè ad sensum.

Ita verò consideratio, seu ratio non urgebat apud antiquos Romanos; juxta superius recensitos eorum mores, quorum præsupposito loquuntur eorumdem Romanorum leges in *Digestis*, vel in *Codicibus* registrata, quoniam illis moribus attentis, id erat frequens, & usitatum, atque fiebat publicè, & palam, adeo ut haberet speciem potiori, & expediebat etiam aliis agnatis, ut superius advertitur; ideoque maxima dignoscitur differentia inter unum tempus, & alterum, nimirumque in præterita est cum antiquarum legum litera hodie in subjecta materia procedere.

His itaque sic stantibus, quod scilicet, præscribendo etiam à circumstantiis casus particularis, atque agendo de articulo generaliter, & in abstracto, nulla esset hodie causa successiois hujusmodi adoptivorum in bonis aliorum, quam adoptantis, vel arrogatoris, inane, ac superfluum observabam esse laborem assumere alias inspectiones particulares, de quibus in quatuor superius distinctis punctis. Verùm ubi de illis agendum esset, quia nempe generaliter, & in abstracto arrogati haberent jus intestatæ successiois pro regula, cujus limitatio ex istius casus particularibus circumstantiis desumenda esset, adhuc erroneum credebam esse stylum adhibitum tam per defensores, quam per Judices, ut ex eodem recensito voto pateret, dictos quatuor punctos expendendo singulariter, ac distinctè, & de per se, cum veris pro meo iudicio omnia simul, & unitim ad eundem finem, sive effectum ponderanda veniant; Ita namque censenda est quæstio facti, & voluntatis potius, quam juris, quid scilicet Papa concedere voluerit, qualisve fuerit ejus intentio; & per consequens intrat id, quod sub diversis materiis frequenter quidem, sed semper utiliter, & opportune advertitur, clarum esse Pragmaticorum errorem procedere cum regulis, vel doctrinis generalibus in abstracto, sive ponderare singulas circumstantias distinctè, ac de per se, cum veris procedendum sit cum regula, ut *singula, quæ non profum, &c.* omnia simul, & unitim pro illius casus præcisa qualitate ponderando.

Quamplura igitur in idem tanquam per unonem subtilium funicularum ad efformandum magnam funem, in proposito consideranda fore advertebam. Primò nempe juris regulam generalem adeò frequenter sub omnibus penè materiis insinuatam; quod gratiæ Principis intelligendæ veniunt absque præjudicio juris tertii, quod semper præservatum censetur, quoties non agatur de gratiis de sui natura pernecessè præjudicialibus ratione incompatibilitatis vel fatuitatis, quod si generaliter procedit in omnibus Principibus, multò magis locum habet in illis Papæ, qui expressè id profitetur per ejus regulam *Cancellaria de jure tertii quæstio non tollendo*.

Secundò, nimium considerandum esse dicebam, genium, ac stylum Papæ concedentis, ex pariter pluries infirmata vera; & recepta propositione, quod Papæ voluntas regulanda est à Dataria, & Cancellaria, vel Secretaria Brevium stylo, qui non semper in hoc electivo Principatu est uniformis, sed varius, juxta Papæ pro tempore regnantis majorem, vel minorem facilitatem in gra-

tiam concessione, ut advertitur in *Relat. Cur. discurs. 7. & 9.* ideoque cum Pontifex Innocentius X. qui concessionem fecit, tanquam tenacissimus justitiæ, & legum observator, nimium difficilis esset in concessione hujusmodi gratiarum, tertio præjudicialium, in gratiam, sive ad instantiam privatorum, adeo non de facili reperiantur per ipsum concessæ illæ gratiæ, de quibus habetur *sub titulo de Regal. præsertim discurs. 177. & sub titulo de Fideicom. pluris*, occasione agendi de fideicommissorum derogationibus, Quoniam licet iste Pontifex magis quam alii, exercuerit ejus supremam, ac absolutam potestatem, in casu, de quo *discurs. 148. eodem titulo de Regal.* non tamen id sequutum est per viam gratiæ, & concessionis ad favorem alterius privati, sed per viam potius punitiois ad favorem Cameræ, atque in causam publicam, ut ibi; sequitur exinde, quod difficiliss ad præjudicium tertii concessio trahenda esset, potissimè dum præjudicium est duplicatum, proximorum scilicet sanguinis, ut per penitus extraneum excludantur, & ipsiusmet decedentis, de cujus intestata successione agitur, ut extraneum ignotum præter, vel contra ejus voluntatem habeat successorem, ut supra.

Tertio, considerandum esse observabam modum concessionis, quod non esset pura, & perfecta, ab initio, sed potius per speciem mandati de concedendo, directi Senatori, in forma commissaria cum clausula *servatis servandis*. Et quamvis Scribentes pro arrogato, ac aliqui Judices nimium se diffunderent in virtute, & operatione dictæ clausulæ *servatis servandis*, & an æquipolleret alteri clausula *vocatis vocandis*, adeo ut exequutor mixtus, vel respectivè merus censendus esset, juxta distinctiones, de quibus *disc. 43. de Judic. & alibi*, assumendo etiam quæstionem, an ad validitatem arrogationis requiratur citatio proximorum arrogatoris, ut patet ex deductis in Voto, de quo supra; Nihilominus, & in hoc æquivocari advertebam, quoniam aliud est agere de virtute, & operatione istius clausulæ ad effectum validitatis, vel invaliditatis executionis gratiæ, ac processus habitus per exequutorem, & an iste dicendus sit merus, vel mixtus ad plures effectus, de quibus *disc. 43. de Judic. & alibi*, & in quibus terminis loquuntur auctoritates, quæ desuper deducebantur; Aliud verò ad effectum exinde arguendi voluntatem Pontificis, qui dictam clausulam probabilis adjecit, quoad validitatem concessionis, etiam quoad ipsum arrogatorem, ejusque successorem, ut arrogatio haberet requisita, sine quibus etiam respectu arrogatoris est invalida, super qualitate scilicet arrogari, ne sit spuris arrogatoris, & super istius ætate, aliisque requisitis, desuper desiderari solitis.

Quartò, in idem nimium observandum esse dicebam, quod Pontifex in litteris habilitat arrogatum ad succedendum in bonis paternis, & maternis, & aliis arrogatoris, unde liquet, quod aliud in animo non habuit, nec facere credidit. Et licet magnæ habitæ fuerint disputationes, an hæc verba starent taxativè, vel demonstrativè, ut ex eodem Voto patet, sed pariter pro meo iudicio extra propositum, quoniam hæc inspectio intraret, atque formiter examinari mereretur, quando assistente certa juris dispositione ad favorem arrogari, prætenderetur ejus limitatio ex diversa voluntate Principis, qui taxativè ad certam speciem successiois, vel bonorum, gratiam restringere voluerit; Secus autem ubi id ponderatur declarativè, vel adminiculativè, & tanquam unum ex pluribus voluntatis argumentis, vel adminiculis, atque in hoc est punctus, qui influit in omnia alia motiva, de quibus supra, & infra.

Quintò omnium fortiss, & clariss ob dictam clausulam *sive alicujus præjudicium*, per quam quodcumque jus tertii præservatum remanet, ut in longè fortioribus terminis legitimationis filiorum naturalium, quando ista clausula adjiciatur, habemus in jure certum, ac receptum ex pluries insinuat *hoc eod. tit. ac etiam sub alio de Fideicommiss. & alibi*; Longè siquidem hodie majus censendum est jus filiorum naturalium, quam hujusmodi adoptivorum, dum in istis totum provenit à fictione, illi autem habent assistentiam veritatis, & naturæ, quibus attentis nulla dignoscitur differentia inter legitimos, & illegitimos; quæ solum provenit à jure positivo; Ac propterea jus canonicum, quod rejectis subtilitatibus, & rigoribus juris civilis attendit veritatem naturalem, & æquitatem, illis deserit alimenta, & dotem; ideoque prorsus durum, ac irra-

irrationabile videtur, ut legitimitio filiorum naturalium concessa cum illa clausula *sive præjudicio*, non debeat eis suffragari etiam quoad intestatam successioem ipsiusmet patris, multò minus aliorum conjunctorum, & tamen adoptio prorsus extranei cum eadem clausula debeat esse adeò majoris operationis.

Adversus istud motivum plura deducebantur, quod scilicet non intraret dicta paritas legitimationis naturalium, eo quia clausula in legitimationibus adjici solita, expresse reservat jura venientium ab intestato, quod in præsentem non exprimitur, dum simpliciter dicitur, *sive alicujus præjudicio*, quodque talis clausula præservat solum jus radicatum, atque competens ex causa de præterito de tempore gratiæ, ut est jus succedendi in fideicommissio, vel feudo, sive emphyteusi, & similibus, juxta auctoritates in eodem voto allegatas, necnon, ut etiam clausula, *sive præjudicio venientium ab intestato*, apponi solita in legitimationibus, intelligenda veniat restrictivè intra quartum gradum civilem ex relatis per Merlin. *de legitima lib. 1. tit. 2. quæst. 9. num. 3. & 4. & 16. & Grat. discip. 724. num. 23. & sequen.* cum aliis in eodem

30 Voto. Verùm hujusmodi objectiones nullius videbantur momenti, dum quoad primam clausula *sive alicujus præjudicio*, videtur magis lata, & effrenata, ideoque majoris debet esse operationis, quam illa restricta ad certum genus personarum, dum illud verbum *alicujus* est genericum, ac omnibus convenit, in quibus non intererat ratio incompatibilitatis, ut sequitur in ipsomet arrogatore, ejusque bonis. Altera verò circa operationem ejusdem clausulæ ad jus radicatum de præterito, omni penitus destituta est fundamentum, dum passim contrarium receptum habemus in praxi in filiis naturalibus cum ista clausula legitimationis, ut efficiantur quidem habiles ad successioem testamentariam aliàs eis denegatam. Pro ut omni penitus fundamento destituta esse advertebam tertiam responsioem circa restrictionem ad conjunctos intra quartum gradum; nulla enim auctoritas vel ratio legalis, vel naturalis id probare videtur, quoniam liberis, & ascendentibus exceptis, in collateralibus, nulla dignosci videtur differentia super intestata successioe inter unum, & alterum gradum usque ad decimum, attendendo solum proximitatem, ideoque istud reputandum est merum somnium modernorum collectorum, qui indigestè transcribere solent id, quod scriptum inveniunt absque aliquo discursu, vel ratiocinio more ovium, vel avium; Est etenim solemne æquivocum derivatum à mala intelligentia cujusdam consilii Baldi impressi inter consilia Angeli *consil. 265.* cum quo procedunt Nicolaus de Ubaldis, Cephal. & alii, collecti per Merlin. & Gratian. *ubi supra*, in quo quartus gradus non exprimitur, an sit canonicus, vel civilis, ac etiam ex ejus tenore constat, quod quartus exprimitur ex errore impressoris, dum revera auctor loquitur de quinto Canonico, qualis est idem, ac decimus civilis, ultra quem non datur collateralium intestata successio, sed ista aperitur, vel conjungi, vel fisco, ad quorum exclusionem Baldus ad favorem legitimi respondet, ista clausula non obstante, ut patet ex toto contextu consilii, & in fine, ideoque æquivocum palpatum manibus. Et nihilominus intrat eadem responsio, de qua supra in aliis motivis, quod scilicet ista restrictio intraret, quando aliàs arrogatus pro certo haberet pro se regulam, ac intentionem fundatam, deduceretur autem ejus exclusio, ob limitationem ab ista clausula resultantem, secus autem ubi illa attendatur tanquam unum ex argumentis, vel adminiculis voluntatis concedentis ut supra.

Demùm in idem nimium conferre observabam ea, quæ per venientes ab intestato deducebantur circa arrogationis

invaliditatem ex eo, quod arrogatus esset filius illegitimus arrogatoris, atque non verificarentur alia arrogationis requisita, recensita per Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 63.* & alios, adeo ut non esset extrà turpidudinis, & malæ causæ suspicioem; Quamvis etenim, ut ex eodem Voto patet, nimium inflatur in legali rigore super defectu probationum dictæ filiationis, quodque in arrogato necessaria non sit qualitas legitimorum naturalium, cum sufficiat eum esse sui juris, & non esse illegitimum filium arrogatoris; Attamen tota facti serie, vel massa inspecta, ipsaque naturali veritate attenda, magnus fumus hujus veritatis adesse videbatur; Siquidem Christophorus arrogator non erat vir dives, vel alias adeò qualificatus, quod juxta antiquos Romanorum mores ei congrueret filius adoptare, ideoque actus est in verisimili de per se cum prorsus extraneo; Cumque ex libro baptisimatis peteret, quod arrogatus ex incerto patre procreatus esset, quodque arrogator ab infamia illum propriæ domi educa verit, ita his omnibus simul junctis cum aliquibus depositionibus testium, licet essent exceptione elidibiles, dicta veritas eludere videbatur, addito quoque non levi argumento resultantem ab enunciata testamentaria dispositione ejusdem Christophori arrogatoris, viri, ut supponebatur, sagacis, & alicujus peritiæ legalis, quod rectè conscius veritatis, habensque proinde suspicionem invaliditatis dispositionis ad favorem illegitimi, adhibuit cautelam, de qua *disc. 12. de Testam. & alibi*, instituendo nempe ejusdem arrogati filios ex matrimonio susceptos.

Et ulterius observabam, quod hæc inspectio eo modo, quo ex eodem Voto constat examinata esse, intraret, quando principaliter ageretur de nullitate actus, etiam respectu successiois intestatæ, vel testamentariæ ipsiusmet arrogatoris, quodque ista sola objectio deduceretur; fecus autem ubi incidenter, & tanquam argumentum, cum aliis ut supra conjungendum, ad effectum, ut non collatur successio illis de sanguine, & agnatione, ac deseratur agnato ficto adeò suspecto.

Neutri verò Parrium istud Votum profuit, vel respectivè præjudicavit, dum Pontifex pro ejus nimium commendabili stylo enunciato in *annot. ad disc. 31. in Relat. Cur.* attendi voluit vota Prælatorum, solumque illud compositum fuit pro informatione ejusdem Pontificis, qui etiam primo aspectu, & anrequam hæc fundamenta audiret, in eodem erat sensu, volui tamen hæc adnotare ex zelo veritatis, & justitiæ, & ne ista nova fraus, malaque introductio in Republica radices emitteret, dum ita infinitæ fraudes committi possent, atque status mundi, seu Republicæ involveretur; hujusmodi arrogationes practicando cum illis, qui creduntur proprii filii adulterini, vel alias ex damnato coitu suscepti, quoties id in foro sufficienter justificari non posset, quo nil absurdius, nilve detestabilius. Magnam quidem apud me impressionem faciente dicta consideratione, quod notitia status rerum de tempore ultimæ compilationis legum omnino abest, ob intermediam oblivionem tot sæculorum, ut supra, quodque spatio quatuor, vel quinque sæculorum, in quibus cum usu legum vivimus, nunquam consistet istum casum contigisse, istamque speciem successiois admittam, ac practicam esse; Ideoque cum præfato Pontifici regnanti supplicatum esset pro consimili gratia, dum voluit quidam Romanus propria destitutus prole arrogare neptem ex forore ejus uxoris, concessa fuit gratia cum expressa restrictiva, & declaratione, ut intelligi deberet, atque effectum sortiri quoad ipsum arrogatorem, & in ejus bonis tantum, non autem quod aliquid arrogata acquireret jus agnationis, vel cognationis, quoad transversale Arrogatoris, quorum respectu habenda esset pro omnino extranea.

S U M M A, S I V E

Compendium eorum, quæ continentur in hac Parte II. Lib. XI. de Successionibus ab intestato, & de Statutis.

I.
De ordine intestatæ successionis, ex sola dispositione juris communis, à nu. 1. ad 22.

II.
De necessaria successione, quæ à jure quoque communi, secundarum nuptiarum ratione resultat, à nu. 22. ad 34.

III.
De alia successione necessaria, quæ resultat à jure municipali, vel alio jure speciali, à nu. 34. ad 38.

IV.
De successione prælativa alicujus generis personarum ex jure municipali, quod fit alterius generis exclusivum, puta masculorum in exclusionem fœminarum, à nu. 38. ad fin.

S U M M A R I U M.

- 1 Qualis sit ordo intestatæ successionis de jure communi.
- 2 Prima causa successionis est filiorum legitimorum, & naturalium supra parentes.
- 3 Quomodo sit illa nepotum ex filio prædefuncto.
- 4 De differentia inter patrem, & matrem circa successionem naturalium tantum, ut patri non succedant, matri autem æquè succedant cum legitimis, quod limitatur.
- 5 Filii impudant, vel conferunt dotem, & quando secus, & quid in donatione ob causam facta filio.
- 6 Non extantibus filiis succedunt pater, & mater, & fratres utrinque conjuncti, vel eorum prædefunctorum filii, licet moriens sit in potestate.
- 7 Hisque extantibus, avus, & avia aliique ascendentes non admittuntur absque representatione.
- 8 Non extantibus patre, vel matre, avus, & avia succedunt cum fratribus vel eorum filiis.
- 9 An nepotes ex fratre prædefuncto succedant cum patre, vel matre.
- 10 Fratres ex uno latere ubi extant fratres utrinque, vel eorum filii, & parentes, non habent jus in successione.
- 11 Quid deficientibus utrinque, an fratres ex uno latere concurrant cum parente ejusdem lateris.
- 12 Alii collaterales post fratres, & fratrum filios non succedunt cum ascendentibus etiam mediatis licet gradus sit æqualis.
- 13 Nepotes plurium fratrum, nullis extantibus fratribus, an succedant in stirpe, vel in capita.
- 14 Idem nepotes ex fratribus licet nulli adsint fratres, excludunt patruos, & avunculos.
- 15 De successione fratrum unius lateris tantum.
- 16 De generico ordine successionis aliorum conjunctorum post prædictos.
- 17 Conjuncti succedunt usque ad decimum gradum civilem, & non ultra.
- 18 Eis non extantibus succedit uxor, eaque non curante, fiscus, sed quando hæc fisci successio excludatur.
- 19 Illegitimi non habent jus agnationis, sed solum illud cognationis ideoque cognatis, non autem agnatis succedunt, & è contra.
- 20 Quid de legitimis.
- 21 Et quid de adoptivis.
- 22 An inter parentes intret distinctio, ut paterni in paternis, & materni in maternis succedant.

II.
23 De necessaria successione filiorum primi matrimonii in bonis matris binubæ obveniens à primo viro, vel à filiis primi matrimonii ex l. fœminæ.

- 24 Quas pœnas secundo nubentium inductas à jure civili, lex canonica aboleverit.
- 25 Iste pœnæ procedunt etiam in viro binubo, & quando excusetur.
- 26 De aliis excusationibus istarum pœnarum, præsertim ratione consensus.
- 27 An dicta successio procedat in bonis, quæ mediata obveniant.
- 28 Istud jus filiorum est personale, ad hæredes non transmissibile, si ipsi parenti binubo præcedant.
- 29 Minusque dicta successio intrat in iis bonis, quæ pater binubus ex filiis testata dispositione, vel donatione obtinuit.
- 30 Aut in obtentis titulo oneroso.
- 31 Potest pater binubus in his bonis gratificari aliquos ex filiis.
- 32 De successione necessaria in legitima filii debita, & de illa, quæ debetur conjugi pauperi.
- 33 De alia successione necessaria, ex l. hac ædificata.
- 34 De necessaria successione filiorum in bonis parentis præsertim in dotalibus matris ex jure municipali.
- 35 De illa conjunctorum in bonis antiquis.
- 36 De illa eorundem volente possessore disponere cum illegitimis.
- 37 De successione necessaria in fideicommissis, vel feudo, seu emphiteusi.

- 38 De ratione introductionis Statutorum circa successionem.
- 39 An censenda sint odiosa, & exorbitantia, vel potius favorabilia, & juri conformia.
- 40 In eis requiritur utraque subiectio personarum, & bonorum.
- 41 An excludant personas Ecclesiasticas.
- 42 An sint servanda inter laicos in successione personæ Ecclesiasticæ.
- 43 De dotalione fœminarum, quæ per hæc Statuta demandatur, quomodo intelligenda sint.
- 44 De aliis ad materiam remissive, & quare de singulis non agatur.

I.

Juris civilis dispositione attenda, quæ ubique, in terris etiam Ecclesiæ, atque in Ecclesiastico foro, quoque viget; Quamvis antiquiori, vel medio tempore, non modica varietas, super intestatæ successionis ordine dignoscatur; Ex novissimo tamen Justiniano Jure, cum quo vivitur, iste ordo planus redactus est, cum pleræque dubitationes, quæ in casibus omittis, vel non sufficienter explicatis, magnas inter nostros majores pugnam causerunt, hodie quoque sopitæ pœnæ sint; Eam pro regula amplectendo opinionem, quæ magis Tribunali-bus probabilior visa sit, ac propterea magis communiter recepta.

Filiorum itaque primi gradus, qui nullam natalium maculam habeant, (sublata sexus differentia,) prima, & cœqualis est causa utriusque parentis respectu, neque cum filiis, nepotes, ex eisdem, qui adhuc extant, minusque defuncti pater, vel mater concurrunt, cum filii omnes alios vincant; Nepotes autem, vel ultiores descendentes, qui aliis prædefunctis, primum cum avo, vel proavo locum occupent, filiorum loco habentur, ideoque parentes etiam vincunt, atque in aliorum filiorum primi gradus concursu, ex representationis beneficio obtinent id, quod eorum parens obtineret si viveret.

Ea verò, inter patris, ac matris successionem, filiorum vel descendendum, ex eis, differentia dignoscitur; quod patri, non nisi legitimi, & naturales, non autem naturales 4 tan-

tantum succedunt, matri autem, omnes cœquali jure, natalium macula non obstante; Nisi de matre Illustri agatur, quæ filios legitimos habeat (utroque requisito copulative desiderato;) Vel nisi ex damnato, & punibili coitu progenti sint, ut in legitima quoque filiis de necessitate debita statutum est.

Quamvis autem, ex dicto Novissimo Jure, sublata sit sexus differentia; Si tamen fœminæ, ab eo parente, de cujus successione agitur, dotem habuerint, Iitam conferre, ac imputare debent; Nisi lex ea donatione dos data sit, quæ ab alio, quàm filiationis motivo proveniat, ideoque collationi, ac imputationi non subiaceat; Optio-ne velat non conferendi, quatenus à successione abstinere velit; Idemque in masculis, quibus causativa donatio, juxta juris regulas imputabilis, facta sit. a

Post filios, alioque descendentes; Parentum primi gradus, nempe patris, & matris, ac fratrum, & fororum utrinque conjunctorum, secunda, & cœqualis est succedendi causa, patriæ potestatis vinculo neglecto, in ea bonorum specie, quæ sub adventitio peculio cadit, cum solum eorum, quæ sub verè profecticio peculio adhuc remanent, occupatio patri concedatur ipsius peculii jure; In aliis autem hæreditario, ac successorio jure, cum matre, & fratribus venit.

Atque ubi uterque primi gradus parens extet, vel eorum Alter, avi, vel avia; seu ulterioris ascendens, nulla est successio, neque representatio ordine inverso datur.

Si verò germani fratres, vel sorores vel eorum prædefunctorum filii adsint, immediati autem parentes desint, atque solum mediati extent, avus nempe, vel avia, sub quæstione est, an locum parentis cœquali jure occupet, magisque recepta, & probabilis affirmativa videtur. b

Prout etiam quæstio est, cum opinionum varietate, in casu converso, ubi nempe pater, vel mater extet, non autem frater utrinque conjunctus, sed ex eo prædefuncto nepos, an representationis beneficium intret, ut ita primum locum occupet, majorque dubitandi ratio cadit, quando alter primi gradus frater non extet, qui representationi ansam præbeat; Pariterque probabilior est opinio nepoti favorabilis, ut representationis beneficio juvetur. c

Illi verò fratres, vel sorores, quibus unius tantum lateris conjunctio datur, cum parentibus, vel cum fratribus utrinque conjunctis, eorumque prædefunctorum filiis, nullum habent concursum; Cadente quæstione, an utrinque conjunctis non extantibus, illi qui ex uno tantum latere conjuncti sunt, ad successionem concurrant, cum eo parente, à quo eorum conjunctio manat, quia nempe uterini cum matre vel consanguinei cum patre concurrere velint, magisque, recepta est negativa. Non tamen cum ascendentibus, & si mediatis, alii collaterales post fratres, & fratrum filios concursum aliquem habent, licet respective gradus æqualitas adsit. d

Nullis autem extantibus fratribus, sed plurium prædefunctorum nepotibus, magnam apud antiquiores, nimiumque involuta fuit quæstio, an adhuc intrare debeat representationis ordo, per quem successio fiat in stirpes, eo modo quo accedente patri, vel avunculi, seu amica, vel materteræ concursu succeditur; Hodie verò ubique magis ea recepta est opinio, ut successio sit in capita, cum cesset representationis necessitas. e

Adhuc tamen hujus representationis casu, vel necessitate cessante, illa in fratrum prædefunctorum filiis, operativa remanet, ubi cum defuncti patruo, vel avunculo concursus fiat; Licet enim, eadem, & cœqualis tertio gradu conjunctio sit, non tamen æqualis est successio, sed potior est illa inferioris lineæ collateralis nepotum ex fratre, primum fraternum gradum ita representationis. f

Utrinque conjunctis quoque, vel eorum filiis, non extantibus, fratrum, ac fororum ex uno latere tantum, prior quam ulteriorum collateralium successio est cœqualis, si ex eodem latere attineant, si verò ex diversis, dividitur successio pro bonorum origine, ut in iis, quæ à patre, consanguinei, in iis autem quæ à matre, uterini succedant; In quæstis autem à defuncto, si jus cœquale; Nepotes autem ex fratre unius lateris cum nepotibus ex fratre utrinque pro magis recepta opinione non concurrunt.

Aliorum verò omnium ultra præmissos, indefinita est successio, sola gradus proximitate attenda, ideoque patruus, vel avunculus consobrini excludit, vinculi unitate, vel duplicitate non curata, usque ad decimum civi-

lem gradum, quem successionis ordo non egreditur) sed vel uxor subintrat; g Istoque etiam non extante succedit fiscus, quem tamen aliquando in clericis, Ecclesia, & in infirmis, vel additis aut expositis Hospitalis, vel alia Congregatio, pro casum, vel morum diversitate excludit. h

In illegitimis autem, inter agnatos, & cognatos, distinctio est, ut agnatorum nulla activa, vel passiva successio detur, cognatorum verò secus, nisi ea accedat circumstantia, quæ (ut supra) matrem quoque extraneam efficiat, cum ab ea reliqui per cognationem conjuncti normam recipiant. i

Legitimatorum activa, & passiva successio, à legitimationis qualitate pendet, eo modo quo circa legitimam debitum advenit, an scilicet pura, & plena à supremo Principe facta sit, ut explicitam, vel subintellectam non habeat juris venientium ab intestato præservativam; Adoptivorum autem hodie nullam quæstionis casum praxis docere videtur.

In parentibus mediatis præsertim, magna est Juristarum lucta, an cœquale sit jus, ex gradus majori proximitate regulanda, vel potius patrimoniis divisio intret, seu bonorum origo attendatur, ut scilicet paterni in paternis, materni autem in maternis succedant; Probabilior autem, atque in praxi magis recepta videtur opinio, quæ primam tenet partem, ut scilicet hæc distinctio, seu differentia hodie sublata sit.

- a De hac materia collationis, vel imputationis sub tit. de hæred. disc. 31. & tit. de legit. disc. 24.
- b hoc tit. disc. 30.
- c hoc tit. disc. 8. n. 11.
- d hoc tit. disc. 3.
- e disc. 8. n. 10. & alibi hoc tit.
- f disc. 3. hoc tit.
- g disc. 39.
- h sub tit. de Regal. disc. 149. ubi de hac materia successio-nis fisci in bonis vacantibus; & quando non intret.
- i disc. 10.
- l sub tit. de legitim. & detraçt. & hoc tit. disc. 38.

II.

De necessaria successione, quæ à jure quoque communi, secundarum nuptiarum præsertim ratione, vel alias resultat.

Inter alias pœnas, quas lex civilis, mulieri ad secundas nuptias convolanti injunxit, ea est, in praxi frequenter contingibilis ut in iis bonis, quæ ex liberalitate, ac benevolentia primi viri, vel ex immediata successione unius ex filiis primi matrimonii, in eam binubam obvenit, sive etiam ex lucris dotalibus, necessaria sit successio filiorum, aliorumque liberorum ejusdem primi matrimonii, dispositione ipsi matri morienti prohibitoria, vel etiam ea inter vivos, quæ lucrativa sit, aut alias legis fraudem respective redoleat.

Quamvis enim, matrimonii libertatis favore pœnas, quas secundo nubentibus lex civilis infixit, lex canonica aboleverit, istaque lex correctoria, in foro etiam laicali, atque in laicalium Principum ditionibus, (quæ sub terrarum Imperii vocabulo explicari solent) legi civili prævaleat; Adhuc tamen incorrectæ remanent illæ pœnæ, quæ liberorum primi matrimonii favorem respiciunt. m

Prædictæ autem legis civilis litera, mulieri binubæ istam, aliasque irrogat pœnas, ideoque plurimum sententia est, ut in viro locum non habeant; Contrarium tamen magis receptum est, ut in utroque conjugue, vel parente respective pariformiter id procedat; Facilius tamen in viro cadet iusta excusationis causa, in gratiam eorundem filiorum ex prima uxore supersitum, quorum melior educatio alterius uxoris moralem necessitatem, vel congruentiam exigat, pro facti qualitate. n

Excusat itaque ab hac pœna superius insinuata, vel alia similis iusta causa, sive ipsorum liberorum consensus, qui tamen expressus ac legitimus existat, ad hunc finem datus, non autem, ubi ex sola urbanitate, seu benevolentia, vel quod parenti filius contradicere non audeat, sive quod novercam, vel respectivè vitricum amaverit, eique reverentiæ actus exhiberit. a

Non levis autem quæstio est, an hæc necessaria successio, in iis bonis procedat, quæ à primo conjugue in binubum supersitum, non immediate, ex unius ex filiis suc-

cessione, sed mediata obvenit, quia nempe uno filio prius defuncto, alter pro ejus virili succedat, eique postea morienti, cum aliis fratribus, parens binubus succedat, an scilicet, quod ita mediata obvenit, huic necessarii successioni subjaceat, quod varias habet opiniones, variasque recipit distinctiones præsertim in linea descendiva, vel transversa, ideoque in sua sede videndum est. p

Huic verò necessarii successioni favore liberorum tantum, qui parenti binubo supersint, locus est, ideoque primi matrimonii liberi, qui tali binubo parenti prædecedant, ad extraneum hæredem hujusmodi successioni jus non transmittunt, quamvis testati decedant, quidquid aliorum error tradat. q

Minusque eidem necessarii successioni locus est, in illis bonis, quæ non ex intestata successione, legisque beneficio, sed ex morientis filii benevolentia, & dispositione, parens binubus obtineat, sive per ultimam voluntatem, sive per actum inter vivos id sequatur. r

Prout neque sub hac pœna cadunt ea, quæ binubus conjux, ex primi bonis obtinuerit, non ex liberalitate, sed ex causa onerosa, & respectiva, ut præsertim ea donatio esse solet, quæ pro alicujus inæqualitatis compensatione fiat.

Non omnium item liberorum primi matrimonii necessaria est successio, sed eorum tantum, quibus parens binubus gratificari velit, cum istam à lege habeat potestatem, qua ad exercitium non deducta, æqualis est omnium conditio, juxta successioni ordinem. s

Aliæ sunt necessarii successiones, quæ à juris communis dispositione manant, ut est legitima, quæ liberis, vel parentibus debita est, ista verò diversam habet sedem vel materiam. t Sive illa, quæ pauperi conjugii supersitit debetur in bonis morientis conjugis in quarta parte. u

Prout impugnata legitima speciem habet, illa necessaria successio, quæ in ipsiusmet binubi parentis bonis, primi matrimonii liberis debita est, ut ultra legitimam eis de jure debitam, cujuslibet eorum conditio æqualis fiat secundo conjugii supersitit, cujus favore parens binubus disposuerit, quamvis ex causa lucri conventionalis, vel statuarii dispositio manet, ubi lex municipalis, explicitam, vel implicitam non habeat derogationem illi legi, quæ liberorum primi matrimonii favore ita statuit. x

m de his pœnis secundo nubentium disc. 29. cum pluribus seqq.

n disc. 33.

o eodem disc. 33.

p disc. 30.

q disc. 34.

r eodem disc. 34.

s de præmissis, & aliis ad materiam secundarum nuptiarum d. disc. 29. cum pluribus seqq.

t sub tit. de legitim. & detraction.

u disc. 49.

x disc. 32 & sub tit. de dote disc. 130. & seqq.

III.

De successione necessaria, quæ resultat à jure municipali, vel ab alio jure particulari.

Quamvis juxta ordinem in prima Rubrica insinuatam; Jus civile novissimum, intestatam successione regulari debere statuerit; Attamen; Vel quia antiqui Romanorum, ab illis Græcorum, qui tale Jus novissimum condiderunt, essent diversi; Vel quia in eo intermedio spatio, quod inter Imperii Romani translationem, dictarumque legum inventionem, ac usum, intercessit, pro diversarum dominantium Nationum moribus, vel ex aliis accidentibus, diversum succedendi ordinem plures præsertim Italiae populi sibi statuerint; Hinc proinde; Vel ex antiquarum legum, seu consuetudinum particularium continuatione; Vel ob novas leges statutarias quas iidem populi pro eorum animi declaratione, circa legum civilium usum condiderunt; In plerisque locis, diversus est ordo succedendi, etiam necessarius, ut præsertim frequentior usus docet in mulieris dote; In qua filiorum necessaria est successio, adeo ut neque volens possit mater aliter, per ultimam præsertim voluntatem, disponere, ut in dotali potissimum sede advertitur. y

Sive quod de bonis antiquis, ac aliis quam ex propria acquisitione obventis, non liceat, illis de sanguine, qui

etiam per transversum conjuncti sint, exclusis, in toto, vel in parte, cum extraneis disponere. z

Aut quod volens cum propria prole naturali tantum disponere, fratres, vel agnatos in aliqua parte successores habere teneatur; ac cum similibus restrictionibus, certam, ac generalem non admittentibus regulam, cum ab ipsarum legum particulari qualitate id pendeat.

Ex privato quoque jure, necessariam successione frequens praxis ubique docet, ubi nempe de fideicommissaria, vel de feudali, seu emphyteutica successione pacti, & providentiæ, aut simili agatur, ut in earum peculiariibus sedibus advertitur; Id autem, testatæ, vel conventionali, potius, quam intestatæ successioni referendum est, cum non ultimo morienti, sed primo disponenti, vel acquirenti succedi dicatur. b

y de his legibus, vel consuetudinibus sub tit. de dote disc. 90. & disc. 103. cum pluribus seqq. & hoc tit. disc. 38.

z d. disc. 103. de dote.

a de testament. disc. 52.

b Sub tit. de fideicommissis. præsertim disc. 141. & sub tit. de renunciatis. ubi de pactis super successione vel earum renunciationibus.

IV.

De successione prælativa alicujus generis personarum ex jure municipali, quod si alterius generis exclusionem, puta masculorum in exclusionem feminarum.

Eadem ratione, quæ initio præcedentis Rubricæ insinuata est, ut scilicet antiquis Romanorum moribus, ac etiam illis, cum quibus sub Longobardis, ac aliis post scissum Romanum Imperium Italia continuavit usque ad casualem inventionem voluminum, ex Justiniani Imperatoris mandato in Constantinopolitana Civitate ordinatorum, adversaretur illud Jus novissimum, quod, vel pro Græcorum moribus, Vel pro tunc dominantis feminini sexus adulatione, favore feminarum, & cognatorum conditum fuit.

Per universam penè Italiam Statuta condita sunt, feminarum, atque cognatorum exclusiva favore masculorum agnatorum; ex nimium commendabili voto præfatis Italis moribus valde adaptato, conservandi bona in agnationibus, & familiis, quorum decus, ac nobilitas ita conservantur, aliàs autem vilescunt, ita extraneas ditando familias, ac personas, quæ revera nullam habeant sanguinis conjunctionem, ab eo, à quo bona parta sunt.

Super hujusmodi verò Statutorum interpretatione, scribentium pugna non levis est, an ea lata, & benigna, vel potius rigorosa, & stricta fieri debeat; Aliquibus in majori numero, qui cum novissimi Justiniani Juris dispositione procedunt, opinantibus, ut ejusdem juris correctoria sint, ideoque strictam, nimiumque rigorosam interpretationem habere debeant, atque odiosa reputari, extensione prohibita, ultra verborum sonum, quamvis rationis identitas, imò, & majoritas, accedat.

Aliis autem (fortè probabilibus) primam recipientibus partem, ut præfato Jure novissimo neglecto, utpotè per Græcos pro eorum diversis moribus edito, nostris autem Italis moribus, atque antiquo Romanorum juri adverso, favorabilia potius, benignaque interpretatione digna censenda sint hæc Statuta, utpote veri juris Romanorum restitutiva, seu verius, morum regionis continuationem, dictique diversi Græcorum juris non acceptationem comprobantia.

Adhuc tamen in foro, illis deferendum est opinionibus, quæ in loco magis receptæ sint, quamvis rationis habeant resistentiam, cum ita exigat legalis facultatis deploranda miseria, ad quam pragmaticorum ineptum, ac irrationabile vulgus eam induxit.

Eodemque rigoroso, parumque rationabili sensu retento, eam quoque recipere oportet restrictionem, ut utriusque subjectionis copulativus concursus pro hujusmodi Statutorum operatione sit necessarius, personarum scilicet, ac bonorum, quæ statutis territorio circumscriptantur.

Undè propterea clerici, aliæque personæ ecclesiasticæ, quæ à statutis potestate exemptæ sint, ad intestatam successione alias vocatæ ex dicto Justiniano novissimo jure quod sexus, ac agnationis, & cognationis differentiam, subtulit, neglecto Statuti ordine, admitti debeant; Quinimò,

quod imò, & ipsimet laici; Statuto alias subditi, quoties de clericis, vel alias exempti defuncti successione sit quæstio; Horum autem neutrum placet, parumque probabile videtur, ut in sua sede latius advertitur.

Ibique illa etiam improbabilitas advertitur, ut Statuto feminae exclusæ dotationem demandante, ista sequi debeat ex singulis quibusque hæreditatibus, de quibus agitur, nisi Statutum unica dote contentum sit, undè propterea super verborum formalitatibus adeò insistitur, magnæque disputantur quæstiones quando uno, vel altero modo Statutum disponat; Quod pariter pro meo sensu frigiditates, parumque rationabiles legum sensus continet, cum potius legis finis, vel effectus attendi debeat, ne scilicet mulieres à successione exclusæ, à dote quoque excludantur, ideoque honestatis jacturam seu perpetuam viduitatem cum suo, ac Reipublicæ prejudicio pati cogantur; Quando itaque huic inconvenienti consultum est, isque finis, cum dote congrua pro qualitate personarum sit impletus, nimium im-

probabile est, ut uni mulieri, quæ plures habeat ascendentes, vel transversales, quorum successione locus fiat, plures habere debeat dotes, cum lex eam in singulari numero desideret, communi etiam usu, ipsaque naturali ratione adversantibus.

Quia verò hujusmodi municipalium legum diversa est formula, vel dispositio, ipsarumque singulæ diversam ceperunt interpretationem, vel praxim; Hinc proinde compendii incapax ista materia esse dignoscitur, cum facti potius quæstiones esse videantur, pro facti idcirco particulari qualitate decidendæ, ac de consequenti certam non recipientes regulam cuicumque casui applicabilem, ideoque in sua sede videndum est; Porissimè verò, cum proxima habeatur quoque Statutorum, aliarumque municipalium legum aliqua compendiosa enunciatio.

c de his omnibus ad materiam Statutorum in successione hoc tit. discurs. 1. & seqq. & discurs. 41. ubi alia res sententur.

Finis Partis Secunda Libri Undecimi.

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Undecimi Pars Tertia,

DE RENUNCIATIONIBUS

ONONIEN. SUCCESSIONIS

DE FABRETTIS

INTER

ALIQUA MONASTERIA MONIALIUM.

Responsum pro veritate.

An renunciatio facta per filiam paternæ successioni occasione ingressus in Monasterium, eam ab intestata patris renunciatarii successione excludat, ob existenciam aliarum filiarum equè monialium, quæ non renunciaverunt.

Et an hujusmodi renunciaciones factæ per ingressas, vel ingressuras Monasterium, subiaceant solemnitatibus statutariis.

Et de aliquibus generalibus prænotationibus ad hanc renunciacionis materiam.

S U M M A R I U M.

- 1 Quod materia renunciacionum sit frequens, & involuta, & quare.
- 2 Quare congruat repetere casus cadentes sub eisdem articulis.
- 3 Distinctiones, ac termini, sunt notorii, sed punctus est in applicatione.
- 4 Quot species questionum cadant in materia.
- 5 De renunciacione existitiva, seu absentiva, & qualis sit.
- 6 De translativa.
- 7 Quomodo dignoscatur, an sit existitiva, vel translativa.
- 8 De renunciacione reali.
- 9 De personali.
- 10 Quando una, vel altera species dignoscatur, & de distinctione inter eam, quæ sit occasio matrimonii carnalis, vel spiritualis.
- 11 Quando hæc distinctio procedat, & quomodo intelligenda sit.
- 12 Facti series, seu casus particularis questionis.
- 13 An renunciaciones, quæ fiunt per ingressuros in Religionem in statu seculari subiaceant solemnitatibus Statutorum laicalium.
- 14 Cum tribus sequentibus, De eodem, &c. ut non requirantur.
- 15 De ratione, ob quam dictæ solemnitates non requirantur.
- 16 Quando ea, quæ sunt onerosa, & prohibita censentur favorabilia, & permissa.
- 17 De duobus sequentibus, De distinctione, cum qua intelligenda sit utraque opinio in questione, de qua nu. 14. & seqq.
- 18 An & quando renunciatio excludat monialem renunciacionem, vel Monasterium à successione renunciatarii.
- 19 Ad quos effectus renunciaciones procurari solent à puellis, &c.
- 20 Quomodo voluntas renunciantis, & renunciatarii regulari debeat.
- 21 De applicatione ad casum specialem controversiæ.
- 22 Ubi omnes femine sint moniales, quarum una renunciavit, & altera non.
- 23 Quid de concursu æquali femininarum, quarum aliqua sit nupta, & alia non.
- 24 Quod non debeant attendi formalitates verborum.
- 25 De errore procedendi cum generalitatibus non bene applicando ad casum.

D I S C. I.

Successionum, aliorumque jurum, ac bonorum renunciaciones, quæ parentibus, vel fratribus (pro Italiz præsertim communi usu,) occasione matrimonii carnalis, per puellas; Alterius verò spiritualis, per illos utriusque sexus fieri solent; Nimirum frequentes in foro producunt quæstiones, antiquioribus penè ignotas, apud modernos autem nimium involutas, extensivè quidem, ob earum frequentiam, magnam habentes latitudinem, intensivè autem, intra brevis juris cancellos restrictas, adeout quoad ea, quæ juris sunt, unicus, ac brevis discursus, universam materiam comprehendere sit aptus, cum nulla desuper dignoscatur legum antinomia, seu articulo perplexitas; Latitudo autem, adinstar præsertim fidei-commissariæ materiæ, ex eo provenire videtur, quod facti, ac voluntatis potius quæstiones esse dignoscantur, ideoque certam generalem, seu uniformem regulam, cui-cumque casui applicabilem, recipere non sunt aptæ, cum pro singulorum casuum peculiari qualitate, ac circumstantiis, varia decisio resultet.

Hinc proinde, ut in præmissa fideicommissaria, aliisque similibus materiis ambiguz voluntatis advertitur; Citrà superfluz repetitionis notam, plures casus, vel quæstiones, licet sub eisdem terminis, vel conclusionibus cadentes, adnotare congruum est, ut ita ex dissimili eorum, (quamvis prima fronte similia) determinatione edoceamur, quomodo hujusmodi quæstiones decidendæ veniant, cum verè erroneum sit, idque tot æquivoca producat, cum solis generalitatibus in hac materia procedere.

Apud omnes etenim, ex concordati sensu, recepta est generica propositio, super qua, utpote notaria, & indubitata, nauseativam quidem, ac irritationem dignam est magnam allegationum congeriem facere, ita cum improbo, ineptoque labore, chartas inaniter replendo, ut scilicet renunciacionibus jura sua, non detur amplius regressus.

Punctus autem est in applicatione, ob eisdem regulæ limitationes, quæ quatuor habent vias, ex quibus manant, atque fori quotidianas quæstiones producunt; Unam scilicet invaliditatis actus, ob aliquas non adhibitatas solemnitates, cum tunc renunciacionis pro non renunciante habeatur; Alteram comprehensionis, an scilicet capiat successiones, vel jura, de quibus quæstio sit; Terciam resolutionis, seu cessationis, ob causæ, vel præsuppositi cessationem, sive ob status rerum immutationem; Et quartam demum (positis validitate, comprehensione, & non resolutione,) super actus rescissione, ex læsionis vitio.

Pro istis autem, vel earum aliquibus limitationibus regulandis, toriusque materiæ tractatione; Duos habemus terminos generales, super ipsius renunciacionis natura, seu qualitate, ex qua decisio quæstionis pendere videtur; Alia siquidem est renunciatio, quæ extinctiva, seu absentiva, vel abdicativa dicitur, per quam ille, qui renunciat, nihil det, vel in renunciatarium transferat, sed solum de medio se tollat, atque negativè se habeat, ita se faciendo, vel habendo mortuum, atque in rerum natura non extantem, ut aliis æqualibus, vel remotioribus locum aperiat; Sive ut iis, qui aliàs cum eo aliquam, obligationem, vel servitutum habeant, disponendi libertatem tribuat, perinde ac si non existeret.

Alia verò translativa dicitur, quæ in ipso renunciante, iurium, vel bonorum præviam saltim instantaneam, ac intellectualem præsupponit acquisitionem, eademque jura, vel bona renunciata, tanquam propria, per implicitæ donationis speciem, in renunciatarium transfert, qui non jure suo per obstaculi remotionem, ut in præcedenti specie,

cie, illa obtinere dicitur, sed ex jure, vel persona ipsius renunciantis, in quo ipsum jus renunciatum substantiari, seu radicari dicitur, ejus tamen utilitas, vel effectus, renunciatarii commodo cedit.

Ad unam verò, vel alteram speciem distinguendam, certant Juristæ, aliquas desuper tradendo regulas pro hujusmodi natura, seu qualitate metienda, præsertim verò in verborum formulis persistendo, & an bona, vel jura renunciata, in dativo, vel in accusativo posita sint, ut præsertim ceteris relatis advertitur per Rotam apud Bichium dec. 631. cum similibus ponderationibus, seu verius frigiditatibus; Hujusmodi siquidem, vel similes verborum formulæ, aliqua quidem ponderatione dignæ videntur, ad unum ex argumentis, seu adminiculis inducendum, quod alia confoveat, non autem, ut certam, ac determinatam regulam inducere id aptum sit, quasi quod, eo ipso, quod verba, unam, vel alteram habeant formam, pro constanti (aliud non inquirendo) una, vel altera renunciacionis qualitas, vel natura statui debeat, cum frequentius, ex Notariorum potius loquendi stylo, verborum formulæ manent, quam ex voluntate ipsorum renunciantium, dum frequentius in experti adolescentis, vel puellæ sunt, adeout verè irridenda leguleica ineptia videatur, in sola verborum formalitate, principalem vim constituere, cum facti circumstantiis, juxta consuetam conjecturalem naturam, seu regulam, unitim ponderandæ sint, inter quas verisimile, seu inverisimile potissimum sortiri debet locum, ex regionis moribus, ac personarum qualitate arguendo.

Alteræ diversæ qualitatibus, vel naturæ distinctio est, inter eam renunciacionem, quæ realis dicitur, ac eam, quæ sit personalis; Realis etenim ea est, per quam renunciacionis non unius, vel alterius personæ effectione moveatur, vel particularem habeat respectum; sed generaliter, ac indeterminatè se mortuum faciat, atque à successibus, vel juribus renunciatis, extraneum, ac omnino alienum, non curando, an ad unius, vel alterius personæ commodum renunciacionis effectus cedat.

Personalis autem ea est, quæ unius, vel plurium personarum intuitum, vel favorem concernat, ad hoc ut actus, vel effectus renunciacionis, earum tantum, non autem aliorum commodo cedat, sive per viam extinctivæ, sive per alteram translativæ renunciacionis actus sequatur; Atque ab his distinctionibus, vel terminis, in omnibus controversiis, seu discuribus repetendis, vel supponendis, tota materia pendet.

Ad hujusmodi autem realis, vel personalis, diversæ species distinguendas, pariter, ac magis se involvunt Scribentes, potissimum verò ipsius renunciacionis causam ponderando, an scilicet spiritualis, vel carnalis matrimonii, vel status occasione fiet, quasi quod renunciaciones, quæ per puellas carnaliter nubentes fiunt, personales censendæ sint; Reales autem illæ, quæ per utriusque sexus personas, occasione professionis in Religione, vel assumptionis vitæ spiritualis fiunt, ut hoc secundo casu amor Dei, ac vitæ spiritualis, præcipuum sit renunciandi motivum, ut renunciacionis temporaliibus omnibus abdicatis, promptius, ac expeditius Deo famulari, atque spiritualibus incumbere valeat, juxta distinctionem, super qua multa cumulat elaboratus additamentator ad dec. 523. par. 4. rec. tom. 3. & plures habetur hoc titulo, atque in pluries ibidem recensitis decisionibus, cum ea hodie volitet etiam per ora illorum, qui nullam facientes librorum appeturam, per traditiones more psytacorum sciant totum id, quod dicunt.

Verum erroneum pariter est, atque pragmaticorum consuetæ leguleica ineptia, in hac distinctione, certam vim constituere; Sive ex ea certam, ac generalem desumere regulam; Unius etenim, vel alterius vitæ, seu status qualitas argumentum quidem est, cum aliis conjugendum, pro una, vel altera renunciacionis qualitate, vel specie metienda, non autem, ut certam indicat probationem, seu certam statuat regulam, cum tanquam quæstio voluntatis (ex ipsius substantia metienda,) verè determinationem recipiat, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis.

His igitur, pro omnium controversiarum, seu discursuum generali norma prænotatis; Quatenus ad hanc facti speciem pertinet; Cum ab intestato obiisset Franciscus Maria Fabrettus, tribus superstitibus filiabus, quæ omnes vitam spiritualem eligentes, in diversis Monasteriis professionem jam emisserant, quarum duæ amplam renunciacionem (juxta illius Civitatis pingue formularium) patri, ejusque hæredibus fecerant; Altera verò non; Hinc propterea orta est controversia, an renunciaciones obfarent filiabus, quæ fecerant, seu Monasteriis ex earum personis venientibus, adeout intestata successio, soli filiæ, quæ non renuncia ve-

rat, vel ejus Monasterio debita esset; Seu potius omnibus æqualiter deberetur; Desuper autem, meo pro veritate voto expetito, in notis pro stylo transmissis duo continebantur puncti; Primò scilicet super dictarum renunciacionum invaliditate ob non servatas illius Statuti Bononiæ solemnitates; Et secundo, quatenus essent validæ super earum operatione.

Ad primum; Cum hujusmodi renunciaciones factæ essent per puellas in statu merè seculari, priusquam habitum monasticum susciperent; Hinc proinde motivabatur per Sapientes de partibus, quod ita remanerent Statuto subiectæ, ideoque ob non servatas solemnitates ab eo præscriptas, renunciaciones remanerent in validæ, ob decretum annullativum ejusdem Statuti, ut in specie aliis relatis habetur apud Gratian. discept. 195. per rot. & Rotam apud Duran. decis. 121. n. 41. repetit. p. 5. recen. decis. 125. & apud Dunozett. decis. 641. ubi concordantes.

Verum respondi, quod istud motivum parùm tutum videbatur, quoniam hujusmodi renunciaciones, vel dispositiones, quamvis in statu laicali factæ, quoties id sequitur sit in limine ingressus in Religionem, ejusque ingressus, non subiaceant solemnitatibus, ut firmatur apud Baratt. dec. 461. n. 10. cum seqq. atque recedendo à firmatis apud Dunozett. decis. dec. 641. verius esse statuitur coram eodem decis. 676. Istamque posteriorem opinionem Rota postmodum sequuta est pluries, præsertim apud Otthob. dec. 10. n. 48. apud eundem Dunozett. decis. 951. & 954. decis. 161. num. 8. & seqq. par. 10. rec. & advertitur sub tit. de donat. disc. 15. & sub tit. de Regulari. disc. 58.

Et quamvis, ut ead. disc. 15. de donat. & disc. 58. de Regul. insinuat, id parùm probabile mihi videatur, quoniam magis recepta opinione, de qua ibi, in renunciacionibus, aliisque dispositionibus, quæ per hujusmodi ingressuros fiunt, ante susceptionem habitus, & priusquam novitiorum statum assument, non requiruntur solemnitates præscriptæ per Sac. Conc. Trid. sess. 25. de regul. cap. 16. iuxta decisiones, & auctoritates ibidem allegatas, quasi quod illæ solum præscriptæ sint ad occurrendum inconvenientibus, ne ipsimet Religiosi, habentes novitium in eorum manibus, ac potestate, curando cum ita ad favorem Religionis, vel aliorum bonis spoliari, illum quamvis in vitum, utpote bonis temporalibus destitutum, cogant ad profitendum, unde propterea resultet inconveniens, quod ita in expertus adolescens, seductionibus de facili subjectus imprudentes dispositiones facere possit, utraque solemnitatum via, seu beneficio cessante.

Attamen id non reputatur considerabile, ex ea potissimum ratione, quod hujusmodi dispositiones, naturam habent donationum causa mortis, sive ultimarum voluntatum, dum non sequuta professione in Religione, resolvuntur, ideoque non afferunt renunciacioni illud præjudicium irretractabile, cuius ratione solemnitates desiderari solent, ut advertitur apud Baratt. d. disc. 461.

Intrat enim dilemma, quod aut renunciacionis pro fessionem emittit, & tunc tanquam jam mortuus mundo, temporalia curare non debet, cum eorum incapax ita efficiatur, ideoque nil ejus interest, an magis ad unum, quam ad alterum bona, quæ jam reliquit, pertineant; Aut non proficitur, & tunc, cum actus resolvatur tanquam ex cessante præsupposito, (ut alibi etiam hoc titulo advertitur,) idcirco nullum exinde resultat præjudicium; Adeout quemadmodum in testamentis, aliisque ultimis voluntatibus, quæ per ingressuros fiunt, hujusmodi solemnitates non desiderantur, ita in præsentem contingat; Ideoque probabilis ratio dubitandi solum cadat, ubi renunciatio, vel altera dispositio, ita concipiatur, quod etiam non sequuta professione, ipsoque disponente ad sæculum regrediente, actus remaneat firmus, ac irretractabilis.

Istaque videtur magis congrua ratio, quam altera deducta ex illud autb. de Monach. & cap. de his de sepultur. cum qua plures procedunt relati à Sanchez ad præcept. Decal. lib. 7. cap. 6. n. 19. & 20. Barbol. in collect. ad. Concil. d. sess. 25. de regul. cap. 6. n. 35. & in supra allegatis decisionibus, quod scilicet habentibus hoc pium propositum, libertas disponendi concedenda sit, ideoque temporalium legum vinculis detenti esse non debeant, quoniam revera hujusmodi statutariz provisiones, quæ fiunt ad consulendum ætati, vel sexus imbecillitati, non continent onus, & ligamen, sed potius favorem, ac beneficium eorundem, ut ipsorum inde-mnitati consultum remaneat.

Ad instar eorum, que insinuat sub tit. de testam. disc. 8. in proposito Sen. Cons. Liboniani, ut non importet testatoris ligamen, sed favorem; Ac etiam circa prohibitiones,

non recipit, ubi eorumdem filiorum favore, ac provisionem tendat circa prohibitionem, ne patri quaeratur usufructus, vel circa administrationem, seu aliam dispositionem; Ideoque non videtur congrua ratio ex defectu ejus applicationis.

Et nihilominus, pluries de hac materia agendo, dicere consuevi (quamvis deficientibus decisionibus, vel doctrinis ad hujusmodi distinctionem descendantibus, ista reputaretur unum ex meis ratiociniis, ut scilicet utraque opinio in hoc proposito recte conciliabilis videatur, inspiciendo qualitatem renunciationis; Si etenim ea bene ordinata sit favore parentum, vel fratrum, seu aliorum, erga quos bene ordinata ratio, ita exigat, puta quia sint dotantes, seu alias benefactores, &c. Et tunc recte posterior opinio recipienda veniat, cum tali casu etiam in renunciationibus, quae fiunt per puellas carnaliter nubentes occasione dotis, quae eis constituitur, probabilis hujusmodi solemnitates desiderandae non veniant, ut advertitur infra *disc. 6.* Secus autem, ubi facti circumstantiae suadeant actus improbabilitatem, ac fraudis, vel seductionis probabilem suspicionem.

Potissimum vero, ubi agatur de ingressu Religionem capacem in communi, cum tunc nimium ejusdem renunciantis interesse solet, renunciationem factam non esse, vel factam non sublineri, ideoque bona deferri ad Religionem, vel Monasterium; Tum ob quamdam fere communem Religionem, ac Monasteriorum consuetudinem, ab Ecclesia toleratam, ut ipsimet priores domini, in toto, vel, in parte suorum bonorum, seu eorum fructuum administrationem, ac dispositionem habeant; Tum etiam ob casus, qui contingere possunt transitus ad Episcopatum, vel ad alium statum, sive de una Religione ad alteram, adeo ut iniquum penes numerum agnoverim hujusmodi Religiosorum, qui faciendo renunciationem in adolescentia, quando id, quod agant forsitan ignorant, praesertim circa temporalia, majorem renunciationis, quam professionis habuerit poenitentiam; Ac etiam, quia ita intrare videtur praemisissa ratio, ob quam Concilium Tridentinum solemnitates praescripsit, quoniam ita, in ea tenera aetate seducti adolescentes, ab iis, qui eorum bona captare student, induci solent ad ingrediendum Religiones, quamvis verum spiritum vocationis non habeant.

Ideoque pro facti qualitate, ista quaestio pro meo iudicio decidenda videtur, amplectendo unam, vel alteram opinionem, prout facti qualitas, seu renunciationibus bonus ordo, ex prudenti arbitrio suadebit, non autem iudicio more cum generalitatibus in omni casu procedendo.

Quo vero ad alterum punctum principale, circa valide renunciationis operationem; Cum ad favorem renunciantium, vel Monasteriorum ex earum persona venientium, ponderarentur ea, quae ceteris relatis habentur firmata in puncto monialis, per Rotam apud Dunozet. *decis. 346. repetit. decis. 543. par. 5. rec.* & post Tambur. *de jur. Abb. dec. 6. laepius in aliis recepta*, praesertim apud eundem Dunozet. *dicta decis. 641. repetit.* apud Marin. *resol. 190. lib. 2.* qui Monasterii quoque jura tuetur.

Et converso autem, contra monialem renunciantem, vel ejus Monasterium ponderarentur firmata apud eundem Dunozet. *decis. 676.* ibi in hac parte receditur a *dicta dec. 641.* ac etiam coram Bichio *decis. 631.* & in Romana haereditatis de Lanuviis coram Taja in casu, de quo infra *disc. seqq.* & in aliis.

Hinc proinde, ut eam, quae dari potest, dictarum contrariantium decisionum, aliarumque auctoritatum conciliationem praerarem, illaque tollerem aequivoca (si possibile est) cum quibus frequenter procedi sum expertus; Advertendam (ut initio praemissum est) quod verè ista, non juris, sed voluntatis, ac nudi facti est quaestio, ideoque erroneum est, cum generalitatibus procedere, atque decisiones in aliquibus casibus editas, cuicumque applicare, cum ex casuum distinctione, eorumque particulari qualitate, ac circumstantiis, varia decisio, pro eorum varietate pendeat.

Ad duplicem etenim effectum, hujusmodi renunciationes procurari, ac reportari solent; Primo nempe, ac principaliter, ad effectum obtinendi libertatem disponendi de bonis suis, etiam cum extraneis, ita scilicet tollendo obstaculum necessariae successionis ratione legitimae, vel fideicommissi, vel crediti dotium maternas, aut ex dispositione text. in *l. fœmine, C. de 2. cum similibus*, ut advertunt alii relatis Apont. *conf. 39. & 40. lib. 1.* Capyc. *Latro decis. 3. n. 26. & seqq.* Rot. apud Gregor. *decis. 85.* apud Dunozet. *d. decis. 346. alias 543. par. 5. rec.* apud Orthob. *d. decis. 10.* cum aliis per Add. *ad dec. 523. p. 4. rec. tom. 3. & saepius.*

Ideoque, ubi ipsius renunciantii dispositio, de ejus bonis inter vivos, vel per ultimam voluntatem accedat, cessant comprehensiones quaestiones, & an ipsius renunciantii haereditas, vel successio sub renunciatione cadat, ut apud allegatos; Solumque isto casu intrat inspectio nullitatis actus, ob non servatas solemnitates, vel altera rescissio-nis ex capite laesionis.

Secundo autem in casu non factae dispositionis, ac mortis ab intestato, procurari solent, ad effectum, ut ita subla-to renunciationis obstaculo, pinguior, ac integra sit successio aliorum, vel eorum, quos potius pater, vel qui renun-ciationem reportavit, ejus voluit intestatos successores, quam renunciantem.

In hujus autem voluntatis regulatione, fere omnes hu-jus materiae quaestiones esse solent, atq; in ea, ut praemis-sum est, se involvunt Scribentes, qui mere pragmaticum stylum sequendo, in generalitatibus, vel in decisionibus, ac doctrinis male ad litteram immorantur, cum revera to-tum pendeat à distinctione casuum, sive ab istorum circum-stantis verisimilem renunciantis, ac renunciantii, praer-ferim ipsius voluntatem suadentibus, & an immutato sta-tu rerum, verisimiliter voluntas esset, ut renunciatio resol-vi, vel effectum sortiri non deberet, sive quod cogitato ca-su, ea facta non esset, juxta diversas casuum species, de quibus in aliis controversiis *hoc eod. tit. ex quorum combi-natione, ad veritatis notitiam, seu decisionis regulati-onem deveniri potest.*

Applicando autem ad rem; In hac facti specie agebatur de renunciationibus per filias patri dotanti factis de renipo-re, quo filium masculum habebat, cujus intuitu, pro com-muni praesertim Italiae usu, nimium verisimile est; quod pater, filias ita providendo, de earum renunciatione sollicitus fuerit, ut ita, sublati omnibus quaestionibus, quae su-per statutorum intelligentia cadere solent, filius masculus familiam propagaturus, atque paternam domum conserva-turus, integrum a se patrum, & matrum, aliorumque majorum obtineret, & consequenter potius ex voluntate re-nunciantii, quam ipsarum renunciantium, quae inexpertae puellae ad haec non solent cogitare, nec reflectere, an renun-ciationes essent personales potius, quam reales, id est factae intuitu personae fratris, ejusque filiorum, vel ejusdem patris, quatenus frater quoque deficeret, pro dicta disponendi li-bertate, quatenus ista ad exercitium deducatur.

Utraque autem circumstantia cessante, ob fratris praedeceffum, patri absque prole, atq; ob ejusdem patris obitu-m ab intestato, superstitibus una, vel pluribus filiabus, vel neptibus, & sic personis ejusdem sexus, unde propterea non urgeat ea ratio, quae pro communi usu, favore sexus, ac agnationis urgere solet, quoties altera non urgeat persona-lis demerentia, tunc nulla subest congrua ratio, cur pater, unas voluerit esse filias, & alias, (ut vulgo dicitur) privignas, ut in his terminis patris renunciantii ab intestato decedentis, pluribus relictiis filiabus, quarum aliquae renunciantia verat, aliae vero non, agunt Bald. *conf. 437. lib. 1. Cravett. conf. 42. Gall. conf. 64. n. 8. & 9. & alii, de quibus apud Marin. in d. res. 89. n. 20.*

Clarius vero, ac extra controversiam, ubi earumdem fi-liarum eadem sit conditio, dum omnes erant moniales pro-fessae, ex quarum persona aequaliter earum Monasterii suc-cessio deferebatur, ideoque non intrabat illa diversa ratio, quae etiam inter filias, vel ex eadem ratione inter sorores, aliaque decedentis renunciantii conjunctus cum eadem proportionem cadere solet, ubi earum dispar sit conditio, vel status, quia nempe aliquae sint moniales jam professae, aliae vero nuptae in saeculo, filios habentes, vel probabiliter speran-tes; Siquidem cum saeculo effecta, non ipsa filia, vel soror monialis succedat, sed Monasterium, quod est extraneum; E converso autem ipsae filiae, vel sorores nuptae, earumque sperati filii, & descendentes successionem habeant, unde propterea commodum saltem pro nostra spe, vel credulitate, futurum est proprii sanguinis, hinc proinde intrat ex verisimili voluntate, personarum discretio.

Eademque intrat, ubi aliquae ex filiabus, vel aliis faeminiis essent jam nuptae, & congrue dotatae, aliae vero adhuc innuptae, quoniam ubi etiam rerum status varietur, quia nempe postea decedant masculi de tempore renunciationis exi-stentes, adhuc tamen cessare non dicitur volentis renuncia-tarii, ut resolvatur renunciatio, ex probabilis motivo, ita fa-ciendi magis qualificata, & conspicua matrimonia illarum puellarum, quae adhuc supersunt innuptae juxta ponderatio-nes, de quibus *sub tit. de feud. disc. 14.* in proposito legum vi-gentium in utriusque Siciliae Regnis, super femina innu-pta,

pta, seu in capillo secundogenita in feudorum successione praerferenda filiae primogenitae nuptae, & dotatae, cum ibi contentis declarationibus, atque docet quotidiana praxis.

Atque exinde desumebam rationem, ob quam iste pater de duarum filiarum, primo in Monasterium ingressarum renunciatione sollicitus fuerit, non autem de illa ultima, quoniam defecto masculo, cujus intuitu has diligenc-tias prudenter pro nostris moribus adhibebat, id neglexit, verisimiliter pro neglectis habendo etiam aliarum filiarum renunciationes.

Hinc propterea dicebam in hoc Responso, ac frequenter in aliis dicere consuevi, quod pro meo sensu, contemptibili-les videntur ponderationes fieri solitae ob formulas verbo-rum, vel clausularum; Sive an renunciatio concepta sit etiam pro heredibus extraneis; Vel an adit, necne verbum gene-rale *quibuscumq;* Sive an adit verbum denotans realitatem, cum similibus ineptiis, ac frigiditatibus; Quoniam ut advertitur in pluribus discursibus sequentibus, praesertim duobus proximis, satis notum est, quod istae verborum formulae non sunt Partium, sed Notariorum cas transcribentium ex for-mulariis, sive (ut saepius tam in Notariis, quam in ipsismet Advocatis minutarum Consultoribus expertus sum) pro stylo trascribendi formulas, & cautelas adhibitas in enun-ciationibus factis per filias Principum, & Magnatum ha-bentium filios, vel agnatos, atque pro facti qualitate princi-paliter reflectentium ad faciendum eam feminam, etiam ex politicis, seu alias prudentialibus motibus, tam actu, quàm habitu omnino extraneam à successione; Atque in hoc con-sistit nostra simplicitas, ob quam reddimur apud aliarum scientiarum professores, contemptibiles, quod scilicet, non distinguimus casum à casu, magnificando aliquam specia-lem doctrinam, non reflectendo ad diversas circumstantias; Ideoque in ista potissimum materia principaliter, ac omni-no praer oculis habenda est illa, quae in omni alia, praesertim fideicommissaria materia, adeo frequenter insinuat est propositio, ut non cortex, & formula verborum, sed sub-stantia verisimilis voluntatis inquiri debeat pro facti qua-litate, ac singulorum casuum circumstantiis.

ROMANA HAEREDITATIS DE LANUVIIS

PRO BERNARDO EVANGELISTA CUM MONASTERIO S. ANNÆ.

Casus decisus per Rotam pro Bernardo, postea concordatus.

De eadem materia renunciationis factae per femi-nas profites in Monasterio, parentum, ac fratrum, aliorumque successoribus, An eas ita extraneas faciat, ut eorum renunciantiorum in-testata successio, aliis remotioribus collateralibus potius aperiatur.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **R**esolutiones hujus causae.
- 3 **A**liae resolutiones in alia causa super eadem renunciatio-ne.
- 4 **Q**uod renunciatio esset realis, ac extinctiva, & quare.
- 5 **I**lla quae sit occasione Religionis est realis.
- 6 **Q**uid operetur pactum de non petendo.
- 7 **D**e difficultatibus adversus dictam realitatem.
- 8 **Q**uod sit error concipere renunciations puellarum latino sermone.
- 9 **Q**uomodo istae quaestiones decidi debeant, ac distingui species renunciations.
- 10 **D**onatoris, vel renunciantis declarationi est deferendum, & quando.
- 11 **D**e varietate resolutionum super hoc eadem puncto natu-rae renunciations factae per Monialem.

D I S C. II.

CUM Placidia, & Scholastica de Lanuviis per Patrem, (qui plures filios masculos habebat,) cum consueta dote collocatae essent in Monasterio Sanctae Annae, atque pro communi usu, amplissimam fecissent renunciationem tam parentum, quam fratrum successoribus, ad eorumdem, eorumque haereditatem, & successorum quorumcumque favorem, cum amplis, ac effraenatis verbis, & clausulis, quae pro bene consulto formulario in hujusmodi renunciationsibus adjici solent; Atque defunctis aliis fratribus, omnia bo-

na consolidata essent in Hieronymo Prelato utriusq; Signa-turae Decano; Isto imprudenter in decreta aetate ab in-testato defuncto, praerentionem excitavit Bernardo quinto gradu civili per cognationem conjunctus, ut sibi potius, quàm praeratis germanis fororibus monialibus, quae ob earum amplam renunciationem omnino extraneae effecta erant, haec intestata successio debita esset; Introductaque causa coram A. C. Sententia ipsi Bernardo favorabilis prodit, in gradu appellationis approbata per Rotam coram Taja, cum bina resolutione sub diebus 21. Junii 1661. & 23. Junii 1662. Cumque adversus has resolutiones nova audiret in gradu Monasterio concessa fuisset, atque ego pro Bernardo obtinente scribens, adhuc difficultatem haberem; Hinc proinde, me consulente, controversia finem habuit per concordiam, quae attento praeratae causae statu, nimium honesta, potiusque Monasterio utilis fuit, ab ejus etiam Advocatis consultata, atque tunc per Rotam quoque desiderata.

Ista igitur causa ita sopita, consimilem praerentionem ex-citavit alter eodem gradu conjunctus, atque pro neutra parte me scribente, eo quia non poteram scribere pro Mona-sterio, minusque honestum censui scribere pro alia parte ob difficultates desuper habitas, quas occasione facilitandi concordiam in discursu ad veritatem edito explicaveram; In hac diversa causa, diversae prodierunt resolutiones coram eodem Taja, quoniam sub die 20. Aprilis 1668. res-ponsum fuit pro Monasterio, & sub diebus 27. Februarii 1665. & 11. Martii 1672. responsum fuit contrarium, atque in hoc statu causa pendet.

Scribens igitur pro dicto remotiori cognato in exclusionem germanarum fororum, more Advocati deducebam firmata per Rot. coram Dunozet. *dec. 676.* & coram Bichio *dec. 586. & 634.* istaeque ultimae decisiones in eadem causa Ariminen. successione, approbatae fuerunt 1. Aprilis 1658. coram Be-villaqua; Quod scilicet cum renunciatio facta esset parti, & fratribus pro eorum hereditibus, & successoribus quibuscum-que ita per istud generale, ac effraenatum verbum, *quibus-cumque*, omnium complexivum, etiam pro remotioribus conjunctis stipulatum censeretur, ideoque renunciatio mere realis dicenda esset, quae effecerit dictas feminas omnino extraneas, seu mortuas, juxta firmata in supra allegatis de-cisionibus, praesertim cor. Bichio in quibus concordantur.

Clarius vero, dum agebatur de renunciatioe facta occa-sione ingressus in Monasterium, ac susceptionis vitae spiri-tualis; Unde propterea intrat praesumptio realitatis, quod scilicet principale renunciantis motivum fuerit amor Dei, & abdicatio à bonis temporalibus, ut expeditius Deo famu-lari valeat, ex deductis apud Orth. *dec. 10. n. 38.* & latius in Romana haereditatis de Tuscanelis 31. Maii 1649. coram Meltio, cujus mentio habetur infra in Romana fideicommissi de Steccatis *disc. 4.* & in allegatis decisionibus coram Bich.

Item, quia renunciatio concepta erat per pactum de non petendo, quod ceteri facit renunciationem realem, ex deductis apud Montan. *convov. 10. nu. 1. Royit. conf. 24. nu. 13. & 14. lib. 1. Ottob. d. dec. 10. nu. 39. & 40.* & ple-ne in dicta Romana de Tuscanelis coram Meltio, cum aliis in causae decisionibus; Hisque addebantur alia verba ampla, ibi, *nullo unquam tempore ex quavis causa; & oc-casione, &c.* cum similibus.

Adhuc tamen (reflectendo ad veritatem) non modicam sentiebam difficultatem, stante meo sensu, in istis, vel simi-libus voluntatis quaestionibus haberi solito, atq; *disc. praeced.* etiam insinuato; ut scilicet verborum, & clausularum for-mulae, utpote Notariorum, vel Consultorum magis, quam ipsarum partium, negligi debeant; Potissimum vero, ubi (juxta Urbis, & Status Ecclesiastici, partium laudabilem usum,) concipiantur instrumenta in lingua latina, super actibus puellarum, vel idiotarum personarum, quae nullate-us intelligunt hujusmodi formulas, vel clausulas, super quo plura colligit Pignatell. *consult. Canon. 12.* Ideoque potius, ac omnino procedi debeat inspecta substantia verisimilis vo-luntatis, desumenda ex rerum statu, ac facti circumstantiis, eodem modo, quo in fideicommissis, aliisque ambiguae vo-luntatis quaestionibus procedendum est.

Ista vero regula retenta, quodq; renunciantii potius, de-cujus successione agitur, quam renunciantis verisimilis vo-luntas indagata debeat; Dicebam quod tunc hujusmodi verbo-rum, & clausularum operatio admittenda esset, quando aliqua verisimilitudo assisteret etiam favore remotiorum transverfalium, puta (pro Italiae praesertim moribus) favore agnationis, & familiae, in qua bona conservarentur, excluso Monasterio, quod in effectu extraneum est; Sive quod intrarent aliae ponderationes, de quibus *disc. praeced.* vel juxta ca-lum,

sum, de quo in Romana testamenti, vel successiois pro Cad. Borrom. sub tit. de testam. in suppl. cum similib; duæ prudenti homini suadeant, ut id verisimiliter volitum esset. Secus autem, ubi turbato ordine legis, ac naturæ, atque cessante dicto agnationis motivo, resultaret effectus à partibus verisimiliter non cogitatus, neq; volitus, ut remotis cognatis penè ignotis, atq; neglectis, septimq; parum dignis, exclusis germanis sororibus, aded probum, benèq; ordinatum hæredem habentibus, successio aperiri deberet, cum id prius improbabile sit; Ut de me ipsa dicere possem, quod ex magno sororum numero tres adhuc habens moniales professas, quæ occasione profitendi, amplam ad mei favorem fecerunt renunciacionem, ut in casu intestatæ mortis, mihi cordis esset potius successio remotorum agnatorum pro ea dilectione, quæ pro nostris moribus habetur erga familiam, & agnationem, ubi de illa adessent, non autem, ut in vim verborum, vel clausularum contentarum in instrumentis renunciatariorum, exclusis germanis sororibus, exotis, vel saltem in nulla, vel modica respectivè existimatione habitis agnatis successio deferretur.

Duplici præsertim in hac facti specie circumstantia accedente; Primò nempe, quod defunctus, donec vixit nimio amore sorores prosequeretur, aliquos autem ex hujusmodi cognatis fortè non cognoscebat, seu agnoscere nolebat.

Et secundò, quod una ex dictis sororibus superstes (ob alterius mortem, lite pendente sequutam) valde probata monialis in decrepita ætate constituta, cum juramento quoq; declarationem fecerat, quod earum voluntas fuisset, renunciandi intuitu fratrum, eorumque descendendum; Ideoque intrare videbatur conclusio læpius insinuata sub tit. de donat. & alibi, ut quoties aliqua probabilis dubietas cadere valeat aded dispositio non sit omninò clara, eaque declarationis, vel interpretationis capax sit, tunc ipsius donantis, vel renunciantis declarationi deferri debeat; Potissimum autem ubi ex proprietate personæ atque ex cessatione notabilis interesse proximi, omnis excludatur effectus suspicio, ut in præfenti rectè dici posse videbatur, cum improbabile esset, quod probata monialis, quæ pro apinæ salute, per sexaginta circiter annos vitam religiosam duxerat jam decrepita, mortique proxima, cum animæ detrimento, absq; privato interesse, hanc mendacem assertionem; per viam juratæ, ac formalis declarationis, directè ad alterius valde notabile præjudicium facere voluerit, idèdque istæ non sunt quæstiones decidendæ cum verbis, sed cum factis, ejusque circumstantiis, ac propterea non juris scientia, sed juris prudentia, in earum determinatione adhibenda est.

Adhuc tamen, (quatenus ad istam causam pertinet,) relinquatur integer locus veritati, quoniam cum in ulteriori ejus progressu non scriperim, idcirco maturius iudicium efformare non potui, neque intendo assumere illas iudicis partes, quæ meæ non sunt; Benè verum, quod combinando istam causam cum altera, de qua infra d. disc. 4. atque perpendendo decisiones in utraque respectivè proditas, non videretur quomodo benè compatiantur, seu quomodo Advocati, & Consulentes, veritatis iudicium congruè dare valeant, sive litigantes de iustitia, vel iniustitia causarum monere.

MARSICANA SUCCESSIONIS. PRO OLYMPIA DE MACEROLIS CUM JACOBO, ET ALIIS PARITER DE MACEROLIS.

Casus decisus per Rotam pro Olympia.

De renunciacione facta per feminam nubentem in sæculo ad favorem fratris, cum expressione, ut ea realis esse debeat, an excludat renunciacionem ab ipsius renunciatarii intestata successione; Qua occasione agitur de explicatione hujusmodi terminorum renunciacionis realis, vel personalis, sive translativæ, vel extinctivæ.

S U M M A R I U M.

- 1 Adi series.
- 2 Resolutio casus.
- 3 Quod termini soleant confundi, idèdque sit distinguendum.
- 4 De quæstione, an renunciatio uni tantum, vel omnibus proficiat, & an renunciacionis faciat numerum, & partem.

- 5 De altera quæstione inter renunciacionem, ac eum, cujus favore renunciacionis disposuit.
- 6 De quæstione in bonis renunciantis ad renunciacionem obventis, de cujus successione agatur.
- 7 Et altera in bonis, & successione renunciatarii, qui disposuerit.
- 8 De intestata successione renunciatarii.
- 9 Non censetur ista successio comprehensa in renunciacione.
- 10 De distinctione inter nubentem in sæculo, vel in Monasterio.
- 11 De casu speciali controversiæ.
- 12 De intelligentia verborum, ut renunciatio sit realis.
- 13 Attendendi debent capitula potius, quam instrumentum.
- 14 Clausule apposite in executivis non multum attendendæ.
- 15 De distinctione inter bona quæstia, & quærenda pro regulanda renunciacione.
- 16 Quomodo istæ quæstiones decidi debeant.

D I S C. III.

Defuncto ab intestato Constantio de Macerolis, superstitite Olympia germana sorore, carnaliter nupta, quæ occasione nuptiarum, in instrumento dotali, fratri dotanti amplissimam fecerat renunciacionem, cum declaratione, ut ea realis, imò realissima semper esse, ac haberi deberet; Hinc Jacobus, Julius, & Nicolaus dicti Constantii patruales, præteritionem excitarunt, quod ipsi intestata successio debita esset, ac etiam altera fideicommissaria in bonis majorum; Introductaque causa coram A. C. cum de facto in possessionem bonorum se intrusissent, eorum favore prodit sententia; Devoluta verò per appellacionem causa coram Emerix sub die 4. Februarii 1665. ad Olympiæ sororis favorem prodit resolutio; neque ulterio- rem progressum hucusque causa habuit, vel quia concordata sit, vel ex alio ignoto accidenti.

Duo autem erant controversiæ puncti; Primò scilicet super paterno fideicommissio, & de hoc habetur actum in sua materia sub tit. de fideicommiss. disc. 46. Et secundò super intestata successione fratris, super qua stante dicta amplitudine verborum, præsertim quod renunciatio perpetuo realis, ac realissima esse deberet; Scribentes pro agnatis remotioribus, ita dicebant, quod stante renunciacionis realitate, dicta mulier habenda esset pro mortua, atque in rerum natura non existente, idèdque ipsi, ita per obitaculi remotio- nem proximioribus effectis, successio debita esset; Cumque terminos realitatis, & personalitatis, cum aliis extinctivæ, vel translativæ renunciacionis terminis confunderent, atq; auctoritates unos, vel alios percutientes cumularent; Hinc proindè, ad æquivoca tollenda, advertebam tam istius, quam aliarum causarum occasione, ut ad casuum, vel effectuum distinctionem, adverti deberet, ne aliàs (pro consueto stylo) quid pro quo caperetur.

Primus igitur casus controversiæ cadere solet, an renunciatio facta uni fratri, vel conjuncto, proficiat tantum, vel etiam aliis fratribus, seu conjunctis, æqualem succedendi causam cum renunciatario habentibus, in concursu successio- nis tertii; Et sub qua dubitatione, cadit etiam altera, quæ sonat in idem, an scilicet persona renunciantis, faciat numerum, & partem, & ad cujus favorem, & de his agunt (cæteris velatis) Fab. de Ann. cons. 45. Hodiern. contr. 5. Galeot. lib. 1. contr. 8. Bellon. Jun. de jur. accresc. c. 5. q. 48. & habetur in Bonon. disc. 7. Et tunc hujusmodi quæstionum decisio pendet à distinctione, ac renunciatio sit translativa, vel extinctiva, ut primo casu proficiat renunciatario tantum, cujus favore persona renunciantis faciat etiam numerum, ac partem, quoniam fingitur, quod ipse renunciacionis succedat, atque in ejus persona successio substantietur, ac effectuatur, ad commodum tamen, ac utilitatem renunciatarii; Sive hic æqualem cum aliis babeat succedendi causam, ut frequenter contingit inter fratres, quorum uni soror renunciacionem fecerit; Sive sit remotior, vel omninò extraneus considerandus tanquam procurator succedentis in rem propriam; Secundò autem casu, sublata de medio persona renunciantis, tanquam mortua, per jus non decrescendi, seu per remotio- nem obitaculi, æqualis remanet conditio omnium, æqualem succedendi causam habentium.

Istam autem distinctionem plerique faciunt sub diversis terminis realitatis, & personalitatis, quasi quod idem sit terminus translativæ, ac ille personalis, utpotè ad favorem certæ, ac determinatæ personæ facta; Idemque sit extinctiva,

ac realis, idest generaliter abdicativa à bonis abque contemplacione, potius unius, quam alterius personæ; Verùm hic est potius improprius loquendi modus, unde merito Rota, ubi de isto casu, vel effectu agit, præfertim in Auximana dotium 26. Maii 1655. coram Bichio inter suas dec. 631. de qua infra disc. 8. utitur dictis terminis magis propriis, translativæ, & extinctivæ.

Alter casus est, ubi pariter agatur de successione tertii, in concursu ipsiusmet renunciantis, ac hæredem renunciatarii, seu eorum, in quos renunciacionis, in vita, vel in morte de hac sperata futura successione disposuisset, & hic est proprie casus disputatus in Romana fideicom. de Ursinis disc. 6. Et tunc decisio pariter pendet à dicta distinctione, an renunciatio sit translativa, vel extinctiva, ut primo casu successiois commodum spectet ad hæredem, vel successorem renunciatarii, in exclusionem ipsius renunciantis, ex jam dicta ratione, quod jās successio- nis substantiatur in persona renunciantis, ad commodum tamen, ac utilitatem renunciatarii, seu ejus hæredum, aut aliorum, in quo ipse disposuerit juxta terminos text. in l. spem, C. de donat. Quatenus tamen agatur de bonis indifferen- tibus, quorum renunciatarii hæres, uti successor sit capax; Ibi enim est incapax, tunc intrat difficultas derivata, ex pluries enunciata theoria Bart. in l. qui Romæ, §. duo fratres, ff. de verb. obl. de qua in duob. disc. prox. seqq.

Itò etiam casu; Scribentes promiscuè uti solent dictis aliis terminis, personalis, & realis, considerando personalitatem, tanquam restrictionem renunciacionis, ad solam personam, cui facta est, & quatenus supervivat, non autem, ut præmorsus transmittat commodum successio- nis ad extraneos; juxta difficultatem excitatam apud Achill. dec. 10. de donat. quasi quod, cessante persona contemplata cessaret causa finalis renunciacionis pro illius resolutione ex regula tex. in cap. cum cessante, & hic est articulus principitè disputatus in dicta Rom. fideicom. disc. 6. Sed iste promiscuus usus hujusmodi terminor. ad hos, vel similes effectus non facit, ut generaliter, atque pro regula, ad alios diversos effectus, idem sit renunciatio realis, ac extinctiva.

Tertius casus est, ubi agatur de successione ipsiusmet renunciatarii, in illis solum bonis, quæ ad eum obvennerunt ab ipsamet renunciante, quia nempe femina renunciaverit germano fratri bona paterna, vel materna, atque ad istius postèd morientis intestatam successio- nem, concurrant fratres consanguinei, vel uterini ex secunda uxore, vel respectivè ex secundo viro suscepti, qui alias ex Statuto in bonis morientis æqualiter cum utring, conjunctis succedere possent ut frequenter in consanguineis tantum contingit; Sive quod filia renunciaverit bona materna ejus patri tunc habenti filios ex eodem matrimonio postmodum defectos, & qui ab intestato morienti, succedere velint filii ex altero conjugè procreati, juxta casum tractatum per Merlin. contr. 32. lib. 1. Altograd. Jun. contr. 27. & alios apud eodem; ac habetur actum sub tit. de success. in Romana successio- nis de Pellegris disc. 33. ac in aliis; Et in his terminis intat etiam distinctio, an renunciatio sit realis, vel personalis, capiendò pariter personalitatem pro restrictione ad certas personas, quasi quod filia, vel soror renunciacionem fecerit, solo intuitu fratrum utring conjunctorum, & quatenus ad eorum commodum successio bonorum communis parentis deferatur, aded eis defectis renunciatio resolvar, tanquam per repositionem consensus, & tanquam ex cessante causa finali renunciandi, unde propterea dicitur personalis; Vel è conversò fuerit generalis, ac indefinita pro transmissione bonorum ad quoscumque, & ad quem effectum dicitur realis; Et tamen isti termini cadunt etiam cum præsupposito, quod renunciatio sit mere translativa; Ergo ex verbo denotante realitatem, non inferatur per necessè ad qualitatem extinctivam.

Quartus casus est, ubi agatur de successione ipsiusmet renunciatarii, morientis cum testamento, seu alias, ad favorem extraneorum disponentis de bonis, de quibus alias (seclusa renunciacione) in præjudicium renunciantis, in toto, vel in parte disponere non poterat, ut (ex gr.) est filia, cui pater legitimam relinquere tenetur, vel soror, quæ à Statuto re-integratorio excluda, habeat jās re-integracionis ad suam portionem fratre deficiente; Sive ubi agatur de bonis antiquis, quorum medietas per necessè juxta Consuetudines Neapolis relinquenda est, juxta casum tractatum per Marin. resol. 191. lib. 2. Vel ubi de bonis fideicommissariis, ad quæ renunciacionis jus habeat vocacionis per mortem fratris, vel alterius renunciatarii juxta casum, de quo disc. disc. 6. cum similibus; Et tunc pleriq; procedunt etiam cum eadem di-

Card. de Luca Lib. XI.

stinctione, personalitatis, vel realitatis, ut scilicet stito de realitate, renunciatio tanquam persona- persona, evanescat, aded ut suffragari non possit e quos renunciatarii disposuerit; Verùm hæc magis communiter rejicitur quoties non appareat restricta, & præcisè voluntate, dum hujusmodi renunciaciones à filiabus, vel sororibus procurari solent ad hanc ponendi libertatem acquirendam, Greg. dec. 85. Apor. cons. 39. & 40. lib. 1. & infra disc. seqq. & læpius.

Demùm (omissis aliis ad rem non facientibus;) Quintus est casus, qui in præfenti disputacione cadebat, ubi scilicet agatur de intestata successione renunciatarii in ejus bonis propriis indifferen- tibus; Et tunc, aut renunciatio est translativa, quam aliqui isto casu, (sed erroneè, seu impropriè) dicere solent personalem; Et tunc impossibile est dicere, ut sub ea veniat hæreditas, ac successio ipsiusmet renunciatarii, quoniam hæreditas propria alicui donari non potest, neque datur extremum, in quo hujusmodi translationis effectus verificari possit, ut infra d. disc. 6. atque de hoc nemo dubitat, ut etiam de plano admittebant Scribentes in contrarium; Aut est purè, ac simpliciter extinctiva, quam pariter aliqui, (sed impropriè, ac erroneè) dicunt realem; Et tunc in primis inspiciendum est, an in renunciacione actum sit de successione ipsiusmet renunciatarii; Si enim non appareat, tunc ista regulariter non censetur comprehensa, ut in læpius allegata Romana de Perottis coram Duno, dec. 346. repetit. dec. 543. p. 5. rec. ex n. 9. cum seqq. Si verò de hoc appareat; Et tunc licet nostri, multos casus distinguere soleant, ut constat ex diligentibus, fatiq; elaboratè deductis per Marin. disc. resol. 189. ubi felici quidem stylo, compendiosè deduxit omnia, quæ per primarios Italici viros deducta fuerunt in celebri causa successio- nis Principatum Venarum, & Comitatus Celani, à qua omnè ejus fortunam mutuatus est, aded ut dici possit, quod ibi materia magistratè tractata sit, utpotè continens successio omnium eorum, quæ per magis insignes viros, non solum illius Civitatis, & Regni, sed etiam Curia Romanæ, aliarumque Italici Civitatum, elaborata fuerunt; Attamen (brevius agendo, ut plurimum hujusmodi controversiarum experimentum dedit, quod genuina veritas ea esse videatur, quæ insinuat sup. disc. 1. & in aliis, quod scilicet ista sit quæstio potius facti, quam juris, idèdque non apta recipere generalem uniformem determinationem, sed singulorum casuum decisio pendeat ab eorumdem particulari- bus, ac individuis circumstantiis, quæ uno, vel altero modo verisimilem utriusque contrahentis, renunciantis scilicet, & renunciatarii voluntatem suadeant, quia nempe renunciatarii probabiliter renunciacionem à filio, vel sorore procurare voluerit, ut aliis conjunctis, quamvis remotioribus, ex justa, & rationabili causa, etiam intestata successio defera- tur juxta ponderaciones, de quibus d. disc. 1. Vel è conversò.

Ad id autem indagandum, aliquoties conferre solet consideratio causæ, ob quam renunciatio sequatur, an scilicet, sit ob ingressum in Monasterium, vel ob nuptias carnales, ut primo casu facilius utriusque contrahentis voluntas præsumatur pro qualitate extinctivæ, seu realitate (ita impropriè dicta); Ex parte renunciantis scilicet, ut non in gratiam potius unius, quam alterius id egerit, sed amore Dei, ac vitæ cælestis, ad quam ut expediret fieret temporalia à se omninò abdicare voluerit, seque mortuum Mundo facere; Renunciatarii verò, dum verisimile est, ut voluerit ejus successio- nem, ac bona deferri potius ad conjunctos, quamvis remotiores in sæculo existentes, quam ad renunciacionem Religiosum, cum in effectu non ad ipsum, sed ad Monasterium penitus extraneum successio deferri dicatur, ut advertunt Rovit. cons. 43. n. 7. & cons. 44. lib. 1. Merlia. contr. 5. lib. 1. de Marin. disc. resol. 189. n. 22. 190. num. 6. cum seqq. & 191. n. 4. Orthob. disc. dec. 10. in Romana hæreditatis de Tolcanellis 31. Maii 1649. coram Meltio cum concor- dantibus disc. præced.

In illis autem, quæ in sæculo nubunt, præsumptio est in oppositum, quoniam cessantibus filiis, seu fratribus, vel aliis verisimiliter à renunciatario magis dilectis, & in quorum gratiam de communi usu hujusmodi renunciaciones à feminis nubentibus procurari solent; Ac etiam cessante dis- positione, ob cujus libertatem, ut supra pariter renunciaciones procurantur, tunc ex verisimili utriusque contrahentis voluntate sub renunciacione, quantumvis ampla, & in forma extinctiva, seu reali concepta, casus dicendus non est comprehensus, ut ex magistrati, ac recepto consilio Baldi 437. n. 2. l. 2. aliis pluribus cumulatis probant Rovit. cons. 23. n. 2. lib. 1. Apont. d. cons. 39. de Marin. d. resol. 189. per tot. & 191. n. 4. & seqq. cum aliis d. disc. 1. & in aliis.

Hinc

unde qualitas nuptiarum carnalium, vel spiritua-
 litem communem, ac frequenter receptam
 in, non importat perneceffe qualitatem extin-
 el respectivè translative, sive ut alii dicunt per-
 em, vel realitatem, quoniam stare simul possunt,
 nunciatio facta per nubentem in seculo sit purè, ac sim-
 pliciter extinctiva, quam aliqui improprie dicunt realem,
 quodque facta per ingredientem Monasterium sit solum
 translative, seu improprie personalis, ac propterea una, vel
 altera qualitas, consideranda est ad metiendam voluntatem,
 istamque uno, vel altero modo facilius, & cum minoribus,
 vel respectivè majoribus argumentis presumendam, ut apud
 allegatos; Apud quos, ac etiam apud Altograd. jun. *controv.*
 27. reprobatà habetur opinio Caroli Antonii de Puteo in
consilio unico post consilia Oddi & Menoch. cons. 6. volentium,
 ut renunciants, quamvis occasione nuptiarum carnalium,
 simpliciter, ac indefinitè per alios, quamvis remotiores à
 successione excludi debeat.

Ista igitur theoria ita constituta; Quatenus pertinet ad
 applicationem ad hanc facti speciem, In primis agebatur de
 renunciatione facta per nubentem carnaliter; Ac etiam ex
 instrumento renunciationis non constabat, quod renun-
 ciatum fuisset intestatè successioni ipsiusmet renunciarii,
 quoniam licet mentio fieret etiam de fratris; Attamen
 id verificabile erat in successione, ac bonis Julii Cæsaris
 alterius fratris jam defuncti, unde propterea bene intrabant
 firmata in dicta *decis. 346.* Dumozet. aliàs 543. *par. 5. recen.*

Et clarè, quia renunciatio clarè concepta erat in forma
 translative, & per vim donationis, quo casu (ut supra)
 res est indubitata pro excludenda comprehensione succes-
 sionis ipsiusmet renunciarii, cum hæreditas propria sibi
 ipsi donari non possit.

Illà verò verba, ut renunciatio censeretur perpetuè ef-
 ficax, ac realis, & realissima, (& in quibus totum erat fun-
 damentum scribentium in oppositum,) pariter imò in satis
 ampliori formula continebantur in dicto casu tractato per
 Mayn. *dis. res. 189. in principio,* ubi verba præcisa illius
 renunciationis registrantur; Et tamen contrarium decusum
 fuit, ex ea congrua ratione, quod in quibuscumque huma-
 nis actibus, non cortex, & figura verborum, sed substantia
 verisimilis voluntatis attendi debet.

Ac etiam, quia erroneum est dicere, ut verbum, seu ter-
 minus realitatis perneceffe importet qualitatem, purè, ac
 simpliciter extinctivam, quæ ita tollat omnino de medio
 personam renunciantis, perinde ac si non esset in rerum
 natura, dum verba producta, rectè verificari possunt, atq;
 operativa remaneant in ordine ad tertium, & quartum ca-
 sum supra exemplificatos, & ad quos, vel similes effectus,
 huiusmodi cautela introducta est, adiciendi hanc verbo-
 rum amplitudinem.

Potissimè verò ex duplici circumstantia; Una scilicet,
 quod verba prædicta non erant in capitulis matrimoniali-
 bus, quorum substantia attendenda est, non curata majori
 amplitudine verborum per Notarium in instrumento appo-
 sita, nisi quatenus hæc deserviat pro majori robore, ac ob-
 servantia, & firmitate illius substantiæ, quæ in capitulis ha-
 betur, ut sæpius in ista, & omni materia advertitur; Et altera,
 quod verba prædicta non erant in parte dispositiva,
 sed in calculis executivis adjectis pro eisdem renunciatio-
 nis observantia, & ne unquam contra renunciatarium, vel
 habentes causam ab eo, renunciants ad bona, vel jura renun-
 ciatà regressum habere possent.

Longas quoque distinctiones, ac allegationes retexebant
 Scribentes in contrarium, super ea distinctione, an agere-
 tur de iuribus, ac successione delatis, vel de deferendis,
 ut primo casu verificabilis esset renunciatio translative,
 aliàs personalis nuncupata; In altero autem non caderet,
 nisi extinctiva, aliàs realis, ex deductis per Montan. *con-*
trov. 10. n. 5. Donad. de renunc. c. 50. n. 28. Verùm, ultra
 quod ista distinctio non subsistit, cum etiam futuræ succes-
 sionis spes per viam venditionis, seu donationis, aut alterius
 similis contractus in commercium deduci possit, ut fre-
 quenter habetur *hoc tit. præsertim d. disc. 6.* & in decisioni-
 bus in ea causa editis; Non videbatur qualis in proposito
 esset istius distinctionis effectus, cum illa ad alios fines, seu
 effectus adhiberi solet.

Atque hinc docemur, quam erroneum sit, cum solis
 generalitatibus conclusionum, vel doctrinarum, ac deci-
 sionum in his materiis procedere, ut *disc. 1.* & in aliis ad-
 vertitur, cum huiusmodi questionibus, quæ sunt potius
 voluntatis, ac facti; ex istius circumstantis decisio, pru-
 denti, benèque regulato arbitrio desumenda sit.

R O M A N A
 FIDEICOMMISSI DE STECCATIS
 PRO FRANCISCO ANTONIO ZAMBOTTO
 ET HIERONYMO CLEMENTINO
 CUM MONASTERIO SS. DOMINICI
 ET SIXTI.

Casus variè decisus per Rotam, postea in parte
 concordatus.

De eadem materia renunciationis factæ per monialem,
 an sit realis, vel personalis, ad effectum, ut cessa-
 ta persona contemplata, cessare debeat, necne; Et
 de alia distinctione renunciationis translative, vel
 extinctive; Et an renunciatio capiat fideicommissa.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
- 2 Prima resolutio in alia causa super hac renunciatio-
 ne.
- 3 Resolutio in ista causa.
- 4 Distinguntur puncti casus.
- 5 An renunciatio capiat certas successiones.
- 6 De eodem, & an enumeratio specierum restringat.
- 7 Quod debeat atterari substantia voluntatis.
- 8 In quo differant scholastici à forensibus.
- 9 De particulari circumstantia, quæ consideratur in renun-
 ciatione monialium.
- 10 Quod amplitudo verborum, vel restrictio renunciantium
 proveniat à Notario.
- 11 De renunciatione hæreditatis certæ personæ.
- 12 Damnatur stylus procedendi cum formalitate verborum,
 & significationibus grammaticalibus.
- 13 Damnatur stylus adhibendi linguam latinam in instru-
 mentis.
- 14 De realitate renunciantis factæ à moniali.
- 15 An & quando id procedat.
- 16 Renunciatio non capiat ea quorum hæres extraneus re-
 nunciataris sit incapax.
- 17 Spes futuræ successions potest cedi.
- 18 Quod renunciatio esset personalis.
- 19 In generali renunciatio non veniunt prohibita.
- 20 Declarantur conclusiones, de quibus n. 16. & 19.
- 21 De eadem declaratione super alienatione commoditatis.
- 22 Monasterium ex persona Religiosi, quando succedat in fi-
 deicommissis.
- 23 De eadem personalitate, de qua n. 8.

D I S C. IV.

Susceptis per Marcum Antonium Tuschanellem ex Hip-
 polyta Steccata uxore, tribus filiis, nempe Maria Vir-
 ginia, Constantia, & Curtio; Cum prima in Monasterio
 SS. Dominici, & Sixti, professionem emittere vellet, con-
 suetam fecit amplam renunciationem Marco Antonio pa-
 tri dotanti de bonis, ac successione patris, maternis, avi-
 tis, fratris, patruorum, & aliorum, tam ab intestato,
 quam ex testamento, vel fideicommissis, &c. Defuncti quoque
 prius Curtio, deindeque tam patre, quam matre, (in
 qua consolidatum erat ex persona Ludovici ejus patris fi-
 deicommissum à Petro Paulo dicti Ludovici patre ordina-
 tum;) Hinc orta est inter Constantiam in seculo nuptam,
 ac præfatam sororem monialem, seu ejus Monasterium
 controversia, præsertim super intestata successione Marci
 Antonii patris; Introductaque causa coram Vicario de vo-
 to Rotæ coram Meltio sub die 31. Maii 1649. in causa in-
 titulata Romana hæreditatis de Tuschanelis, Constantiæ
 favorabilis resolutio prodit, quæ ansam dedit concordia.

Defuncta verò postmodum Constantia sine prole, insti-
 tuto hærede Hieronymo Clementino secundo viro; Cum
 eadem, adhuc vivens per concordiam inquam cum Francis-
 co Antonio Zambotto ad dictum fideicommissum vocato,
 sibi appropriatis, ac extractis aliquibus bonis ex causa qua-
 rumdam detractionum, fideicommissi præventivam restitu-
 tionem fecisset dicto Francisco Antonio; Contra istum
 Monasterium prædictam ex personæ dictæ monialis, ad
 fideicommissum absque dubio prius vocatæ, iudicium in-
 stituit in Rota coram Bourlemon, atq; sub die 10. Februa-
 rii

rii 1662. favore Francisci Antonii prodit resolutio, quæ
 deinde revocata fuit per contrarias resolutiones favore Mo-
 nasterii sub diebus 15. Junii 1665. & 4. Februarii 1667.
 deindeque devotum est ad concordiam, firma remanente
 lite, cum Hieronymo Constantiæ hærede, occasione bo-
 norum, ut supra, à fideicommissis extractorum, istaque
 causa adhuc pendet in eadem Rota sub diversa intitutatio-
 ne Romana bonorum, de qua sub tit. de iudic. vel sub altero
 de fideicom. in supplemento.

In his autem disputationibus; Cum fideicommissum ef-
 fet litterale, atque seclusa renunciatione, extrà contro-
 versiam pariter esset prior vocatio dictæ monialis, dum
 Franciscus Antonius descendens à testatore per filiam fœ-
 minam subsidiariè vocatus erat, post defectam descendenti-
 am dicti Ludovici filii masculi; Hinc proinde quæsitio
 consistebat in operatione dictæ renunciationis; Eaque duas
 habebat partes, vel punctos; Primò nempe, an istud fi-
 deicommissum sub ea comprehensione esset; Et secundò,
 postea comprehensione ad favorem filiorum, ac descen-
 dentium Marci Antonii patris renunciatarii, an istis defe-
 ctis renunciatio esset resoluta.

Primus punctus nullum continebat juris articulum, adeo-
 ut determinati, uno, vel altero modo facta, de injusti-
 tia positiva redargui posset, dum totum consistebat in nu-
 do facto deducto ex renunciationis verbis, sive ex eorum-
 dem verborum interpretatione, circa quam, utpotè ex ju-
 dicantis arbitrio, vel intellectu pendente, certum iudi-
 cium desuper constitui non valet, ob humanorum ingenio-
 rum varietatem, ob quam in dies experimur, ut data etiam
 æquali peritia, & integritate id, quod uni videatur album,
 alteri videatur nigrum; Ideoque in huiusmodi ambigæ vo-
 luntatis questionibus, rectè, ac frequenter præcatur
 causarum factum, quod in eo consistit, ut iudicium ingenia
 unam, vel alteram capiant interpretationem, quamvis
 summa integritate accedente, nulla concurrat operatio vo-
 luntatis, sed ea solum sit intellectus (ut reverà semper, vel
 saltim frequentius, contingit in Rota, aliisque primariis,
 & qualificatis Curie Tribunalibus, à quibus etiam levissi-
 ma, & remota sordium, seu corruptelæ suspicio omnino
 abest.)

Cum etenim in renunciatione enumeratæ essent paren-
 tum, avorum, fratrum, patruorum, ac aliorum succes-
 siones; Ista verò fideicommissaria successio esset proavi,
 idcirco cadebat comprehensionis quæsitio; In qua tamen,
 mihi (pro Francisco Antonio fideicommissario scribenti,
 ac etiam pro Hieronymo, qui illi pro ejus jure adhibebat,)
 reflectendo ad solam veritatem, probabilior videbatur in-
 tellectus primo loco traditus pro comprehensione, quoniam
 cum præcederent verba generalia, omnium successionum
 comprehensiva ibi, successiones quascumque ascendenti-
 um, & aliarum quascumque in quibus ipsa renunciants succedere potuit,
 vel potuit. Hinc proinde intrat regula, quod subsequens
 enumeratio specierum, demonstrativè potius, quam taxati-
 vè, seu restrictivè apposta censetur, ideoque non
 corrigit, neque restringit præcedens genus.

Magis quo pro meo iudicio, stringebat pluries in præce-
 dentibus insinuata propositio, quæ huiusmodi quæsitio-
 nem ambigæ voluntatis, perpetua est, ac primaria regulatrix,
 ut substantia verisimilis voluntatis, non autem verborum
 cortex, seu formalitas, vel nuda grammaticalis signifi-
 catio attendi debeat, quoniam immorari in rigore verbo-
 rum pertinet ad grammaticos, & pædagogos, non autem
 ad jurisprudentiæ professores.

Atque in hoc differunt scholastici à forensibus, quod
 primi, juris scientiæ tantum, cum ingenii acumine va-
 cant; Alii verò jurisprudentiæ, atque cum maturo iudi-
 cio potius, quam cum ingenio, & subtilitatibus procedunt,
 ideoque meritò dicitur jurisprudentia potius, quam
 juris scientia.

Cum etenim ageretur de renunciatione faciendi per mo-
 nialem, quæ mundo mori debebat, adeo quæcumque
 successiones, verè, ac spectato effectu, non ipsis, sed
 Monasterii extranei utilitatem percuterent; Potissimè au-
 tem, (ut in Curia,) recepta est opinio Canonistarum super
 immediata Monasterii successione, nullatenus curato as-
 sensu, vel dissenso ipsius personæ professæ, cujus ratione
 successio deferatur; Hinc proinde nulla suppetebat congrua
 ratio, seu verisimilitudo, ob quam curando renunciationem
 aliarum successionum, ista comprehendi non debuerit.

Potissimè verò stantibus dictis verbis generalibus om-
 nium comprehensivis; Specierum etenim enumeratio, (ut
 pluries in praxi expertus sum,) provenire solet ab ineptis

cautelis Notariorum, qui cum imperiti sint, volentes se
 facere peritos, aliqua pro cautela addunt, quæ potius nocent;
 Ut præsertim frequens, penèque quotidiana praxis
 docet in illis exiguis legatis quæ fieri solent filiabus dotatis,
 quæ per Statutum à successione exclusæ sunt, adiciendo ti-
 tulum institutionis, seu faciendo mentionem legitimæ,
 juxta ea, quæ habentur sub tit. de legitim. & detrac. præ-
 sertim disc. 3. & 4. cum pluribus similibus, quorum unum
 habetur, præsertim sub tit. de Regal. disc. 105.

Non omnis enim specierum enumeratio, ita in verbis
 atendi debet; Ut ultra plura familia, quæ desuper contro-
 rari possent, habemus in hac speciali materia renunciatio-
 nis, quoniam prohibitum est eam fieri de hæreditate certæ
 personæ viventis, quæ absque ejus consensu usque ad mor-
 tem perseveret; Secus autem, ubi fiat de quibuscumque suc-
 cessionibus, etiam futuris personarum viventium; Isto-
 que casu, si genus præcedat, deindeque aliquarum perso-
 narum specialis mentio fiat, non per hoc intrat regula
 prohibitiva, cum id demonstrativè, seu majoris expressio-
 nis gratia factum censeatur, ut advertitur infra disc. 16.
 & alibi.

Ideoque semper damnabile, pro meo sensu, censui stylum
 in Judicando, vel consulendo, procedendi cum verborum
 formalitatibus, eorumque grammaticalibus significationibus,
 quoties probabilia non accedant argumenta, ut ea
 verba studiosè, atque ex partium præordinata voluntate
 adjecta sint; Potissimum verò, ut advertitur supra disc. 1.
 & alibi, ubi pro damnabili potius, quam pro commendabi-
 li stylo, mulierum, ac idiotarum contractus, vel dispositio-
 nes in latina lingua per Notarios extenduntur.

Quo verò ad alterum hujus causæ punctum, an scilicet
 posita hujus successionis comprehensione; Stante quod re-
 nunciatio facta erat Marco Antonio patri, ac etiam Cur-
 tio fratri, utroque, eorumque etiam descendentiæ defe-
 ctis, ista renunciatio resoluta censenda esset, tanquam ex
 cessantibus personis contemplatis; Quamvis ego Scribens
 pro remotiore de diverso genere ad fideicommissam voca-
 to, insisterem in jam firmatis in dicta alia causa, usque ab
 anno 1649. coram Meltio, in qua non scribebam, super
 hujus renunciantis realitate, deducta ex pacto de non
 petendo, ac verborum amplitudine, & fortius jam in
 præcedentibus insinuata distinctione, inter renunciatio-
 nes factas per ingredients Monasterium, & illas, quæ
 fiunt per nubentes in seculo, ut prima species realis, ac
 omnino extinctiva censenda esset, faciens renunciantem
 mortuum, quasi quod non unius, vel alterius personæ in-
 tuitu, sed ex motivo spiritus, ut temporalia abjicerentur,
 facta censeatur.

Attamen, reflectendo ad veritatem, in hac parte proba-
 bilior visa est succumbentia, potius quam victoria; Tum
 ex ponderatis dicto disc. 1. & in aliis, ut ista distinctio,
 spectato communi usu, quoties agatur de Monasteriis, vel
 Religionibus capacibus in communi, cum quadam etiam
 permissiva, seu connivente administratione, ac dispositio-
 nem, in praxi fortè verificabilem antiquis temporibus, in
 quibus nostri majores scripserunt, quando Religionum tanta
 multiplicatione, ac relaxatione, seu commoditate non
 vigente, non nisi ex solo fervore spiritus, Religionum,
 ac Monasteriorum ingressus sequebatur; Secus autem ho-
 diernis temporibus, quoniam dicta capacitates circumstan-
 tia accedente, ista distinctio verè idealis videtur; Ideoque
 pro sola legaleica simplicitate admittenda est; Bene ta-
 men est considerabilis, in ordine ad regulandum, non
 quidem renunciantis voluntatem, sed potius illam renun-
 ciatarii, ut aliis filiis, vel etiam agnatis transverfalibus
 prudenter bona deferantur, ut dicto disc. 1. & in aliis ad-
 vertitur.

Et clarius, quoniam cum verisimiliter pater renuncia-
 tarius non cogitaret ad tristem, ac insperatum eventum ex-
 tinctionis propriæ descendentiæ masculinæ, & femininæ,
 probabiliter sperandæ ex duobus filiis utriusque sexus
 carnalibus nuptiis destinatis; Illi autem de altero genere
 subsidiariè ad fideicommissum vocato, sibi essent omnino
 ignoti, ac penitus extranei; Hinc proinde rectè adaptabi-
 lis remanebat magistralis theoria Bartol. *in leg. qui Roma,*
§. duo fratres, ff. de verbor. oblig. n. 24. in l. Gallus, §. & si
peremptæ num. 4. ff. de liber. & postum. de qua habetur par-
ticulariter actum disc. sequenti, quod scilicet noluisse pro-
 priam filiam, quamvis monialem excludere, ut locum
 aperiret penitus extraneis, ac ignotis; Ideoque juxta di-
 ctam theoreticam, utriusque renunciantis scilicet, ac re-
 nunciatarii voluntas, verisimiliter deficere videbatur, ac

propterea, in hac parte, posteriores resolutiones magis placuerunt, atque probabiles visæ sunt.

Non placuerunt autem in altera parte, in qua excluditur etiam jus Hieronymi hæredis mediati dicti Marci Antonii renunciarii; quoniam renunciacionis tenor ostendebat, ut illa, non solum concepta esset in forma extinctiva, seu abdicativa, (cum ista esset solum verificabilis respectu Marci Antonii patris in propria successione, & legitima,) sed etiam in forma translativa, atque per speciem donationis per quam receptum est, ut etiam spes futurarum successio- num, potissimum verò earum, quæ trahant originem à causa de præterito, in extraneum transferri possit, ad textum in l. *sem. C. de donat. cum concordantibus*, de quibus infra in Romana fideicommissi *disc. 6.* Et consequenter, quod ista successio caderet sub donatione ad commodum hæredum dicti Marci Antonii, pro quibus quoque ipse stipulatus fuerat.

Adversus hoc fundamentum, Scribentes pro Monasterio, duo deducebant, quæ per Rotam in posterioribus decisionibus amplexæ fuerunt; Primò nempe, quod ista renunciatio facta esset, intuitu, & contemplatione etiam Curtii fratris, qui domum, ac agnationem conservaturus, & propagaturus erat, ideòque tanquam personalis, cessata persona, cessaverit, atque proficere non deberet hæredi extraneo, juxta auctoritates late in decisionibus (forsan præter necessitatem) cumulatæ.

Et secundo, quod cum fideicommissum contineret strictissimam prohibitionem alienationis, sub pœna caducitatis, ita intraret altera regula, seu conclusio de jure vera, atque in eisdem decisionibus plenè exornata, de qua etiam infra *disc. seqq.* ut in generali dispositione, vel renunciacione non veniant bona prohibita, & ex quorum alienatione, vel cessacione incurtus pœnæ sequi potest, & de qua habetur etiam *sub tit. de feud. & sub altero de emphyt.* Ac etiam in proposito hypothecæ generalis non comprehendentis ex hac ratione bona jurisdictionalia, aliaque prohibita, habetur *sub tit. de credit. disc. 13. & 151.* cum similibus.

Quamvis etenim ista conclusio, in abstracto de jure vera sit; Attamen fallacia videbatur in applicatione, quoniam cum agatur de hujusmodi renunciacionibus generalibus, quibus danda est operatio possibilis, seu compatibilis, unde propterea non intrat incompatibilitas, quæ cadit, quando de certæ rei vera, & omnimoda alienatione agatur, Hinc proinde renunciatio verificabilis, ac operativa remanet in fructione, seu commoditate, quæ etiam in prohibitis transferri potest in extraneum, remanentibus penes capacem, dominio, ac possessione, ex iis, quæ habentur pluries deducta *sub tit. de feud. præsertim disc. 61. & seqq. & sub tit. de emphyt. disc. 44. & disc. 13. & 151. de credit.* atque docet praxis quotidiana in fortioribus terminis pensionum ecclesiasticarum, ut in sua materia, *sub tit. de personibus*; Ita enim successio rectè substantiatur in persona vocata, ejus tamen commodum, (ut nudi facti est,) ad renunciatarium pertinet.

Et licet replicaretur, atque in decisionibus admittatur; quod ob effrænatam prohibitionem, neque ista species alienationis admittenda sit; Attamen id verè nullum, nec facti, nec juris fundamentum habere videbatur; Verius autem subsistere videbatur dilemma, quod ego deducebam, cui tamen ultima decisio respondere conatur, sed responsio non satisfacit, quod scilicet; Aut ista est simplex prohibitio expressiva ejus, quod de jure inest, pro illo majori effectu, qui resultare solet, ubi prohibitioni legis, accedat etiam altera hominis, ut in sua materia *sub tit. de fideicom.* Et tunc nil prohibet, dictæ commoditatis, vel utilitatis alienationem, ipsius renunciantis jure durante; Aut prohibitio est talis, ut suadeat enixam prohibentis voluntatem, ut bona, verè, ac de facto, semper permaneant penes personas de sanguine, juxta casum, de quo *disc. seqq.* & tunc Monasterium remanebat incapax succedendi etiam durante vita monialis, juxta distinctionem, de qua *sub tit. de fideicommissi. disc. 63. & seqq.*

Minus solida quoque videbatur altera responsio, super personalitate, seu restrictione renunciacionis ad personam fratris, ejusque descendentiæ, cujus respectu foror, abstinendo à speratis successio- nibus; se extraneam facere voluerit, juxta firmata in Marficana successio- nis. 4. Februarii 1665. coram Emerix, edita in casu, de quo supra *disc. præced.* cum qua in ultima decisione nimium processum fuit; Tum quia verba contrarium expressè probare videbantur, ob stipulationem *pro hæredibus, & successio- nibus quibuscumque*; Tum clarius, quia inanis, ac factua

fuisse renunciatio, de qua non oportebat sollicitudinem aliquam habere, dum etiam sine illa, stante Statuto 145. Urbis, renunciacionis exclusæ remanebat, nullumque jus habebat in concursu fratris, ejusque filiorum; Ideòque istud personalitatis motivum, esset rectè considerabile, in casu intestatæ successio- nis, & ne ob omnimodam realitatem locus fieret remotioribus juxta casum, de quo in dicta Marficana *disc. præced.* non autem, ubi agatur cum eo, cujus favore renunciarius, vel ejus hæres disposuerit, juxta deducta infra *disc. 6.* Atque in hoc mihi videbatur, quod consisteret æquivocum, quodque propterea resolutiones in hac parte parum probabiles essent.

ROMANA

SEU URBEVETANA SUCCESSIONIS PRO CATHARINA ARDICIONA CUM HERCULE MISSIONO.

Casus decisus per Rotam pro Hercule, postea concordatus.

De eadem materia renunciacionis factæ per foraminam carnaliter nubentem, an capiat fideicommissum, quod continet strictam, ac penalem alienationis prohibitionem.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti serie.
- 2 **R**esolutiones cause.
- 3 **I**mpugnatur, & de ratione.
- 4 **R**enunciatio non capit ea, quorum hæres extraneus renunciarii sit incapax, ideòque resolvitur.
- 5 **S**uper eadem conclusio, & an procedat etiam in bonis fideicommissariis.
- 6 **D**e eodem pro affirmativa, ut capiat.
- 7 **Q**uod non possit dari certum judicium in casu, ideòque excusentur Advocati.
- 8 **D**e varietate judicandi super eodem puncto.
- 9 **D**e materia comprehensio- nis renunciacionis, & an veniant fideicommissa.
- 10 **R**enunciatio facta per puellas occasione matrimonii carnalis, vel spiritualis, an & quando subiacet læsioni, vel nullitati, &c.

D I S C. V.

Præsupposita facti serie, de qua in hac eadem causa *sub tit. de fideicommissi. disc. 104.* Postquam Hercules reus, ac possessor succubuit in puncto fideicommissi, convolvit ad alterum renunciacionis, quam occasione nubendi, Catharina fecerat fratri; Assumptaque proinde disputatione super dubio, an obstaret renunciatio *sub diebus 3. Januarii 1661. & 22. Maii 1662. coram eodem Albergato*, affirmativæ prodierunt resolutiones; Cumque inter unam, & alteram disputationem, admissi fuissent ad causam Tarusii ejusdem Catharinæ filii, utpotè vocati ad fideicommissum pœnale, quod ob alienationem eorum favore apertum erat, eadem die 22. Maii 1662. pro ipsiis responsum fuit, idque antam dedit concordatæ, per quam controversia finem habuit.

Mihi tam pro Catharina, quam pro filiis scribenti; Reflectendo ad solam veritatem, etiam post casum sopitam, nulla ex his resolutionibus placuit, etiam hæc posterior, quæ me scribente obtenta fuit; Credebam etenim, quod vel renunciatio Catharinæ obstare non deberet, utpotè per fratris renunciarii mortem resoluta; Vel quod si obstaret, ad eum operativa esse posset ad favorem hæredis extranei renunciarii, purificatum non esset fideicommissum pœnale ad favorem substitutorum durante vita Catharinæ, propter dilemma, quod mihi videbatur clarum.

Aut enim renunciatio importare dicebatur formalem alienationem ipsorum bonorum per fideicommissentem strictissime prohibitam, explicata voluntate verè, ac effectivè permanentiæ ipsorum bonorum penes descendentes vocatos; Aut non, quia nempe importaret cessacionem commoditatis compatibilem cum prohibitione alienationis juxta insinuata *disc. præcedent.*

Si non importabat formalem alienationem prohibitam, ad eum ulteriori substituto non opponere, extraneus hæres renunciarii, jurium renunciatorum capax esset; Et tunc de consequenti resultabat, quod nulla adesset contraventio, ideòque improbabilis esset resolutio favore substitutorum.

Si verò dictam prohibitam alienationis speciem importabat,

tabat, unde propterea pœnæ locus fieret in exclusionem tam renunciantis, quam renunciarii; Et tunc dicebam, quod intraret pro meo judicio solidum, benèq; applicabile motivum, eod. *disc. præcedenti*, insinuatam deductam theoreticam *Bart. in l. qui Romæ, §. duo fratres n. 24. ff. de verbor. oblig. & in l. Gallus, §. & si pœnate n. 4. ff. de liber. & possib. & conf. 58. in 3. dub. lib. 1.* quod scilicet renunciatio, quantumvis ampla, etiam deducendo ad speciem bona prohibita, & differentia, ubi facta sit personæ capaci, ex verisimili subintellecta utriusque voluntate intelligenda venit, respectu hujusmodi bonorum personalis; restricta scilicet ad ipsum renunciatarium, ejusq; descendentes, vel affios ab eo causam habentes, qui sint capaces, non autem, ut ob incapacitatem extranei hæredis, ita aperiretur locus renunciarii, vel ejus hæredis utilitate, contra ejusdem verisimilem voluntatem, & consequenter, ut dicta renunciatio cesset, seu resolvatur; Dictamque *Bart. theoreticam* communiter DD. sequuntur ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud *Honded. consil. 36. lib. 1. Beron. consil. 97. lib. 1. Peregr. de fideicommissi. art. 52. n. 73. cum seqq. Surd. consil. 446. n. 12. & conf. 517. n. 14. & seqq. Cyriac. controv. 4. n. 19. & seqq. Schrader. de feud. p. 8. c. 5. n. 27. Fulgin. de emphyt. tit. de renunc. q. 2. n. 1. cum seqq. Rota decis. 186. p. 3. recent. & insinuat pluries *sub tit. de feud. & sub altero de emphyt.* atque post has disputationes firmatur in duabus ultimis decisionibus editis in Romana fideicommissi de Steccatis de qua *disc. præcedenti*.*

Et quamvis Scribentes in contrarium (inter quos erat unus doctissimus quidem adest in parte doctrinali; atque individuorum notitia ob magnos inexplicabiles studii camerearii labores non cognoverit majorem, merè tamen pragmaticus, super nuda doctrina.) insisterent in eo quod tam Bartolus, quam alii superius allegati, ac cæteri apud eos, loquantur in terminis feudalibus, vel emphyteoticis, ne scilicet fieret locus devolutioni ad favorem domini, vel successio- ni ad favorem remotioris agnati, in vigore in vestitura in forma pacti, & providentiæ, non autem in terminis fideicommissorum, in quibus de conclusio plenè agit *Odd. de fideicommissi. q. 13. n. 118. & seqq.* ubi plura deducendo hinc inde, nil decidit, sui remanet incertus, vel dubius.

Nihilominus ista responsio, quæ alicum recepit plausum, pro meo judicio, omnino contemptibilis videbatur, indignaque aliquo discursu, quoniam punctus non esset in peculiari lege, vel in peculiari natura feudi, vel emphyteutis, sed est in ratione verisimiliter deficientis voluntatis, quæ capit omnia, quibus ea congruat, five ubi idem resultat effectus; Istamque inspiduam nimium frequenter experiri occasio præbuit ob hunc detestabilem pragmaticorum abutimur immorandi in cortice, seu littera doctrinarum, ut præsertim in casu, de quo *sub tit. de credito disc. 13. & 151.* & in aliis, ideòque frequenter, (sed semper utiliter, & opportune,) eandem declamationem repetere oportet.

Postmodum verò in his terminis fideicommissarii id agnovit, ac firmavit quoque Rota in supra insinuatis decisionibus editis in casu, de quo *disc. præcedenti*, in cujus disputationibus, ego, qui contra renunciante, pro renunciacionis efficacia scribebam, non negabam conclusio- nis veritatem, sed ejus congruam applicationem, in casu, & ad effectum, de quibus agebatur, cum in reliquis eadem sit ratio, ideòque non videtur, cur eadem esse non debeat juris dispositio.

Quamvis etenim, ob omnimodam unionem inter matrem, & filios, in isto casu effectus esset idem; Nihilominus eadem resolutio, ita intrare debuisset, si dicti substituti fuissent de diverso genere, nullamq; connexionem cum matre habuissent, unde propterea intrare debuisset dictum absurdum, quod bonis privati remaneret tam renunciacionis, quam renunciarii, ut aperirentur extraneo, quo nil improbabilius.

Hinc autem, combinando istum casum cum altero, de quo *d. disc. præc.* edocemur, quam varia sint hominum judicia, varique, ac incerti causarum eventus, ad quod reflectere debent Morales, quando penitus ignorando quid dicant; loquuntur de Advocatorum, ac forensium conscientia, ut insinuat etiam *sub tit. de fideicommissi. disc. 179.* & alibi pluries, præsertim *sub tit. de judic. in relatione, & praxi Curia*, occasione agendi de Advocatis, & Curialibus.

Siquidem in eodem articulo, eademque fideicommissariorum bonorum specie, cum eadem circumstantia prohibitionis alienationis, in isto casu resolutum fuit contra renunciante, & in præcedenti pro eo; Cum tamen res potius esse debuisset in oppositum, dum in isto casu agebatur de renunciacione facta per nubentem in sæculo, quæ juxta generales propositiones, pluries in præcedentibus insinua-

Card. de Luca Lib. XI.

tas, strictius intelligenda est, magisque personalis, ibi verò facta occasione ingressus in Monasterium, quæ latior rem habet interpretationem, atque realis potius præsumi solet.

Actum quoque fuit in his disputationibus de eodem puncto comprehensio- nis, de quo *d. disc. præcedenti*, an scilicet sub renunciacione facta successio- nibus, venirent illæ, quæ aperiantur ex causa fideicommissi; Et quamvis ego, more Advocati, plura deducerem pro non comprehensio- ne, deducendo, atque plenè cum allegacionibus exornando vulgarem propositionem, quod renunciatio dicitur stricti juris, ac strictissime intelligenda est; Ponderando etiam differentiam, quæ datur in Jure inter spem futuræ successio- nis, quæ nullam trahat causam de præterito, ut sunt merè eventuales, ac speratæ bonorum indifferentium testatæ, vel intestatæ successiones; Et inter istam spem antiquorum fideicommissorum, trahentem causam de præterito, & super quibus, ac similibus propositionibus, pro consueto inepto stylo, superflua chartarum repetitiones fieri solent; Attamen reflectendo ad veritatem; (Partibus pro consuetudine insinuatæ) credebam; quod hoc motivum non subsisteret, quodque in hac parte resolutiones remaneret probabiles; Tum quia verba erant nimium ampla, ideòque attenta etiam littera, seu grammaticali significacione, hujusmodi comprehensio- nem probabant; Tum etiam, & pro meo sensu fortius, attenta substantia voluntatis, quæ in hoc principaliter attendi debet, ut *disc. præced.* in aliis advertitur, ac plenè, pluribus pro stylo relatis, in terminis comprehensio- nis fideicommissi sub renunciacione, ac virtuali comprehensio- ne, firmatur in Romana fideicommissi de Cofciatis coram Corrado *decis. 161. p. 10. recent.*

Prout actum fuit de renunciacionis invaliditate, pro qua ex hac parte deducebantur decisiones editæ in alia Urbeveticana *impress. p. 4. recent. tom. 3. decis. 523. & 724.* Verum eodem sensu veritatis retento; (Partibus quoque ab initio insinuatæ) neque erat solidum fundamentum, cum dictæ decisiones in suo casu, ex ejus circumstantiis essent probabiles, utpotè continentes renunciacionem bonorum, ac jurium jam quæstorum, seu delatorum, pro nimium incongrua recompensa, aliæque accedebat circumstantiæ claræ læsionem redolentes, ideòque applicabiles non erant ad hanc facti speciem, in qua agebatur de illa renunciacione, quæ pro communi, ac laudabili consuetudine Italiæ, enunciata per Rotam in Aculana renunciacionis 1. Julii 1652. coram Cerro, & in aliis, fieri solet patri, & fratribus, à feminis de facto in virorum familiam transeuntibus, atque exeundo à domo fraterna, seu paterna, quodammodo pro extraneis reputari solitis, ideòque eis sufficere debeat congrua dos, quæ dati dicitur, tanquam futurarum omnium successio- num præventivum pretium, seu emolumentum; ideòque magna differentia est inter unum casum, & alterum, totumque propterea in hujusmodi quæstionibus consistit in applicationibus.

Præjudicium autem, quod huic parti dictæ resolutiones produxerunt, fuit notabile, quamvis fortè crederetur, quod nullum adesset, eo quia esset idem dare matri, ac ejus filiis concordibus, quoniam ita oportuit amittere omnes fructus à die motæ litis, usquequò determinatum fuit, ut filii venirent ad causam.

ROMANA FIDICOMMISSI PRO CREDITORIBUS HENRICI, ET FRANCISCI DE URSINIS, CUM ISABELLA URSINA DE CARPINEA.

Casus decisus per Rotam pro Creditoribus.

De eadem materia renunciacionis factæ per sororem fratris occasione dotationis, an capiat fideicommissa per renunciatariorum obium purificanda favore renunciantis, ad eum jura renunciata ad extraneos etiam transmissibilia sint; Vel potius renunciatio dicatur personalis, ad eum per renunciarii mortem resolvatur; Et incidenter de solemnitatibus, præsertim illa insinuationis, quæ requiritur in donationibus, an in hujusmodi renunciacionibus requiratur.

S U M M A R I U M.

- 1 **C**asus Controversie cum resolutionibus causæ.
- 2 De differentia inter decisiones, & discursus.
- 3 De ratione, ob quam adhibetur stipulus, vel nomen Discursum.
- 4 De prohibitione disponendi de bonis jurisdictionalibus in Statu Ecclesiastico.
- 5 Distinguitur puncti, seu inspectiones hujus causæ.
- 6 An quando pretium succedat loco rei.
- 7 In generali dispositione non veniunt bona alienari prohibita.
- 8 Quando adesse dicatur, necne in Castris qualitas feudalis.
- 9 Constitutiones Apostolicæ super prohibita alienatione jurisdictionalium non distinguunt feuda ab allodialibus.
- 10 Quare feudalia, & jurisdictionalia in renunciationibus solent exceptuari.
- 11 De conclusione, quod sub renunciatione non veniant ea, quorum hæres extraneus est incapax.
- 12 Quomodo dignoscatur, an renunciatio sit realis, vel personalis, sive translativa, seu extinctiva.
- 13 Quod eadem renunciatio possit eodem tempore esse translativa, & extinctiva.
- 14 De decis. Achill. ut cessante agnatione contemplata, non per hoc cesset renunciatio.
- 15 Quando donatio ob certam causam resolvatur cessante causa.
- 16 De renunciatione, quæ importet solum liberationem renunciantis ab onere.
- 17 Regula ut cessante causa, &c. limitatur ubi effectus est consummatus.
- 18 Spes iuræ successione translative cedit, vel renunciari potest.
- 19 Declaratur, quando ista conclusio procedat.
- 20 De eodem, de qua n. 16.
- 21 Ad quem finem frequentius renunciations procurantur.
- 22 De insinuatione requisita in renunciationibus.
- 23 De differentia inter insinuationem de jure communi, & ex Statuto Urbis.
- 24 Juramentum facit cessare insinuationem requisitam de jure, non autem illam ex Statuto.
- 25 De differentia inter diversas species insinuationis.
- 26 De Constitutione Egidiana, & de Carpeni, & de differentia inter eas.
- 27 De erroribus pragmaticorum circa doctrinas.
- 28 Quando insinuatore requisita in donationibus, requiratur in renunciationibus.
- 29 Non sunt assumenda questiones juris, ubi tolli possunt ex facto.
- 30 Mulier dotari dicitur de suo, ubi dos sit intuitu renunciationis.
- 31 Quomodo sit estimandus valor iurium, quæ renunciantur.
- 32 Insinuatō non intrat in donatione cum onere.
- 33 An in donatione juris querendi requiratur insinuatō.
- 34 De eadem conclusione, de qua n. 18.
- 35 De alia conclusione, de qua n. 16.
- 36 Quando renunciatus non dicatur aliquid dare, ac patrimonium minuire.
- 37 Onera, & vincula minuunt de valore.
- 38 De insinuatione requisita in remissione proprii juris, quando intrat, &c.

D I S C. VI.

Postquam super puncto fideicommissi, ac super altero Bullæ Baronum, ad favorem Comitissæ Isabel læ prodierunt in Rota coram Verospio, resolutiones de quibus sub tit. de feud. disc. 84. & sub tit. de fideicom. disc. 37. Me hoc motivum ab initio promovente, succumbentes creditores Henrici, & Francisci dictæ Isabel læ fratrum, con volarunt ad renunciationem, quam ipsa nubendo occasione dotis per fratres sibi constituta ad eorum favorem fecerat, atque coram eodem Verospio, favore creditorum pro renunciationis obstantia responsum fuit, sub diebus 3. Decemb. 1655. & 9. Maii 1659. ad quarum resolutionum normam expedita sententia, in gradu appellationis confirmata fuit coram Bevilacqua prævia unica decisione sub die 21. Junii 1660. Commissaque deinde per Signaturam pro frequentiori stylo, causa coram Taja, cum clausula, consulto quod sit. Ioh. Statuto duobus conformibus, pro istarum executione

responsum fuit sub diebus 17. Februarii 1661. & 24. Maii 1662. atque ita causa finem habuit.

Quamvis enim in prima instantia, altera coram Verospio circumferatur decisio sub die 29. Maii 1656. attamen revera non est decisio, sed discursus; Quando etenim ob aliquas difficultates vota concordia non sunt, solet quandoque Rota (pro stylo quidem commendabili) demandare causæ Ponenti, ut bene recognito facto; Discursum super iis, quæ hinc inde urgeant, adeat, ut ita partibus, earumque defensoribus ad eius normam propria motiva comprobantibus, seu melius elucidantibus, atque illa pars ad verba strictè reprobantibus, melior veritatis inquisitio habeatur, ut pater apud Mantice. decis. 247. Peniam decis. 1660. Duran. decis. 285. Bich. decis. 306. & in aliis pluries, ideoque discursus differri sunt à decisionibus.

Atque hinc edocuit sui istum discursuum terminum meis adnotationibus tribuere, atque in forma discursiva examinare veritatem aliquarum forensium questionum, ex iis, quas in longè majori numero fortè ultra duplum, vel tripulum, disputare occasio dedit aliis sub silentio tenebris relictis, quia regulæ prudentiales, aut partium præjudicia prohiberent.

In disputacionibus autem, (& quidem acerrimis) desuper habitis quatuor fuerunt puncti; Primò nempe, cum questio esset super locis montium, aliisque bonis provenientius ex pretio Oppidi, seu Castris Montis Rotundi venditi in vim Bullæ Baronum juxta celebrem decisionem 36. par. 5. rec. adeo frequenter enunciata sub tit. de feud. ad materiam dictæ Bullæ, atque renunciatio contineret exceptionem bonorum jurisdictionalium, de quibus prohibitum est disponere per actus inter vivos sine licentia Apostolica per Constitutiones, de quibus sub tit. de credit. decis. 13. & 151. ac sub tit. de feud. disc. 62. cum seqq. in dicta loca montium venissent sub renunciatione; Secundò super comprehensione renunciationis, an scilicet caperet casum fideicommissariæ successione per eorundem renunciatariorum obitum aperiendæ; Tertio in idem, super eisdem renunciationis naturâ, seu qualitate, an scilicet esset realis, vel personalis, seu respectivè translativa, vel extinctiva, ad effectum illius resolutionis per cessationem personarum; Et quartò demum, ubi esset translativa redolens donationem inter vivos, an corrueret ob non adhibitam insinuationis solemnitatem a Statuto Urbis 150. requisitam, sub decreto annullativo in summa excedente duccatos bis centum, qui important hodiernos scutos monetæ centum quinquaginta.

Quatenus pertinet ad primum; Scribentes pro actrice dicebant (& bene,) quod absque necessitate assumendi questionem pluries insinuatam, præsertim sub tit. de emphyt. disc. 58. & sub tit. de credit. disc. 35. ac etiam pluries sub tit. de feud. an scilicet, & quando pretium succedat loco rei, ejusque naturam assumat; Id planum est in pretio obvento ex alienatione Castrorum, aliorumque bonorum, quæ vendantur per Congregationem Bonorum in vim Bullæ prædictæ, quæ ita expressè disponit, ut pluries habeatur ad eisdem Bullæ materiam sub tit. de feud. Et consequenter posita omnimoda subrogatione, dicebant quod di. tum Oppidum, seu Castrum, non cadebat sub renunciatione, dum castra, & feuda exceptuata fuerant; In idem deducendo etiam propositionem pluries insinuatam, ut sub genericis dispositionibus non veniant bona feudalia, seu aliâ alienari prohibita, ut eodem discurs. 13. & 151. de feud.

Merito autem istud motivum neglectum fuit, adeo ut post primas disputaciones, per eisdem Scribentes derelictum sit, quoniam feudalis qualitas non aderat, ex jam firmatis per Rot. in Sabinen. Montis Rotundi coram Cocino dec. 93. par. 5. rec. pluries allegata sub tit. de feud. super exclusione propriæ, ac strictæ qualitatibus feudalis in hujusmodi Castris, & locis, quæ per Barones Romanos possidentur; Quamvis ad effectum de quo agebatur, id nihil referret, dum stantibus Constitutionibus Apostolicis, de quibus sub tit. de feud. disc. 62. & pluribus sequentibus, & sub d. tit. de credit. disc. 13. & 151. idem importat.

Verùm corruerat motivum, ex eo, quod renunciationis tenor clarè comprobatur, ut partium voluntas fuerit faciendi amplam renunciationem generalem de omnibus, & quibuscumque bonis, ac juribus de præsentibus, vel de futuro competentibus, quodque dicta exceptuatio, seu præservativa non percuteret substantiam renunciationis, ut sub ea comprehensa non essent bona feudalia, & jurisdictionalia, ex deficiente voluntate renunciandi, sed solum pro qua-

dam cautela adhiberi solita, ad effectum evitandi pœnas in eisdem Apostolicis Constitutionibus contentas, quatenus earum prohibitio causam comprehendere, ut advertitur præsertim sub tit. de feud. disc. 85. & in eadem causa in supplemento.

Dicta verò prohibitio in præsentem non intrabat, dum renunciarios nullum jus de præsentibus habebat, neque aliquid in renunciarios transferebat, ut infra, sed solum renunciatio importabat remissionem propriæ spei incertæ, ac eventualis, quod dici non potest, ut importeret ipsorum bonorum propriam, vel impropiam alienationem.

Secundus punctus, pariter modicum habuit difficultatem, quoniam licet bona fideicommissio, aut investitura, vel devolutionis subjecta, ubi præsertim strictam, ac penalem habeant alienationis probationem, sub hujusmodi renunciationibus non cadant, iuxta theoreticam Bart. de qua in duobus discursibus proximè præcedentibus; Attamen id procedit, quando urgeat ratio, cui eadem theoretica innixa est, quia nempe data renunciationis operatione, super exclusione personæ renunciantis, commodum non esset renunciatarii, vel habentium causam ab eo, sed esset extraneorum, vel remotiorum contra verisimilem utriusque voluntatem; Secus autem, ubi dicti absurdi, seu inverisimilitudinis ratio cesset, quia nempe questio sit cum habentibus causam à renunciatario, in cuius commodum, ac utilitatem, renunciationis effectus redundet absque mixtura tertii extranei, vel remotioris venientis independentem infringendo jus utriusque, ideoque dicebam, quod conclusio esset vera, malè tamen applicata.

Major igitur, ac tota questio fuit super tertio puncto concernente qualitatem, seu naturam renunciationis, an scilicet esset realis, vel personalis, sive translativa, vel extinctiva, pro eodem effectu resolutionis, vel cessationis, ob cessationem personæ contemplatæ, ut in extraneis hæredes, bona, ac jura renunciata transitum facere non poterint.

In hoc autem puncto; Cum ego, & cæteri pro parte creatorum Scribentes, convincenter probarem, quod ista renunciatio esset quoque in forma translativa; Tum attento contextu verborum, quod scilicet successiones, ac bona, & jura renunciata posita essent in accusativo, non autem in dativo, vel ablativo, juxta distinctionem, de qua habetur in præcedentibus, ac etiam infra in Auximana disc. 8. & in decis. 631. Bichii, quæ in ea causa de tempore istarum disputationum jam edita erat, (& quæ causa mihi in ea scribenti impulsus dedit ad promovendum istud motivum renunciationis, ita dando spiritum causæ penè mortuæ;) Tum etiam ob clausulas, ponens, dans, transferens, &c. ac similes in proposito considerari solitas ex deductis dicto disc. 8.

Respondebant Scribentes pro actrice dupliciter; Primò nempe, quod cum expressè diceretur, quod renunciarios hujusmodi renunciationem faciebatur erga fratres, eorumque filios, ac descendentes contemplatione agnationis, ita in verbis habebatur personalitas, adeo ut intraret vulgaris regula textus in l. ille, aut ille, ff. de legat. 3. quod in claris, & expressis non intrent questiones, & argumenta.

Et secundò, quod cum renuncianti competere bona, & jura duplicis generis, illa scilicet quæ sita, ac de præsentibus competentia, pro dote de paraggio, & alia de futuro summissio, quod per ipsorum renunciatariorum mortem purificari potuisset, ac etiam ob eorundem intestatam successione, ita sequebatur, quod eadem renunciatio utramque naturam respectivè haberet, translative, & extinctive; Primam scilicet in bonis, ac juribus jam quæsitis, ac de præsentibus competentibus; Alteram verò in illis de futuro, juxta distinctionem, de qua ex Bald. conf. 437. lib. 1. & aliis, Montan. contro. 10. & Donad. de renunc. tom. 1. cap. fin. num. 28. cum seqq.

Prima responsio, circa renunciationis causam restrictam ad contemplationem agnationis, sublata fuit cum decis. unic. Achill. de donat. cum qua (pro stylo deferendi antiquarum decisionum auctoritati) processum fuit, potissimè stante ejus Canonizatione per Rot. mediam decis. 587. par. 1. rec. & in aliis, de quibus in hujus causæ decisionibus; Quod scilicet, ubi donans, vel renunciarios sibi expressè non consult de pacto reverse, tunc sola expressio contemplationis hunc effectum non operatur, neque impedit, quin bona, vel jura donata, vel renunciata transeant ad donatarii, vel renunciatarii hæredes, vel successores, quamvis extraneos.

Card. de Luca Lib. XI.

Ista responsio ita generaliter sumpta, mihi (quamvis more Advocati causæ intervenientis eam deducerem, nimirumque laudarem) non placebat, ex iis, quæ in materia resolutionis donationis, ex cessante donandicausa, ad quam donator expressè se restrinxerat, ubi probabilia accedant argumenta, quod eadem causa non esset solum impulsiva, sed finalis, ac principalis habentur sub tit. de donat. disc. 8. & seqq.

Benè tamen credebam, quod motivum non intraret in hac facti specie, ex ejus qualitate, & circumstantiis, dum donatio, seu renunciatio non continebat bona, & jura, quæ sive de præsentibus, sive de futuro ex ipsius renunciantis persona, ac jure, transferantur in donatarium, seu renunciatarium, qui ita ipsum renunciantem, vel donantem agnosceret in ejus auctorem, in quibus terminis intrat questio super dicta dec. Achill. cum aliis, de quibus dicto disc. 8. de donat. sed verè, ac propriè verlabamur in casu, de quo in celebri Signina Castrorum decis. 12. 292. 320. & 323. par. 6. rec. Sive in altero, de quo sub tit. de fideicom. disc. 94. & dec. 587. par. 1. & 598. par. 3. rec. & dec. 161. par. 10. cum similibus, quod scilicet ille, qui jam erat dominus, ac possessor bonorum, cum onere restitutionis, & fideicommissi ad favorem alterius, qui præmori potuisset, ita ad acquirendum libertatem bonorum, renunciationem obtinere curavit, per quamdam speciem liberationis ab eo vinculo, vel onere, tanquam per remotionem obstaculi, ita faciendò voluntariè se præmortuum; Et consequenter non intrant termini pacti resolutive, seu regressus ad jura propria donata, ex regula cum cessante, &c. dum nihil transtulit, sed renunciatarius tanquam domini, ac possessor, continuavit jure suo primò, removendo solum dictum obstaculum incerti oneris restitutionis; Ideoque ista bona, in instanti renunciationis acquisierunt libertatem, cujus effectu consummato, non intrat dicta regula cum cessante, inter cujus imitationes illa præcipua est, ut non cesset effectus jam consummatus, ex deductis per Traquell. ad hanc regulam limit. 12. numer. 1. & per tot. Mantice. decis. 131. numer. 4. & communiter.

Quoverò ad alterum motivum, ut in juribus de futuro, verificari non possit renunciatio translativa, sed perneceesse dicenda sit extinctiva, juxta supra allegatum consil. Baldi, & contro. 10. Montan. quæ in hac materia nimium circumfertur solet; Rota in decisionibus, contenta fuit responsione, quam ego, & cæteri deducebam desumpta, ex textu in l. spem, C. de donat. quod scilicet etiam futurarum successione spes in contractum donationis, vel venditionis deduci potest, ubi præsertim agatur de renunciatione generali, adeo ut non intret illa prohibitio, quæ propter votum captandæ mortis, prohibita est, ubi agatur de successione certæ personæ, juxta text. in leg. fin. Cod. de pact. de quo in aliis hoc eod. tit.

Pariter ista responsio, ita simpliciter sumpta, in hac facti specie periculosa videbatur; Illa siquidem rectè procedit, ubi agatur de successione aliarum personarum, in quibus verificari valeat id, quod in præcedentibus insinuat, ut scilicet, successio substantietur in renunciantes, ex cuius persona, ac jure, capiat renunciatarius, vel habens causam ab eo, quamvis incapax in sola utilitate, seu commoditate, & tanquam renunciatarii procurator in rem, seu causam propriam; Et in his terminis rationabiliter deducta per Montan. d. contro. 10. impugnantur per Camill. de Medic. conf. 35. num. 15. & per tot. Fab. de Ann. conf. 45. n. 28. cum seqq. ac per alios, cum id nihil prohibet, quoribus cessaret dicta infectio, quæ resultat ex dispositione textus in l. fin. C. de pact.

Secus autem, ubi agatur de successione aperienda per mortem ipsiusmet renunciatarii, in bonis per ipsum possessis, cum implicet, ut res mea, denudè mea effici valeat, atque ad me per alium transferri, & consequenter, actus renunciationis non potest importare, nisi remissionem, seu extinctionem juris sperati per renunciantem, juxta supra dictos terminos remotionis obstaculi, ac propterea impropii remanent termini dicti textus in l. spem; Atque in hac parte, benè pro meo iudicio, dicebant Scribentes in contrarium.

Verùm objectum solidè removebatur cum dicta alia responsione, effectus liberationis bonorum jam consummati, quodque propterea, ubi renunciatarii nō disposuissent, renunciatio non excluderet personam renunciantem à dicta successione, ex deductis in præcedentibus; Secus autem, dum jam renunciatarii disposuerant tanquam de bonis jam ita liberis effectis.

Aliam quoque nimium efficacem ponderabam rationem, seu circumstantiam dictæ personalitatis exclusivam, & quæ aperte comprobabat renunciatariorum voluntatem, ita acquirendi prædictam bonorum libertatem, ab eo fideicommissi nexu, qui ea subiacere poterant, favore feminæ renunciantis, quatenus ipsis absque prole descendens, ejus casus fieret; Quod scilicet renunciatio alias omnino inutilis esset, atque manifestam fatuitatem redoleret, dum tam ex ordinatione fideicommissi, quam ex Statuto Urbis feminarum exclusivo, masculis existentibus, donec ipsi fratres viverent, vel eis decedentibus, superstitibus filiis masculis, sive feminis, eadem renunciatio nullum jus habebat.

Ideoque dicendum est, id quod in præcedentibus insinuat, quod scilicet hujusmodi renunciaciones frequentius principaliter reportari solent, ad effectum acquirendi dictam disponendi libertatem, quodque propterea, ubi ageretur de ipsorum renunciatariorum intestata successione, in concursu remotionis, tunc recte procederet ea, quæ ex parte renunciantis deducebantur, ut donatio durare non deberet; Secus autem in præjudicium creditorum, vel aliorum, ad quorum favorem renunciatarij disponebant, quoties dispositio, scilicet obstaculo renunciantis, effectum sortiri potest, quia nempe non intret ratio, cui innixa est supra enunciata theoria Bartoli in l. qui Romæ, ff. duo fratres, ff. de verb. oblig. & alibi; Istique mihi videbantur hujus controversiæ termini.

Demum quoque quartum punctum præsentis invaliditatis renunciacionis, ob non adhibitam insinuationis solemnitatem; Idem Scribentes pro actrice, qui in hoc puncto acriter insistebant, nimiumque in eo laborarunt materiam involvere videbantur, commiscendo, seu verius confundendo conclusiones, seu auctoritates percutientes illam insinuationis solemnitatem, quæ requisita est per Ægidianam Constitutionem in omnibus contractibus quomodocumque læsionis minorum, ac mulierum respectivè, cum altera insinuatione, quæ de jure communi in donationibus tantum requisita est, eadem juris dispositione innovata, ac etiam alterata in Urbe per ejus Statutum cap. 150. Tum circa summam, quæ de jure est solidorum 500. qui ex magis communi, & recepta sententia importat scuta 700. circiter nostrorum temporum, ut advertitur in sua materia sub tit. de donat. præsertim discurs. 60. Statutum verò se restringit ad summam ducatorum bis centum de Carolenis, qui importat scuta 250. monetæ Juliorum decem pro quolibet, sive juxta currentem auri valorem, scuta centum auri.

Tum etiam, tollendo efficaciam juramenti, cujus ratione dicta solemnitas à jure communi inducta, penè idealis remanere videtur, dum magis communiter receptum est, ut iuramento accedente, illius defectus non attendatur, ut in dicta sua materia de donat. dicto disc. 60. & in aliis.

Longè autem isti termini differunt inter se, quoniam prima species insinuationis, restricta non est ad veras, ac puras donationes tantum, ut est altera; Sed percutit omnes, & quoscumque contractus, qui læsivi, ac alias præjudiciales esse possunt; Ideoque in pluribus causis, in quibus agitur de hac speciali materia renunciacionum, disputatur de hac infectione resultantè à defectu hujus insinuationis, non autem alterius, quæ in donationibus requiritur.

Æquivocum autem erat, hujusmodi decisiones; ac auctoritates deducere in hac facti specie, in qua solemnitas desiderata per Ægidianam non intrabat, cum ageretur de muliere majore, de qua dicta Constitutio non disponit, ut potè agens de minoribus tantum; Et quamvis ejusdem Constitutionis contextus probet, ut ea, quæ in minoribus statuta sunt; ad mulieres quoque extensa fuerint; Nihilominus (ut pluries advertitur in sua materia sub tit. de alienat. & contract. prohib.) ista est extensio facta per Carpentensem, in qua non intrat confirmatio, ac respectivè extensio ad Urbem, universumque Statum immediatum Ecclesiasticum facta per Sixtum IV. & Paulum III. unde propterea operativa est intra limites propriæ Provinciæ Marchiæ Anconitanæ.

Isteque est unus ex intolerabilibus modernorum erroribus, adeò frequentium æquivocorum productivis, quod immorando in sola superficie litterarum, atque studendo solis indicibus, seu repertoriis, quidquid reperitur sub eo nomine, seu termino, qui cadat in questione, cum improbo, indigestoque labore confarctatur, non distinguendo casum, vel terminorum diversitatem.

Strictè igitur ad insinuationem requisitam in donatio-

nibus; quamvis in ultimis præsertim disputationibus teritiæ instantiæ coram Taja, nimium inter Scribentes hinc inde certatum fuerit, super applicatione theoricæ Baldi in leg. illud num. 11. Cod. de sacrosanct. Eccles. à qua derivat conclusio, quod in donatione, vel renunciacione juris querendi, hæc solemnitas non requiritur; Nihilominus Rota in decisionibus, deducendo aliquid hinc inde, ob votorum diversitatem, nihil determinare voluit, evitanda difficultatem cum solo facto; Et quidem prudenter, quoniam (ut pluries insinuat,) forensium nimia imprudentia, imò ineptia, seu judicii imbecillitas est assumere juris questiones in abstracto, seu reducere causam ad articulos juris, qui ob ingeniorum varietatem semper periculosi sunt, quoties difficultas tolli potest ex facto.

Ista si quidem renunciatio, non erat merè gratuita, & lucrativa, sed correfpectiva ad pinguem, ac excessivam dotem, quam fratres, ultra illud paragium, quod ex obligatione debitum erat, forori constituebant, & qui excessus dicitur præcium futuræ spei renunciatur, adedut puella dotem ita, non de paternis, vel fraternis, sed de propriis bonis habere dicitur, ut pluries advertitur in sua materia sub tit. de dote, præsertim disc. 154. & 155. & in aliis ibi enunciat.

Valor autem, seu pretium hujusmodi renunciacionum, meriti debet de præsentis, id est de tempore renunciacionis, & quantum communi peritorum judicio æstimaretur, seu vendi posset ista spes, quæ inanis remanere potest, juxta illam æstimationem, quæ datur in actu reus, vel in incerta alea, atque pro frequentiori usu in illis sponsonibus, quæ vulgò lotto nuncupantur, quarum exemplo utitur ultima decisio coram Taja, & de quibus habetur sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc. 47. & sub tit. de usur. disc. 36. Itaq; valuatione attenda, certum remanabat, quod neque adæquabat dictum excessum, quoniam cum esset quædam spes, quæ pro naturali cursu probabiliter non erat eventura per mortem duorum juniorum fratrum sine prole, iuvenum, ac robustorum, qui sæcularem vitam ducebant, idcirco cessabat quæstionis occasio in radice, dum ipsa nil remanebat, quod donationi, atque lucrativæ causæ referri posset, in quo caderet insinuationis inspectio.

Clariùs verò, quoniam hæc renunciatio non erat pura, neque libera, sed continebat onus fideicommissi ad favorem descendendum eorumdem donatariorum, quo casu etiam vera, & pura donatio tanquam onerosa, & causativa, non subjacet insinuationi ex deductis dicto disc. 60. de donat. & advertitur etiam in ultima decisione coram Taja, ac in aliis.

Verùm quatenus pertinet ad dictam conclusionem, seu quæstionem, an scilicet in donatione, vel renunciacione juris querendi, insinuatō requiritur; Quamvis ego, & cæteri pro hac parte scribentes, simpliciter deducemus regulam negativam deductam ex dicta theoria Baldi in l. illud, Cod. de sacrosanct. Eccles. de qua cæteris relatis Tiraquell. in l. si unquam, verbo donatione largitus num. 180. & seqq. Gabr. de donat. conclus. i. Mantic. de tacit. lib. 13. tit. 5. num. 16. Rota apud Buratt. decis. 333. & in supra allegatis decisionibus 12. 292. 320. & 323. par. 6. rec. At tamen reflectendo ad veritatem, mihi videbatur, quod æqui vocum esset cum hac generalitate procedere, quodq; procedi deberet cum sequenti distinctione.

Aut etenim agitur de illa futuræ spei, vel juris querendi renunciacione translativa, quæ per speciem donationis, juxta dictos terminos textus in l. spem, Cod. de donat. fiat de una, vel pluribus speratis successioneibus, quæ per parentum, vel aliorum conjunctorum mortem aperiendæ sint; Et tunc, ubi præsertim est spes de futuro, radicata in causa de præterito, ut in his fideicommissariis successioneibus contingit, vel in feudilibus, sive emphyteuticis, quæ resultant ab investitura pacti, & providentiæ, cum similibus, certum est, quod istud speratum jus, pro magis proxima, & verisimili, seu respectivè remota, & inverisimili spei verificatione, suum habet pretium, seu valorem, eodem modo, quo (juxta exempla superius tradita) jactus reus, ac incerta alea, sive sponso, regulando hujusmodi incertitudinem, cum ponderationibus, de quibus sub tit. de Regal. disc. 30. & seqq. & sub tit. de donat. disc. 54. adedut in emptionis, & venditioni contractum deduci valeat, ac de consequenti intrare possit læso, seu circumventio, juxta terminos textus in l. 2. Cod. de rescind. vendit. ideoque de consequenti rectè intrat insinuatō, quatenus hujus celsæ spei valor à jure communi, vel statutarie præfinitam summam excedat, cum sit transferre jus, quod in illa spe jam

jam de præsentis competit, ut in specie advertitur ad Gabr. dicta conclus. i. de donat. n. 77. & conferunt, quæ habentur dicto disc. 154. & seqq. & in aliis sub tit. de dote, ut dos, quæ per patrem, vel fratres datur puellæ renunciacionis intuitu, constitui dicitur potius de ipsius puellæ bonis tanquam dictæ spei pretium; Ergo spes habet suum valorem.

Aut verò agitur de renunciacione illi necessarii successioni, quæ speretur per ipsius renunciatarij mortem, ut in præsentis: Et tunc reverà (ut superius in tertio puncto advertitur (non intrant termini donationis, vel translacionis, sed potius illi abstentionis, faciendo se mortuum, seu tollendo se de medio, tanquam per remotionem obstaculi, seu per quamdam præventivè declaratam futuram non agnitionem, quæ non importat jus formatum, sed simplicem facultatem, ex cuius usu, seu exercitio, & non aliâ jus resultare dicitur, juxta notata ad textum in l. qui autem, ff. que in fraudem credit. de quibus sub tit. de credito disc. 40. & 136. & seqq. Et in his terminis procedunt dictæ auctoritates, præsertim superius allegatæ decisiones in Signina Castrorum par. 6. recent.

Ita enim renuncians, nihil transferre dicitur, cum sit spes, quæ non existere, atque caducari potest, ideoque suum patrimonium diminuere non dicitur, neque verè pauperior effici, minusque renunciatarij aliquid de novo acquiri à renunciante in se translatum, cum ita in ejus antiquo dominio, ac jure perseveret, meliorato quidem, sed ita per accidens, ac insensibiliter, per remotionem illius servitutis, vel resolutionis, cui ejus dominium subiacebat; Eodem modo, quod dominus rei, ususfructus, vel alterius servitutis onus habentis, eo cessato, nullum jus de novo acquirere dicitur, sed suum antiquum continuat, ita memoriam, per cessationem accendit; Ad instar eorum, quæ habentur apud Beneficialistas de jure, quod Ordinarij Collatores obtinent conferendi beneficia reservata Sede Papali vacante, ob expiratas regulas Cancellariæ, sive ob Apostolica Indulta, juxta formam antiquam ante Constitutionem Urbani VIII. ut in sua materia sub tit. de beneficiis cum similibus.

Importat siquidem hujusmodi obstaculi remotio renunciatarij locupletationem, in eo majori valore, quem bona per ipsum possessa acquirunt, ob remotionem oneris, quod de pretio, seu valore, pro illius qualitate, notabiliter minuit, ex deductis in proposito locorum montium vinculatorum dicto tit. de Regal. disc. 30. cum seqq. & sub tit. de camb. disc. 2. ac etiam sub tit. de feud. disc. 99. & sub tit. de credit. disc. 33. & 139. occasione agendi generaliter de diminutione, quam etiam pecunia patitur ratione cautionis, vel obligationis de restituendo prioribus, vel potioribus creditoribus; Adedut renunciatarij, qui subjectus erat vinculo, prius possideret bona valoris (ex. gr.) scutor. 150. quæ ita effecta sunt valoris 200. sed è converso renuncians, verè & de facto non fit pauperior, neque suum patrimonium diminuit.

Et tamen, ut advertitur d. tit. de donat. disc. 60. etiam in remissione insinuatō requiritur, nihilominus procedit in remissione juris jam quæsitæ, atque actualiter competentis, juxta distinctionem de qua in terminis text. in l. qui autem, ff. que in fraud. creditorum d. disc. 40. & 136. cum seqq. de credito.

BONONIEN. SUCCESSIONIS, SEU FIDEICOMMISSI.

Ad instantiam

IOANNIS PHILIPPI DE PODIIS CUM CHRISTOPHORO.

Responsum pro veritate.

De renunciacione facta per virum ingredientem Religionem, an dicatur personalis, adeout suffragetur ei soli, cujus intuitu facta est, ad cuius favorem faciat numerum, & partem; Vel potius sit realis, ita ut eo habito pro non extante, suffragetur omnibus.

Et an renunciatio facta per ingredientem Religionem, capiat successiones obventas post professionem.

- 1 **F**acti series.
- 2 **R**enunciatio translativa prodest solum renunciatario, cujus favore persona renunciantis facit numerum, & partem.
- 3 **Q**uod ista sit questio facti.
- 4 **Q**uando renunciatio sit translativa;
- 5 **D**e eodem ob clausulas.
- 6 **D**e eodem ob correspondentiam.
- 7 **I**n translativa renunciatio dari valeat in successioneibus de futuro.
- 8 **D**e successione de futuro, trahente causam de præterito.
- 9 **A**n renunciatio facta per ingredientem Religionem capiat successiones delatas post professionem.

D I S C. VII.

Præsupposito, quod fideicommissum ordinatum per Ludovicum de Astis, purificatum esset æqualiter ad favorem Christophori, Antonij, & Elisabethæ nepotum dicti Ludovici ex Clara filia, seu Joannis Philippi dictæ Elisabethæ filii, & de quo fideicommissum habetur in sua materia sub tit. de fideicommiss. discurs. 32. Cum Antonius, in Ordinem Minorum Conventualium professus, in lumine professionis, ad præscriptum Sac. Conc. Tridentini sessio. 25. de Regular. cap. 16. renunciaverit, atque cesserit Christophoro fratri omnia ejus bona, & jura, necnon successiones, quomodocumque tam ex testamento, quam ab intestato sibi devolutas, ac devolvendas, cum clausulis amplissimis, præsertim illis ad habendum, & constituendum, ac promissione evictiois; Cumque fideicommissum prædictum, post dicti Antonij, jam emissam professionem, purificatum esset; Hinc orta est dubitatio, inter dictos Christophorum, & Joannem Philippum, an stante dicta renunciacione, equalis deberet esse eorum successio, perinde, ac si persona dicti Antonij renunciantis, de medio sublata esset; Vel potius hic, numerum, & partem facere deberet ad favorem Christophori renunciatarij, adedut iste duas obtinere deberet portiones; Sive, an potius portio dicti Antonij, utpotè delata post professionem, deberetur Religioni capaci in communi; Atque super his resolutus pro veritate ex parte Joannis Philippi, qui æqualem successioneis desiderabat.

Contra ipsum requirentem, ad favorem Christophori, dixi probabilius respondendum videri, quoniam ubi expressè, vel conjecturaliter constat, quod renunciatio ad favorem unius tantum facta sit, illa utpotè translativa potius, quam extinctiva; ita redolens speciem donationis, renunciatario tantum prodesse debet, ut ita rejiciendo, seu declarando cons. 6. Dini & sequacium, post. Guilieim. de Cuneo; & Rayner. de Porol. & alios firmant Bald. in l. p. adum num. 6. Cod. de collation. ubi Castren. numer. 8. & cæteri Jal. in l. avus nepis num. 4. ff. de patris, Bellon. Jun. de jur. accresc. cap. 6. quæst. 48. num. 15. cum seqq. Surd. consil. 446. num. 14. bene Galeot. lib. 2. contrrov. 10. à numer. 7. ad 20. latà Fab. de Ann. consil. 45. numer. 12. cum seqq. & num. 46. cum seqq. Et hanc opinionem, præsupposita qualitate renunciacionis translative, non autem extinctive, tanquam absolutam, sæpius tenuit Rota præsertim in Auximana dotium 26. Junij 1655. coram Bich. inter suas decis. 631. in Maceraten. hæreditatis 27. Maii 1658. coram Verosolio in Bonon. bonorum, seu successioneis de Sicighellis 2. Martii 1663. coram Ottalora in fine, & habetur sæpius in aliis hoc eodem titul. præsertim in dicta Auximana discurs. seqq. Ex quibus liquet, ut ista sit questio potius facti, seu applicationis, super natura scilicet, seu qualitate renunciacionis, quoties ejus verba sint ambigua, an scilicet censenda sit personalis, vel realis, sive (ut alii dicunt) translativa, vel extinctiva, quoniam posito, ut ea sit personalis, seu translativa, (quod in proposito sonat in idem,) certum est, ut prodesse debeat soli renunciatario, tanquam donatario, atque per renuncianteis solum contemplato, non autem alii, secus è converso.

Quod autem præsens renunciatio esset personalis, seu translativa, clarè ostendebat illius tenor, dum concepta erat per verba meram donationem, expressè denotantia, unde propterea, ut advertitur in dicta Auximana dotium 4. coram Bichio, & in aliis, in claris non intrant præsumptiones, & argumenta ad vulgarem regulam text. in l. ille, aut ille, ff. de legat. 3. Neque immorandum est in his, quæ in casu dubio considerari solent per DD. plenè deductis per Fab. de

de Ann. dicto conf. 45. & apud Bottiglier. de success. ab in-
test. theorem. 49. n. 18.

Ultrà verò dicta verba donationem redolentia, accede-
bant etiam; promissio evictionis clausulæ, ad habendum,
& constituti, & alia similia, quæ apud allegatos pro trans-
lativa, & personali qualitate considerari solent; Et clarius,
quia expressè dicebatur, ut jura cessa, soli Christophoro
acquirentur, quod repugnat renunciacioni reali, seu ex-
tinctivæ, ut ponderat Fab. de Ann. d. conf. 45. n. 46. cum
seqq. Ac etiam, quia renunciatio non fuerat mere gratui-
ta, neque dicti poterat facta solo amore Dei, ut abjicerentur
temporalia, ut aliqui in hujusmodi renunciacionibus factis
per ingredientes Religionem, ponderare solent; Quod
tamen, ut alibi advertitur, hodie non de facili verificatur,
ubi agatur de Religionibus capacibus, sed ob correptivam
obligationem Christophori fratris solvendi etiam de proprio
Religioso renunciantis singulis annis libras 200.
ejus vita naturali durante, ut in proposito renunciacionis
factæ per sororem dotatam illi fratri, à quo solum dotata
fuit, Bellon. Jun. d. cap. 5. q. 48. n. 19. & 20.

Difficultas solum cadere videbatur, ut translativa, seu
personalis renunciatio non congrueret juri de futuro, de
tempore renunciacionis adhuc non delato juxtà distinctio-
nem, de qua Scribentes apud Bottiglier. dicto theorem. 49.
n. 18. & seqq. Hodiern. controuv. 7. n. 15. & apud alios, de
quibus disc. præced.

Verum advertendam, quod ista distinctio procedit in du-
bio, secus autem, ubi actus expressè, vel conjecturaliter
sonat in donationem, ac translativam cessionem; Simplex
enim juris presumpcio, quæ resultat ex qualitate rei cessæ,
suffocata remanet à contraria probatione expressa, vel à
fortioribus præsumptionibus, ut plenè Fab. de Ann. d. con-
f. 45. & in Romana fideicommissi 9. Maii 1659. coram
Verosio, & in aliis ejus confirmatoriis coram Bevilacqua,
& Taja editis in casu, de quo disc. præced. ubi de differen-
tia renunciacionis jam delatæ, & alterius speratæ, seu defe-
rendæ, atque respectu deferendæ, de alia distinctio, an
de successione tertii, vel de ista ipsiusmet renunciarii, ex
ca clara ratione, quod in jure prohibitum non est, spem futu-
ræ successiois vendi, seu donari, aut alias in contractum de-
duci, ad text. in l. spem, Cod. de donat. cum sola difficultas,
quæ in proposito cadere solet, percutiat casum venditionis,
vel cessionis hæreditatis certæ personæ sine illius consensu,
cujus perseverantia requiritur usque ad mortem; Sive sit
ob votum captandæ mortis, sive ad conservandam testan-
di libertatem, ad text. in l. finali, Cod. de pactis cum concord.
Secus autem, ubi agitur de hæreditatibus, ac successio-
nibus in genere, cum dicta difficultas procedat, ubi agatur
de successione certæ, ac determinatæ personæ, ut pluries
in aliis hoc eod. tit. Et clarius ad effectum, de quo in præ-
senti, dum agebatur quidem de jure de futuro, ac sperato,
sed originem trahebat à causa certa de præterito, quo casu
certum est, quod dicta difficultas non intrat, ex deductis
per Rovit. decis. 87. n. 15. & 16. Rot. dec. 12. n. 7. par. 6. rec.
dec. 161. par. 10. & in dictis decisionibus Romana fideicom-
missi, de qua disc. præced. & frequenter.

Ad excludendum autem dictum Christophorum, red-
dendamque æqualem, ac meliorem conditionem Joannis
Philippi; Cogitabam, an dicta portio spectaret ad Religio-
nem, à qua cesso obtineri posset, stante quod successio aper-
ta est post professionem, & sic in tempore inhabili, in quo
Religiosus ex persona propria nullum jus succedendi habe-
bat, cum in Rota, & Curia recepta sit opinio Canonistarum,
ut successio ex persona Monaci delata, directè, ac im-
mediatè deferatur Monasterio, quod ex persona, & jure
proprio succedere dicitur; Et ex qua ratione plures tenent,
ut hujusmodi donationes, seu translative renunciaciones,
quæ fiunt per ingressuros Religionem, non comprehendant
successiones post delatas, seu apertas, ut tenent Corn. &
Soccin. & alii relati per Fab. de Ann. d. conf. 45. n. 94. An-
dreol. controuv. 310. n. 24. Altograd. conf. 42. n. 30. & conf.
43. n. 40. & seqq. lib. 2.

Verum, & hoc fragile fundamentum esse dixi, quoniam
(quicquid allegati teneant) magis recepta est contraria
opinio Decii, & Covarr. & aliorum, de quibus apud eum-
dem Fab. de Ann. dicto conf. 45. nu. 95. cum plurib. sequent.
quod etiam benè probat Rovit. conf. 44. n. 21. & seqq. lib.
1. & decis. 85. n. 2. & firmavit Rota in dicta decis. 161. par.
10. rec. ubi in specie de renunciacione capiente ad commo-
dum renunciarii futurum fideicommissum, quod per ip-
summet renunciarii mortem purificatum fuit, post emis-
sam monialis renunciantis professionem, Monasterium

enim prætereundum non potest bona, & jura per professum in
alterum distracta, & translata, priusquam professionem
emitteret; & idem si hæc spes est alienabilis, & in contra-
ctum deducibilis, nulla subest ratio, ob quam hujusmodi
successio ante professionem jam distracta, per Monasterium
præterendi valeat.

AUXIMANA DOTIUM PRO AUGUSTINO GALLO CUM BERNARDINO FRATRE.

Casus decisus per Rotam pro Augustino.

De eadem materia renunciacionis factæ pro sorores uni;
vel pluribus fratribus, an sit realis, vel personalis;
Sive translativa, vel extinctiva, ad eundem effe-
ctum, an scilicet prodesse debeat solum personis con-
templatis; quibus facta est, vel potius omnibus con-
temporalibus; quæ habentibus; Et incidenter, an & quando
renunciarius, seu refutarius fideicommissi, vel
alterius juri sibi de futuro debiti, renunciacionem in
ejus auctorem agnoscere dicatur, ut ad sibi incum-
bentia onera teneri debeat.

S U M M A R I U M.

- 1 AN, & quando refutarius agnoscat in auctorem re-
futantem, ut ad ejus onera teneatur.
- 2 Resolutio causæ.
- 3 De effectu resultante ex personalitate renunciacionis.
- 4 Ex quibus personalis probetur.
- 5 Quod substantia voluntatis potius attendi debeat, quam
famulari verbis.
- 6 De eodem, de quo n. 4. ad arguendam personalitatem in
verbis.
- 7 De eodem attendi substantia facti.
- 8 Quomodo istæ quæstiones decidi debeant.

D I S C. VIII.

Retenta facti serie, de qua in hac eadem causa sub tit.
de fideicommissi. disc. 19. De duobus inter istos fratres
in Rota disputatum fuit; Primò nempe, an onus dotandæ
filias, quod patri primogenituræ possessori incumbat,
transfusus esset in filium primogenitum, cui ejusdem pri-
mogenituræ præventivam refutationem fecerat; Atque in
ibi enunciatis decisionibus benè deciditur affirmativè, ob
receptam distinctionem, quod aliud est habere se negativè,
seu absentativè, non agnoscendo jus delatum, ut ita locus
proximè successuro aperitur, cum tunc iste obtinere dica-
tur jure suo per solum remotionem obfaculi, non agnoscen-
do refutantem in auctorem; Aliud autem, ubi id sequatur,
post juris agnitionem, cum tunc dicatur formalis translatio,
atque refutarius, durante refutantis, seu renunciantis
istum agnoscat in ejus auctorem, atque ex ejus jure potius
possidere dicatur, saltem respectu onerum jam impresso-
rum, seu contractorum de tempore factæ renunciacionis,
ex ibi deductis.

Altera verò quæstio fuit super renunciacione, quam dic-
tæ filiæ, per Augustinum, aliosque fratres dotatæ, ad
eorum favorem fecerant, quoniam cum dotatio facta non
esset de ipsorum renunciatariorum bonis propriis, sed de
obventis ex communis matris bonis, ita dicebat Bernardi-
nus primogenitus reus conventus, ut renunciatio pro foro-
re facta, etiam ipsi tanquam matris cohæredi suffragari de-
beret, utpotè intuitu communium bonorum, quasi quod,
non personalis, sed realis, sive non translativa, sed ab-
sentiva esset renunciatio per singulos respectivè facta.

Quamvis autem in præcedentibus decisionibus enuncia-
ti d. disc. 19. de fideic. incidenter, & quasi per transennam
de ista renunciacionis natura agatur; At tamen cum in hac
præteritione firmiter insisteretur, idcirco formalis, ac par-
ticularis disputatio assumpta fuit coram Bichio, atque sub
die 26. Maii 1655. prodit resolutio Augustino, aliisque
fratribus renunciariis favorabilis, super translativa, seu
personali qualitate.

Hoc enim posito, de consequenti resultabat effectus insi-
nuatus disc. 1. & in aliis præcedentibus, qui per Scribentes
in contrarium non negabatur, utpotè de jure certus, ut re-
nunciariis tantum, non autem aliis renunciatio prodesse-
ret, ideoque persona renunciantis habita, perinde ac si non
renunciasset, numerum, & partem faciat ad favorem re-
nun-

nunciarii, qui tanquam procurator in rem propriam re-
nunciantis, omnia jura, hinc competentia, exercere va-
leat; Istaque resolutio fortè ansam dedit concordatæ, quæ
controvertat finem imposuit, eaque habetur impressa inter
illas Bichii decis. 631.

Mihi pro Augustino, aliisque fratribus renunciariis
scribenti (reflectendo etiam ad solam veritatem), talis reso-
lutio probabilis, benèque fundata visa est, cum hujusmo-
di personalem, seu translativam qualitatem suaderent,
tam instrumenti litteræ, seu contextus, attenta verborum,
& clausularum formalitate, in qua potissimum insistere vi-
detur decisio desuper edita, quam fortius attendita substantia
veritatis, seu verisimilis voluntatis Partium, quæ pro
meo sensu pluries insinuato magis, ac principaliter attendi
debet, quoniam (in mea est dicendi consuetudo.) Volun-
tas est domini, seu Regina, verba verò, & clausulæ sunt
famulæ, seu ancillæ, quæ dominam comitantur, eique fa-
mulantur, ac inserviunt, ideoque non debent eam oppri-
mere, vel suffocare; In idem suffragante dicto Apostoli,
quod spiritus est, qui vivificat, littera verò occidit, ideo-
que ista illi famulari debet, non autem eum opprimere,
atque prævalere, dum ita esset dare, quod servus domina-
retur proprio domino; Et tamen pragmaticum vulgus non
de facili id percipit, neque practicat, sed potius oppositum,
procedendo cum sola littera, prorsus neglecto spiritu, atque
non considerando, quod frequentius verba, & clausulæ, non
sunt partium, sed Rotorum, vel alterius Sapientis composi-
toris scripturæ.

Attenta igitur prima parte litteræ, seu formalitatis ver-
borum, & clausularum, plura concurrerant dictam quali-
tatem suadentia; Primò nempe ob verba donare, & cedere;
Secundò quod bona, & jura renunciata posita non essent
in dativo, vel in ablativo, sed in accusativo, qui videtur
modus distinguendi, unam speciem ab altera; Tertiò ob
clausulas ponens, constituens, transferens, &c. Quartò, quod
cum de tempore renunciacionis dicta materna successio jam
delata esset, idcirco non cadebat dubitatio, de qua supra
disc. 6. & in aliis, ubi agatur de juribus futuris, ac speratis,
an eis congruat, necne terminus translative renunciacionis,
cum de ea non dubitetur in juribus, ac bonis jam de præ-
senti competentibus.

Attenta verò altera solidiori parte, substantiæ scilicet
verisimilis voluntatis, videbatur verisimili in terminis ni-
mium claris, qui clariores remanebant ex famulatu, sive co-
mitatu dictorum aliorum argumentorum, quia nempe dic-
tus frater primogenitus alius ditior, & qui capitibus domus
figuram faciebat, cui onus incumberet sorores decenter col-
locare, quamvis pluries requisitus esset, id neglexerat, ideo-
que ipsi fororibus nimium adultis, ipsique fratribus, ex ista
causa, ex otio redditus erat; Alii verò fratres, cum eorum
diligentiis, & incommodis, proprias maternæ successiois
portiones in aliquo diminuendo, ut dores fororibus confi-
tuerent, de illarum collocacione solliciti fuerunt, ideoque pec-
uliaris gratitudinis ratio ipsi assidebat, manifestè autem
dicto alteri fratri resistebat.

Atque hinc edocemur id, quod pluries insinuatum est,
quod istæ non sunt quæstiones juris, sed facti, & ambiguae
voluntatis, ideoque prorsus erroneum est, cum generalita-
tibus, vel cum clausulariis, seu grammaticalibus verbo-
rum significacionibus procedere, dum principaliter refle-
ctendum est ad facti circumstantias, ex quibus substantia
voluntatis renunciantis, ac renunciarii desumenda venit,
deservientibus verbis, & clausulis, ac generalitatibus pro
quodam norma, ut legaliter, non autem de proprio capi-
te interponatur arbitrium, cui hæc materia commissa est.

VITERBIEN. HÆREDITATIS PRO CARDINALI GUALTERIO CUM LAURENTIO CHISIO.

Casus decisus per Rotam pro Cardinali possessæ concordatus.

Renunciatio facta bonis paternis, & maternis, an capi-
at successioem fraternam, in bonis, quæ ad fra-
trem defunctum obvenierunt à patre, & matre; Et
de quibus bonis talis renunciatio intelligenda sit.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti serie.
- 2 Resoluciones causæ.
- 3 De distinctione inter carnaliter, & spiritualiter nubentes.

- 4 Renunciatio facta bonis paternis, & maternis non capit
fraternam, licet à parentibus obvenierint.
- 5 Fallit, si constat de diversa voluntate.
- 6 7. & 8. De argumentis hujus voluntatis.
- 9 De eodem, & quomodo hæc voluntas reguletur.
- 10 Expenduntur argumenta, de quibus n. 6. & seqq. 11. & 12.
- 13 Attendi debent capitula potius, quam instrumentum.

D I S C. IX.

Juxtà seriem, de qua in hac eadem causa sub tit. de success.
disc. 16. Victoriam Chisiam, Poggio fratri ab intestato
succedere volentem, ex duplici capite, Laurentium &
Franciscum, ex fratre prædefuncto nepotes, excludere præ-
tendebant, in bonis scilicet intrâ territorium Viterbiense,
ex illius Civitatis Statuto excludens sorores propter fratres,
& in illis, extrâ territorium, ex renunciacione per eam
facta, quando comperenter dotata, nupsit Paulo Gualterio;
Unde introducta causa in Rota, ad ipsius Victoriam favo-
rem super bonis, præsertim extrâ territorium in exclusionem
hujus secundi objecti responsum fuit sub diebus 10. Junii
1639. & 19. Maii 1643. coram Rojas inter ejus impressas
disc. 66. & 206. (de quo tempore ad hanc Curiam adhuc
non accesserant;) Reassumpta verò post diuturnum silen-
tium causa prædicta per Cardinalem Gualterium hæredem
Julii dictæ Victoriam prædefunctæ filii, & hæredis coram
Taja, datoque duplici dubio; Uno scilicet circa operatio-
nem Statuti in bonis intrâ territorium, de cujus resolutio-
ne habetur in dicto discurs. 16. de success. & altero circa pun-
ctum renunciacionis, an standum esset in alias ut supra de-
cis; Sub die 2. Maii 1664. dictæ resolutiones confirmatæ
fuerunt, ex eodem fundamento in prioribus decisionibus
contento, quod cum renunciatio concepta esset de bonis
paternis, & maternis, operativa non esset in fratervis, ex
renunciacionis natura, ut strictè ad limites jurium renun-
ciatorum intelligi debeat; Potissimè verò, ubi per nubentem
in sæculo fiat, in qua non cadit consideratio, quæ mili-
tariæ solet in ingredientibus Monasterium, ut finis, seu causa
principalis renunciandi, esset bonorum temporalium ab-
jectio in universum, ob amorem Dei, & vitæ cælestis, adeo-
ut aliquæ successioem, vel bonorum species, dici possint,
ut stent potius demonstrativè, faciendo generaliter renun-
ciationem Mondo mortuam; Quicquid enim fit de hujusmo-
di consideratione in dicto casu; Receptum est, ut ea regu-
lariter non intret in hoc altero casu carnaliter nubentis,
juxtà distinctionem, de qua in aliis hoc eod. tit. frequenter.

Et licet bona, de quorum successione agebatur, pro ma-
jori parte, ac penè in toto, ab utroque parente proveni-
rent; Attamen id non operabatur renunciacionis obstacu-
lum, quoniam non attenditur origo bonorum, seu causa
mediata, sed causa immediata, illorumque qualitas de
tempore successiois, quando, non amplius paterna di-
cenda sunt, sed fratervis, utpotè de fratris defuncti domi-
nio effecta, atque cum reliquo ejus patrimonio confusa,
ex deductis in iisdem decisionibus coram Rojas, & ultrà
ibi deducta, habetur apud Spad. conf. 352. lib. 2. Cirocc. di-
sc. 58. n. 45. & 46. Donad. de renunc. cap. 20. n. 25. Add.
ad decis. 375. num. 23. p. 4. rec. tom. 1. apud quos concordant-
tes.

Non negabant Scribentes pro Laurentio reo convento,
veritatem hujus propositionis in genere; Verum dicebant,
quod cum ista sit quæstio voluntatis, illa etiam ex admini-
culis rectè desumi potest, quod scilicet tam renunciacionis
quam renunciatariorum, loquendo de paternis, & maternis,
intellexerint etiam de mediatis, quamvis fraterna effecta
essent, inspecta scilicet origine, ac demonstrativè potius
seu improprie, quam proprie, ac taxativè ex deductis, præ-
sertim apud Sura. conf. 267. n. 27. & conf. 562. nu. 5. Soccin.
conf. 287. n. 35. lib. 2. Minad. conf. 22. n. 6. cum aliis, qui pro
ratione dubitandi habentur deducti in Bonon de Armis co-
ram Merlino inter suas dec. 22. & 62. aliàs post alterum
Merlin. de legit. decis. 47. & 48. ubi magistraliter exami-
natur hujusmodi materia renunciacionis conceptæ de bonis
paternis, & maternis, an ista capiat, postquam effecta sunt
fratris, de cujus successione agitur, & quæ decisiones firmantes
negativam, sunt in terminis fortioribus renunciacionis
factæ per monialem.

Ad hujusmodi autem voluntatem probandam, plura per
dictos Scribentes ponderabantur; Primò nempe, quod de
tempore successiois jam obiisset Franciscus Pater, itaut facta
jam casu successiois, bona renuncianti, pro ejus portio-
ne delata, in stricta, & propria significacione, non essent am-
plius

plius paterna, sed propria, & tamen dicuntur paterna, ergo Partes stare noluerunt in præcisa, & stricta significatione verborum, ut ponderatur apud Soccin. & Minad. ubi supra. Secundo, quod stante Statuto exclusivo feminarum propter masculos, renunciatio non remaneret in aliquo verificabilis, seu operativa, si in dicta stricta significatione capiendi esset, unde propterea ne actus remaneat fatuus, subintelligenda est dicta voluntas, exprimentis bona paterna, & materna, spectata origine, seu causa mediata ex deductis apud Surd. ubi supra.

Et tertio; stante renunciatariorum observantia deducta ex renunciacione facta per alteram forem pariter nuptam, in qua specificè agebatur etiam de fraternis, quorum comprehensio etiam deducebatur ex amplitudine verborum instrumenti super capitulis matrimonialibus postmodum initi.

Scribens Ego in hac ultima disputatione pro Cardinali actore, non negabam, ut generaliter ac in abstracto dicta limitatio esset vera, quoniam sæpius minus scriptum, quam dictum, seu volitum esse solet, atque in illis, quæ ad disponentium, vel contrahentium voluntate pendet, vera & recepta propositio est, ut istius substantia potius quam cortex, & figura verborum spectari debeat; Dicebam tamen (etiam cum sensu veritatis, ut Rota admittit,) quod cessaret fundamentum facti, seu probationis talis voluntatis, cuius ponderata inditia inefficacia videbantur.

Quatenus enim pertinet ad primum, Licet mors patris sequita esset, non inde tamen bona desierant esse paterna, cum non constaret, quod renunciatus pro ejus portione successione agnovisset, sine qua agnitione, certum est, ut dici non possent bona propria, cum post ille, cui successio delata est, non agnosceret, ad communiter notata in l. qui autem, ff. quæ in fraud. credit.

Quovèro ad secundum, de infructuositate, seu non operatione, facilius erat responso; Tum quia plura aderant bona extra territorium, in quibus, cessante statutaria exclusione, absque dubio renunciatus jus successione habebat; Tum quia etiam in bonis intra territorium Statuto subiectis remanebat spes, seu potentia succedendi, dum illud Statutum non est simpliciter, ac perpetuè exclusivum, sed temporaliter, donec extent fratres excludentes, vel eorum descendentes, à Statuto contemplati, quibus defectis, femina exclusa reintegratur ad propriam portionem, ideoque etiam in illis renunciatio operativa remanebat; Cum enim argumentum superfluitatis, seu facultatis, nimium debile in jure reputetur, hinc ad illud relucendum, sufficit qualis qualis ratio.

Et quoad tertium, illud potius retorquebatur ex argumento ducto a discretiva per text. in l. unica, §. sin autem, C. de caduc. tollen. dum enim in una renunciacione actum est de fraternis, signum est, quod in altera, in qua omiffa fuerunt, partes noluerunt, & quando voluerunt dixerunt; Et quæ dicebantur de amplitudine verborum, de plano pariter cessare videbantur; Tum quia ipsa quantumvis prægnantia rectè operativa, & adaptabilia erant ipsis speciebus, ad quas restricta erat renunciatio, cuius majorem vim, & observantiam prægnantia verborum potius percutiebat; Tum etiam quia, cum instrumentum, in quo amplitudo verborum continebatur, initum esset, non animo novandi, sed solum pro executione, & observantia capitulorum matrimonialium.

Hinc proinde istorum tenor tantum attendendus erat, quoniam hæc dicuntur verba Partium, earumque voluntatis veram faciunt probationem, cum verba instrumenti dicantur potius Notarii, ex formulariis, vel imperitia sæpius in magna copia adjici solita, ut in his specialibus terminis habetur apud Capyc. Latr. dec. 2. n. 3. vers. secundo dicebatur, & latius per Adde. ibid. n. 6. & seqq. atque generaliter recepta propositio est in omni ferè materia insinuat, ut capitulis potius, quam instrumento deferendum sit, quoties non constet, ut istud ex intervallo initum sit animo novandi, prioremque conventionem in capitulis contentam immutandi, ut præsertim sub tit. de emphyteuf. disc. 1. 3. & 14. sub tit. de fideicommiss. disc. 1. 79. & alibi; Concordia verò controversiæ finem dedit.

ARIANEN. SUCCESSIONIS CUM P. MARCO LANDIMARO

Responsum pro veritate, cum subsequita concordia.

De renunciacione facta per virum ingredientem Religionem, an illum excludat à successione parentum, vel aliorum, quorum favore renunciatio facta est.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 De æquitate, cum qua in hac materia procedendum est favore conjunctorum in exclusionem Monasterii, vel Religionis.
- 3 Quod renunciantis declarationi deferri debeat.
- 4 De effectibus resultantibus à natura renunciacionis, & an sit extinctiva, vel translativa.
- 5 De eadem distinctione.
- 6 Quod renunciatus non prohibetur succedere renunciatario.
- 7 Quæ regula in hac materia datur, & quomodo judicandum sit.
- 8 & 9. De circumstantiis arguentibus, unam, vel alteram speciem renunciacionis.
- 10 Statutum exclusivum feminarum deservit in hoc pro argumento.
- 11 De Constitutione Regni Neapolitani super exclusione feminarum propter masculos.
- 12 De modo interpretandi renunciacionem, & quare bonigne favore hæredum renunciatarii contra renunciacionem debeat interpretari.

D I S C. X.

Cum Michael in sæculo nuncupatus, qui Marci nomen in Religione Prædicatorum assumpsit, professionem emittere deberet, amplam renunciacionem, juxta pluries enunciacionem communem Italiæ usum, de omnibus juribus, ac bonis de præsentibus, & futuro, fecit Angelo patri, ac Francisco, & Marco Antonio fratribus; Cumq; defunctis, primò Angelo patre, cuius intestatam successione obtinuerunt præfati Franciscus, & Marcus Antonius filii in sæculo existentes, deinde obiisset Franciscus superstitibus filiis, atq; ultimò decesserit Marcus Antonius clericus secularis in sacris, ejusq; intestatam successione agnovissent aliqui ex prædefunctis germanis fororibus, ac etiam fortè ex dicto altero fratre nepotes, dictusque Religiosus, cui frater defunctus aliquas subventiones pro extraordinariis religiosis iustibus suppeditare solebat, acquiescere, quatenus tamen nepotes eundem continuarent styllum, donec viveret, ipsi autem id indiserete negarent; Hinc Magistri in statu Magistri in ejus Religione constitutus, atque Urbem pro aliis Religionis negotiis adiens, me pro veritate desuper consuluit.

Quamvis autem, ego crederem, ut bonum jus, sibi super intestata successione fratris assisteret, adeo ut de rigore, suam virilem cum nepotibus in stirpes succedere volentibus, obtinere deberet, de consequenti transmissibilem ad ejus Religionem, seu Conventum, seu verius ex tunc delatam; Adhuc tamen, pro ea congruentia, quæ mihi cordi esse consuevit, non de facili expoliandi bonorum proprietate conjunctos, seu domos, & familias, ut Religiones, ac Monasteria ditentur, idcirco, edidi quidem Responsum ad ejus favorem, ut ita dicti nepotes, eorumq; Consultores eorum imprudentiam agnoscerent, honesta patri desideria implerent, donec viveret, ne alias amitterent bona in proprietate; Ipsi autem Religioso consului, ut acquiesceret, aliud non promovendo; Non quod ejus acquiescentia dictis nepotibus posset suffragari, cum juxta opinionem Canonistarum, bona, & successiones, quæ Religioso professio deferuntur, directè, ac immediatè acquirantur Monasterio, seu Religioni independentè à Religioso, cuius velle, vel nolle non attenditur; Sed ut ex laudabili motivo charitatis, cum solo silentio evitaret conjunctorum damnium; idque absque conscientia, seu juri Religionis læsione fieri posse credebam, (quamvis meum non sit de iis, quæ forum internum percutiunt, agere, utpotè extrà meam spheram;) Siquidem, ut advertitur præsertim in specie Religiosi sub tit. de restam. disc. 3. licet post professionem cesset potestas revocandi, vel disponendi, non tamen cessat potestas declarandi ejus animi, quem in renunciacione habuerit, ut bona in illis de sanguine remaneant; Ac etiam circa dictam declaracionem habetur.

In Responsu itaque desuper dato, ad materiam elucidacionem, atque pro tollendis æquivocis, cum quibus aliqui Con-

Consultores dictorum nepotum procedebant in hac materia renunciacionis, an scilicet illa esset personalis, vel realis, seu, (ut alii distinguunt) an extinctiva, vel translativa, adeo ut resulset pluries enunciatus effectus, de quo præsertim supra disc. 2. & 3. ut personam renunciacionis indefinitè mortuam faciat perinde, ac si in rerum natura non esset, unde propterea locus fiat aliis quamvis remotioribus nullatenus cognitis, neque contemplatis; Distinguebam sex diversas quæstiones, sive sex diversos casus, in quibus hujusmodi terminorum distinctiones pro diversis respectibus cadunt, juxta distinctiones de quibus in disc. præcedentibus; & præsertim disc. 3. ut ita dignosceretur, quod plures auctoritates, quæ desuper pro consuetu abusu per dictos Consultores de partibus cum nimia consueta prolixitate, superfluisque allegationum apparatus deducebantur, percutiebant de diversis terminis, illos scilicet præsertim, in quibus contentio ut inter renunciacionem, ac testamentarios renunciatarii hæredes, vel alios, cum quibus ipse in vita, vel in morte disposuerit.

Dicebam igitur, quod casus præcisus quæstionis esset ille, de quo supra disc. 1. & 2. super quo tanquam magistris circumferri solet pluries enunciata dec. 346. Dunozet. repetit. dec. 543. par. 5. recent. & post Tamburin. de jure Abbat. tom. 3. dec. 6. ubi scilicet agatur de ipsius renunciatarii intestata successione, ut tali casu, quoties efficacia non urgeant argumenta, quod renunciatus omnino se mortuum facere voluerit omnibusque, absque personarum exceptione, vel particulari affectione, seu respectu locum cadere, non prohibeatur succedere, nisi è conversò ad certas personas respectum habuerit, ita cum aliquo pleniori calamo, præter genium ac styllum, cumulando decisiones, ac auctoritates præsertim deductas in decisionibus editis in Romana fideicommissi de Steccatis, de qua supra disc. 4.

Ac etiam subjungendo idem quod habetur disc. 1. & in aliis, ut scilicet in hujusmodi quæstionibus, certa, & determinata regula generalis, cuiusque casus applicabilis, dari non possit, sed decisio ex singulorum casuum particularibus circumstantiis metienda sit; Ideoque (ut pluries advertitur,) prorsus erroneum est, cum generalitatibus procedere, sive cum doctrinis, vel decisionibus, quæ in aliquibus casibus prodierint, quoniam in hujusmodi quæstionibus, facti, seu voluntatis, stant bene simul, ut in uno casu aliqua argumenta, vel adminicula sufficiant, in altero autem, quamvis penè identico, eadem, ac longè majora insufficientia sint, quia sic unus, vel respectivè alterius casus qualitas, pro locorum, vel personarum diversitate, seu ob alias circumstantias exigat.

Applicando autem ad rem; Plura accedebant argumenta hujusmodi realitatem de stricto jure excludentia, quodq; renunciatus motus non fuerit ex pluries enunciata ratione, quæ in ingredientibus Religionem, vel Monasterium ponderari solet, quod scilicet ex solo spiritu religionis, ac abjiciendi temporalia, ut spiritualibus, expeditius vacare posset, renunciatio facta esset; Tum quia ut in præcedentibus advertitur, non de facili hæc ratio hodie ad praxim receditur in protestantibus in Religione, vel Monasterio habente capacitate in communi ex rationibus ponderatis præsertim disc. 1. & 2.

Tum etiam quia, specialiter, ac expressè constabat de diversa renunciantis voluntate se non omnino abdicandi à temporalibus; Primò quia reservata pro communi stylo quadam annua vitalitia præfatione, sibi consuluit de pacto resolutive, ac regressu ad jura renunciata; Et secundò quia sibi expressè reservaverat futuras successiones, vel dispositiones testamentarias; ac alias quoque intestatas, dum renunciatio ad certos casus restricta erat; Ideoque illa unica, ac simplex juris præsumptio, super qua Scribentes de partibus integra folia auctoritatibus replebant, ut scilicet renunciaciones, quæ fiunt occasione ingressus in Religionem, reales potius, vel extinctivæ præsumantur, ita per contrariam probationem omnino elisa remanebat.

Tunc autem probabilis contra hunc Religiosum renunciacionem respondendum fore credidissim, quando militante Statuto feminarum, & cognatorum exclusivo, agnatis intestata successio debita esset, adeo ut ista admissio religiosi, quæ spectato effectu, non ad ipsius, sed ad Monasterii extranei favorem tenderent, agnationis præjudicium redoleret, contra commune votum, saltem nostræ Italiæ moribus attentis, ut in præcedentibus advertitur, Attamen ista consideratio non cadebat in casu quæstionis, dum in Regno Neapolitano hujusmodi Statutorum usus non habetur, solumque viget constitutio generalis, quæ incipit in

aliquibus, &c. excludens feminas propter masculos à successione patris tantum, à qua neque omnino eas extraneas efficit, dum eis non tollit legitimam, cujus loco dos de paraggio succedit; Distamque Constitutionem de paterna tantum successione in verbis loquentem, Regni Sapientes extenderunt ad maternam, cujus respectu idem in praxi receptum est, ideoque non caput fraternam, multò minus illam patrurum, vel aliorum remotiorum, unde propterea intrat ordo juris communis novissimi super solo gradu, sublata antiqua prærogativa agnationis, & sexus; Et consequenter dicta ratio agnationis, cujus favore diversa voluntas subintelligenda videtur, non militabat.

Adhuc tamen, reflectendo ad veritatem, atque retinendo meum sensum, ut in his quæstionibus, quæ sunt potius facti, & voluntatis, quam juris, negligi debeant generales DD. traditiones, seu conclusiones, quandoque continentes leguleicos rigores ab humana ratione, seu communi sensu naturali extraneos, sed indagandi substantiam verisimilis voluntatis, non quidem renunciantis, sed potius, ac principaliter renunciatarii, qualis scilicet fuerit ejus finis; renunciacionem procurando; Adhuc sentiebam aliquam difficultatem contra religiosum renunciacionem, quoniam licet renunciatio facta esset patri, & fratribus, Attamen isti vocati erant ex providentia potius patris renunciatarii, qui providendo istum filium de vitalitia subventionem, prudenter de ejus renunciacione sollicitus fuit, ne bona in præjudicium filiorum, ac descendentium, ad Religionem, seu Monasterium extraneum transiret faceret; Istaque ratione attendita, illa applicabilis quoque ad rem videbatur, cum contentiones essent dicti renunciatarii descendentes, ac hæredes sanguinis. Quemadmodum enim (ut pluries insinuat) renunciatario de juribus renunciacionis disponente, respondendum est pro eo, cujus favore dispositum sit; Ita in casu intestati quando verisimilitudo sua deat morientis voluntatem; Ideoque libentius dictam acquiescentiam consului, atque ita sequutum fuit, & quidem laudabiliter.

SABINEN. BONORUM, PRO MONASTERIO MONIALIUM ARCIS ANTIQUE, PRO MARONIS.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Monasterio.

An renunciatio facta per ingredientem Monasterium, obliet intestatæ successione ejus, qui sit hæres renunciatarii, adeo ut quæstio non sit de immediata successione renunciatarii, sed mediata. Et an renunciatio facta per novitium, subiaceat formæ præscriptæ per Concilium Tridentinum, ubi ea sit correceptiva, & ex causa onerosa.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Quæ interdicta possessoria admittant appellationem.
- 3 De forma renunciacionis faciendæ per novitios.
- 4 Quod ista forma non requiratur in correceptivis.
- 5 Frater uterinus, an teneatur dotare.
- 6 & 7. De ratione, ob quam inducitur dicta forma per Concilium Tridentinum.
- 8 De dotibus monialium remissivè.
- 9 Quando contractus ex causa dotis non subiaceant solemnitatibus statutariis.
- 10 Quod in his materiis procedi debeat attendita substantia veritatis, non autem cum formalitate verborum.
- 11 Qualis dicatur substantia veritatis in hujusmodi renunciacionibus, quæ sunt per puellas.
- 12 Quando dicatur actus correceptivus ex ratione meritatum.
- 13 Quod erroneum sit concipere renunciaciones puellarum, & idiotarum personarum lingua latina, atque insistere in significatione verborum.
- 14 De eodem, & quando in verbis fieri debeat fundamentum.
- 15 De renunciacionis realitate, ejusque operatione.
- 16 Quod ista esset potius renunciatio personalis, & translativa, & quare renunciatus non excludatur.

Volens Hippolyta Antonia professionem emittere in Monasterio Arcis Antiquæ, atque pro suo diverso assumpto nomine Claræ, amplam fecit renunciationem de omnibus ejus bonis, & juribus, ac præsertim de illis, quæ sperare poterat ex materna dote, vel successione Tertie matris, ad favorem Hieronymi fratris uterini, qui eam, in toto, vel in notabili parte, de proprio dotaverat; Dicitur Hieronymo postmodum ab intestato defuncto, ejus integram successione obtinuit dicta Tertia mater superstes, istaque etiam ab intestato defuncta, Maronij ejus ex fratre nepotes, qui seclusa dictæ filie monialis persona, erant proximiores, præterentes, ut ob dictam renunciationem ipsis hæc successio delata esset, possessionem bonorum hæreditariorum prævenirent; Quare Monasterium coactum fuit recurrere ad interdictionem possessorum adificandæ quorum bonorum, (quod pariformiter cum altero in casu testati competente ex dispositione textus in l. *fr. C. de ad. Div. Adrian. toll.* immisionis dicitur;) Verum quia istud, ex dispositione juris canonici, speciem petitorij habere videtur, dum reparatur appellabile, quodque non suffragetur dispositio textus in l. *unica, C. de moment. possess.* ob contrariam dispositionem juris canonici, per quam, juxta opinionem in praxi receptam, excepto summariissimo possessorio retinendæ, quod vulgò manutentionis dicimus, ac altero associationis in vim facultatis, vel pacti de capiendæ propria auctoritate (quæ tamen unum, vel alterum decernatur per decretum interloquutorium, & non alias) est appellabile; Dum Agidiana Constitutio, quæ in Urbe, & Statu Ecclesiastico dictam juris civilis dispositionem restituit, utpote reputata lex laicalis, non capit causas, in quibus addit mixtura personarum; vel bonorum Ecclesiasticorum; ut *sub tit. de Judic.* ac alibi pluries advertitur; Hinc proinde Monasterium, ne cogatur per tres instantias hanc litem sublinere, obtinuit in Signatura Gratiæ committi causam A. C. cum voto duorum ejus Locumtenentium, appellacionem remota, atque ab istis sententiam favorabilem, cum justitiæ quidem fundamento, reportavit.

In disputationibus autem desuper habitis, duo fuerunt puncti, quorum uterque singulariter, ac de per se sufficiens dicebatur pro dicta resolutione Monasterio favorabili, multo verò magis utroque simul juncto; Primò nempe, ob dictam renunciationis nullitatem, ob non servatam formam præscriptam a Sac. Conc. Tridentino *sess. 25. de regular. c. 36.* adhibendam in renunciationibus faciendis per novitios.

Ea enim defectiva erat, ob deficientem licentiam Episcopi, seu ejus Vicarii Generalibus; Ac etiam quia, neque constabat, an elapsi essent decem menses novitatus, ut requiritur ex deductis apud Merlin. *dec. 869. n. 5. & 6. & advertitur alibi hoc eod. tit.* ac in altero *de Regular.* Et secundò circa dictæ renunciationis obstantiam, dum illa in specie continebat materiam successionum, de qua erat quæstio.

Quatenus pertinet ad primum; Ultrà ea, quæ in solo facto consistebant, de quibus in Curia, ad Advocatos agere pertinere non solet, super probatione scilicet licentiæ Episcopi, vel Vicarii, quæ per testes probari prætendebatur; Dicebant Scribentes pro reis conventis, quod admissio etiam dictæ formæ certo defectu, adhuc tamen id ob stare non deberet, quoniam Conciliaris dispositio procedit in renunciationibus, quæ, sive sint translativæ, sive extinctivæ, ex benevolentia, seu aliâ ex mera voluntate renunciantis fiant; Secus autem ubi ageretur de contractu oneroso, merèque correfpectivo, cum tunc istud Conciliare decretum non intret; Istumque dicebant esse casum, dum frater uterinus; qui aliâ dotare non erat obligatus, saltem non facta excussione patrum, ac matrum bonorum, ac aliorum, quorum prior esset dotandi obligatio juxta ordinem recensitum *sub tit. de dote disc. 142.* eam dotaverat; istoque intuitu, in renunciationis instrumento dicebatur, quod ea fieret.

Non negabam ego scribens pro Monasterio veritatem dictæ propositionis, cum reverà Conciliare decretum, illas percutiat irrefractabiles renunciationes, quæ, sive ad favorem Monast. rii, sive ad favorem alterius, absque forma ibi præscripta fiant, illud parere possent inconveniens, ut renuncians in bonis denudatus, cogatur quamvis invitatus, propter; Atque ob eandem rationem prohibitum est renunciationes her. non nisi per duos menses ante professionem, id est post jam decurios decem menses novitatus, undè propterea novit us jam Religionis Institutum expertus fuerit, atque hoc non obstante in eodem proposito perseveret,

quoniam, ut advertitur in sua materia *sub tit. de Regul. & alibi*, isti duo menses ante professionem, ex veriori, ac omnino recepta interpretatione, adjecti solum sunt ad demonstrandum, quod ad minus debent esse lapsi dicti decem menses, adeo ut duo solum superint, & ne prius iste actus fieri valeat; Si verò major terminus decurrerit, adeo ut renunciatio sequatur completo anno, atque in ipso professionis limine; tunc illa erit melior, magisque ita satisfactum erit intentioni, vel rationi Sacri Concilii; Istæ autem rationes cessant in actibus merè onerosis, & correfpectivis, ad limites tamen correfpectivitatatis, ac juxta ea, quæ *sub tit. de donat.* pluries habentur in materia insinuationis, aliarumque solemnitatum, quæ per legem communem, vel municipalem in donationibus desiderantur, ut eas adhibere non oporteat in donationibus verè cautivis, & onerosis, & advertitur supra *disc. 6.*

Negabam verò applicationem dictæ limitationis ad casum controversiæ, quoniam instrumenti tenor ostendebat, quod dictus frater, jam dotem dederat ferè per annum, dum ad præscriptam Decretorum Sacræ Congreg. de quibus ad materiam dotis monialium *sub tit. de dote disc. 167.* oportet illius depositum facere, antequam puella admittatur ad Monasterii ingressum, sive ad susceptionem habitus, nullo accedente pacto, vel conventionem super hujusmodi renunciatio, quam in dicto instrumento dicebatur spontè fieri, ex motivo gratitudinis, ac benevolentie abque eo quod ad id cogi posset; Undè propterea scribendo more Advocati deducebam ea, quæ habentur *sub tit. de dote disc. 17. & 18.* in proposito exemptionis, quam habet causa dotis, vel matrimonii à solemnitatibus, quoniam intelligitur ubi actus dici possit præcisè, vel moraliter necessarius; Sive ubi congruat ratio privilegij fundata in favore matrimonii, ut illud scilicet sequatur; Secus autem ubi jam sequutum sit, ex ibi deductis.

Verum reflectendo ad veritatem, agnoscebam, quod hæc responsio, quamvis in suo casu, seu in abstracto vera, adhuc tamen vitio applicationis magis laborabat; Procedendum etenim esse advertebam in ista quæstione, cum adeo frequenter insinuatam verissimam; imò in judicando, & consulendo, necessaria propositione, ut attendi debeat substantia veritatis, desumenda ex ipsa massa facti, ejusque circumstantiis, voluntatem Partium arguentibus, non autem insinuatam in verborum formalitatibus, quæ frequentius proveniunt ex ineptiis Notariorum, non autem ex voluntate Partium; Potissimè vero in hujusmodi parvis locis, atque ubi agitur de puellis ac personis idiotis, ut in præsentibus.

Ea verò substantia veritatis videbatur, quod ob carentiam bonorum paternorum, aliorumque ascendentium ex eo latere, onus dotandi hanc puellam, incumberebatur matri, cui etiam, sine obligatione legali, incumberebatur illud onus, quod infert naturale votum maternum; Cum autem bonorum maternorum qualitas, ad id proportionata non esset, dū consistebant in stabilibus, quæ in parvis locis non sunt facilis venditionis, ad effectum obtinendi pecuniam numeratam, in qua, juxta enunciata Decreta, depositum facere oportet; Hinc proinde, procedendo cum eo præsupposito, quod seclusis juris subtilitatibus, inducit ordo naturæ, quod bona materna, post collocatam hanc puellam, integre devenire deberent ad alterum unicum filium secundi matrimonii, cujus intererat eadem bona non distrahi, sed pro ea conservari, stante quod pecunias habebat, ita inducitur fuit, dum adhuc in tenera ætate existeret, per matrem ad id agendum, cum præsupposito renunciantis, quæ verissimè, primario habita fuit in intentione, quamvis ita ex intervallo subsequuta esset, ob credulitatem, quod prius fieri non posset, cum non omnibus notum sit, quod ea fieri poterat ante susceptionem habitus, atque in statu merè sæculari, quando, ex magis recepta sententia, ista Conciliaris forma non intrat ex deductis in dicta sua materia *sub tit. de Regular.* Ac propterea actus verè correfpectivus dicens videbatur.

Et nihilominus, ubi etiam cum sola littera verborum, procedendum esset, ut puella ex motivo gratitudinis id egisset, adhuc tamen pro meo sensu, idem dicendum veniret, tanquam in actu remuneratorio, & ob illa merita, quæ de justitia istud præmium ex pluries enunciato Italæ communi usu exigere videbantur; Undè propterea intrarent ea, quæ in sua materia *sub tit. de donationibus*, ac etiam *sub tit. de feud. disc. 94.* habentur de donatione verè remuneratoria habente speciem contractus correfpectivi, & onerosi.

Atque hinc monemur, quàm magna sit consuetudo aliquorum ineptia, in hujusmodi, vel similibus actibus gestis præ-

An renunciatio facta patri binubo, capiat necessariam successionem renunciantis debitam in bonis ejus matris, in exclusionem filiorum secundi matrimonii, Vel potius ista species successionis, remaneat extra renunciationem.

- 1 **F**acti series.
- 2 **A**n renunciatio facta per filios primi matrimonii ad favorem parentis binubi tollat dispositionem l. *legimus*, Cod. de secund. nupt.
- 3 **D**e eodem, & quæ opinio sit verior.
- 4 **Q**uod in hac facti specie renunciatio caperet istum casum.
- 5 **D**e eodem ubi renunciatio facta est pro hæreditibus quibuscumque.
- 6 **A**n, & quando filii secundi matrimonii participant de donatione facta contemplatione primi matrimonii.
- 7 **D**e distinctione renunciationis factæ occasione ingressus in Religionem.
- 8 **Q**uod sit renunciatio translativa, & de effectu.

Suscepti per Cæsarem, ex Silvia prima uxore, tribus filiabus, aliisque filiis ex secunda procreatis; Cum à duabus ex dictis filiabus primæ uxoris Monasterium ingressis, consuetam renunciationem reportasset, atque facto quodam legato Annæ Mariæ alteri filie, universales hæredes instituisset filios masculos secundi matrimonii; Hinc dicta Anna Maria, innixa dispositioni text. in l. *femina, Cod. de secund. nupt.* præterensionem excitavit, quod sibi, ultrà ea, de quibus ad ejus favorem per patrem dispositum fuerat, præcipuam detrudere deberet integram dotem maternam, non solum propriæ portionis, sed etiam sororum, dicta renunciatio non obstante, utpote non sapiente casum hujus, pœnalis, ac necessariæ successionis; Cumque desuper quidam Advocatus de partibus discursum edidisset, eo communicato, ex parte ejusdem Annæ Mariæ meum pro veritate consilium expeticum fuit.

In dicto autem discursu elaborata quidem examinabatur in abstracto quæstio insinuata etiam *sub tit. de success. ab intest. disc. 31.* An scilicet renunciations, quas filii primi matrimonii patri binubo faciunt, comprehendant, necne, casum hujus necessariæ successionis à lege delatæ; Atque deducendo utriusque sententiæ sequaces; Pro negativa, ut scilicet istam successionem non capiat, deducebat *conf. 90. Aretin.* quod plures sequuntur, & præsertim Boer. *dec. 184. n. 1. cum seqq. Alvar. de conject. defunct. volun. l. 3. c. 7. §. 2. Jo. Ant. de Nigr. in c. Regni*, quod incipit *muller dotarium n. 56. Hodier. in l. hac adictali q. 11. n. 22. cum seqq. Merlin. lib. 1. contr. 32. Bortigliet. de success. ab intest. l. *beorum. 51. per tot. Molin. de ritu nupt. lib. 3. quæst. 85. num. 10. & seqq.* apud quos concordantes.*

E converso autem concluderebatur, quod contraria opinio Alex. *conf. 149. lib. 7.* & aliorum, quos refert Surd. *conf. 244. & Rota dec. 290. p. 9. rec.* videretur magis communis, dum Rota loco citato *n. 4.* eam talem appellat, & consequenter, quod huic potius deferendum esset.

Quamvis autem ego idem sentirem, ideoque contra ipsam filiam primi matrimonii, quæ meum votum expetic responderem, principaliter motus ex particularibus facti circumstantiis; Nihilominus, quatenus pertinet ad dictam quæstionem, in abstracto, ut etiam advertitur *d. disc. 31. de success.* Dicebam, quod probabilior videretur prima opinio super non comprehensione, quando facti circumstantiæ aliud non suaderent, quia nempe, ut advertitur *disc. 31. de success.* cessare applicatio nimium congruæ rationis, cui dicta prior opinio favore filiorum primi matrimonii innixa est, ubi præsertim de intestata patris successione agatur, quod scilicet asperum, ac improbabile videatur, ut adeo melior esse deberet conditio filiorum secundi matrimonii, qui in jure civili minus favorabiles reputantur, quam sint illi ex primo, dum integram dotem propriæ matris obtinerent, absque eo quod filii primi matrimonii aliqua illius

illius participationem haberent; & e converso participarent etiam de dote primæ uxoris.

In hac verò facti specie, contrarium probabilis dicendum veniebat; Tum quia renunciatio sequuta erat post transitum ad secunda vota, eaque in specie continebat dispositionem textus in d. l. femina; Tum clarius, quia non agebatur de successione ab intestato, adeoq, incerta, sed ambigua existente renunciarii voluntate, lex ob dictam nimum congruam rationem, ita illam interpretatur; Ubi verò conditum sit testamentum, factaque dispositio de bonis renunciatis, tunc, ut pluries in præcedentibus advertitur, cessant illæ quæstiones, quæ in successibus ab intestato cadere solent, quoniam unum ex finibus, vel causis, ex quibus hujusmodi renunciaciones procurari solent, est ille obtinendi libertatem disponendi ex deductis per Apont. conf. 39. & 40. lib. 1. Rota apud Gregor. dec. 85. & advertitur in decis. 346. Dunozet. repetit. decis. 543. par. 5. rec. cum aliis pluries deductis hoc eod. tit.

Potissimè verò, dum renunciaciones conceptæ erant pro hæredibus quibuscumque quod in specie ponderatur in dist. decis. 290. p. 9. rec. Tunc etenim iidem Alvarad. & Molin. ac Merlin. & alii, contrariæ opinionis sequaces id admittunt, ex ea probabilis ratione, quod cum ita pater renunciarius libertatem haberet disponendi de hujusmodi bonis ad favorem extraneorum, salvo solum jure legitimæ filiorum, non videtur prohibendus disponere ad favorem filiorum secundi matrimonii ut in proposito donationis contemplatione primi matrimonii, ut quoties filii ex eo procreandi, jure mixti fideicommissi vocati non sint, non prohibeantur de illa participare filii diversi matrimonii, ut eod. tit. de success. ac altero de donationibus advertitur, cum legis prohibitio, quæ disponendi facultatem admittit, percutiat secundum conjugem superstitem; juxta textum in l. hæc adit. C. de secund. nupt. non autem filios, dum personæ ipsius conjugis conditio deterior per legem effecta est, quam illa cuiuslibet extranei.

Ponderabam in ratione movendi ad favorem dicte Annæ Mariæ, quod cum ageretur de renunciacione facta occasione electionis vitæ spiritualis in Monasterio, ita juxta distinctionem plures infirmam, dicenda esset renunciatio realis seu extinctiva, utpotè facta principaliter ex motivo vitæ spiritualis, & abdicacionis temporalium, & consequenter, quod ita renunciacionibus habitis pro mortuis, atq; in reru signatura non existentibus, tanquam per remotiorem obstaculo, integra materna successio d. filiarum sæculari delata esset, quodque ita evitaretur quæstio in radice.

Verum infirmabam, quod motiivum esset fragile, ob defectum facti assentientiam, dum renunciatio expressè concipitur in forma translativa, & per speciem donationis; Claris verò quia non agebatur de successione deferenda, & sperata, adeoq, recurrere opus esset ad terminos textus in l. spem, C. de donat. de quibus præsertim supra dist. 6. & in aliis, sed agebatur de successione jam delata, & quæ ita etiam agnita supponebatur, dum ut præmissum est, in renunciacione deducebatur ad speciem materna successio cum specifica mentione dicti textus in l. femina. Ideoq; rectè intrabat vulgaris regula text. in l. ille, aut ille, ff. de leg. 3. quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta.

ROMANA DONATIONIS VEL HEREDITATIS, PRO SAVO PORCARIO, CUM FRATRIBUS DE PINEA, Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Savo.

De renunciacione, quæ per puellam in sæculo nubentem, occasione donationis facta sit parentum, ac aliorum successibus, quarum mentio habita sit, an dici possit invalida, utpotè facta sine consensu eorum, de quorum successione agitur; Et an, & quando hujusmodi renunciaciones exigant solemnitates statutarias, quarum defectus in illis obstat, necne.

S U M M A R I U M.

- 1 FActi series.
2 Renunciatio intelligitur ab intestato, non autem ex testamento.
3 De invalida renunciacione hæreditatis viventis.
4 De solemnitatibus statutariis in Urbe in renunciacionibus minorum, & mulierum.
5 In claris, & expressis cessant quæstiones.
6 Declaratur conclusio, de qua n. 2.
7 Item declaratur conclusio, de qua n. 3. ut procedat in renunciacione generali.
8 Etiam si aliquæ personæ deducantur ad speciem.
9 De eodem, & quando verè procedat dispositio text. in l. fin. Cod. de pact.
10 De solemnitatibus statutariis, de quibus n. 4.
11 De promissione facti alieni, quando, & quomodo sit obligatoria.
12 Quod nõ congruat, ut sponsa de futuro tractet cum sponso.
13 De eadem materia solemnitatum in renunciacionibus, & quando rigorosè in eis procedatur.
14 15. & 16. De eodem cum distinctione casuum.
17 Et an solemnitates requirantur in renunciacione juris querendi.

D I S C. XIII.

Nuptiis destinata A. de Porcariis cum B. de Pinea ejus conjuncto; constituta per patrem, vel fratrem, jam conventa congrua dote, juxta communem hujus regionis usum, ampliam fecit renunciacionem, in forma expressè translativa per speciem donationis, ad favorem Julii fratris, ejusque filiorum, & descendens masculorum, de omnibus, & quibuscumque testatis, ac intestatis parentum, vel conjunctorum, hæreditatibus, & successibus, & signanter de illa matris adhuc viventis; Cumque ista moriens, dicta filiam hæredem instituisset, ista quoque defuncta, adversus ejus filios, & hæredes, Savius Julii defuncti filius, ex persona propria quoque expressè vocatus, judicium immisionis coram A. C. instituit ad bona provenientia ex dicta hæreditate matris, atque pro actore post plures disputaciones, prodiit sententia, executionis etiam demandata.

In disputacionibus autem desuper habitis; Cum Actoris intentio absque dubio fundata esset, idcirco quæstio cadebat, in Reorum exceptionibus, quæ tres erant; Prima nempe super conclusionè de qua cæteris relatis apud Dunozet. dec. 346. repetit. decis. 543. par. 5. pluries in præcedentibus enunciata, quod hujusmodi renunciaciones, quamvis amplè de quibuscumq; hæreditatibus, etiam certæ personæ viventis (data validitate) intelligendæ veniant ab intestato, non autem ex testamento, de quo etiam plenè apud Sord. decis. 14. ibique Hodiern. in addit. ad Marin. resol. 194. lib. 2. cum ibi deductis.

Secundò, quod ubi agitur de renunciacione hæreditatis personæ viventis, ea in valida est, ubi non accedat consensus ipsius, de cujus hæreditate, vel successione agitur; Imò neque ejus interventus sufficit, nisi accedat etiam perseverantia usq; ad mortem, cum iste consensus sit quodcumque revocabilis; Sive id proveniat ex rationè tollendi votum captandæ mortis; Sive ex altera nõ reddendi illum inrestituibilem, ad notum text. in l. fin. C. de pact. cum concordantibus apud Altograd. conf. 40. cum duob. seqq. l. 2. Rota apud Bich. decis. 119. repet. decis. 166. p. 9. rec. & in aliis.

Et tertio dicta renunciatio invalida dicebatur ob non adimpletam formam Statuti 151. Urbis, dum vocatus non fuerat ejusdem puellæ renunciantis destinatus sponsus, tanquam unus ex proximioribus, eoque neglecto, alii remotiores vocati, vel eorum loco, curator adhibitus fuerat, quod importat nullitatem, ex pluries deductis in sua materia sub tit. de alien. & contract. prohib.

His tamen non obstantibus; Scribens pro actore (etiam cum sensu veritatis), contrarium dicebam probabilis esse, quodq; dictæ exceptiones subsistentiam non haberent; Singulas etenim examinando; Quatenus ad primam pertinet, difficultas de plano tollebat ex facto, adeoq, intraret vulgaris regula textus in l. ille aut ille, ff. de legat. 3. late exornata per Rot. decis. 44. n. 14. p. 11. rec. quod in claris, & expressis non intrant præsumptiones, & argumenta, dum renunciatio in verbis, ex pressè, nimumque clarè cantabatur de quibuscumque hereditatibus, & successibus, etiam ex testa-

testamento; Id etenim, etiam si ex causa de futuro, prohibito non est fieri posse ad favorem tertii per viam renunciacionis translativæ juxta pluries enunciatos terminos textus in l. spem, C. de donat.

Dicta verò conclusio, ut renunciatio non excludat renunciacionem ad testata successione, percutit terminos diversos, extinctivæ, scilicet renunciacionis factæ, per quam renunciatus tollit se de medio, atque abdicat à se jus succedendi ab intestato, ut aliis æqualibus, vel remotioribus, per remotiorem obstaculo locum aperiat; Sive ubi agatur etiam de translativa renunciacione, quæ facta esset ei, de cujus hæreditate, vel successione agitur, quia nempe eundem renunciacionem instituat, sed alias cum eo disponat, eodem modo quo cum quocumque extraneo disponere posset, cum renunciatio tollat quidem omne jus, quod renuncianti in renunciariis bonis, vel successione competere posset, eum tamen non inhabilitat, nisi ipse renunciarius disponere valeat cum eodem renunciante, ideoque isti termini extranei erant à casu quæstionis.

Plana quoque remanebat solutio secundi objecti, quoniam ultrà responsonem deducti solitam ex nota dec. 350. Afflicti. de qua dubitat Rota apud Bich. d. decis. 119. repet. dec. 166. p. 9. rec. Difficultas cessabat, eo quod dispositio dicti textus in l. fin. C. de pact. procedit, ubi agatur de renunciacione, vel alio contractu super hæreditate personæ certæ, ac determinatæ; Secus autem ubi sit generalis, de omnibus, & quibuscumque hæreditatibus, & successibus; Quoties tamen generalitas affectatè adjecta non sit ad legem fraudandam, quia nempe substantia veritatis, sit quod actum esset de persona certa, & determinata, in qua tantum casus esset verificabilis juxta dec. 89. Franch. quæ reputatur in materia magistralis cum concordantibus relatis ibid. per Add. Secus autem ubi ista suspicione cessante, verè renunciatio sit generalis; cum tunc cesset ratio prohibitionis, ideoque actus valeat.

Idque adeò verum, ut neque obstat, quod aliquæ personæ ad speciem deducantur, cum id continere dicatur enumerationem specierum jam sub genere cadentium gratia majoris declarationis, ut apud Franch. ibid. & Rot. apud Burat. decis. 366. Et conferunt quæ habentur sub tit. de ju. repatron. quod licet istud jus in contractum donationis absq; Ordinarii consensu deduci non valeat, multò verò minùs in illum emptiois, & venditionis, in quo pretium accedat; Attamen, ubi agatur de donatione, vel venditione univertatis, cui juspatronatus accessit an nexum sit, istud sub tali contractu venit, atque nil refert, quod ejus mentio specialis fiat, dummodò ejus ratio in pretio non habeatur, quoniam expressio facta censetur de eo, quod tacitè inerat, gratia majoris declarationis.

Clarius verò, quoniam prohibito contenta in dicta l. fin. C. de pactis; verè percutit illas futuræ hæreditatis renunciaciones, quæ ad favorem extraneorum, ita alienas hæreditates captare sollicitorum, parum laudabiliter, ac præter communem usum, seu ex parte renunciantis præter regulas prudentiæ fiant, cum tunc intrat suspicio seductionis, vel malarum artium; Secus autem ubi id fiat ad favorem parentum, vel fratrum dotantium, ex communi Italiæ usu, pro justo motivo regionis moribus adaptato, ut sufficiat feminas congruè dotare, quodque istæ tanquam provivæ, à paterna domo exeuntes, atque in illam viri transeuntes, quodammodo extraneæ fiant, neque aliud prætere debent, quasi quod, dos, quæ eis datur, sit præventivum emolumentum, sed congruum pretium hujusmodi spei, cum alias melior esset conditio feminarum, quàm masculorum, contra omnem probabilitatem, & communem usum; Ideoque erroneum pro meo judicio videtur, dispositionem, seu terminos d. l. fin., indefinitè in omni casu attendere, dum potius cum dicta distinctione procedendum videtur, malam vel respectivè bonam fidem attendendo; Ad instar eorum, quæ sub tit. de credito habentur, ad materiam textus in l. per diversas, & l. ab Anastasio, C. mandat. cum similibus ac propterea, quod fit quæstio, pro facti qualitate decidenda, inspiciendo, an congruat, necnè ratio prohibitionis.

Quo verò ad tertium punctum solemnitatum; Difficultas cessabat ex facto, in quo illarum implementum ex ejusdem instrumenti facie patebat; Nihil obstante, quod neglectus esset dictus proximior, quoniam cum iste jam destinatus esset puellæ sponsus, hinc proinde duplex urgebat nimum congrua ratio, ob quam ille adhibendus non erat, ideoque prudenter neglectus fuit, atque habitus pro non extante; Primò nempe quia absolutum, atque in praxi quosidie re-

ceptum est, ut proximiores interessati, ad id inhabiles sint, atque vocari non debeant, sed habendi sint pro non extantibus, ut in sua materia sub tit. de alien. & contract. prohib. atque talis iste rectè dici poterat nimum interessatus in hujusmodi renunciacione, ut ea non sequeretur ob commodum, quod ipse, ejusque filii aliàs sperare possent, ex renunciandis hæreditatibus, ac successibus.

Undè propterea, ut in proposito promissionis facti alieni habetur sub tit. de credit. disc. 124. receptum hodiè habemus, quod licet regula sit, ut promittens factum alienum, ad aliud non teneatur nisi ad diligentias, quibus adhibitis excusatur, quoties clausula ita quod &c. vel alia æquipollens. aut alia particularis circumstantia diversimodè non suadeat; Attamen ubi agitur de hujusmodi renunciacionum promissionibus, quæ per sponsum nomine sponsæ in tabulis dotalibus fiant, dicta conclusio super excusatione à diligentias resultantè, non intrat ob præsumptam conclusionem inter sponsum, & sponsam, quodque ille apparenter adhibendo diligentias, in substantia, ac de facto contrarium affectet ob ejus interesse, juxta optimam observationem Aponte de potest. Proreg. tit. de success. mulier. nu. 10. Cavaler. decis. 64. & sequuntur moderniores communiter, ut patet ex deductis loco citato, undè propterea interesse erat indubitatum.

Et secundò quia manifestè resistebat ratio congruentiæ, a honestatis, ut puella, ita familiariter tractare deberet cum eo, qui ejus futurus sponsus destinatus erat, dum proximiores adhibendi sunt, non pro sola cæremoniali, ac materiali præsentia, ut frequentius praxis docet, sed eorum interventum debet esse formalis, quo mediante impletur finis, vel ratio, ob quam ille desideratus est, ut scilicet bene certiorerent puellam de actu per ipsam faciendo, ac de effectibus, & præjudiciis exinde resultantibus, explorando ejus voluntatem, an libera, & determinata sit, necnon indagando, an expediat, quod etiam per judicem faciendum est, solus etenim ceremonialis interventus, reputatur inanis, ut advertitur in sua materia sub tit. de alien. & contract. prohibitis; Et consequenter requiritur, ut familiariter, proximior cum puella tractet, quod utique, incongruum, ac indecorum esset; Ideoque dicebam, quod iste conjunctus, eligendo statum conjunctioni contrarium, ut esset hujus mulieris vir ita conjunctioni renunciando, se extraneum effecisse videbatur.

Cæterum, ubi etiam iste solemnitatum defectus adesset; Quamvis in Curia hujusmodi quæstio soleat esse quotidiana, ob illum præsertim defectum, qui resultat ab infirmatione non facta ad formam Ægidianæ Constitutionis, cum jus in hoc proposito mentio habetur supra dist. 6. dum pro frequentiori usu, hujusmodi renunciaciones, fieri solent per puellas nuptii destinatas, quæ in minori ætate adhuc existunt, adeoq, penè centies, quando pro nullitate, & quando pro validitate sustinenda, id tam in Rota, quàm in Tribunali A. C. aliisque Tribunalibus, disputaverim, præsertim in casu, de quo sub tit. de dote disc. 34. ac etiam in illa Ariminen. bonorum, in qua prodierunt varæ resolutiones 24. Maii 1660. 22. Junii 1661. & 12. Junii 1665. coram Bevilacqua, cum similibus, quæ in Rotæ decisionibus frequenter leguntur; Attamen ita est una ex illis materiis, in quibus nimum evidentem censui pragmaticorum errorem, procedendi cum generalitatibus, atque propositiones in uno casu admittas, cuicumque alteri applicandi, non distinguendo casus, eorumque circumstantias, ex quibus pendere debet inspectio, an legis communis, vel municipalis ratio congruat, ob quam hujusmodi solemnitates adinventæ sunt.

Aur enim agitur de renunciacione, præsertim translativa, quæ extraneo, vel remotiori non dotanti fiat, undè propterea circumventionis ratio intrat, multò verò magis si de bonis, ac juribus, jam quæstis juxta casum, de quo dec. 523. & 724. p. 4. rec. tom. 3. cum quibus procedi solet, atque præsertim processum fuit in dicta Ariminen. Et tunc rectè intrat rigor solemnitatum, quoniam militat ratio, ob quam illæ adinventæ sunt; Idemque, si in forma extinctiva fieret renunciatio, quæ nullum haberet probabile motiivum, ut ita remotior, qui eam affectavit, per hujus obstaculo remotiorem, proximior effectus, illas obtineat successiones, quæ renuncianti debite sint.

Aur verò agitur de illa renunciacione, quæ, juxta communem, ac rationabilem Italiæ usum, fiat per puellam occasione nuptiarum ad favorem patris dotantis, vel fratrum, à quibus congruam dotem accipiat, & tunc proventus erroneum, ac improbabile videtur, istam speciem renunciacionis

tionis, regulare cum illo rigore, cum quo dicta alia species regulanda venit, oblonge diversam rationem; Ita etenim species favorabilis, ac rationalis potius dicitur, benigneque in ea procedendum est cum actus dicatur prudens, ac laudabilis, ut in specie advertitur per Rotam in Aculana renunciacionis r. Julii 1625. & 22. Maii 1651. coram Cerro, quarum posterior est impressa *decis. 15. part. 11. rec.* Istaque videtur vera, nimirumque probabilis distinctio; Ad cuius comprobationem conferunt, quæ habentur dicto *disc. 34. de dote*, ac etiam firmata in Romana renunciacionis coram Otthob. inter suas *dec. 82. in fin.* & in eadem coram Cerro *dec. 23. p. 11. rec.* in proposito renunciacionis factæ, 16 ex rationabili motivo conservandi bona in agnatione cum similibus; Ac propterea, ad istas facti circumstantias reflectendum est, atque cum ista distinctio procedendum videtur, non autem generaliter, ac indefinitè pro omni casu illam attendere, cum in hoc præsertim pragmaticorum ineptia consistere videatur.

Dicebam quoque, scribendo more Advocati, quod cum ageretur de renunciacione juris querendi, solemnitates necessarias non essent, juxta firmata apud Burat. *dec. 333.* & in decisionibus editis in causa, de qua supra *disc. 6.* Verùm agnoscebam, quod motivum non esset tutum, merito in specie rejectum in dicta Ariminen. coram Bevilacqua, de qua supra *d. disc. 6.*

FAVENTINA, SEU RAVENNATEN. RENUNCIATIONIS

PRO AUGUSTINO MAJOLO CUM THERESIA PARITER MAJOLA.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Augustino in ordinatoris tantum.

De materia læsionis, quæ cadat in renunciacionibus, quæ per puellas occasione nuptiarum, ac dotis fiunt, an, & quando intret, ipsamque renunciacionem inficiat, necne.

Et incidenter, an renunciatio, quæ invalida prætenditur, impediatur, necne actiones, vel remedia, quæ renunciacioni competere, si renunciatio facta non esset.

S U M M A R I U M.

- 1 *Acti series.*
- 2 *An, & quando renunciatio, quæ prætendatur nulla, impediatur exercere primævas actiones.*
- 3 *De læsione in renunciacione regulanda.*
- 4 *De eodem.*
- 5 *Quando non sit renunciatio, sed potius venditio hæreditatis, vel actionis.*
- 6 *Traditur regula, seu distinctio, cum qua ista materia læsionis in renunciacionibus est regulanda.*

D I S C. XIV.

Augustinus senior de Majolis, scripto hæredæ Joan. Francisco filio in pupillari ætate existente, huic sine filiis decedenti substituit Dominicum, & Josephum ejus germano fratres; Duabus vero filiabus reliquit dotem librarum 14. m. pro qualibet, ea lege adjecta, ut prædicta dote contentæ, amplam renunciacionem facere deberent in forma consueta; Cum autem defuncto dicto Francisco, partim post pupillarem ætatem completam, factus esset casus dictæ substitutionis, ad favorem Domini tantum superstitis, defunctaq; etiam esset, adhuc vivente fratre, una ex dictis filiabus, undè propterea Theresia altera superstes, jure successione obtinuit medietatem legati facti alteri forori, & sic haberet pro dote libras 2. r. m. Cuperet autem habere dotem majorem, & æqualem illi, quæ filiabus dicti Domini constituta erat in libris 28. m. circiter; Hinc proinde, eodem Dominico defuncto, cum tutoribus Augustini ejus filii, & hæredis, conventio inita est, cum consensu, & interventu matris ejusdem Theresiæ, super suppletione dictæ majoris dotis, cujus intuitu renunciacionem fecit de omni, & toto eo quod in paterna hæreditate, ex persona propria, & ex illa dicti Jo. Francisci, tam ipsa, quam ejus mater præterendere possent, atque ita stante dicto supple-

mento, qualificatis contractis nuptiis, ipsa, ejusque vir, sub prætextu, quod ista renunciatio enormissimam læsionem contineret, juditium immissionis coram A. C. ad bona paterna instituerunt pro tertia parte cadente sub legitima debita dicto Jo. Francisco, cujus erat hæres, utpotè à substitutione exempta, Verùm post plures acerrimas disputationes, potius facti, quam juris, ut infra prodit Rei conventi absolutoria ab observacione iudicii, ob intentati remedii incompetenciam, merita negotii principalis intacta relinquendo.

In disputationibus autem desuper habitis, duæ fuerunt inspectioes; Una scilicet circa iudicii ordinem, super intentati remedii competentia, vel incompetencia; Et altera in meritis negotii principalis, circa præsentem enormissimam læsionem, ex qua nullitas renunciacionis deducebatur.

Quatenus igitur pertinet ad primum, Scribentes hinc inde, concordabamus in theorica, quæ in hac materia recepta habetur ex deductis in sua materia *sub tit. de judic.* super ista quæstione, an scilicet, & quando, concordia, vel renunciacione non obstante, hoc interdictum competat, eo modo, quo ex primævo jure competeret, si renunciatio, vel concordia non adesset; Distinctio etenim est, quod; Aut nullitas actus manifesta est, atque incontinenti probata, adeout dici valeat vitium patens, sive intrinsicum, quod aliam extrinsecam non exigit justificationem, quæ altioris indaginis dici valeat, undè propterea certum sit, quod intret decretum annullativum ipso jure, & tunc, actu habito pro inspecto, perinde, ac si in rerum natura non esset, rectè competunt, quæ exerceri possunt ea remedia, vel actiones, quæ jam competeant ante initam transactionem; Aut è converso, id probabilem habet dubitationem, adeout extrinsecas exigit justificationes, à quibus pendeat inspectio, quæ propterea dici non valeat ipso jure in continenti probata, sed exigit formalem iudicis declarationem, & tunc factus dicendum sit, ut scilicet procedere debeat iudicium rescissorium, quo mediante, per rem judicatam, vel per tres conformes, tollatur prius de medio renunciacionis, vel concordie obstatulum, eoque sublato, priora jura exercentur juxta *dec. 550. Cavaler. n. 4. dec. 86. n. 9. par. 6. rec.* cum aliis plenè deductis in alia Faventina primogenituræ 23. Junii 1666. coram Bevilacqua ædita in casu, de quo *sub tit. de fideic. disc. 39.* ac habetur in dicta sua materia *sub tit. de jud.*

Ista igitur theorica concorditer constituta utpotè vera, & recepta; Discordantia erat super applicatione; Scribentes etenim pro adrice, probando valorem bonorum hæreditariorum dicti Augustini, senioris ejus patris, quorum tertia pars pro legitima debita erat d. filio instituto, ex cuius jure adrix, tanquam hæres veniebat, ita dicebant notoriam, ac evidentem esse inspecti onem, cum supponeretur, ut hæc tertia pars importaret libras circiter centum mille, dictum vero supplementum, datum in recompensam importabat solum libras 7. m. undè propterea, etiam attenda dispositione juris communis, adesse dicebatur læsio plusquam enormissima, redolens absque dubio dolum, ex quo resultat nullitas actus ipso jure absque necessitate recurrendi ad remedium rescissorium, quod resultat ex dispositione textus in *l. 2. C. de rescind. vend.* juxta distinctionem, de qua *sub tit. de empt. & vendit. disc. 27.* Multò magis stante Statuto Civitatis Ravennæ, ubi contractus initus fuerat, per quod, ultra solemnitates materiales in contractibus præsertim minorum, requiritur iusta causa utilitatis.

Scribens ego pro Reo convento, dicebam quod in hoc consisteret fallacia, ita in acre calculando valorem bonorum, quæ per defunctum possidebantur, dum oportebat calculare quoque æs alienum, aliaque onera detrahenda, necnon detrahi deberent bona existentia in territorio Faventino, in quibus Dominicus patruus, vel idem Augustinus consobrinius, ex illo Statuto, cujus mentio habetur in sua materia *sub tit. de successione. adricem* quamvis forem excluderet, etiam ab ejusdem Jo. Francisci ultimo defuncti intestata successione; Atq; super hoc magnæ fuerunt disputationes, super valore scilicet dictorum bonorum, ac etiam an dicti Dominicus, & Augustinus dici possent cives Faventini, quibus dictum Statutum suffragaretur; Sive an nominata debitorum, aliaque negotia ad dictum Augustinum seniore spectarent & quatenus spectarent, an loco circumscriberentur, vel potius personam sequerentur ad effectum inspiciendi, an caderent sub dicto Statuto, necne, quæ omnia, magnam, ac altissimæ indaginis discussionem exigebant, cum extrinsecis justificationibus, cum quibus oportebat

rebat firmare dictæ hæreditatis statum, ex quo pendebat quantitas legitima, qua exempta à dicto Statuto, caderet sub intestata successione adrici debita, ex quo regulanda veniebat læsio; Ideoque omnino firmum remanebat, ut ineptum esset intentatum remedium, unde propterea probabiliter, ac fundatè prodiit dicta sententia absolutoria, ab observacione iudicii, intacta relinquendo merita, dum eorum inspectio à dicto statu pendebat.

Hinc proinde, (quatenus ad secundam inspectionem meritorum pertinet) quæstio erat potius facti quam juris, an scilicet firmata quantitate, quæ adrici pro dicta fratris successione debita erat factaque proportione pro summa correfpèctivè soluta, adesset necne præsentia læsio, quæ annullationi, vel rescissioni aditum præberet.

Cum etenim non ageretur de illa consueta renunciacione, quæ juxta plures enunciacionum Italiae usum, per puellas, occasione dotationis, patri, vel fratribus, de futuris incertis speratis successionebus fieri solet, sed ageretur de iuribus jam delatis, & quæstio, quæ cedebatur extraneo, tanquam per speciem emptionis, & venditionis; Hinc proinde videbatur esse in terminis cessionis, seu venditionis hæreditatis, vel incertæ alegg, cujus exitus bonus, vel malus resultare debebat à statu hæreditatis, quæ poterat remanere damnosa, adeout læsio potius esset ex parte pupilli renunciarii juxta terminos textus in *l. 1. & 2. tot. ff. & C. de hæred. vel act. vendit.* dum hæreditate detecta minus idonea, evictio non intrat, nullumque jus cessionario adversus cedentem competit ex deductis *sub tit. de empt. & vendit. disc. 26.* ac etiam in tua materia *sub tit. de hæred. & hæred. Itaque* termini verè, ac propriè potius in ista causa cadebant, quam termini generales reductionis.

In hoc autem proposito læsionis, quæ deduci solet adversus hujusmodi renunciaciones, quæ per puellas occasione matrimonii carnalis, vel spiritualis, recepta dote, sicut omnibus eorum iuribus, ac hæreditatibus, & successionebus; In pluribus nimirum frequentibus disputationibus in hac materia habitis tam in Rota quam coram A. C. aliisq; Curie Tribunalibus, ac etiam extra Curiam respondendo pro veritate, præsertim in Rot. in Fulginaten. renunciacionis coram Priolo pro Josepho Lilio cum Ursula nepte, in qua prodiit prius ad effectum firmandi statum bonorum discursus sub die 20. Junii 1661. deinde vero sub die 25. Maii 1662. prodiit resolutio favorabilis Josepho renunciatorio Reo convento, ob non justificatam læsionem, dum Ursula renunciacionem ob congruam dotem à patre acceptam ei fecerat; Reflectendo ad veritatem, pro meo finem dicere consuevi idem, quod occasione solemnitatum habetur *disc. præcedenti*, & in aliis, ut scilicet, prorsus erroneum sit in hac materia cum generalitatibus procedere sive cum decisionibus, vel doctrinis percutientibus casus, vel terminos diversos, cum veris procedendum videatur cum eadem ibi insinuata distinctioe.

Aut etiam agitur de bonis, vel iuribus jam agnatis, & quæstio, vel saltem delatis, ac de præsentibus certitudinaliter competentibus, quorum renunciatio fiat patri, vel fratribus intuitu dotis, quam filia, vel forori quamvis diviti, ac aliunde proviæ, de proprio præsertim tenentur, adeout non intret ratio correfpèctivitatis, seu præventivè perceptionis emolumentis, ac æstimationis jurium renunciatorum; Et tunc rectè intret termini læsionis, quoties facti circumstantiæ non suadeant, quod ita suadentibus legibus polytycis, vel statutis, vel alia probabili ratione, sive usu regionis, vel personarum, id redoleat donationem prudenter, atque ex probabili motivo factam, adeout sit actus; qui mereatur à prudentibus laudari; Atque ita cum publicis, seu bene præmeditatis tractatibus, ac negotiationibus gestus sit, ut ab eo dicatur abesse illa suspicio quæ in privatæ fortunæ puellis cadere solet, seductionis, ac doli, vel concussionis, (Licet ubi dicta politica, seu status ratio intrat, nimirum clara pro meo iudicio sit Juristarum ineptia, hujusmodi quæstiones cum eorum leguleicis propositionibus tractare, ac decidere, cum decisionem recipiat ab eo jure, quod insinuatum habetur *sub tit. de dote disc. 146.*

Aut verò agitur de speratis iuribus de futuro, juxta frequentiore contingentiam; Et tunc inspiciendum est, an actui assistat, necne eadem bene ordinata ratio, de qua supra, illa præsertim pluries insinuata, quæ resultat à communi regionis, vel personarum usu, adeout actus dicendus veniat prudens, ac rationalis, qui à prudentibus laudari mereatur, vel è converso imprudens, ac levis, ut doli, vel seductionis aut concussionis probabilem redoleat sus-

Card. de Luca Lib. XI.

spicionem; Et in summa videtur quæstio facti, pro istius qualitate decidenda, certam non de facili recipiens regulam cuicumque casui applicabilem, unde propterea manifestata videtur pragmaticorum ineptia cum generalitatibus hanc materiam tractare, & decidere.

S. SEVERINÆ SUPPLEMENTI LEGITIMÆ, PRO ELISABETHA OLIVERII, CUM ILLIS DE BONA, ET ALIIS.

Casus decisus per Rotam pro Elisabetha.

An, & quando renunciatio facta per matrem prædefunctam, obiter filiis ex propria persona venientibus.

S U M M A R I U M.

- 1 *Acti series.*
- 2 *Resolutio causæ.*
- 3 *Renunciatio matris non nocet filiis ex persona propria.*
- 4 *Fallit quando renunciatio matris est propter dotem.*
- 5 *Declaratur.*
- 6 *Quomodo sunt extendendæ decisiones, & in quibus eis deferendum sit.*
- 7 *De conclusione de qua n. 4. declaratur cum distinctione.*
- 8 *Rejicitur distinctio representationis.*
- 9 *Non placeat conclusio, de qua n. 4. & 7.*
- 10 *Quando avo sit imputandum cur dote donaverit.*
- 11 *De hac implicita donatione dotis.*
- 12 *Et quomodo leges debeant intelligi, & praticari.*

D I S C. XV.

Juxta facti seriem, de qua in hac eadem causa *sub tit. de legit. & detraçt. disc. 8.* Cum Marcus Antonius, scriptis hæredibus Emanuele, & Dominico nepotibus ex Maria filia prædefuncta, ac Josepho ex Prudentia altera filia pariter prædefuncta, necnon quibusdam nepotibus ex fratre; Elisabethæ nepti ex eadem Maria certum reliquisset legatum, dictaque Elisabetha non acquiescendo avito iudicio, legitimæ supplementum petierit; Introducta causa in Rota coram Taja sub die 31. Maii 1666. favorabilem reportavit resolutionem, quæ fore concordiam produxit dum (quod sciam,) causa ulteriorem disputationis progressum non habuit.

De duobus autem auctum fuit; Primò nempe de dicto supplemento, ejusque quantitate in genere, seclusa renunciacione, quam dicta Maria mater fecit; Et secundò, an hæc renunciatio adrici obitaret, necne; De primo autem agitur in *d. disc. 8. de legit. & detraçt.*

Quatenus igitur pertinet ad punctum renunciacionis, cujus validitas præsupponebatur; Scribens ego pro dicta Elisabetha adricem dicebam, quod fundata erat ejus intentio in propositione tradita per Bart. in *l. qui superstitis, ff. de acquir. hæred. quam sequuntur* ibidem Rom. Castr. Alex. & alii relati per Surd. *conf. 133. n. 18. cum seqq. Andreal. contr. 212. n. 1. Fontanel. de pact. cl. 5. glof. univ. part. 1. n. 59. & seq. de Marin. resol. 189. & 192. l. 2. & in addit. ad Revert. *decis. 157. n. 3.* Quod scilicet renunciatio facta per matrem non obiter filii ex persona propria venientibus, ut præsertim nostra ætate, scribentibus hinc inde, ferè omnibus Europæ primi nominis J. C. materia hæc examinata fuit in gravi causa, in qua ex dictorum Scribentium laboribus, commendabili quidem, ac felici stylo de Marin. composuit *dictam resol. 189.* Et habetur etiam per Rot. *decis. 2.* post Calerat. *de venunc. & in aliis.**

Non negabant Scribentes pro hæredibus reis conventis, dictæ conclusionis veritatem; Insistebant verò in limitacione tradita per Rom. in *d. l. qui superstitis nup. 7.* cum quo pertranseunt alii relati per Surd. *conf. 355. nu. 42. in fin.* cum quo pertranst Rota apud Rojas *decis. 399. nu. fin. & in Ariminen. bonorum 24. Maii 1660. coram Bevilacqua;* (Licet enim ab ista decisionem recessum fuerit coram Vicecomite, attamen recessus non est respectu hujus conclusionis, sed ob nullitatem renunciacionis ex defectu solemnitatum, ut in præcedentibus advertitur faciendò mentionem hujus causæ Ariminen. in qua ego scribebam;) Ut scilicet, id non procedat, quando agatur de renunciacione, quæ per matrem facta esset intuitu dotis per eam acceptæ, quoniam injustum esset, ut filii, eorundem jurium duplica-

tum emolumentum assequantur, dam ut supra dictum est puella, quæ intuitu dotis hujusmodi renunciationem facit præventivam spei emolumentum, vel pretium cum dote obtinere dicitur.

Facilis tamen fuit objecti solutio ex solo facto, absque necessitate assumendi articulum juris de quo infra, cum arix non esset matris hæres, nilque haberet de materna dote, & consequenter cessabat in radice illa ratio, cui dicta limitatio innixa est; Atque cum hac responsione de plano processum fuit, juxta commendabilem stylum Tribunalis, licet quandoque moderno tempore (nimium quidem damnabiliter) ille corrumpi soleat; Quod scilicet assumendum non sunt evagatoriæ quæstiones juris præter necessitatem causæ, cujus plana resolutio resultat ex solo facto, idque verè sit causa resolutionis, unde propterea alia, quæ, dictum stylum corrumpendo, in decisionibus deducuntur, potius extenforis privatum sensum continere videntur, quæ verè decisionis auctoritatem non habent, ut pluries antiqua, media, & moderna Rota protestata est; Verùm protestatio parum proficua est, præsertim apud inferiores Judices, qui pro moderno inepto usu, decisiones, ac auctoritates in sola littera attendendo, non curant ad has reflexiones, vel ratiocinia descendere.

Cæterum, ubi etiam in actrice qualitas hæreditaria adfert, unde propterea ipsa, in toto, vel pro ejus virili, possideret dotem maternam, cujus intuitu renunciatio facta erat, adhuc tamen dicebam, ut dicta limitatio non intraret, cum ea procedat quando, juxta modernam frequentiore cautelam, renunciatio etiam pro filiis, aliiisque descendentes facta esset, cum promissione observantia; Tunc etenim, licet ista dicatur promissio facti alieni, dum filii non veniunt tanquam hæredes matris, sed ex jure, ac persona propria; Nihilominus, cum materna hæreditas teneatur ad quanti interest pactum servari, intrat hodie recepta propositio de qua pluries sub tit. de fidei. & alibi, ut regula textus in l. cum à matre C. de rei vendit. quæ obligat hæredem ad habendum ratum factum sui auctoris, & ne illud impugnare valeat, quatenus vires hæreditariae suppetant, procedat etiam in iuribus ex propria persona competentibus, inventarii beneficio non obstante.

Secus autem ubi dicta promissio pro filiis facta non sit, quoniam tunc renunciatio facta censetur pro solo jure renunciantis, quatenus in ejus favorem purificetur sperata successio, cui renunciatum est, ipsa verò præmoriens, dictaque spe caducata, actus evanescit tanquam per inane exitum illius retis, cujus jactus, ita in conventionem deductus dicitur, & consequenter per renunciantem vel ejus hæredem nulla fit contraventionis renunciatio; Ut rejecta variatione aliorum, ita distinguendo habetur apud Franch. dec. 67. ubi add. & præsertim modernus elaboratus de Luca concordantes referunt, ac habentur apud Surd. de Marin. & alios collectos per Andreol. d. contr. 212. n. 3. & segg. Michalor. de frat. par. 3. cap. 12. n. 35. & segg. ac supponitur per Rot. in d. dec. 2. post Galerat. & in aliis.

Quamvis etenim aliqui distinguere soleant, an filii indigeant representatione personæ eorum matris, quæ renunciantionem fecit, puta quia, ex beneficio representationis, concurrere velint cum patris, vel cum avunculis; Attamen est distinctio, quæ nullum habet probabile fundamentum, quoniam ille, qui remotior, ex hoc representationis beneficio, proximiori æqualis redditur, non venit ex jure personæ representatæ, cujus hæreditaria qualitate indigeat, sed venit independentem jure suo, & ex beneficio, quod lex ita, per quandam imaginem sui parentis, nepotibus concedere voluit.

Benè verum, quod tam istius, quam plurium consimilium causarum frequenti occasione reflectendo ad veritatem, iste semper visus est quidam indiscretus, parumque rationabilis rigor leguleicus, humanæ rationi, sive verisimili Partium intentioni, contrarius, dum ita melioris conditionis erunt feminæ, earumque descendentes, duplicem forrantes ex avi hæreditate portionem; Unam scilicet occasione maternæ dotis, & alteram propriæ portionis jure successorio; Masculis autem primi gradus, vel nepotibus ex eis, unicam tantum portionem obtinentibus, quod utique absurdum, nimiumque improbabile videtur.

Ac propterea, licet de stricta juris censura, rectè dici valeat, quod sibi imputet parens, cur dotem filie donaverit adeout ea in speciem peculii adventitii transitum fecerit, unde propterea filii eam obtinere dicantur ex benevolentia matris, tanquam de ejus patrimonio, de quo (salva legitima poterat extraneis gratificari, sive poterat in vita, de-

bita, vel onera contrahere, adeout jus filiorum inutiliter maneret, quodque propterea debebat relinquere dotem in suis conaturalibus terminis profectitæ, quæ mortua filia ipso superstiti, ad eum jure consolidationis rediisset, juxta regulam text. in l. dos à Matre. C. de jur. dot. Quodque ubi etiam ob eam consuetudinem, quæ Martini dicitur, viri, ac filiorum superexistencia, dictam consolidationem, seu reversionem impediatur, adhuc tamen, juxta veriore, magisque receptam sententiam, nepotes dotem obtinere dicuntur jure vocationis dictæ consuetudinis directè ab avo, & ex ejus substantia, unde propterea conferre, vel imputare tenentur; Ideoque absurdum resultat ab ipsius parentis culpa, malaque providentia, quam sibi ipsi imputare debet faciendo donationem filie, quæ potius jure extranei donatarii consideranda venit.

Nihilominus, ista, & si in puncto juris vera sint, adhuc tamen continere videntur quædam legales subtilitates vis periculis J. C. cognitæ, ad quas proinde contrahentes, præsertim personæ idiotæ reflectere non solent, sed pro ea naturali veritate, quæ pluries in præcedentibus insinuat, parentes cogitant solum filias providere, ut ita de paterna domo exeuntes, cum universa earum posteritate, ab ea extraneæ efficiantur, quoque infectio primitivæ inficiat omnem derivativam; Itaque videtur substantia veritatis, ac verisimilis voluntatis Partium.

Potissimè quia, ut in his terminis advertitur sub tit. de dote disc. 31. cum duobus segg. & disc. 154. & alibi; Quoties hæc donatio non proveniat ex plura clara, & explicita patris voluntate faciendi hujusmodi donationem filie tanquam extraneæ ex aliquo merito, vel affectione personali adeout, secluso etiam motivo paternæ obligationis, vel altero necessitatis dorandi, ac providendi filiam, adhuc eadem donatio facta esset; Sed hujusmodi donatio juxta legales subtilitates ab omni probabilitate, ac ratione alienas deducitur ex forma stipulationis, de qua d. disc. 31. & segg. de dote; Quoniam tunc reverà id videtur provenire potius ex ignorantia Notariorum, qui nescientes quid dicant, neque verborum, seu clausularum vim, seu operationem percipientes, uno vel altero modo stipulationem concipiendo, causam hujusmodi effectus, contrahentium voluntati de directo contrarios.

Ad id autem cuperem, ut reflecterent magna, supremæ Tribunalia, quæ Judicibus inferioribus judicandi normam præbent, reflectendo etiam ad frequenter insinuatam legalem historiam de qua præsertim sub tit. de servit. disc. 1. quod scilicet legum civilium usum habemus, non ex imperiali auctoritate Justiniani, quæ ad id nos cogat, unde propterea intrare valeat propositio, quod lex quamvis dura, servanda sit, sed illum habemus, quia populi, eas tanquam rationabiles, ac benè, prudenterque ordinatas, receperunt, ideoque ad limites rationis practitari debent, non autem cum hujusmodi rigoribus, qui humanæ rationi, atque communi usui nimium adversi sunt; Itaque est ratio, ob quam aliarum scientiarum professores illi præsertim morales philosophiæ, hanc legalem, adeo abhorrent facultatem, eamque dicunt Republicæ potius perniciosam quodque Mundum involverit; Mali enim effectus hujusmodi, non resultant à legibus, quæ sanctæ sunt, ac rationabiles, sed earum mala intelligentia, & à praxi, seu à verè damnabili, ac nauseativo pragmatico usu doctrinarum ad litteram, ac more collectorio, uno alterum transcribente absque aliquo discursu.

ROMANA, SEU JANUEN. RENUNCIATIONIS

PRO HIERONYMO PANESIO CUM LUCA; & JO: PAULO ETIAM DE PANESIIS.

Disc. pro veritate in congressu.

An, & quando valeat & obligatoria sit renunciatio futuris successioibus viventium, seu pactum de non succedendo ad materiam text. in l. fin. Cod. de pact. & in l. pactum quod dotali, Cod. de pact. convent.

SUM.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **A**d materiam pacti de successione viventis, & an prohibito maneat etiam à jure canonico.
- 3 **D**e eodem, ut prohibito sit etiam de jure canonico, & de distinctione inter pactum affirmativum, & negativum.
- 4 **D**e consensu ejus, de cuius successione agitur.
- 5 **D**e voto auctoris in casu.
- 6 **D**e Statuto Januæ eximente testamentum à quævela in officio.
- 7 **Q**uod sit error cum generalitatibus procedere in questione de qua n. 2. & 3.
- 8 **D**e pacto super successione ipsiusmet paciscentis, assicurando ejus successorem ad favorem alicujus, an sit nullum, vel revocabile.
- 9 **D**e eodem, & quare dispositio legis civilis, hodie non debet attendi.
- 10 **E**xpenditur ratio voti captandæ mortis.
- 11 **D**e altera ratione adinveniendi liberam facultatem testandi.
- 12 **E**t de altera conclusione, quod pactis hæreditas dari non potest.
- 13 **D**e pacto hæreditatis viventis factio per speratum successorem ad favorem tertii.
- 14 **D**e distinctione, an sit pactum generale, vel speciale.
- 15 **D**e renunciatione facta ad solum effectum libertatis disponenti.
- 16 **Q**ualis esset casus præsentis controversiæ, in qua renunciatio esset valida.

D I S C. XVI.

Joannes Baptista Panesius, instituto Hieronymo uno ex ejus filiis, in quibusdam bonis, conditionem præscripsit, ut ipse renunciare deberet successioni in bonis Hieronymæ matris, & uxoris respectivè, prout sequuta morte testatoris, volens Hieronymus obripere disposita ad ejus favorem, in dicti præcepti executionem renunciationem fecit, dictaque Hieronyma eo præterito, hæredes instituit Lucam, & Jo: Paulum alios filios, quos idem pater instituerat; Sequuta verò dictæ testatrix morte, Hieronymus, qui in Urbe moram traherebat, dissimulatis renunciatione, ac testamento, curavit se declarare hæredem ab intestato pro tertia parte, atque pro eadem virili in ejus faciem describi quædam loca montium hæreditaria; Super venientes autem dicti ejus fratres hæredes instituti, judicium desuper introdixerunt coram Thefaurario, à quo prodiit sententia eis favorabilis, unde Hieronymus per appellationem causam introduxit in Camera incertum tamen est, an ulteriorem prosecutionem haberit.

In congressu autem Advocatorum, qui ex laudabili stylo desuper habitus fuit, ad effectum consulendi, an expediret appellationem prosequi, ac etiam, super prosecutionis directione; Aliqui ingeniosi quidem, ac elaborati juvenes, multa deducebant ad materiam textus in l. fin. Cod. de pact. & in pactum quod dotali C. de pact. convent. in proposito renunciantionis, vel pacti de hæreditate certæ personæ adhuc viventis, sine ejus expresso consensu examinando, an iste deberet esse expressus, vel sufficiat tacitus, ac implicitus, & qualis scientia ad hunc effectum desideretur; Assumendo etiam quæstionem, an hæc prohibitio resultet solum à jure civili (in quo casu juramentum eam tolleretur,) vel etiam à jure canonico, quod juramentum etiam infringat.

Atque hinc resultat altera distinctio, quam alii faciunt inter pactum affirmativum, & pactum negativum, quasi quod prima species, juris canonici quoque prohibitionem habeat, ideoque juramentum non operetur; Secus autem altera; Cujus tamen contrarium alii magis communiter tenent, ut scilicet indistinctè prohibitio, de utroque jure procedat, quoniam pactum negativum ex parte renunciantis, implicitè, sive in consequentiam sub se includit affirmativum ex parte recipientis, ex iis quæ firmanant DD. quos pro consueto nimium elaborato, (quamvis non multum felici) stylo colligit ad hanc materiam Castill. lib. 3. contrav. cap. 9. & habetur per Rotam decis. 33. part. 6. rec. & decis. 166. part. 9. reperit. apud Bich. decis. 119. & per Add. ad Buratt. decis. 894. Nimium in specio magni

Card. de Luca Lib. XI.

ficando, pro currenti moderna ineptia, doctrinam Surd. cons. 480. num. 21. tanquam individualem in terminis præcisæ renunciantionis factæ maternæ hæreditati, ob paternum præceptum.

Potissimè verò quia supponebatur non constare, quod præfata Hieronyma testatrix scientiam dictæ prohibitionis, ac renunciantionis respectivè haberet, neque de ejus consensu expresso, cum tacitus, vel presumptus, seu conjecturalis, juxta unam opinionem, non sufficiat, vel juxta alteram deduci non possit, nisi concluderent probata scientia pacti, cum animus trahi non possit ad ignorata; Atque ita concluderent, quod hæc renunciatio, utpote invalida, obstare non deberet, & consequenter, quod competeret querella inofficiosa.

Diversa fuit mea opinio contra ipsum Hieronymum requirentem, quodque propterea, sententia Thefaurarii esset justa, beneque fundata; Sive quod ubi etiam præmissa subsisterent, ejus actio operativa esse non posset, nisi in sola legitima, quæ importabat tertiam dictæ tertie portionis, quo casu ex facti circumstantiis, ob paternam dispositionem, non expediebat hanc prosequi, cujus utilitas consistebat, quando integra tertia pars, jure successione ab intestato obtineri potuisset; Tum quia ob clausulam codicillarem, quæ in omnibus ferè testamentis de stylo apponi solet, ad solum legitimam effectum hujus quærelæ restringi videtur, ex deductis in sua materia sub tit. de testam. Tum etiam clarius, stante Statuto Januæ disponente, ut salva legitima, vitium præteritionis, vel ex hæreditationis testamentis obstare non debeat ex deductis cod. tit. de testam. præsertim disc. 60.

Verùm ubi de dicto puncto invaliditatis renunciantionis agendum esset; Adhuc advertendam ad idem, quod occasione fidei commissi conventionalis habetur sub tit. de fidei commissis disc. 141. ut scilicet erroneum sit ita cum hujusmodi generalitatibus procedere, pluresque casus inter se diversos confundere, cum iuxta ferè generalem pluries insinuatam regulam, forensium quæstionum, congrua decisio, pendere videatur ex casuum distinctione, ex qua resultat conclusio, seu doctrinarum congrua applicatio, alias verò resultant illa æquivoca, quæ adeo invaluerunt ex isto modernorum errore, ita non distinguendi paleam à tritico.

Distinguendo igitur diversos casus; Primus est de illo, hæreditatis, vel successione pacto, quod fieret per ipsum de cujus hæreditate, vel successione agitur, ad favorem alterius pacificiscentis, vel tertii in ejus gratiam, juxta illum frequentiore usum habetur in Hispania, præsertim in Catalonia, ac etiam quandoque in Italia, illorum pactorum, quæ per Hispanos hæreditamentis dicuntur occasione matrimoniorum, quod scilicet parentes sponsæ, in partem dotis, & parentes sponsi jure donationis contemplatione matrimonii, pacificiscentur de eorum futura hæreditate, vel successione, ad favorem filii, vel filie respectivè, unde propterea intret dubietas, an hæreditas pactis dari possit, juxta terminos textus in d. l. pactum quod dotali, & l. hæreditas, Cod. de pact. & l. exa, Cod. de inutili stipulat.

Isto autem casu, varias habemus opiniones; Aliqui enim credunt, ut indefinite, sive de tota, sive de quota agatur, pactum sit inutile, quodque matrimonii favor, vel juramentum illud non salvet; Alii verò distinguunt, ut cessante juramento, vel favore matrimonii, dicta nullitas indefinite intret, sive agatur de tota, vel de quota; Quatenus verò una, vel altera circumstantia accedat, tunc intret distinctio, an agatur de tota, vel de quota; Ut primo casu actus sit nullus, juramento, vel favore matrimonii non obstante; In altero autem, cesset quidem nullitas, sed actus sit quandocumque revocabilis, ideoque necessaria sit voluntatis perseverantia usque ad mortem, ex iis quæ cæteris relatis habentur per Rotam apud Rojas dec. 282. 317. & 455. cum quibus proceditur decis. 137. nu. fin. part. 11. rec. in aliis.

Quamvis autem, ut advertitur eod. disc. 141. hujusmodi ac similes propositiones, quas habemus in istis pactis, sive in donationibus omnium bonorum presentium & futurorum, vel in reciprocis pactis de non succedendo, mihi non placeant, atque continere videantur quandam leguleicam simplicitatem; Attamen iste non erat casus; Disserebam verò de eo, ut infra, (citra evagationis notam,) ad tollendam æquivocam, seu ad distinguendum auctoritates, quæ desuper confundebantur; Dicebam etenim quod hæc nullitas deducitur ex illis juris civilis sub-

aliquibus; cum quibus sub antiquo Romano Imperio in illis temporibus procedebatur, quando diversi erant mores, ex quibus forte prudenter, ita statuere oportuit, ob inconvenientiam scilicet, quæ tunc exinde resultare, experientia docebat; Ac etiam quia iurandi religio forte apud illos ethnicos non ita afficiebat, ut apud Christianos ex divina, & canonica lege afficere debet; Ideoque non videtur subesse congrua ratio, cur ille, qui proficendo in Religionem, siue faciendū aliquod delictum, ob quod servus pene afficiatur, potest se reddere intestabilem, siue etiam talem se reddere per solam donationem inter vivos favore pæ causæ, & id facere non possit per aliam conventionem ab eius libera, & sincera voluntate manentem, iurandi religione munifam, & quare iuramentum afficere non debeat, neque in eo intret generalis regula textus in cap. quomodo pactum de pact. in 6. & cap. per vestras de donat. inter vir. & uxor. ut semper iuramentum servari debeat, quoties æternæ salutis interitus, vel bonorum morum naturalium offensio, siue publici favoris principalis ratio aliter non suadeant, dum ex pluribus rationibus, quæ desuper à Juristis deduci solent, nulla videtur adeo urgens, quæ naturalem libertatem disponendi de bonis suis impedire debet, siue iuramenti efficaciam tollere.

Tres enim rationes in huiusmodi, vel similibus pactis ponderari solent; Una scilicet voti captandæ mortis; Altera se reddendi intestabilem; Et altera quod hæreditas pactis dari non possunt; Prima verò non intret, ubi pactum innoxium sit ordini, seu rationabili motivo naturæ, quod nempe concipiatur favore liberorum, vel aliorum, quos successores sibi quis destinaverit, ita a securando alteram partem contrahentem matrimonium de huius destinationis certitudine, ac irrevocabilitate; Neque ex communi praxi istud captandæ mortis votum, quod forte tunc vigeat, ob christiani pietatem junctam cum conjunctione sanguinis, præsertim ubi de filiis agitur juxta frequentiore huiusmodi pactorum praxim, auditur operativum; Si enim ista ratio vigeret, invalida quoque censeretur deberent Statuta, de quibus habetur sub tit. de dote 104. & seq. & in eius magis peculiari fede sub tit. de success. disc. 40. & in aliis, ut præsertim mulieribus in dote, necessaria sit filiorum successio, neque mater in eorum præjudicium disponere possit, dum ita resisteret, quod filii, de parentis successione certificati, ejus mortem accelerare curarent, cum nulla disparitatis ratio inter pactum, & Statutum quoad hunc effectum dignosci videatur, ideoque cum in Statutis id non attendatur, non videtur, cur in pactis attendi debeat.

Quo verò ad aliam rationem adimpendi sibi facultatem testandi, ut eodem disc. 141. de fidei. advertitur, non videtur subesse ratio, cur favore Ecclesiæ, vel piæ causæ id fieri possit, & cur iurandi religioni eadem virtus, vel operatio tribuenda non sit, quoniam si ista facultas competeret de jure naturæ, ita & taliter, quod neque volentes, possint homines ea se privare, sequeretur quod lex positiva illi derogare non potuisset, neque intestabiles reddere filios familias, servos, ac monachos, & alios, minime reddere intestatos eos, qui certas solemnitates, vel formam non servarent; Merito autem lex positiva id facere potuit, eo quia verus est, ut hæc testandi facultas proveniat à mera benignitate juris positivi favore testamentum, qui illi renunciare possunt.

Magisque à jure positivo mere civili, manet altera ratio, quod hæreditas pactis dari non potest, & consequenter fortius iuramentum huius legis obstaculum tollere debet; Solum etenim huiusmodi pacta eodem modo, quo donationes universales testandi facultatem adimittentes, ratione nimis imprudentiæ, seu prodigalitatis, aliquam redolere videntur suspicionem doli, vel circumventionis, aut imbecillius iudicii, unde propterea ille resultat naturalis defectus, qui iuramenti vim tollat, quasi quod in verisimilibus dispositio sit; Ideoque ubi iustum, ac probabile motivum accedat, ob quod illa successio, quæ ex ordine naturæ, vel ex motivo affectionis testata, vel intestato alicui destinata est, ita ex quodam usu, vel ad majorem successoris utilitatem pro aliquo qualificato matrimonio faciendū, seu pro gradus, vel dignitatis affectione, aut ex alio iusto motivo sequeretur per pactum irrevocabile, præsertim iuratum, tunc non videtur, quidnam id prohibeat; Fortius verò, ubi id sequatur occasione firmandi cum alio conventionale fideicommissum reciprocum, juxta deducta d. disc. 141. de fideicom.

Alter casus est, ubi agatur de pacto, vel renunciatione hæreditatis tertiæ adhuc viventis, ad favorem alterius pacificentis, vel renunciatarii, unde propterea tres rationes concurrant, nempe renuncians, renunciatarius, & ille de cuius hæreditate, vel successione agitur; Et tunc subdistinguitur inter renunciationem extintivam, quæ idem importat, ac pactum de non succedendo, & translativam, quæ supponit successione delationem, & acquisitionem in renunciatario, in quo substantiata remaneat, ejus tamen emolumentum, vel utilitas cedat ad commodum renunciatarii, juxta distinctionem, de qua pluries in præcedentibus.

Primo etenim casu, siue in prima specie, ubi pactum fiat ad favorem ejus, cui de jure successio, remoto renunciantis obstaculo, in totum, vel pinguius debita sit, non videtur ad quid desiderari debeat, (ut aliqui credunt,) expressus consensus ejus, de cuius successione agitur, cum in istius libertate positum sit, tale pactum eludere, ut potest intelligendum, ac operativum in casu intestatæ successione, non autem in casu testamenti, ex quo renuncians recipere non prohibetur; Multo verò magis, ubi hoc pactum de non succedendo, saperet speciem malignitatis, ut renuncians inhabilitetur absque utilitate renunciatarii, vel alterius, in cuius gratiam ipse de hoc pacto sollicitus fuit; Atque tunc intret ratio huiusmodi improbativæ, adimpendi scilicet tertio testandi libertatem; Istamque casum percutiunt ea, quæ tam longa & involuta serie deducuntur per Castill. d. disc. 3. cap. 9. ubi ad satisfactionem cumulantur alii de materia agentes, ac etiam agitur per Rotam d. disc. 33. part. 6. & 166. part. 9. aliis disc. 119. Bichii.

In altera verò specie renunciationis translativæ non intret dicta ratio impediendi libertatem testandi, quoniam, posita testamentaria dispositione ad renunciantis favorem, iste succedere dicitur, atque dispositio effectum sortiri, dum successio substantiaria remanet in renunciatario, quem sicuti nulla lex, vel ratio prohibet, obtentam successione alteri cedere ad terminos text. in l. ex t. tit. ff. & C. de hæred. vel ad. vendit. ita neque prohibet cedere preventivè spem, siue spei emolumentum ad terminos textus in l. spem, Cod. de donat. de quibus supra disc. 6. & in aliis pluries.

Benè tamen isto casu, quando agitur de renunciatione hæreditatis, vel successione certæ, ac determinatæ personæ, intret altera ratio voti captandæ mortis, quam ad materiam text. in d. l. sp. C. de pact. ponderant DD. relati per Castill. & alios ubi supra; ideoque prohibet cedere pluries in præcedentibus insinuata, præsertim disc. 13. inter renunciationem generalem successione, ex majorum morte speratis, & ubi de illa certæ, ac determinatæ personæ agatur.

Verùm pariter erroneum videtur, ita simpliciter ac indefinitè huiusmodi distinctionem attendere, illam cuiuscumque casui applicando, quoniam pariter recipienda venit cum eadem distinctione, de qua supra in primo casu, an scilicet renunciatum iustum habeat motivum ex parte utriusque, taleque contineat circumstantias, ut dicta ratio non congruat, vel e converso; Si etenim omnino extraneus, studio ita captandi alienas hæreditates, ac successiones, futurum verisimiliter speratum successorem alicujus, ad id inducat, & tunc merito pro actus improbatione respondendum est; Tum ob dictam rationem voti captandæ mortis; Tum etiam quia est res mali exempli magnam redolens seductionis, vel confusionis, vel alterius doli, & fraudis suspicionem; ideoque permittenda non est potius ex præsumendo defectu naturali, qui iuramentum quoque inefficax reddit, quam ex subtilitatibus juris civilis; Secus autem e converso, ubi ex iusto ac rationabili motivo id sequatur ad favorem personæ, in qua dicta ratio, voti captandæ mortis non intret.

Ponamus enim quod pater, pinguius, ac ultrà propriam obligationem; carnaliter, vel spiritualiter dorando & collocando filiam, reportet ab ista translativam renunciationem futuræ separatæ hæreditatis ejus uxoris, ac matris respectivè, non videtur quoniam lex, vel ratio id prohibeat, cum præsumendum non sit, quod vir uxorem occidere velit, ut ejus successione ita obtineat, quoniam eadem præsumptio (ut supra insinuatum est) admittenda veniret etiam in filiis, ut occiderent matrem, cuius necessariam successione lex municipalis eis defert; Sive improbandæ essent omnes donationes universales bonorum, ac iurium præsentium, & futurorum, quæ alicui fierent cum

ROMANA RENUNCIATIONIS,
SEU BONORUM,
PRO URBANO, & MARIO DE
MILLINIS
CUM JO: CELSO FRATRE.

Causa decisus per Rotam pro Urbano, & Mario, postea concordatus.

An, & quando renunciatio facta occasione ingressus in Religionem, vel Monasterium, resolvatur, seu alias cesset per mutationem status renunciantis, quia nempe ad sæculum redeat, siue ad Episcopatum, vel ad aliam dignitatem assumatur, aut ad aliam Religionem, vel Monasterium transeat.

S U M M A R I U M

- 1 Adi series.
- 2 Resolutio causæ.
- 3 Quod sint distinguendi casus.
- 4 De resolutione renunciationis ob egressum à Religione ex nullitate professionis.
- 5 De alio casu resolutionis ob egressum puellæ à conservatorio.
- 6 De egressu à Religione Societatis Jesu, vel similibus.
- 7 De eodem, & quid operetur quartum votum.
- 8 De egressu ob incorrigibilitatem.
- 9 De transitu de una Religione ad aliam, vel de uno Monasterio ad alterum.
- 10 De egressu occasione Episcopatus, vel alterius dignitatis.
- 11 De eodem, & de indulto testandi Episcoporum.
- 12 De egressu ob suppressionem Religionis.
- 13 Quid ubi professus in Religione suppressa, prius professus esset in altera Religione.
- 14 De eadem conclusione, de qua n. 10. & seq.
- 15 An resolutio placeat necne.
- 16 Distinguntur plures casus, vel species bonorum ante, vel post egressum à Religione.
- 17 Gratia Principis intelligenda est sine præjudicio tertii.
- 18 Religiosus factus Episcopus, an succedat in seudo.
- 19 Quod quandoque resolutiones procedant ex regulis prudentialibus.
- 20 Ponderantur facti circumstantiæ, ob quas renunciatio non debeat obstrare.
- 21 Quare cum decisionibus, & doctrinis generalibus in omni casu procedendum non sit.

D I S C. XVII.

Celsum, adhuc in sæculo existens, ob jam factam deliberationem assumendi statum regularem in Religione Clericorum Regularium Minorum, amplam consuetam renunciationem fecit, ad favorem Urbani, & Marii, aliorumque fratrum; Cum autem emissa jam professione, Apostolica auctoritate, legitime translatus fuisset ad Congregationem Boni Jesu Ravennæ, quæ postmodum passa est suppressionem, enunciata sub tit. de locat. disc. 25. Unde propterea, ejus professores (ut generaliter de plerisque parvis Religionibus suppressis nostra ætate vidimus,) statum clericorum sæcularium assumpserunt; Atque in hoc statu dictus Celsum jam constitutus ab altero prædefuncto fratre hæres institutus esset, juxta seriem de qua sub tit. de testament. disc. 38. Hinc inter ipsum, ac præfatos Urbanum & Marium ejus fratres sæculares, lis exorta fuit, tam super dicti testamenti validitate, quam etiam super dictæ renunciationis duratione, vel resolutione respectivè, ac etiam super eisdem Celsum statu, cum alii fratres prætenderent, quod non esset sæcularis, sed utpotè primo regulari voto adhuc adstrictus, ad primam Religionem regredi, vel aliam æqualis instituti ingredi deberet; De primo autem puncto testamenti habetur d. disc. 48. de testam. Et de altero status regularis habetur in sua materia sub tit. de Regular. disc. 38.

no de futuro ex causa testati, quæ in sensu plurium, neque in renunciacionibus adhuc durantibus intrat ex pluries hoc eod. tit. insinuatis.

Cum igitur in hoc ultimo casu versaremur, nempe testatæ successiois ex causa merè de futuro, verisimiliter de tempore renunciacionis non prævisæ, ac sequentæ de tempore, in quo renunciacionis causa, vel præsuppositum cessaverat, atque religiosus ad sæculum redierat; Hinc proinde, de stricta juris censura, resolutio hujus causæ, mihi (quamvis eam obtinenti,) non placuit, parumque probabilis visa est; Quamvis in substantia de positiva injustitia redargui non mereatur; Vel quia pro meo iudicio probabilior esset testamenti nullitas ex testatoris amentia, ex deductis *disc. 38. de testam.* Vel quia, ob facti circumstantias, ita nimium laudabiliter exigerent regulæ prudentiales, cum quibus, inferioribus, ac pedaneis iudicibus procedere non conceditur, bene tamen, quandoque magnis, ac supremis Tribunalibus collegiatis juxta declarationes, vel distinctiones, de quibus *sub tit. de iudic.* in relatione, seu praxi Curie Romanæ, occasione agendi de eodem Tribunali Rotæ, ac etiam de Congregationibus Cardinalium; Ideoque ut eodem *disc. 38. de testam.* insinuat, placuit exitus causæ, sed non placuit via; Sive placuit resolutio, sed non placuit ratio.

Alia etiam ponderatione accedente (quam tamen Scribenes pro ipso renunciante non faciebant,) quod scilicet, posita in testatore prudentia, seu bene ordinato disersu, ita probabile esset, ut ratio, seu principale motivum, ita parum rationabiliter testandi, prætereundo scilicet duos fratres uxoratos, quorum unus nimium numerosa prole oneratus erat, ac instituendo fratrem clericum in sacris jam constitutum, fuerit ad effectum, ut ita istum in statu sæculari de facto viventem, destitutum autem propriis bonis patrimonialibus, quæ in vim renunciacionis possessa erant per alios fratres, congrue provideret, ut juxta gradum suæ nobilitatis vivere posset cum debito decore; Siquidem, sive verè effectus esset sæcularis, sive non, dum de facto vivebat in sæculo, in habitu, & statu sæculari, apud vulgus, cui hujusmodi distinctio ignota est, ita indecorè vivendo, nobilitati, seu dignitati familiæ præjudicium causat, dum etiam clericis sæcularibus, imò fortius in Urbe, ex qualitate Principatus, magis incumbit eadem necessitas, quæ sæcularibus, vivendi cum decore, atque non intrat ratio, quæ militat in regularibus viventibus in claustris, dum idem est victus, & vestitus nobilis, ac plebei, ut ita distinguendo ponderatur in Romana fideicommissi de Cuppis *sub tit. de fideicom. disc. 64.* Et consequenter ita esset de directo destruere voluntatem testatoris, atque tollere bona ei, quem ipse providere voluit, eaque dare aliis, quos ipse noluit, ac abhorruit; Atque hinc edocemur, quam erroneum sit, decisiones in uno casu editas, cuiusque alteri applicare, cum ista resolutio potius provenerit ex prudentialibus motivis, quæ (laudabiliter quidem,) resultabant ex circumstantiis particularibus facti.

INTERAMNEN, RENUNCIATIONIS,

PRO FRATRIBUS PETRI, &c.

Responsum pro veritate.

An renunciatio facta patri dotanti per filias occasione nuptiarum carnalium, istas excludat ab ipsius patris renunciatarii intestata successione, ob ejus fratres, vel agnatos, qui ex Statuto patriæ feminas excluderent, si agatur de bonis existentibus extra territorium statuentis, in diverso loco, in quo mors defuncti contingat, ac successio aperiatur.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 De Statuto Bergomen. exclusivo feminarum.
- 3 Renunciatio non excludit renunciantem à successione renunciatarii.
- 4 Lex communis, vel municipalis dicitur testamentum morientis ab intestato.

- 5 Quod renunciatio deseruiat pro interpretatione voluntatis morientis.
- 6 Statutum attendi debet etiam extra territorium pro voluntate morientis.
- 7 Civilitas non contrahitur, neque admittitur ex mora occasionali.
- 8 Possunt retineri duæ civilitates, una originaria, & altera domiciliaria.
- 9 An moriens censetur se conformare cum legibus loci domicilii, vel originis.

D I S C. XVIII.

Cum Petrus, origine Bergomensis, juxta istius inditris nationis consuetudinem, in Civitate Interamnen. mercaturam fundacariam exerceret, atque prole masculina destitutus, duas haberet filias, istas nimium congrue dotando, ab eis, juxta sæpius enunciatum Italiae usum, amplam renunciacionem reportasset, deindeque in eadem Civitate ab intestato obiisset; Hinc super ejus successione, ac hæreditate consistente in mercibus, aliisque bonis, etiam stabilibus existentibus in eisdem Civitatis territorio, orta est quæstio, inter eisdem Petri germanos fratres, & dictas filias, quarum exclusio per fratres prætendebatur, ob dictæ renunciacionis amplitudinem juxta casum præcisum de quo supra in *Marsicana disc. 3.* ex fundamentis ibi ponderatis, pro remotioribus transverfalibus, contra fœminarum proximiorum renunciacionem, atque desuper (incertum est ex cuius parte) pro veritate consultus fui.

Respondi, quod ubi procedendum esset, cum sola dispositione, seu terminis juris communis, atque non intraret circumstantia statuti Civitatis Bergomi communis patriæ defuncti, & fratrum, per quod agnati intra certum gradum quamvis remotiorem, excludunt filias, vel alias fœminas proximiores, & de quo Statuto agitur in Anconitana, seu Bergomen. *sub tit. de success. ab intest. disc. 19.* Tunc planum esset bonum jus filiarum, quibus absque dubio, de jure communi, debita est patris intestata successio, etiam in exclusionem parentum; Multò verò magis in exclusionem fratrum absque aliquo renunciacionis obstaculo, dum verius est ex deductis *d. disc. 1. & 2. cum aliis seqq.* & præsertim ipi dicto valde simili casu de quo in allegata *Marsicana disc. 3.* ut renunciatio, non excludat renunciacionem ab intestata renunciatarii successione; Nisi superfic persona verisimiliter prædilecta, in cuius gratiam ipse renunciatarius de renunciacione sollicitus fuerit, puta favore filiorum masculorum, vel etiam quandoque transverfalium agnatorum, ubi præsertim agatur de fœminis ingredientibus Monasterium, juxta ponderationes, de quibus præsertim supra *disc. 1.* Idèoque cum nulla diversa voluntatis defuncti argumenta haberentur, atque ageretur de renunciacione facta per filias carnaliter nuptas, unde propterea non intraret ratio, quæ cadere solet in eligentibus vitam spiritualem, ita planum remanere videbatur, ut renunciatio obstare non deberet, juxta sensum aliorum, qui desuper quoque consulti fuerant.

Histamen non obstantibus; Contrarium mihi probabilius videbatur, stante dicto Statuto excludente filias ab intestata successione patris propter fratres, ex recepta propositione de qua pluries in sua materia *sub tit. de success. ab intest. ac etiam frequenter sub tit. de fideicom. & habetur etiam sub tit. de testam. disc. 25.* quod scilicet; lex communis vel municipalis dicitur testamentum morientis ab intestato, qui præsumitur voluisse cum legis ordine se conformare, atque ita testari, quamvis nulla adesset renunciatio, multo magis dum de illa sollicitus fuit, misteriosè quidem, ac prudenter, adeout renunciatio inutilis, vel fatua dici non posset, stante opinione hodie in praxi magis recepta, de qua pluries in dicta sua materia *sub tit. de success.* ut hujusmodi Statuta utramque personarum, ac bonorum copulativam subjectionem exigant, ideoque suam non faciant operationem, in bonis extra territorium statuentis.

Ita etenim, mihi videbatur, quod sufficienter explicata esset, sive argui posset defuncti verisimilis voluntas, faciendi filias, cum congrua dote, per renunciacionem extraneas, ut fratribus, vel agnatis, juxta patrias leges, successioem aperiret, quatenus contingeret ab intestato decedere, removendo dictum obstaculum, quod ex Legistarum subtilitatibus; ab humana ratione, seu communi usu extraneis resultat.

Et consequenter quod bene intraret conclusio, de qua Rota

Rota apud Merlin. *dec. 447. repetit. dec. 35. p. 5. rec. num. 13. cum seqq.* & pluries insinuata *sub tit. de fideicom. & eod. tit. de success. ab intestato* alibi, quod scilicet ita veniant sub statutaris dispositione, etiam bona extra territorium statuentis, ubique sita sint non in ratione auctoritativa Statuti, sed in ratione voluntatis morientis, quæ indivisa est, ac ubique in ejus bonis pariformiter operativa sine distinctione locorum, quoties ista non producat obstaculum potestatis juxta deducta *sub tit. de dote disc. 104. & seqq. ac etiam eod. tit. de success. pluries.*

Neque obstare dicebam, quod idem defunctus, quocumque vixerit extra patriam in hoc diverso Principatu, in quo etiam obiit, ac bona habebat, quoniam vera, receptaque est conclusio pluries insinuata *sub tit. de præemin. ad materiam civilitatis præsertim disc. 36. & sub tit. de Regal. disc. 104.* ac etiam *sub tit. de matrim. disc. 14.* quod occasio- nalis mora, quamvis diuturna in aliquo loco, puta ratione mercaturæ, vel officii, seu seculi, aut curialitatis &c. non possit civitatem qualitatem domiciliariam in loco, nisi accedat expressa, vel administrativa probatio diversæ voluntatis, quæ etiam accedente in hac secunda par-

te contrahendi scilicet domicilium in loco habitationis, non per hoc resultat desertio, seu amissio alterius civilitatis naturalis ex altera conclusione insinuata locis proximè citatis, & præsertim *disc. 14. de matrim.* ut plures civitates in eadem persona sint rectè compatibiles, idèoque utramque originariam scilicet, & domiciliariam, eodem tempore, obtinere, ac retinere valeat, ac omnes effectus ex utraque resultantes, multò magis, dum in hac facti specie non dabatur probatio contrahendi domicilium in loco occasionalis moræ.

Ubi verò dicta utraque civitas accederet, tunc intrare potuisset ratio dubitandi, an potius, cum minus, quam alterius loci legibus moriens voluerit se conformem reddere; Atque procedendo cum solis Legistarum subtilitatibus, debuisset responderi, ut voluntas regulanda esset ex hoc secundo loco, ubi servandum erat jus commune, quod in concursu prævalere debet statuario; Adhuc autem mihi, ex rationibus ponderatis pluries *d. tit. de success. ab intest. ac etiam d. disc. 25. de test.* contrarium probabilius visum esset, cum nostri Itali mores conservacioni bonorum in agnatione magis adaptati videantur, ex ibi deductis.

Compendium eorum, quæ in praxi magis frequentia continentur in hac Parte III. Lib. XI. de Renunciationibus.

SUMMARIUM RUBRICARUM.

- I. Præemia, à n. 1. ad 6.
- II. De renunciacionis diversis speciebus, earumque diversa materia, seu qualitate, à n. 7. ad 13.
- III. De effectibus, qui ex una, vel altera specie, seu qualitate resultant, à n. 14. ad 15.
- IV. De comprehensione renunciacionis, quidve sub ea veniat, à n. 16. ad 26.
- V. De renunciacionis resolutione, vel cessatione, à n. 27. ad 31.

S U M M A R I U M.

- I. **I**sta materia intensivè brevis, ac restricta est, extensivè autem lata.
 - 1 Regula generalis est, ut renunciacionibus non detur amplius regressus ad jura renunciata.
 - 2 De quæstionibus invaliditatis renunciacionis ob non servatas solemnitates in contractibus minorum, & mulierum.
 - 3 De aliis ob non servatas solemnitates à Concilio Tridentino præscriptas in renunciacionibus, quæ sunt per novitios.
 - 4 De aliis similibus ob votum captandæ mortis, vel quia de hereditate viventis, quæ pactis dari non possit.
 - 5 Distinguntur Rubricæ, seu inspectiones materiæ.
- II.
 - 7 De distinctione inter renunciaciones jurium quæstionum, & quærendarum, & de terminorum, seu vocabulorum diversitate ex hoc resultante.
 - 8 De alia distinctione renunciacionum, quæ sunt ob nuptias carnales, vel spirituales.
 - 9 Major distinctio est inter extinctivas, seu reales, & translativas, seu personales.
 - 10 Qualis sit renunciatio extinctiva, seu realis.
 - 11 Et qualis translativa, seu personalis.
 - 12 Qualis detur renunciatio, quæ eodem tempore sit realis & personalis.
 - 13 Quomodo dignoscatur an renunciatio sit extinctiva, vel translativa, & qualis sit vera regula.
- III.
 - 14 De effectibus resultantibus à renunciacione extinctiva.
 - 15 De aliis effectibus resultantibus à translativa.

IV.

- 26 Regula est, ut renunciatio strictè, ac rigorosè ad limites verborum intelligi debeat.
- 27 Declaratur, seu distinguitur, quando stricta, & rigorosa, vel potius lata, & benigna interpretatio fieri, debeat.
- 28 Renunciatio puellarum, quæ dotantur est connaturalis moribus Italiæ, ideoque favorabilis.
- 29 Quomodo ista quæstio decidi debeat.
- 30 Jura competentia ex testamento non veniunt sub renunciacione abque speciali mentione cum declaratione.
- 31 Alienari prohibita, pariter non veniunt.
- 32 Quomodo interpretanda sit renunciatio, quæ fiat personæ capaci de juribus non transmissibilibus ad extraneos.
- 33 Quod sub renunciacione non veniant jura competentia ex dispositione l. femina; Cód. de secund. nupt.
- 34 Renunciatio successioni alicujus, non capit, quod ex ejusdem testamento obtineatur.
- 35 De regula generali super comprehensione, & quid veniat in renunciacione.
- 36 Filii matris, quæ renunciavit, non prohibentur venire ex persona propria.

V.

- 27 De materia regressus resignantis ad beneficium resignatum.
- 28 De regressu donatoris ad bona dotanda, & generaliter de pactis resolutionis.
- 29 De qua resolutione, vel regressu in præsentis agitur.
- 30 De regressu, vel resolutione ex cessatione personæ contemplatæ renunciatarii.
- 31 Quid de renunciacione Religiosi, qui transcant ad laxiorem Religionem, aut fiat Episcopus, seu alius ad sæculum redeat.

I.

P R O O E M I A L I A.

Nimum latè, & extensivè frequens ita renunciacionum materia esse dignoscitur, intensivè autem brevis, nimumque restricta est; Theoricè siquidem, in paucis consistit; Practicè autem, plures, ac frequentes involvit quæstiones, quæ ipsius renunciacionis naturam, seu speciem, aut comprehensionem, vel interpretationem, seu resolutionem concernunt.

Ad hæc igitur, juris theoricæ restringitur; Regula enim generalis plana est, ut eorum jura renunciacionibus, ad eam regressus amplius non detur, nisi renunciacionis nullitas, vel non comprehensio, sive resolutio, aliter suadeat, præfatæque regulæ limitationem producat.

Nullitatis quæstio, hujus materiæ peculiaris non est, quoniam ex illis generalibus regulis, vel formis procedit, quæ alias dispositiones inter vivos irrevocabiles percutiunt, sive personæ inhabilitatè, aut ipsius actus solemnitatem concernant; a Isto renunciacionis actu, pro frequentiori contingentia, hujusmodi quæstionibus ansam præbente, cum pro communi, præsertim Italiæ usu, puellæ in adhuc minori ætate constitutæ (unde propterea duplex ætatis, ac sexus impedimentum accedat,) carnalis, vel spiritualis matrimonii occasione, renunciaciones parentibus, ac fratribus, aliisque conjunctis facere soleant.

Idemque faciunt adolescentes, qui virorum Religionem ingrediuntur, ibique professiones emittant, ob novam formam à Concilio Tridentino inductam; Ideoque sub donationum, ac etiam prohibitorum contractuum, & Regularium sedibus particularibus de hoc agitur, cum tam renunciantibus, quam etiam donationibus, aliisque dispositionibus generaliter id congruat.

nunciacionibus, quam etiam donationibus, aliisque dispositionibus generaliter id congruat.

Sive ubi ex eo, quod ex voto captandæ mortis, aut ex prohibita futuræ certæ hæreditatis pacto, actus infectio resultet, quod pariter diversos terminos percipit.

Ista itaque peculiaris renunciacionum materia, (validitate actus præsupposita, quatuor habet inspectiones; Primò scilicet super ejus natura, seu qualitate; Secundò super effectibus ex una, vel altera specie, seu natura resultantibus; Tertio super comprehensione, quidve sub renunciacione veniat; Et quartò super ejus resolutione, vel cessatione, ideoque de his, cum distinctis Rubricis, vel capitulis agere pro clariori notitia congruit.

- a de his agitur sub tit. de alien. & contract. prohib. disc. 28, cum plurib. seqq. & hoc tit. disc. 13.
- b de his agitur sub tit. de donat. disc. 15. & sub tit. de Regular. disc. 58. & 59. & hoc tit. disc. 11.
- c hoc tit. disc. 13. & 16. & tit. de fideicom. disc. 141.

I I.

De renunciacionum diversis speciebus, earumque diversa natura, seu qualitate.

Plures habentur generales renunciacionum distinctiones; Aliæ siquidem sunt, quæ jura jam delata, & agnita concernant; Aliæ verò, quæ delata, sed non agnita, vel neque delata, sed sperata percipiunt; Sive in idem, quæ de bonis ac juribus, jam quæsitis, vel de quærendis fiant, ut in una specie *Repudiacionis*, in altera verò *Renunciacionis*, terminus cadat; verum licet stricta, propriaque loquendi ratio id exigat, adhuc tamen promiscuus est istorum terminorum usus, ideoque non ex eo, quod unus, vel alter sit adhibitus, pernecessè ad unam, vel alteram infertur speciem, cum facti, seu veritatis potius attendatur substantia, quàm verborum formalitas; Potissimè quia Notariis non de facili subtilis hæc distinctio innotescere solet.

Alia est renunciacionum distinctio, quæ à causa illas faciendi manat, ut scilicet; Aliæ sint, quæ carnalium nuptiarum occasione fiant; Aliæ verò, quibus ingressus in Religionem, vel Monasterium, aut Ecclesiastici status susceptio causam præbeat, ob diversos effectus exinde resultantibus.

Tertia verò magis operativa, & specialis distinctio est (& super cujus applicatione penè omnæs fori quæstiones circumferri videntur, majoremque æquivocorum incursum praxis docet) inter eas renunciaciones, quæ extinctivæ, & quæ translativæ sint.

Extinctiva etenim ea est, quæ renunciacionis personam de medio tollat, mortuamque efficiat, seu pro tali haberi faciat, perinde ac si in rerum natura nunquam extiterit, vel non extet, undè propterea, accidentaliter potius, & consequutivè, aliis profit per remotionem obstaculi, ut ita scilicet tollendo se de medio, qui sunt remotiores, proximiores fiant, suoque jure, testatam, vel etiam intestatam, directam, vel obliquam successionem obtineant, non autem ex jure renunciacionis.

Translativa verò est ea, quæ donationis, vel cessionis speciem redoleat, ob quam renunciacionis, quamvis remotior, vel extraneus, alios vincat proximiores, non quidem jure suo, sed ex illo renunciacionis, cujus personam repræsentat, & in qua substantiatur successio, cujus modum renunciacionis cedat.

Hæc autem distinctio sub diversis vocabulis explicari solet, quia nempe, extinctiva, realis quoque dicitur, quasi quod, non unius, vel alterius personæ intuitu ea facta sit, sed negativè se habendo ad ipsa bona; Translativa verò explicatur, cum vocabulo personalis, ut potè ad favorem certæ personæ facta.

Non tamen iste personalitatis terminus, qui huic etiam casui adaptabilis est, ad illum præcisè restrictus dignoscitur, cum etiam extinctivæ, seu reali renunciacioni adapteatur ea, cum qua certæ personæ intuitu renunciacionis medio se tollere, ac mortuum se facere voluerit, ut ita personam contemplata, jure suo per remotionem obstaculi, successiones, aliæque jura renunciata pleno jure obtineat; Ea tamen cessante, neque de juribus renunciacionis ex defectu voluntatis disponente, illa resolvatur, ideoque renunciacioni integrum sit ad jura renunciata regredi, seu illa ex novo successione casu, per ipsius renunciacionis deficientiam, obtineri. a

Quæstiones igitur super hujusmodi distinctionum, vel

terminorum congrua applicatione, ex facto cadunt, quando scilicet de una, vel altera extinctivæ, vel translativæ, seu realis, vel personalis renunciacionis specie agatur.

Super hoc autem, ex renunciacionis causa, unius, vel alterius speciei argumentum deduci solet, ut scilicet ubi ex causa spiritualis ingressus in religionem fiat, extinctiva, seu realis potius censenda sit, quasi quod non ex unius, vel alterius personæ dilectione, sed pro temporalium abjectione, ut expeditius Deo famulari valeat, ac spiritualibus vacari, facta sit renunciatio; Secus autem ubi carnalium nuptiarum occasione facta sit, ut tunc translativa, seu personalis potius ex temporali dilectione censenda veniat.

Alia esse solet ponderatio verborum, an scilicet ampla, & effrenata sint pro hæredibus, & successoribus quibuscumque, vel potius majorem habeant restrictionem, ut primo casu realis, in altero autem personalis censetur.

Et Alii casum ponderant, in quo bona, vel jura renunciata posita sint, ut scilicet ubi in accusativo, translativam seu personalem denotent, ubi verò in dativo, vel ablativo, extinctivam, seu realem significent.

Verius tamen est, ut hujusmodi distinctiones, vel ponderationes, aliquod quidem præbeant argumentum unius, vel alterius qualitatis, quoties contraria probatio expressa, vel præsumpta, quæ ex fortioribus argumentis oriatur, contrarium non suadeat, non autem ut pernecessè concludant; Facti etenim potius quàm juris quæstio est, ideoque ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis id desumendum venit, veritatis, aut verisimilis voluntatis substantia potius, quàm hujusmodi verborum formalitibus, vel renunciacionis occasione attentis, ut in sua sede latius advertitur. b

- a de his distinctionib. habetur à disc. 1. ad 11. hoc tit.
- b locis citatis à disc. 1. ad 12.

I I I.

De effectibus ex una, vel altera renunciacionis specie, vel natura resultantibus.

Quando simpliciter, ac indefinitè verè extinctiva, seu realis renunciatio sit, per quam renunciacionis principaliter id agat, ut à bonorum, ac jurium renunciacionum acquisitione extraneum se faciat, atque pro mortuo se habere velit, istaque sit principalis, seu finalis renunciacionis causa; Quamvis alia occasio, vel alicujus personæ dilectio, ad id agendum impulsus dederit, indefinitè remotior locus aperitur, non ex ipsius renunciacionis jure, sed ex proprio illius, qui per hujus obstaculi remotionem, ex remotiore proximior effectus est, ideoque pariformiter omnibus in eodem gradu existentibus, vel idem jus habentibus, actus prodest, perinde ac si persona renunciacionis mortua esset, vel nunquam in rerum natura extitisset.

Minusque cessatio personæ, vel causæ, quæ impulsus ad id dedit, renunciacionem resolvit, seu cessare facit, ut potè, renunciacionis effectu, illico, ac perfectè consumato.

Ubi verò translativa sit, vel personalis, triplex resultat diversus effectus; Primò nempe, ut eidem renunciacionis alias non disponenti, renunciacionis in ipsiusmet bonis, ac juribus renunciacionis succedere non prohibeatur; Secundò, ut renunciatio, renunciacionis tantum prodest, ejusque successoribus, vel aliis capacibus, quorum favore disponentis, vel disponente potuerit, non autem aliis à renunciacione, vel renunciacionis verisimiliter non contemplatis; Et tertio, ut cessante persona contemplata, vel altera, in qua ipsa persona, præsupposita potestate, disponentis, ad jura renunciata debeatur regressus, ipsaque renunciatio resolvatur, vel cesset, tanquam ex cessante causa, ut pariter latius in propria sede advertitur. c

- c locis proximè citatis à disc. 1. ad 12.

I V.

De comprehensione bonorum, ac jurium, & quænam sub renunciacione veniant, necnè.

Strictam, ac rigorosam renunciacionis interpretationem fieri debere, ut quo minus renunciacioni præjudicet, pro regula Juristæ communiter statuunt; Verius autem est, ut renunciacionis causa, seu renunciacionis qualitas pro moribus regionis, attendi debeat; Ubi etenim illa renunciacionis sit, quæ extraneo absque probabili motivo fiat, adeunt ea in tres donatio, vel remissio, quæ perditionem redoleat, at-

que pro renunciatis, ac renunciarii qualitate, circumventionis suspicionem aliquam habeat, recte dicta regula stricta, nimiumque rigorosa interpretatio ad verborum limites intret; Secus autem ubi renunciationis occasio, vel renunciatis, ac renunciarii qualitas pro moribus regionis, rationabilem eam reddat, ut potissime illa renunciatio reputari solet, quæ pro Italiæ usu, per puellas carnaliter, vel spiritualiter decenter collocatas, accepta dote, patri, vel fratribus fiat, cum tunc lata potius, ac benigna interpretatio facienda sit.

Hinc proinde, certa, & generalis regula, cuicumque casui applicabilis non de facili desuper statuenda est, cum ex facti qualitate, ac circumstantiis decisio pendeat, an æquitas, vel favor renuncianti potius, quam renunciatario assit, vel e contra. *d*

Ubi verò de iis juribus agatur, quæ directe, vel oblique, ex testamento competant; Regula est, ut sub renunciatione non veniant, nisi eorum specialis mentio, cum certa noticia testamenti accedat; Adhuc tamen, quia voluntatis, non autem potestatis quæstio est, si verborum amplitudo, vel occasio, aut personarum, seu recompensæ qualitas, istorum jurium comprehensionem, suadeat, eamque verisimilem reddat, illa juris præsumptio, quæ à dicta regula manat, contrariæ probationi, ex fortioribus etiam præsumptionibus resultanti, cedere debet. *e*

Ea quoque bona, vel jura sub renunciatione, absque speciali mentione non cadunt, quæ renunciari, vel cedi sub pena prohibitum sit, cum pro delicti, ac penæ exclusione, fieri debeat interpretatio. *f*

Sive ubi cesset quidem prohibitio in renunciatario, cui nulla obstat incapacitas, quæ tamen eo defecto, in hærede, vel successore dignoscatur; Tunc etenim, ne remioriori, vel extraneo tam per renunciantem, quam per renunciatarium non contemplato, locus aperiat limitate ad personam, capacem renunciationem factam esse censendum est, ut ea defecta, integrum renunciantis jus remoneat, ac si facta non esset. *g*

Ea quoque necessaria, seu penalis successio, quam lex contra binubum parentem, prius matrimonii filiis reservat, sub renunciatione regulariter non venit, nisi verba, seu aliæ facti circumstantiæ limitationem regulæ inducant. *h*

Prout alienus etiam particularis personæ successio facta renunciatio, quæ valida supponatur, ea non capit quæ ex testamentaria, vel alias expressa dispositione ejusdem, de cujus successione agitur, veniunt, nisi valide ista quoque spes renunciata sit. *i*

Et in summa facti, ac voluntatis est quæstio, quæ comprehensionem includat, vel excludat, ideoque certam regulam generalem, cuicumque casui applicabilem non facile recipit, sed pro facti qualitate decidendum est, substantiam voluntatis, potius quam verborum formulas, vel generales juris regulas, aut præsumptiones attendendo, ut latius in sua sede, cum ea, quæ facti sunt, ac voluntatis, sub compendio firme explicabilia non sint.

Sub non comprehensione quoque cadunt renunciatis filii, quibus ex propria persona, proprioque jure venientibus, non obstat matris renunciatio, nisi pro eis, qui sint renunciantis hæredes, quoque facta sit, vel ita suadeat æquitas, quia dotem habeant, ob quam renunciatio facta sit pro facti qualitate. *l*

d ibidem locis proximè citatis.

e ibidem.

f ibidem præsertim disc. 4. & 5.

g ibidem proximè.

h hoc tit. disc. 12.

i disc. 13.

l hoc tit. disc. 15.

De renunciationis resolutione, vel cessatione, ac regressu ad bona vel jura renunciata.

Ille regressus, qui resignantium beneficia Ecclesiastica favore, ex lege resignationis, vel ex juris dispositione, ob pensionis non solutionem, aliumque defectum conceditur, sub hac materia non cadit, cum sub ea, quæ peculiari beneficiorum est, cadat, suamque sedem habeat.

Idemque in eo regressu, qui donatori, ob non implementum legum, vel onerum, quæ in donatione adjecta sint, donatori conceditur, cum id pariter propriam, ac particularem donationum sedem habeat; Ut etiam habent pacta resolutiva, vel rescissoria, quæ in correlative etiam, ac onerosis contractibus adiciuntur. *m*

De illa siquidem renunciatione in hac sede agitur, quæ delatis bonis, ac juribus, vel (frequentius) deferendis, ac speratis successioneibus, occasione matrimonii per puellas, vel occasione mortis civilis, quæ ab assumptione status Regularis, per illos utriusque sexus fiat, an scilicet, rebus in eodem statu non permanentibus, ipsoque statu immutato, tanquam ex cessante causa, vel cessante præsupposito, resolvatur, ac cesset.

Ubi autem in renunciatario, status rerum immutatio sequatur, quia nempe deficiat, adeo ut renunciante supersite, jurium, ac bonorum renunciatariorum commodum, non personæ contemplatæ, sed ejus extranei hæredis, vel successoris futurum sit; Tunc à superius enunciata natura, seu qualitate renunciationis decisio pender, an scilicet, ea realis, vel respectivè personalis potius censenda sit, ut hoc secundo casu, in quo personæ contemplatio finalis, ac taxativa fuerit, cesset, secus autem e contra, quia nempe renunciatarium pro disponendi libertate, quam ad exercitium deduxerit, de renunciatione sollicitus fuerit. *n*

Major itaque cadit quæstio, ubi in ipso renunciante, status immutatio sequatur, adeo ut ea cesset qualitas, quæ renunciationis causa fuit, neque aliæ facta esset, quia nempe (ex gr.) ille, qui in arctiori, & incapaci Religione professum emissurus, renunciationem fecerit, ad laxiorem, & capacem in communi, cum aliqua etiam permissiva privata commoditate transitum faciat; Sive occasione Episcopatus, vel alterius Dignitatis ad sæculum de facto redeat; Aut quod ob Religionis suppressionem, vel ob Apostolicam dispensationem, idem reditus ad sæculum de facto sequatur, cum similibus.

Quamvis autem, aliquis desuper opinionum conflictus inter Scribentes dignoscatur; Verius tamen est, ut regulariter in eo effectu, qui jam ante rerum immutationem sequutus, vel consumatus est, causæ productivæ cessatio resolutionem non inducat; Secus autem, ubi de illis quæ adhuc effectum sortita non sunt; Id autem neque certam, ac generalem recipit regulam, cum pariter pro facti qualitate decisionem recipiat ex iis distinctionibus, & circumstantiis, de quibus in sua sede latius habetur. *o*

Ubi enim resolutio sequatur, ob adhuc non perfectam renunciandi causam, quia nempe Regularis destinata professio, cujus intuitu renunciatio facta sit, tam de facto, quam de jure, suum non sortitur effectum, vel si de facto sortiat, eventus tamen ineffectuationem de jure detegat, quia nempe in valida sit professio, ideoque causa ad non causam reducatur, atque renunciatis priorem statum, nunquam verè dimissum, cujusdam postliminii jure reasumat, tunc, non cessationis, vel resolutionis, sed imperfectiois, vel non effectuationis termini cadunt; Nisi expressè de actus firmitate, isto etiam casu validè cautum sit; *p* Cum aliis in sua sede insinuat.

m sub tit. de donat. & sub tit. de fideic. & sub tit. de benef.

n disc. 1. & seqq. ad 11.

o hoc tit. disc. 17.

p ibid. & sub tit. de donat. disc. 15.



Finis Libri Undecimi.